THEOLOGIA
CHRISTIANA
DOGMATICO-MORALIS

AUCTORE

F. DANIELE CONCINA

ORDINIS PRAEDICATORUM.

TOMUS NONUS

DE SACRAMENTO POENITENTIAE,
EIUSQUE MINISTRO.



ROMAE, MDCCL.
SUPERIORUM PERMISSU.

PROSTANT VENALES VENETIIS
APUD SIMONEM OCCHI.

SANCTISSIMO PETRO
APOSTOLORUM PRINCIPI.

CUM primum verbi divini conciones in ſacroſancta Romana Baſilica, TIBI, SANCTISSIME APOSTOLORUM PRINCEPS, dicata, habui, iam inde uſque TE in meum ſingularem Patronum & Advocatum delegi. Tantam quippe in animo meo de-

devotionem excitarunt tum prodigiosa augustissimi Templi sacra maiestas, tum florentissimi eiusdem Cleri & in divinis mysteriis celebrandis gravitas cum morum suavitate coniuncta, & in Dei laudibus pangendis exactissima disciplina, tum populorum undique illuc affluentium fervens pietas, ut continuo appendere excelso Throno tuo tributum aliquod deliberaverim, quod esset & religiosæ observantiæ, & grati animi erga TE mei perpetuum monumentum. Nihil vero prodire a paupertate mea TIBI sistendum acceptius potuit quam hic de Clavium tuarum potestate Commentarius. *Symbolum, quod manibus tenes, facultatem ianuas cælestis Ierusalem aperiendi, & ligandi, solvendique reos in hac terrestri peregrinatione repræsentat. TU supra humanæ naturæ conditionem elatus, & superno afflatu perfusus Christi divinitatem fassus audire meruisti:* (*a*) Et ego dico tibi,

(*a*) Matth. xvi.

bi, quia tu es PETRUS, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.... Et tibi dabo claves regni cælorum ; & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis ; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis. *In hoc supremo dignitatis fastigio constitutus, præclarissimi Ducis munere perfunctus es, cum ab immani militum cohorte subducere Magistrum tuum, districto ense, invictoque pectore non dubitaveris. Verum quia ad eminentiorem alterius generis fortitudinis gradum evehendus fueras, ruere TE Deus tremenda sua providentia permisit, ut & profundæ humilitatis, & perfectissimæ pænitentiæ exemplar omnibus nobis evaderes. Siquidem vix dum lapsum TE agnovisti, cum, omni cunctatione sublata, tam acerbo dolore, tantaque cordis amaritudine contractam sceleris maculam abstergere curasti, ut dicere iure possimus, TE sanctiorem surrexisse post ruinam,*

nam, quam fueras antequam cecidisses. Quid quod hanc severissimam pœnitentiam toto vitæ decursu excolere numquam destiteris? Ad cuiusque galli cantum casus tuus menti occurrens, tam ampla TIBI fuit amarissimi gemitus materia, ut genæ tuæ lacrymarum continenter fluentium ardore pene exustæ fuerint. Quam heroicam pœnitentiam cumulare novis favoribus, & decorare ingenti gratiarum copia clementissimus Redemptor voluit. Nam & sola corporis tui umbra ægrotos sanabat, & Angelus divinæ resurrectionis testis, cum perferri faustissimum nuntium ad discipulos per mulieres iussisset, singularem TUI mentionem fecit: Ite, dicite discipulis eius, & PETRO (*a*). *Sed, quod excellentius est, idem ipse CHRISTUS confestim a resurrectione sua se TIBI primum visendum præbuit:* Surrexit Dominus vere, & apparuit SIMONI (*b*): *ut hac visitatione af-*

fli-

(*a*) Marc. XVI. (*b*) Luc. XXIV.

flictissimum animum tuum erigeret, & lacrymarum amaritudinem in alacritatem & lætitiam commutaret. TU vero, ut quo erat erga TE liberalior, ac munificentior divinus Magister, eo gratior atque obsequentior eidem esses, in ipso ultimo agone ad crucis supplicium, immanissimi Neronis contempto furore, triumphabundus perrexisti: & ut inauditæ humilitatis argumentum perhiberes, non sublimi erectoque vultu, sed inverso corpore, ad terram depresso capite, stipiti affigi voluisti, ne parem cum DOMINO TUO sortiri gloriam videreris, sed ut & acerbioris doloris vim sustineres, & æqualitatem dominicæ Crucis declinares. O admirandæ humilitatis, constantiæ, patientiæ, atque fortitudinis exemplum, quod Ecclesiæ Christi Sponsæ reliquisti!

Hæc pauca recensere de TE, SANCTISSIME PETRE, libuit, ut Sacerdotes, quibus Clavium potestas absolvendi, & ligandi concredita est, a TE, quem ut Parentem,

&

& Patriarcham iure suspiciunt, venerenturque, perdiscant, quæ sit vera christiana pœnitentiæ indoles, quæ pœnitentis sincere contriti dotes, atque prærogativæ. Enimvero si lapsum tuum illico consecuta est celerrima pœnitentia, quin vel dies interfluxerit, suspectam profecto, & fallacem habeant Sacerdotes oportet pœnitentiam in longum tempus protractam. Quid, si semel & iterum Deo reconciliati peccatores relaberentur? Illa ne germana pœnitentia habenda est, & ad tua amussim conformis, quam non amaræ lacrymæ, non vultus demissus, non animus humilis, sed pompæ, luxus, & fastus comitantur? Qui TE lapsum, ut sibi de divina clementia blandiantur, repræsentant, num TE pœnitentem imitantur, dum non caritatis amore succensi, sed solo quodam pœnarum terrore correpti ad Clavium absolutionem suscipiendam accedunt? Quos non ideo peccasse pœnitet, quia infinitam Dei bonitatem proculcarunt, sed quia ardere

dere

dere verentur, & privari æterna felicitate reformidant. An Clavium tuarum potestate sancte utuntur Sacerdotes, earumque beneficium recte dispensant illis qui frequenter ruunt, & resurgunt, relabuntur, & absolutionem requirunt, quin ullum stabilis conversionis, & contriti animi solidum argumentum exhibeant; sed omnia defixi in malitia cordis signa perhibent? Isti pœnæ formidine attriti respondere ne TECUM Christo Domino poterunt: Domine, tu scis, quia amo te? (*a*)

Ut vero hæc divini amoris flamma in corde meo, TE, invictissime APOSTOLORUM PRINCEPS, intercedente, accendatur, oro obtestorque. Tuum simul imploro patrocinium huic meo Commentario, *quo pro legitimo, sanctoque Clavium tuarum usu, & administratione deprælior. Veram ego christianam pœnitentiam, ieiuniis, eleemosynis, precibus, & laboriosis virtutum ope-*

(*a*) Ioan. xxi.

ribus fecundam ſecernere ab adulterata, & aſſerere a fucata ſtudui; quæ carnem non affligit, ſed demulcet; vulnera non ſanat, ſed fovet; ſenſus non coercet, ſed titillat; quæ peccantes ab inſanientis mundi præſtigiis non ſeparat, ſed novis quibuſdam lenociniis voluptuoſa oblectamenta cum Chriſti Evangelio, delicias ſæculi cum crucis amaritudine copulare portentoſo fœdere didicit. Et, quod omnem ſuperat fidem, haud puduit nonnullos in iſtius blandæ, benignæ, & carni accommodatiſſimæ pœnitentiæ commendationem TE periurum, TE inconſtantem obtrudere, ut diſceres, *inquiunt*, cum aliis eſſe benignus; *ac ſi evangelica benignitas in prodigendis Chriſti myſteriis, in paſcendis divino pane flagitioſis, & vitiis ſaginatis, in abſolvendis inveteratis & recidivis refulgeret. Lapſum tuum novæ benignitatis aſſertores exaggerant; & pœnitentiæ tuæ dotes alto obvolvunt ſilentio. Cum tuam, o SANCTISSIME PETRE,*

pœ-

pœnitentiam ſeveram, & amariſſimam, carnem ſcilicet, & animum macerantem, ſuademus, & inculcamus imitandam, Rigoriſtæ *continuo audimus, ſibilis deridemur, & contemnimur ut* Ianſeniſtæ. *Verum, ſi TU, qui de Herodis, Neronis, aliorumque tyrannorum perſecutionibus feliciſſime triumphaſti, validiſſimum patrocinium tuum impenderis, irriti erunt leviculorum hominum conatus, conſilia vana, fruſtraneæ machinationes.*

Perge porro, SANCTISSIME PETRE, columna, & firmamentum Eccleſiæ Catholicæ, & in hac temporum calamitate reſpice de cælo ſuper vineam iſtam. Suſcita in Sacerdotibus tuis, præſertim illis quibus ligandi atque ſolvendi Claves committuntur, zelum pœnitentiæ & ſanctitatis, ſpiritum fortitudinis & conſtantiæ, ut Dei armatura induti, & vivæ fidei clypeo muniti, carnis prudentiam, & politicos reſpectus contemnentes, reſtituere ad primævum ſplen-

dorem morum disciplinam audeant. Tandem oro, & flens obsecro per eam fidem, & operam quam Ecclesiæ in terris degens præstitisti, ut impetrare mihi efficacissima tua intercessione a Christo IESU digneris divinum illud perseverantiæ donum, quo ornatus, & TU aperire iure queas, & ego ingredi Paradisi ianuasfaustissime va leam. Amen.

Servorum tuorum infimus
F. Daniel Concina O. P.

PRÆ-

PRAEFATIO.

I. SI diligentiam quam cuiusque argumenti tractatio postulat, ex rei quæ disputatur magnitudine, pondere, & necessitate metiri oportet, vereor ut ego adhibiturus sim parem, quæ huic, quem aggredior illustrandum, loco consentanea videri possit. Nullum quippe argumentum hactenus pertractatum a me fuit, quod, sive necessitatem, sive commodum, sive difficultates, quæ illud circumstant, spectes, valeat cum eo quod nunc in manibus est, comparari. Baptismus, qui deperditam primi hominis lapsu innocentiam reparat, ceteris sacris mysteriis præit, una cum confirmatione, quæ infusam gratiam custodit, atque propugnat. Eucharistia dignitate & maiestate omnibus præstat. At quam sunt sensibus magis subiecta elementa, quibus hæc constant, tam facilior est, & a difficultatibus remotior eorumdem administratio. Verum, antequam naufragantibus post iustitiam baptismalem subsidium porrigatur, erigi tribunal debet, in quo Dei minister sedeat iudex, peccator adsit reus, & testis, ut rectum pronuntietur iudicium, impertienda ne sit, an deneganda peccatorum remissio. Nemo autem non videt quam astuti, quam intimi, quam potentes hostes ad hocce pervertendum iudicium conspirent. Comparatus ille ad benignitatem est, hic ad severitatem; & quem iste condemnat, alter absolvit. Quis autem est qui tuto pede pergere inter hæc duo obvia extrema *Rigorismi*, & *Laxismi* queat?

II. P. BALTHASAR FRANCOLINUS, doctus, probusque Theologus, dolet, & altius lamentatur, sæculo nostro immanem RIGORISMUM in Ecclesia dominari, atque in Catholicorum perniciem latius sævire. Quo malo, atque funestæ ruinæ ut occurrat, in præfatione ad suum *Clericum Romanum* disputationes se edere ait, quæ *nimium rigorem, in administrando præsertim sacramento pœnitentiæ QUOTIDIE MAGIS INVALESCENTEM, insectantur, & sanctam benignitatem . . . propugnant*. Tragicam Montanistarum, & Novatianorum scænam aperit, istorum-

rumque crudelem austeritatem ob oculos repræsentat. Montanistæ distinguentes scelera quæ in Deum, & quæ in proximum perpetrantur, hæc, secus illa remitti posse affirmarunt; ut ex Tertulliano *Lib. de pud. cap.* 11. colligitur. *Mundantur delicta quæ quis in fratrem, non in Deum admiserit*. Quæ distinctio non prorsus apta videtur; cum & flagitia adversus fratres nostros commissa, infinitam Dei maiestatem, qui eadem interdicit, offendant. Quare, alia substituta distinctione, delicta omnia duo in genera tribuerunt, alia gravia, gravissima alia, quæ condonari ab Ecclesia posse, sicuti prima, denegarunt; ut Tertullianus Montanista factus *loc. cit. cap.* XIX. ait. *Sunt graviora, & exitiosa, quæ veniam non capiunt, homicidium, idololatria, fraus, negatio, blasphemia utique, & mœchia, & fornicatio, & si qua violatio templi Dei*.

III. Antiqui Ecclesiæ Patres hæc gravissima crimina contractiori sermone *capitalia* appellarunt, cuiusmodi sunt idololatria, mœchia, homicidium. Montanistæ, & Novatiani horum criminum remittendorum potestate destitutam Ecclesiam effutiere. Factum, non ius Ecclesiæ in disputationem eruditi viri adducentes, in contrarias, ut fieri solet, partes abeunt. Albaspinæus, Petavius, Lupus, Iuveninus, Martene capitalibus delictis obstrictos, tametsi amaris fletibus, & laboriosis operibus eluere contractas maculas studuissent, ita eiectos olim ab Ecclesia fuisse contendunt, ut neque in extrema lucta absolutionis beneficium impertitum illis fuerit. Contra Morinus, Natalis Alexander, & alii sentiunt. Hanc secundam opinionem Cl. Vir Augustinus Orsi, Sacri Palatii Magister, docte iuxta, & erudite integra dissertatione pleno in lumine constituit, illis omnibus quæ pro adversa parte afferuntur argumentis penitus contritis. Verum hæc obiter.

IV Sed ut eo unde discessit, redeat oratio, *P. Balthasar Francolinus* repræsentare pergit *Rigorismum* depopulantem Ecclesiam Africanam, immigrantem in Græcam, Antiochenam præsertim devastantem, & *Eustathio* altero Rigoristarum duce, Paphlagoniam, aliasque Asiaticas regiones pessumdantem. Subdit feram hanc truculentam ex orientali in occidentalem Ecclesiam irruisse, Gallias, finitimasque regiones crudeli laniæna discerpentem, & usquequaque pœnas, supplicia, furorem, atque omnium malorum gravissimam desperationem intulisse.

A

A ſola, inquit, Romana Eccleſia exulavit ſemper *Rigoriſmus*. Montaniſtarum rigorem perculit Zephyrinus Papa : Novatianam auſteritatem proſcripſit Cornelius : Gallicanam feritatem proſtravit Cæleſtinus : Samniticum, Campanum, & Picenum rigorem confixit Leo Papa, datis ad harum Eccleſiarum Epiſcopos litteris. Et tandem, ut a crudeliſſima peſte caverent, omnes Eccleſias monuerunt S. Pius V. *aliique inde Pontifices, & noviſſime Alexander VIII. dum Baianas, Janſenianas, aliaſque ab his impuris fontibus propoſitiones collectas damnarunt.*

V. Habes nunc, lector chriſtiane, penicillo P. Francolini depictam teterrimam imaginem illius *Rigoriſmi* qui a primis Eccleſiæ ſæculis ad hæc uſque tempora, veluti hydra immanis, Chriſti gregem dilaniare non ceſſat. Adeo Rigoriſtis infeſtam deſcribit Romanam Eccleſiam, *ut aliqua, quamvis non eſſent mala, reiecerit aliquando eo ſolo nomine quod ab hoc hominum genere proponerentur*. Et reipſa invecta a Montano ieiunia improbavit, ne ſpiritum Montani comprobare diceretur.

VI. Porro ne impoſterum Chriſtiani in os, & fauces incidant crudelis feræ, vocis ſonitum extollit P. Francolinus, inclamatque: *Cave a Rigoriſmo, cave a Rigoriſtis, qui de regione longinqua veniunt ad te in veſtibus ovium, in fronte modeſta, in oculis ſubmiſſis, in vultu demiſſo, in geſtu compoſito, in toga decenti, in ſermone ſuavi : cave etiam ab iis qui non veniunt, ſed mittunt ad te . . . Rigoriſmum ſuum*. Ut vero ſecurius declinare eiuſmodi Rigoriſtas valeas, eorumdem characteres enucleate tibi patefacit his verbis. „ Spiritus indoles tetrica eſt, ſuſpicioſa, artificioſa, „ ambitioſa, immiſericors, tyrannica, uno verbo phariſaica. „ Habes ex his unde eos dignoſcas, ſi noſti vitia Phariſæorum. Quatuor illa potiſſimum erant, facies ſimulata, cor „ durum, animus malignus, vota ambitioſa . . . . Quos igitur deprehenderis in facie ſanctos, modeſtos, compoſitos „ eccleſiaſtice, in toto habitu comptos, ſed habentes quid dubitent &c. habe illos ut noſtrorum temporum Phariſæos, „ & veri nominis *Rigoriſtas*."

VII. Paucis perſtrinxi ſpecimen eorum quæ R. P. Francolinus de Rigoriſmo, & Rigoriſtis ſcribit in laudata ſua præfatione ad Clericum Romanum. Et antequam ultra provehor, repetere intereſt me pro certo habere, recto pioque animo illum ſcripſiſſe, eoque conatus, molimina, atque ſtudia ſua

col-

collineasse, ut animarum saluti consuleret, ut christianum populum facilius atque securius ad vitam æternam perduceret. Verum, quemadmodum ille optime advertit in suo ad lectorem Monito, de *Morino*, *Merbesio*, *Iuvenino*, de quibus sic fatur: *Bona eos mente scripsisse non ambigo*; *sed id satis non est ut quæ scribuntur*, *utilia sint*: similiter mihi liceat asserere, sancta mente Francolinum scripsisse, me nullo modo dubitare; at non quo scripserit animo, sed quid scripserit, sub examen revocabo. Subdit Francolinus contra Rigoristas scribens: *Calori disputationis tribuatur*, *si quid excidit quod minus reverenter dictum videatur*. In id ego incumbam studio summo, ne quid minus officiosum adversus Francolinum, aliosque benignos Moralistas calamo mihi excidat. In eorum scripta dumtaxat inquiram, & si quæ falsa, & laxa offendero, pro meritis labefactare curabo. P. Francolinus Theologos qui probabiliora & tutiora in dubiis controversiis propugnant, *Rigoristas*, non Probabilioristas benigne appellat. Si hac mihi libertate uti liceret, Theologos qui minus probabilia, & improbabilia acriter defendunt, *Laxones*, vel *Laxistas* compellare deberem. Sed absit ut usurpare hoc Francolini aliorumque Probabilistarum benignum ius ego velim. Mihi sat erit opiniones quas falsas reputavero, *laxas* & perniciosas appellare; Auctores vero earumdem præconiis potius efferre quam censuris, aut vocabulis minus honorificis incessere. His delibatis, quæ ex P. Francolino rescripsi, dispiciam paullulum necesse est.

VIII. Ac principio, ut id quod sentio, candide prodam, P. Francolinus & fallitur, & fallit Clericum suum, suosque lectores. Et ne vel tantillum imponere ipsi videar, quæro, num P. Francolinus calamum acuat in *Rigorismum* Catholicorum, an in *Rigorismum* hæreticorum, num in *Rigoristas* catholicos, an in *Rigoristas* hæreticos? Si in Rigoristas catholicos; cur eos hæreticis Montanistis, Novatianis, & Iansenistis accenset, iisdemque immiscet? Quo iure catholicos Theologos traducit, tamquam ambitiosos, tyrannicos, malignos, tetricos, efferatos? Quid Montanismum, Novatianismum, Pharisæismum in Ecclesiam catholicam quaquaversum ferocientem inducit? Si quis alterius mundi advena, Catholicorum prorsus ignarus, præfationem P. Francolini inclamantis, *Cave a Rigoristis*, *cave a Rigoristis*, lectitaret, videre sibi videretur delicatas matronas, &

ma-

matronulas, atque cuiusque cœtus viros perpetuis ieiuniis extenuatos, crudeli inedia impallescentes, disciplinis, & flagellis sauciatos, vulneratos, plagosos in semetipsos crudelissime sævire: existimaret nullam apud nos lapsis misericordiam post diuturnam ieiuniorum, fletuum, disciplinarum, precum, aliorumque operum pœnitentiam peractam, implorantibus absolutionem impertiri. Hanc trucem disciplinæ, in Ecclesia nostra dominantis, imaginem ex lectione P. Francolini sibi formaret. Si vero non in Rigoristas catholicos, sed in Rigoristas hæreticos invehitur P. Francolinus; quinam sunt eiusmodi hæretici qui hac tempestate Montani, & Novatiani crudelem severitatem redintegraverint? An Lutherani, & Calviniani, qui ieiunia, abstinentiam, psalmodiam, & cetera laboriosa opera, & veræ pœnitentiæ disciplinam penitus exterminarunt? Quinam ergo sunt qui Montanisticum, & Novatianisticum rigorem instaurarint? Ianseniani? Hi scilicet. Sed istos quoque, qui pertinaciter proscriptos ab Ecclesia Romana Iansenii errores defendunt, tamquam schismaticos, & hæreticos Catholici detestantur. Ad me quod attinet, palmam sane non cedo P. Francolino, neque alteri cuilibet, si animi vota spectes, in reiiciendis Iansenistarum commentis; idque, occasione data, præstare opere pro modulo meo non prætermisi.

IX. Verum P. Francolinus non hæreticorum, sed Catholicorum Rigorismum se insectari non ambiguis indiciis perhibet. *Nosti* (inquit loc. cit.) *regiones occulto morbo laborantes, Academias, Familias, Collegia. Hæc suspicionem faciant. Ea vero celebris in fronte libri promissio tradendi doctrinam sacræ Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, suspicionem augeat.* Quam caute, prudenterque scripta hæc sint, nempe damnati *Rigorismi* arguere Familias, idest sacros Regularium Ordines, Academias, & Collegia Catholicorum, an iustitiæ, nedum caritatis, id cohæreat, iudicent sapientes. Crudelis severitatis, & feræ tyrannidis suspicionem ingerit & auget celebris in fronte libri promissio tradendi doctrinam Scripturarum, Conciliorum, & Patrum? Itane vero? At Patres ipsi, & Concilia posteriora, antecedentium Patrum, & Conciliorum traditiones, & doctrinam maiorum allegare semper consueverunt. Aberrandi occasio P. Francolino, ut mea minima præfert opinio, fuit, quod expressam Rigorismi notionem minime delineaverit. Cuius, amabo te, na-

turæ est *Rigorismus* ille quem ceu truculentum monstrum insectatur? Quænam illius *Benignitatis* indoles quam tot præconiis exaltat P. Francolinus? Rigorismus iste est ne forsitan *Probabiliorismus*? Negas? Quænam ergo huiusce Rigorismi sincera imago? *Benignismus*, tot laudibus exornatus, erit ne forte *Probabilismus*? Erit ne doctrina illa quæ longius a lege, & veritate abest, & propius accedit falsitati, & humanitati? Siles? Quid itaque est Rigorismus iste cavendus? Quid Benignitas amplectenda? Edissere. In universo opere, nedum in præfatione, nullam sive benignitatis, quam veluti tesseram Romanæ Ecclesiæ designat, sive rigoris, quem tamquam feram pessimam gregem Christi devorantem aggreditur, insectatur, atque iugulare toto virium conatu studet P. Francolinus, distinctam, expressamque ideam præfert. A quo igitur *Rigorismo* cavere sibi Romanus Clericus debet? Quænam illa *Benignitas*, quam complecti secure valet? Aerem verberat, & hostes fingit Cl. Auctor, donec genuinos harum vocum *Rigorismi*, & *Benignismi* significatus perspicue declaret. *Rigorismi* detestandi nomine intelligo ego doctrinam aut ab Apostolica Sede proscriptam, aut communi Patrum, & Theologorum sensui adversam: intelligo sævam illam duritiem quæ veniam peccatoribus sincere contritis impertire recusat. Contra, benignitatem illam approbo, & propugno quæ delinquentibus, tametsi gravissimorum scelerum multitudine onustis, aditum ad sacra mysteria non præcludit, sed liberaliter misericordiæ ianuam aperit, dummodo sinceræ conversionis, & christianæ pœnitentiæ argumenta exhibeant.

X. Rogo nunc P. Francolinum, omnesque Benignitatis præcones, & Rigorismi osores, ut palam dicant, num ætate nostra vel unus Catholicorum Theologus designari possit qui aut praxi, aut scripto defendat, peccatori, tametsi inveterato, tametsi homicidæ, mœcho, blasphemo, impio, non esse impendendam absolutionem, quando vera & sincera christianæ pœnitentiæ signa perhibeat? Ubinam ergo in catholica Ecclesia horrendum illud *Rigorismi* monstrum, quod teterrimis coloribus depingit P. Francolinus? In qua Familia, in quo Claustro, in quo Collegio, in qua Academia grassatur crudelis hæc pestis? In quo Theologorum, aut Confessariorum cœtu sævit, & furit Rigorismus iste? An in Confessariis nobilium matrona-

narum, & nobilium magnatum? An in Confessariis mercatorum, & politicorum? An in Confessariis & Theologis Dynastarum, Principum, & Regum? An in Confessariis miseræ plebis? In qua Ecclesia grassatur severitas hæc inhumana? In quo Catholicorum libro morali, edito pro Confessariorum instructione, propugnatur Rigorismus iste?

XI. Verum, ut in gravissima omnium caussa, in qua de æterna Christianorum salute agitur, ad incitas redigam & P. Francolinum, & omnes Benignistas, ad communem omnium Theologorum, & etiam prudentum Catholicorum sensum caussam hanc revoco. Ex una parte actores constituo P. Francolinum, & ceteros mollioris doctrinæ patronos, ex altera Antiprobabilistas. Clamat P. Francolinus cum ceteris: *Cave a Rigorismo, cave a Rigoristis*. Clamant e contrario adversarii: *Cave a Laxismo, cave a Laxistis*. Ut rectum iudices ferant iudicium, duo consulant. Primum experientiam visibilem luculentamque; alterum Moralistarum libros ex utraque parte editos. Ad primum quod attinet, oculos iudices convertant in cuiusque conditionis Catholicos, sacra mysteria frequentantes fere singulis mensibus, aut pluries in annum. Deinde inspiciant, an mares & feminæ reciproco amore se se prosequentes, sibique vicissim urbanitate summa inservientes, ludis ferme continuis, colloquiis tenerrimis, harmonicis concentibus operam navent; an opipara convivia, comœdias, & cetera mundi oblectamenta continenter frequentent. Heinc colligant, num post plurium annorum confessiones, & communiones ludis immoderatis, conversationibus promiscuis, pompis vanis, colloquiis subimpudicis penitus vale dixerint: num theatris, comœdiis, congressibus otiosis se abdicaverint, & professionem baptismalem, in qua Satanæ, & omnibus pompis eius renuntiarunt, exacte impleant: an modestiam, humilitatem, aliasque christianas virtutes, quoad fert humanæ naturæ imbecillitas, exerceant. Perpendant, num mercatores ab usuris, num artifices a fraudibus, num advocati a dolis, & cavillationibus abstineant post tot annorum confessiones, & fraudes. Convertant nunc oculos in paucos illos Christianos, sive peccatores, sive innocentes, qui singultibus, ieiuniis, eleemosynis, aliisque laboriosis operibus contractas scelerum sordes eluere, divinam placare iustitiam, carnem comprimere, appetitiones coercere,

mundi oblectamentis se subducere student : & ad tribunal vocati rogentur isti, num ex toto corde dolentes & gementes aliquem Confessarium, Theologumve in universa Italia offenderint hactenus, qui eos a sacris mysteriis crudeli immanitate reiecerit. Si vel unum ratione praeditum indicaverint, sponte cadere caussa velim. Ergo, manifesta experientia spectata, Christiani ex una parte, magno in numero, in perpetuo vitiorum & communionum, scelerum & confessionum circulo versantur, quin umquam sincere convertantur. E contrario Christiani aut innocentes, aut sincere poenitentes nullibi ianuam ad misericordiam, ad absolutionem obtinendam clausam inveniunt; immo ubique ipsis sacramenta administrantur, & ad eadem frequentanda suadentur. E tribunali igitur evidentissimae experientiae iudicium proferant sapientes, an non iure clamandum sit : *Cave a Laxismo, cave a Laxistis*. Iudicent quo iure clamet P. Francolinus cum ceteris : *Cave a Rigorismo, cave a Rigoristis*. Sententiam dicant, qua obstringantur & Francolinus, & ceteri, ut digito ostendant, ubinam sit inter Catholicos haec, quam fingunt, crudelis Rigorismi chimaera. Si ab experientia ad libros provocant, non reiicimus appellationem, sed amplectimur libentissime. Illud tantum recordamur, ne Montanismus, aut Novatianismus, aut Iansenismus versute in scenam adducantur; sed Catholicorum dumtaxat opera sub criticen veniant. In medium appareant libri Morini, Merbesii, Genneti (quem rigidissimum, nedum rigidum, appellat P. Francolinus) Natalis Alexandri, Pauli a Lugduno, Pontasii, Besombii, Antoine. Prodeant ex classe altera *Benignistarum* Caramuel, Diana, Leander, Bassaeus, Zanardi, Ioannes Sanchez, Thomas Sanchez, Tamburinus, Castropalaus, Escobarius, Bonacina, La-Croixius, Burgaberus, Moya, Francolinus, & alii sexcenti Probabilistae. Rogo ut vel unam ex prioris classis operibus propositionem obiiciant quae crudelem damnatumque *Rigorismum* redoleat. Ego vero ex postremae classis libris non unam, sed centenas, & millenas dabo, quae *Laxismum* redolent manifestum partim damnatum, partim, ut imbecillitati meae videtur, damnandum. Peremptoriam nunc sententiam proferant sapientes iudices, quinam iure clamare valeant, & debeant : an P. Francolinus, *Cave a Rigorismo cave a Rigoristis*; an alii, *Cave a Laxismo, cave a Laxistis*. Iudicent,

an

an *Rigorismus*, sive speculativus, sive practicus, inter Catholicos, quem Francolinus, & alii permulti obtrudunt, sit nec ne mera chimæra, quæ disciplinæ frequentandi sacramenta, & Ecclesiæ universæ gravissimum inferat detrimentum. Contra iudicent, grassetur nec ne *Laxismus*, tum speculativus in libris plurium Casuistarum, tum practicus in administratione præsertim pœnitentiæ sacramenti. Hæc iudicanda prudentibus, & anticipationum vacuis iudicibus denuntio.

XII. Heinc quisque colliget, quam prudenter, quam iuste P. Francolinus catholicorum Theologorum doctrinam cum Montanismo, Novatianismo, Baianismo, Iansenismo confundere ausus fuerit. Cedo: si quis *Laxismum* Casuistarum permisceret cum Nicolaismo, Gnosticismo, Pelagianismo, Lutheranismo, Calvinismo; quas turbas non cierent, quos rumores ac tumultus non excitarent *Benignistæ*? Et merito quidem: nam Catholicorum opiniones numquam cum hæreticorum erroribus confundendæ sunt. P. Francolinus in sua præfatione constitutiones S. Pii V. & successorum, decretum Alexandri VIII. adversus Baianos, & Iansenianos errores pluries obiicit. In his pontificiis constitutionibus reperitur ne vel una propositio damnata in materia morum, decerpta ex Moralistis catholicis Gallis, Hispanis, Germanis, Italis? E contrario decreta Alexandri VII. & Innocentii XI. adversus *Laxismum*, excerptum e libris catholicorum Casuistarum, alto obvolvit silentio. Ubique clamitat: *Cave a Rigorismo, cave a Rigoristis*, ab Ecclesia catholica exulantibus. Nullibi vero Clericum suum admonet ut caveat a *Laxismo*, intra sinum Ecclesiæ, & intra tractatus Theologiæ moralis serpente. Damnavit Alexander VIII. 31. propositiones Baianas, & Iansenianas, quarum nec unam docent, quatenus mihi constat, Morinus, Merbesius, Iuveninus, Gennetus, Natalis Alexander, qui iuxta Francolinum sunt *Rigorismi* primipili. Damnarunt Alexander VII. & Innocentius XI. centum & amplius propositiones extantes in libris Benignistarum: & præterea Alexander VII. novum opinandi modum, in christiana Morali recens excogitatum, tamquam veneficum *Laxismi*, & corruptelarum fontem, improbavit. Et hæc omnia præterit P. Francolinus, qui unice detonat adversus Rigorismum Montanistarum, Novatianorum, Iansenistarum, ut instruat Confessarios Romanos, Italos, ceterosque catholicos Theologos,

gos, & Confessarios in morum Theologia, & in pœnitentiæ sacramento administrando.

XIII. Quemadmodum P. Francolinum, ceterosque Moralistas cuiuscumque instituti christiano zelo succensos, pioque animo in salutis viam revocandi peccatores scripsisse, mihi certum est; ita plura quæ scripserunt, & arbitrarias declamationes adversus commentitium Rigorismum Theologorum catholicorum a veritatis via, legisque evangelicæ severitate aberrare, salvo meliori iudicio, existimo. Porro, ut ego, quoad fieri potest, utraque extrema, tum *Rigorismi*, tum *Laxismi*, in administrando pœnitentiæ sacramento declinem, Romanæ Ecclesiæ Conciliorum, maxime Tridentini, sanctorum Patrum tum antiquorum, tum posteriorum, & sanctorum, graviorumque Theologorum doctrinæ insistam. Dicat P. Francolinus, hanc celebrem promissionem Montanismi, Novatianismi, Baianismi, & Iansenismi suspicionem ingerere: nihil moror. Eiusmodi censuras relinquo prædicatoribus caritatis, & benignitatis novæ inventionis. Utinam Deus ob merita sacratissimæ passionis Filii sui gratiam suam mihi infundat, ut opere complere sincerissimam promissionem, & utraque reipsa vitare extrema valeam. Probabilistæ unice *Rigorismum* exaggerant, ad quem Christiani veluti ad æterni naufragii scopulum allidant. Ego contra magnopere pertimesco *Laxismum*, veluti sirenam blanditiis magnam Christianorum partem illicientem ad mortem sempiternam. Omnes a natura ipsa ita comparati sumus, ut a rigore & severitate, appetitionibus nostris repugnante, abhorreamus. Severitas nobis displicet, nosque mundo odiosos efficit. Quis est qui homines severos, truces, immanes non perhorrescat? Rigor immoderatus Pharisæorum, Montanistarum, Novatianorum & cito evanuit, & paucos numeravit clientes. Communiter novatores, sublato evangelicæ legis rigore, leges carni, & sanguini accommodarunt, ut patet in Lutheranis, & Calvinistis. Qui Christi iugum suave iis qui Dei caritate ardent, ut Patres omnes interpretantur, exasperare & gravare contendunt, duplici stultitia laborant: altera, qua errando pereunt; altera, qua se torquent, & lacerant, ut æternum pereant. Contra blanditiæ, & opiniones æquo laxiores, si in altero mundo supplicia parant, saltem in hoc theatro auram, & acclamationem universalem sibi conciliant,

liant, & ſenſibus oblectamenta donant. Quamobrem Doctores ſancti admonent, facilius in *Laxiſmi*, quam in *Rigoriſmi* extremum labi homines ſolere. Idque experientia, & rationum momenta, quæ obiter indicavi, evincunt, & infra fuſius oſtendam.

XIV. Quis eſt, inquies, qui ambo hæc extrema non deteſtetur? Nemo ſane, dum nativo vultu illa ſe ſe viſenda præbent. At larvam induit ſecuritatis, & iuſtitiæ *Rigoriſmus*, ſub qua ſuam occultat tyrannidem. Exornatur clementiæ colore *Laxiſmus*, fulgetque ſplendidos inter benignitatis, indulgentiæ, & miſericordiæ fucos. Et prout quiſque ad ſeveritatem, aut clementiam comparatus eſt, in ſcopulum aut *Rigoriſmi*, aut *Laxiſmi* impingit. Divino opus eſt lumine, quo illudentes colores, & velatam utriuſque extremi faciem deprehendamus. Ego ſane ad clementiam, ut communiter homines ſunt, ad commiſerationem, benignitatem, & indulgentiam propenſum me ſentio. Quid, intra memetipſum alloquens dicere ſoleo, magis rationi & humanitati diſſonum quam exilii noſtri compedes æquo ſeverius ſtringere, & iugum ſervitutis noſtræ ſponte aggravare? At cum evangelicæ legis ſanctitatem, excellentiam, atque ſublimiſſimam perfectionem ſerio conſidero, tum intelligo, vix fieri poſſe ut in Rigoriſmi anfractum incidam. Adeo quippe infeſti, verſuti, veteratores, crudeles ſunt hoſtes cupiditatis, amoris proprii, concupiſcentiæ, ſuperbiæ, quibuſcum belligerandum nobis eſt, ut facile minime ſit, nimium nos eſſe rigidos aut in concupiſcentiæ rebellione ſubigenda, aut in cupiditate coercenda, aut in Satanæ fraudibus repellendis. Quare in id maxime incumbere omni ſtudio debeo, ne fallaci miſericordiæ & benignitatis imagine ludificatus ad *Laxiſmum* declinem. Ut a *Rigoriſmo* mihi caveam, natura ipſa adiuvat. Innumera ſunt amoris proprii lenocinia, mundanæ gloriæ præſtigia, dæmonis fraudes, quæ me vel invitum ad *Laxiſmum*, benignitatis, prudentiæ, & miſericordiæ ementitis coloribus depictum, alliciunt, urgent, compelluntque. Preces, & quidem iuges Deo fundendæ ſunt, ut per rectam veritatis ſemitam, quin ad dexteram, aut ſiniſtram declinem, perducere me non dedignetur. Amen.

MO.

MONITUM PRIMUM.

QUoniam hoc in volumine plurimas Casuistarum opiniones, suco benignitatis illitas, quas ego æquo laxiores existimo, recensurus sum, subiicere lectorum oculis iuvat IUDICIUM quod *P. Antonius Terillus*, Probabilismi reflexi facile princeps, & a Rigorismi suspicione, si quis alius, maxime alienus, in plurimos recentiores Casuistas tulit. Lectores siquidem, dum laxas opiniones, quas ego improbandas refero, legunt, in admirationem acti exclamant: Fieri ne potest ut viri Theologi tam monstrosa laxitatis paradoxa docuerint? Alii subinclamant, opiniones esse aut truncatas, aut alio sub aspectu propositas, vel artis rethoricæ phaleris transformatas. Si istos audias, nemo unus, neque hic, neque ille Moralista laxiorem doctrinam docuit. Generatim & universe fortassis fatebuntur, Moralistarum aliquos ad laxa paradoxa declinasse. Verum si reipsa ex hoc aut illo Casuista laxam doctrinam decerpas, continuo aut amore Instituti quod professus Casuista est, aut alia ratione ducti, vix umquam concedunt in *Casuista suo* reperiri doctrinam laxam. Porro ut hæc effugia penitus præcludam, & istorum, quoad fieri potest, ora obstruam, subiicio quæ sequuntur ex citato *P. Antonio Terillo*. Testimonium istius Auctoris alibi retuli. Sed placet monitum Platonis: *Non nocet bis dicere quod bene dicitur. Quinimmo quæ pulchra sunt, & bis & ter repetenda sunt*: dialog. VI. Hæc igitur scribit

P. ANTONIUS TERILLUS
in præf. ad tract. de consc.

„ CUM probabilitatem opinionum moralium, quæ non ita
„ pridem ab omnibus pro secura conscientiæ regula ha-
„ bita fuerat, a paucis annis mutatione plane repentina non
„ solum in dubium vocatam, sed plurium censuris, ut mo-
„ rum & omnis honestatis venenum, atque ut errorem gran-
„ dis periculi, immo certi exitii plenum, damnatam fuisse
„ animadvertissem, cœpi tantæ, tamque inexpectatæ muta-
„ tionis originem attentius investigare; eamque tandem (si

„ Ian-

„ Ianſeniſtarum conſilia demas) aliam non fuiſſe quam nimiam aliquorum Theologorum ac Caſuiſtarum in opinando laxitatem, clare perſpexi. Fuerunt enimvero ex recentioribus non pauci qui leviſſimis ratiunculis ducti, antiquorum Theologorum in opinando ſeveritatem non modo clam carpere, ſed palam auſi ſunt ſuis ſcriptis condemnare. Quod enim priores, doctiores, ac ſeveriores Theologi unanimi ſententia damnabant ut malum; recentiores iſti, auſu ſane temerario, pro bono & honeſto venditare non erubuerunt. Cum enim plus æquo famæ, vanæque de ſua doctrina exiſtimationis eſſent cupidi; mirum eſt quo ardore, atque animi contentione ad ſcripta ſua typis mandanda incubuerint. Nullus annus elabi poterat, quem ingens librorum recenter editorum multitudo ſuorum natalium annum in fronte notatum non præferret. Univerſalis hic ſcribendi modus in nulla materia, quam in re morali, lamentabilius graſſatus eſt. *INNUMERABILES* ſunt qui a 30. annis, ſummis caſuum, rerumque moralium tractatibus bibliothecas impleverunt. Quid autem facerent, ut ad famam, quam aucupabantur, pervenirent? Non ſatis illis viſum eſt, ſi ab aliis dicta, novo ordine, novaque methodo, & ad legentium captum faciliori digeſta (quod tamen laude dignum fuiſſet) vulgarent. Ergo ad nova promenda animoſiores effecti, in opiniones laxiores oculos animumque coniecerunt, gnari eas præ omnibus rudiori legentium vulgo mirum placituras. Verum ne propter apertam ab unanimi antiquorum opinione defectionem temeritatis arguerentur, cœperunt rationes aliquas excogitare, quibus & ſuum a maiorum doctrina receſſum honeſtarent, & apud imperitum vulgus de ſuæ ſententiæ veritate plauſum aliquem obtinerent. Hi ergo dum animo, ut in iſtis fieri ſolet, pro veritatis indagatione minus bene diſpoſito ad confirmanda prurientis ingenii commenta incumberent, quidquid vel minimam veritatis ſpeciem præſeferebat, avidiore animo arripuiſſe, atque in illo mire complacuiſſe noſcuntur. Vidi ego ex hiſce recentioribus nonnullos, viros ceteroquin egregios, qui cum in rebus ſummi momenti, ad Dei legem & conſcientiæ obligationem pertinentibus, ab unanimi omnium ſententia ad intolerabilem opinandi laxitatem declinaſſent,

„ aliud tamen, quo moverentur, quam argumentum a simi-
„ li ductum, non habebant. Vidi, & exhorrui. Quis enim
„ non horreret, Dei praeceptum ab omnibus prius agnitum,
„ solidissimisque argumentis comprobatum, tam frivolo argu-
„ mento e legis divinae & ecclesiasticae tabulis non minus im-
„ prudenter quam impudenter eradi? Neque hic stetit quo-
„ rumdam audacia: plurimi enim, etsi doctrina longe infe-
„ riores, similem quoque arguendi modum sibi licitum exi-
„ stimantes, ex laxis resolutionibus ad alias laxiores iter si-
„ bi, rectius dixerim, & sibi, & aliis praecipitium aperue-
„ runt; atque ita brevi effectum est ut plures laxitates, vere
„ non ferendae, in oculos legentium non sine plurimorum
„ scandalo frequenter incurrerent. Nec defuere qui laudi si-
„ bi verterent laxiores sententias in unum colligere, easque
„ tamquam legitimas conscientiae regulas sub specioso proba-
„ bilitatis tegmine venditare. Cum enim apud Auctores,
„ iam in ore vulgi ob suam laxitatem celebres, resolutionem
„ aliquam invenissent; illico eam pro vere probabili habue-
„ runt: legerant enim apud gravissimos Scriptores, unius Do-
„ ctoris auctoritatem ad probabilitatem suis dictis asserendam
„ sufficere. Porro probabilitatem ad conscientiae tranquillita-
„ tem sufficere, & rationibus efficacissimis ducti, & unanimi
„ gravissimorum Theologorum auctoritate edocti nullatenus
„ dubitabant. Unde factum est ut quascumque opiniones ex-
„ presse ab Ecclesia non condemnatas apud quemcumque re-
„ perissent, eas pro vere probabilibus & ipsi haberent, & a-
„ liis pro regula ad conscientiae tranquillitatem opportuna tra-
„ derent. Immo incredibile non est, eos subtili *SATANAE*
„ insinuatione deceptos, sub humanitatis cuiusdam lenocinio,
„ mutuique honoris specie quibusvis aliorum dictis probabi-
„ litatem ideo attribuisse, ut quam ipsi praerogativam priori-
„ bus ultro dedissent, eam ipsis posteriores non inviderent.
„ Hac arte dolosus inimicus, postquam doctiores, qui & sibi
„ invigilare, & aliis prospicere debuerant, praegustato plausu
„ amplioris famae, per laxarum opinionum evulgationem sibi
„ certo acquirendae, fascinasset, per eos nimis incautos in
„ campo moralis Theologiae, optimo severarum opinionum
„ tritico abunde sato, detestanda laxitatis zizania superse mi-
„ navit, & abiit: conscius quippe erat, ea absque boni tri-
„ tici

„ tici iactura numquam evellenda. Certam sibi proinde gratulatus est victoriam, quia norat se humana industria vix impediri posse, quo minus voti sui compos fieret. Quid enim? tolerandæ erant scandalosæ laxitatis opiniones nocivæ? At hoc ipsum erat quod omni cura, ut fieret, conabatur. Quid ergo? eradicandæ erant non tam emergentes gemmæ, quam adultæ vinculatæque cum tritico zizaniorum herbæ? At id absque tritici iactura, idest absque sinceræ doctrinæ radicitus non tam convellendæ quam evellendæ periculo fieri haudquaquam posse non immerito gloriabatur. “

Qui clamores non excitarentur, si de *innumerabilibus* Casuistis talia scriberet Antiprobabilistarum aliquis? Porro si innumerabiles sunt Casuistæ qui paradoxa laxitatis evulgarunt, teste ipso P. Antonio Terillo; mirum haud esse debet, si ego plurimas ex præfatis Casuistis laxiores decerpserim opiniones. Neque P. Antonius Terillus de Casuistis AEthiopibus, Chinensibus, Africanis, aut Lutheranis, Calvinianis, Iansenistisve loquitur; sed de Casuistis catholicis, qui manibus teruntur.

In excerpendis autem propositionibus tenui meo iudicio laxis omnem diligentiam adhibui, ut & quoad sensum, & quoad verba sincere, & fide integra illas exhiberem. At decipi potui, non, ut spero, invidia, odiove imponendi, sed mentis, & oculorum imbecillitate. Quare rogo lectores, ut, partium studio posito, consulant libros a me citatos, & si ipsi me errasse iudicaverint, moneant, & spondeo palinodiam.

MONITUM SECUNDUM.

PROTESTATIO AUCTORIS.

IN dissertatione de dotibus Confessariorum dicturus sum, non levi damnationis æternæ periculo obnoxios fore Sacerdotes illos qui absque singulari vocatione munus administrandi sacramenti pœnitentiæ assequi student. Quam doctrinam mecum serio reputans dicebam: Quanto maiori periculo damnationis subiectus eris tute, qui officium docendi Con-

fessarios suscepisti? Id ne speciali vocatione aggressus es? Expendens negotii momenta, videre mihi visus sum, me alia omnia cogitantem, huc reipsa adductum esse, atque adeo a singulari Dei providentia susceptum onus proficisci. Consumpsi enim meliores annos tum in tradendis e cathedra disciplinis philosophicis, & theologicis, tum in concionibus recitandis e præcipuis Italiæ suggestibus, quin de christiana Theologia edenda cogitarem. Sors tulit ut animum ad opus istud moliendum applicarem. Post consului doctiores, atque morum probitate insigniores viros, omnesque, quorum aliqui dignitate summa refulgent, animos addidere, & calcaria admoverunt, ut quod conceperam, executioni demandarem. Hæc sunt singularis vocationis meæ indicia. Solida ne sint, an amoris proprii, ut facile contingere potest, illusiones, Deus solus iudex est. Interim, ut meliori quo fieri modo potest, mihi caveam, protestor, me apud Deum sponsorem esse nolle neque veritatis, & probabilitatis eorum quæ lectoribus ut vera, & probabilia propono; neque falsitatis, & improbabilitatis eorum quæ oppugno in hoc, & in ceteris omnibus opusculis meis. Sed ea dumtaxat propono, qualia imbecillitati meæ videntur. Quamobrem rogo, obtestorque lectores meos, ne quidquam aut mihi deferant, aut sententiis meis fidem adhibeant, propter auctoritatem meam, quam nullius omnino momenti esse scio, & volo. Si quid lectores invenerint quod Scripturis divinis, SS. Patribus, & Ecclesiæ doctrinæ, atque disciplinæ iudicaverint consentaneum, amplectantur: si quid contra, prorsus reiiciant, atque proscribant. Melius exprimere protestationem hanc meam nequeo quam verbis S. Augustini *Lib. de bon. persev. cap.* XXI. ubi hæc habet. *Neminem velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis in quibus me non errare perspexerit Nam propterea nunc facio libros, in quibus opuscula mea retractanda suscepi, ut nec meipsum in omnibus me secutum fuisse demonstrem; sed proficienter me existimo Deo miserante scripsisse, non tamen a perfectione cœpisse. Quandoquidem arrogantius loquor quam verius, si vel nunc dico, me ad perfectionem sine ullo errore scribendi iam in ista ætate venisse. Sed interest quantum, & in quibus rebus erratur, & quam facile quisque corrigat, quanta pertinacia suum conetur defendere errorem. Bonæ quippe spei est homo, si eum sic proficientem dies ultimus vitæ huius invene-*

rit,

rit, ut adiiciantur ei quæ proficienti defuerunt, & perficiendus quam puniendus potius iudicetur.

MONITUM TERTIUM.

ALias dixi, & repetendum sæpius est, me ex illis Casuistis potissimum opiniones excerpere qui communiter omnium manibus teruntur, cuiuscumque sint Instituti. Fateor, alios Casuistas easdem non raro docere opiniones; sed, cum in bibliothecis isti iaceant absconditi, idcirco eorumdem non memini. Deum testor, me non excerpere laxas opiniones ex hoc aut illo Casuista, quia est huius aut illius Instituti; sed quia communiter Confessarii talibus Casuistis utuntur. Istius veritatis testes sunt libri mei, in quibus non minus Dominicanorum, occasione data, opiniones refellere pro imbecillitate mea studui, quam cuiusvis alterius Instituti Theologorum. Immanis, & apertissima calumnia est, quam nonnemo evulgat ad invidiam, odiumque mihi conflandum, eo scilicet vota mea pertinere, ut huius aut illius Instituti Casuistas vellicem, & lectionem dissuadeam. Falluntur isti, & propriam conscientiam certissime aggravant, dum eiusmodi imposturam mihi affingunt. Verum hæc Deo iudicanda relinquo; satisque mihi sit veritatem manifestasse.

MONITUM QUARTUM
SAPIENTISSIMI PONTIFICIS
BENEDICTI XIV.

PLura & saluberrima documenta edidit doctissimus Pontifex BENEDICTUS XIV. pro Confessariorum instructione in disponendis fidelibus ad dignam Anni sancti, qui recurrit, celebrationem. Unum horum isthuc transcribam ex epistola lingua vulgari ab ipso Pontifice summo primum exarata, cui titulus: *Lettera circolare della Santità di Nostro Signore BENEDETTO PAPA XIV. a tutti i Patriarchi, Arcivescovi, e Vescovi sopra la preparazione all' Anno santo*: in calce autem: *Datum ex Arce Ca-*

Castri Gandulphi die 26. Iunii MDCCXLIX. Lubet ipsum textum originalem lingua italica expressum rescribere, qui eiusmodi est.

„ La seconda cosa si è, che succedendo, come pur troppo „ va succedendo, che il Confessore nel suo ministero di con- „ fessare intenda dal penitente qualche cosa che abbia bisogno „ di qualche discussione, esso non tiri ad indovinare, ma pri- „ ma di rispondere prenda tempo, e consiglio. Sarebbe desi- „ derabile in ogni Confessore una eminente letteratura; ma „ una competente, e sufficiente letteratura è assolutamente „ necessaria: nè forse di più si può sperare, comprendendo la „ morale Teologia tante e tali questioni, che dipendono dal- „ la notizia de' canoni, e delle costituzioni apostoliche, che è „ moralmente impossibile che un uomo abbia presente tutto, „ e possa, come suol dirsi, rispondere in piedi a tutto, come „ dee fare chi ha una scienza eminente, senza aver bisogno „ di ricorso ai libri, come fa chi ha una scienza solo sufficien- „ te, giusta ciò che riflette il nostro Predecessore Innocenzo „ IV. nei commenti al cap. *Cum in cunctis ad num.* 2. sotto il „ titolo *de electione, & electi potestate*, ove scrive: *Scientiam au- „ tem reputamus eminentem, quæ subtiles quæstiones discutere, & defi- „ nire novit, & in promptu responsiones habet: ille habet mediocrem „ qui scit aliquo modo examinare negotia, quamvis ad omnia nesciat „ respondere, & qui in libris veritatem eorum quæ scire tenetur, scit „ quærere; etsi in promptu omnia non habet*. Ridotto perciò il „ Confessore nelle questioni dubbie, o in quelle delle quali non „ ha notizia, a ricorrere ai libri, non diremo cosa nuova, se „ diremo, esservi pur troppo nella gran farragine de' Scrittori „ chi pensa e scrive in un modo che è tutto alieno dalla sim- „ plicità evangelica, e dalla dottrina de' Padri. *Cum plures opinio- „ nes christianæ disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, „ partim antiquas iterum suscitari, partim noviter prodire, & summam „ illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per „ quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit „ alienus omnino ab evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum do- „ ctrina; & quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, in- „ gens eruptura esset christianæ vitæ corruptela.* Sono parole del no- „ stro Predecessore Alexandro VII. nel suo decreto *dei 7. Set- „ tembre* 1665. Ma senza entrare in verun dettaglio particola- „ re, e nelle inestricabili questioni che sopra il credito degli „ Au-

„ Autori, e delle loro dottrine potrebbero eccitarsi, ci contentaremo di dire, che il buon Confessore nelle materie dubbie non dee fidarsi della sua privata opinione, ma prima di rispondere si contenti di vedere non un solo libro; ma ne veda molti, veda fra questi i più rispettabili, e poi prenda quel partito che vedrà PIU' ASSISTITO DALLA RAGIONE, E DALL'AUTORITA'. Così ci spiegammo nella nostra lettera circolare sopra le usure, che è *la* 143. *nel Tom. I.* del nostro Bollario al §. 8. — *Suis privatis opinionibus ne nimis adhæreant; sed priusquam responsum reddant, plures Scriptores examinent, qui MAGIS inter ceteros prædicantur; deinde eas partes suscipiant quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelligent:* così ora ripetiamo, non dovendo la massima esser ristretta alla sola materia delle usure, ma dovendo estendersi ad ogni altra cosa che appartenga al foro sagramentale, ed alle regole della coscienza. "

„ Secundum pro Confessariis monitum hoc est, ut si contingat, sicut frequentius quidem contingere solet, Confessarium in suo ministerio aliquid a pœnitente audire quod examine opus habeat, caveat ne divinando definiat; sed antequam responsum præbeat, tempore congruo, & consilio rem expendat. Optanda in quolibet Confessario esset scientia eminens; sed mediocris & sufficiens omnino necessaria est. Nec ultra sperare licet, cum morum Theologia tot tantasque complectatur quæstiones, quæ a canonum, & apostolicarum constitutionum notitia pendent; adeo ut fieri vix possit ut homo præsentia omnia habeat, valeatque, ut dicitur, stans pede in uno, ad quodlibet respondere, quemadmodum præstare solent eminenti scientia præditi, qui opus minime habent ad librorum lectionem confugere, quod facere consuescunt ii qui sufficienti dumtaxat scientia pollent, ut animadvertit Prædecessor noster Innocentius IV. in commentariis ad cap. *Cum in cunctis num. 2. tit. de electione, & electi potestate*, ubi ita scribit. *Scientiam autem reputamus eminentem quæ subtiles quæstiones discutere, & definire novit, & in promptu responsiones habet: ille habet mediocrem qui scit aliquo modo examinare negotia, quamvis ad omnia nesciat respondere, & qui in libris veritatem eorum quæ scire tenetur, scit quærere, etsi in promptu omnia non habet*. Cum igitur Confessarius in dubiis quæstionibus, aut

„ in

„ in iis quarum notitia caret, evolvere libros coactus sit, non „ sine delectu id praestet. Nihil quippe novi pronuntiabimus, „ si dixerimus, in tanta Scriptorum multitudine reperiri illos „ qui opinantur, scribuntque iuxta modum ab evangelica sim„ plicitate, & Patrum doctrina prorsus alienum. *Cum plures „ opiniones christianae disciplinae relaxativas, & animarum perniciem in„ ferentes, partim antiquas iterum suscitari, partim noviter prodire, „ & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis ex„ crescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opi„ nandi irrepsit alienus omnino ab evangelica simplicitate, sanctorumque „ Patrum doctrina; & quem si pro recta regula fideles in praxi se„ querentur, ingens eruptura esset christianae vitae corruptela*. Verba „ sunt Praedecessoris nostri ALEXANDRI VII. in decreto suo „ diei 7. Septembris 1665. Verum, praetermissis implicatissimis „ quaestionibus quae excitari de Scriptorum auctoritate, eorum„ que doctrinis possent, sat nobis erit Confessarium monere „ ne in dubiis controversiis propriae adhaerescat opinioni; sed „ antequam deliberet, evolvat, non unum, sed plures libros. „ Inter istos consulat praestantiores: postea illam amplectatur „ sententiam cui MAGIS suffragari rationem, & auctoritatem „ favere cognoverit. Ita docuimus in *nostra epistola encyclica* de „ usuris, quae est 143. in *Tom. I.* nostri Bullarii §. 8. *Suis „ privatis opinionibus ne nimis adhaereant, sed priusquam responsum „ reddant, plures Scriptores examinent, qui MAGIS inter ceteros prae„ dicantur; deinde eas partes suscipiant quas tum ratione, tum aucto„ ritate plane confirmatas intelligent*. Idipsum nunc in memoriam „ revocamus. Nostra quippe sententia coerceri intra fenoris „ confinia non debet; sed ad ea omnia extendi quae ad forum „ sacramentale, & conscientiarum regimen attinet. “

„ Tertium monitum est, ut Confessarii semper ob oculos „ habeant effatum Venerabilis Cardinalis Bellarmini: NON „ ESSET TANTA FACILITAS PECCANDI, SI NON ES„ SET TANTA FACILITAS ABSOLVENDI: item propo„ sitiones damnatas a nostris Praedecessoribus, & praesertim a „ Pontifice Innocentio XI. die 2. Martii 1679. & inter has *se„ xagesimam cum tribus sequentibus*, unde haurire normam conce„ dendae, negandae, aut differendae absolutionis poterunt. *Vi„ deat autem diligenter Sacerdos, quando, & quibus conferenda, vel „ neganda, vel differenda sit absolutio; ne absolvat eos qui talis bene-*

„ *fic-*

„ *ficii ſunt incapaces, quales ſunt qui nulla dant ſigna doloris, qui* „ *odia, & inimicitias deponere, aut aliena, ſi poſſunt, reſtituere, aut* „ *proximam peccandi occaſionem deſerere, aut alio modo peccata derelin-* „ *quere, & vitam in melius emendare nolunt, aut qui publicum ſcan-* „ *dalum dederunt, niſi publice ſatisfaciant, & ſcandalum tollant.* Ver- „ ba ſunt non Rigoriſtarum, ſed Ritualis Romani. "

Hactenus maximus atque doctiſſimus Pontifex BENEDICTUS XIV. Quatuor in his tanti Pontificis aureis monitis ſumma animadverſione digna occurrunt. Primum, rei moralis ſcriptores reperiri qui ſcribunt, & docent iuxta modum cum evangelica ſimplicitate, & Patrum doctrina pugnantem. Alterum, quod Pontifex ſummus monet, eſt, modum hunc opinandi, ab Alexandro VII. notatum, eſſe tamquam ingentis corruptelæ fontem. Quamobrem tertio rurſus admonet ut Confeſſarii poſt maturum controverſiarum, quæ in utramque partem diſputantur, examen, eam deligant ſententiam quæ MAGIS fulcitur ratione, & confirmatur auctoritate: PIU' ASSISTITA DALLA RAGIONE, E DALL' AUTORITA'. Præterea, ut omnes intelligant, quam alte illius animo inſideat hic magis probatarum opinionum delectus, in memoriam revocat ſe hanc eamdem regulam præſcripſiſſe in ſua percelebri de fenore Decretali.

Ex quibus omnibus luculenter apparet, eo Romanæ Sedis doctrinam conſpirare, ut Theologi, & Confeſſarii eam in animarum regimine ſententiam præeligant quam magis ratione, & auctoritate confirmatam cognoverint. Prudentiſſime BENEDICTUS XIV. neglectis invidioſis *magis* & *minus probabilis* vocibus, doctrinam magis probatam, ea quæ decebat Pontificem dignitate, eligendam declaravit. Huc Romanorum Pontificum Alexandri VII. Innocentii XI. BENEDICTI XIV. præceptiones, huc univerſæ Eccleſiæ Gallicanæ definitiones, huc doctiſſimorum Epiſcoporum, & Theologorum ſtudia tendunt. Quid luculentius contra Probabiliſmum a Romana Sede expectatur?

Poſtremo loco, dum Pontifex maximus ſententiam *Ven. Cardinalis Bellarmini* ſemper præ oculis habendam inculcat, recordatur nimiam impertiendæ abſolutionis ſacramentalis facilitatem. Hanc æquo indulgentiorem abſolvendi diſciplinam ſemper iam inde uſque ab eccleſiaſticæ diſciplinæ remiſſæ primordiis lamentati Patres ſunt: & hanc lamentationem pontificio zelo reno-

vat BENEDICTUS XIV. adducta piissimi Bellarmini sententia: *Non esset tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolvendi.* I nunc, & cum Francolino obstrepito: *Cave a Rigorismo, cave a Rigoristis.* Quis in tanta huius sæculi fæce, atque in tanta peccandi effrenata libidine similes voces inaudiens, non excandescat? Patres, Concilia, Pontifices summi, doctiores pientioresque Theologi una voce clamant inclamantque, cavendum a *Laxismo*, & *a Laxistis*. Soli laxioris Ethices patroni non pauci commentitium Rigorismum comminiscuntur, & confingunt in catholica Ecclesia illo ipso tempore quo omnia ad extrema prolabuntur. Tu interim christiane lector his blandiloquis aures claudito, & unanimes sanctorum Patrum voces ausculta. *Facilitas veniæ incentivum tribuit delinquendi.*

INDEX

Librorum, dissertationum, capitum, paragraphorum, & quæstionum quæ in hoc Tomo continentur.

LIBER PRIMUS

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

DISSERTATIO I.

Quæst.

DISSERTATIO II.

De insufficientia attritionis formidolosæ, & necessitate caritatis initialis ad sacramentum pœnitentiæ valide suscipiendum?

§. I.

§. II.

§. II.

CAPUT II.

DISSERTATIO IV.

De Confessione.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.

Quæst.

C A P U T IX.

C A P U T X.

C A P U T XI.

D I S S E R T A T I O V.

De ſatisfactione, quæ eſt tertia ſacramenti pœnitentiæ pars.

C A P U T I.

C A P U T II.

Quæſt.

CAPUT XI.

§. I.

§. II.

§. III.

§. IV.

§. V.

§. VI.

LIBER SECUNDUS.

DE MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIAE.

DISSERTATIO I.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.

CAPUT V.

CAPUT VI.

CAPUT VII.

CAPUT VIII.

DIS-

DISSERTATIO II.

De iurisdictione ministri sacramenti pœnitentiæ.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

§. Unicus.

CAPUT IV.

CAPUT V.

§. I.

§. II.

§. III.

CAPUT VI.

§. I.

§. II.

Quæst.

DISSERTATIO III.

De absolutione sacramentali impertienda, differenda, & deneganda.

CAPUT I.

CAPUT II.

§. I.

Quæst.

§. VI.

§. VI.

CAPUT VI.

CAPUT VII.

§. I.

§. II.

§. III.

§. IV.

Quæst.

§. V.

CAPUT VIII.

CAPUT IX.

§. I.

§. II.

§. III.

CAPUT X.

CAPUT XIII.

§. Unicus.

Quæst.

FINIS.

L I-

LIBER PRIMUS

DE

SACRAMENTO POENITENTIAE.

DISSERTATIO PRIMA.

DE VIRTUTE POENITENTIAE.

PRAELOQUIUM.

DIU anceps fui, num orsa capere in hoc gravissimo & summi momenti argumento tractando deberem ab istius sacramenti ministro. Ut id præstarem, non levia rationum momenta suadere videbantur. Nullum quippe est sacrum mysterium, cuius recta administratio ab optimi ministri scientia, prudentia, & probitate ita pendeat quemadmodum istud. Sustinet Confessarius personam doctoris, iudicis, & medici. Huiusce triplicis officii dotes non ita frequenter coniunctæ occurrunt. Non modo prisci Doctores, sed nobis quoque propinquiores, Antoninus, Bernardinus, Thomas de Villanova, Avila, Franciscus Salesius, Carolus Borromæus, Fredericus Borromæus, Bellarminus, Ludovicus Granatensis, Bartholomæus de Martyribus, aliique plures detonant, ex Confessariorum aut inscitia, aut imprudentia, aut perniciosa indulgentia, & blandiloquentia, Christianorum confessiones sacrilegio magna in parte pollutas esse, & Christianos permultos, qui sacramentum istud indigne frequentant, æternum perire. Neminem Sanctorum offendi qui invehatur adversus Confessarios ob nimiam in impertienda absolutione severitatem: omnes vocis sonitum extollunt contra immoderatam laxitatem. Ex Confessariorum absolvendi facilitate turmatim animas in gehennam prolabi, scelera horrorem exuere, delinquentes audaciores fieri, Dei sacramenta vilescere, & catholicam Ecclesiam extremam sustinere cladem, vuna oce inclamant. Hæc omnia adductis sanctorum virorum testimoniis

in hac prima dissertatione ob oculos repræsentare decreveram; ut Confessarios præiudicatas quorumdam iuniorum opinationes dedocerem, eosque ad veritatem investigandam, extremaque rigoris, alioquin non ita familiaris, & laxitatis, usquequaque grassantis, declinanda sub cursus initium adiectis stimulis perurgerem. Verum severius expenso consilio, deliberavi dissertationem hanc de Confessarii dotibus ad locum proprium, ubi de ministro pœnitentiæ infra sermo erit, tractandam remittere. In præsentia itaque communi methodo inhærens de virtute, & sacramento pœnitentiæ sermonem instituo.

CAPUT I.

Propositiones ab Ecclesia proscriptæ, & laxæ Casuistarum quorumdam.

De more primum omnium extrema rigoris, & laxitatis patefacio; dum propositiones & ab Ecclesia proscriptas, & ex illorum Moralistarum libris qui manibus omnium teruntur, excerptas istthuc transcribo. Laxarum propositionum census amplus erit, quia Casuistæ non pauci in administratione huius sacramenti potissimum nimiæ indulgentiæ confinia dilatarunt. In ceteris quæ tractavimus argumentis, si plures cupiunt doctrinas laxas, aliqui non abhorrent a sententiis veris. Illi furta, & iniustitias detestantur; & hac in materia rigorem amant: isti luxuriæ spiritu abripiuntur; & hoc in genere mollem Casuisticam percupiunt. Contra aliis rigor in re venerea non displicet; sed in augendis divitiis, & rapiendis alienis, in usuris honestandis laxam Ethicen aucupantur. Illi superstitiosam severitatem in iis quæ naturali quadam inclinatione aversantur, ostentant; at quæ appetitionibus propriis accommodata sunt, dulci aliquo Probabilismi blandimento sibi fucari curant ut licita. Verum in pœnitentiæ usu omnes amant benignos ministros, eosque in pœnis infligendis parcos desiderant. Qui pro criminum gravitate supplicia imponunt, Rigorismi censuram non evadunt; & qui infimo satisfactionis pretio thesaurum absolutionis larga manu dispensant, ut benigni, prudentes, & misericordes acclamantur. Quare mirum haud esse debet, si in hac præ ceteris materia numerus laxarum opinionum ingens sit.

§. I.

§. I.

Propositiones damnatæ.

ALEXANDER VII. damnavit sequentes, quas ordine in decreto servato transcribo.

3. *Sententia asserens, Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 28. Iulii in Consistorio Sacræ Congregationis Emin. Cardinalium visa, & tolerata est.*

4. *Prælati regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.*

5. *Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.*

6. *Confessarius qui in sacramentali confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione, ac proinde non est denuntiandus.*

7. *Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.*

11. *Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.*

12. *Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.*

13. *Satisfacit præcepto annuæ confessionis qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo iniuste reprobato.*

14. *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.*

15. *Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.*

16. *Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.*

24. *Mollities, Sodomia, & bestialitas sunt peccata eiusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in confessione, se procurasse pollutionem.*

25. *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto dicens :* Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem : *non explicando copulam.*

38. *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quam primum, est consilium, non præceptum.*

39. *Illa particula* quam primum *intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.*

41. *Non est obligandus concubinarius ad eiiciendam concubinam, si haec nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo* Regalo, *dum deficiente illo, nimis aegre ageret vitam, & aliae epulae taedio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.*

INNOCENTIUS XI.

1. *Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis, aut episcopalis.*

56. *Frequens confessio, & communio, etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota praedestinationis.*

57. *Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam.*

58. *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicuius consuetudinem.*

59. *Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus poenitentium; qualis v. g. potest contingere in die magnae alicuius festivitatis, aut indulgentiae.*

60. *Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturae, aut Ecclesiae, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, & proponere emendationem.*

61. *Potest aliquando absolvi qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere; quinimmo directe, & ex proposito quaerit, aut ei se ingerit.*

62. *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando aliqua causa utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.*

63. *Licitum est quaerere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.*

64. *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium SS. Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Iesu Christi.*

ALEXANDER VIII.

14. *Timor gehennae non est supernaturalis.*

15. *Attritio, quae gehennae, & poenarum metu concipitur sine dilectione benevolentiae Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.*

16. *Ordinem praemittendi satisfactionem absolutioni, induxit non politia, aut institutio Ecclesiae, sed ipsa Christi lex, & praescriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante.*

17. *Per illam praxim mox absolvendi ordo poenitentiae est inversus.*

18. *Consuetudo moderna quoad administrationem sacramenti poenitentiae, etiamsi eam plu-*

plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.

19. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

20. Confessiones apud Religiosos factæ, pleræque vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ.

21. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, seu satisfactione ob quæstum, seu lucrum subsidii temporalis.

§. II.

Opiniones plurium Casuistarum, quæ videntur æquo laxiores.

HAS ego propositiones, & ceteras omnes quæ in universo hoc opere retuli, non tamquam censor affero, sed sapientum, & eorum ad quos pertinet, iudicio subiicio. Quam protestationem, tametsi pluries fecerim, iterum renovare placuit.

I. P. Dominicus Viva *in trutin. in propos.* 1. *Innoc. XI. num.* 26. „ Hinc cum videatur esse moraliter certum non requiri in sacramento pœnitentiæ . . . propositum non peccandi de cetero formale, *sed sufficere virtuale*, ut videre est apud Dicastillum, AC SUFFICERE ETIAM ATTRITIONEM SUPERNATURALEM EX METU POENARUM TEMPORALIUM, ut a Deo vindice infligendarum, & alia huiusmodi; idcirco licite sequimur huiusmodi opiniones PROBABILISSIMAS, omissis tutioribus. “ Vide infra *Lib. I. diss.* III. *de iustif. cap.* I. *num.* IX. *quæst.* VI.

II. P. Patritius Sporer *de sacram. Part. III. cap.* II. *sec.* II. *§.* II. *num.* 174. „ Præceptum contritionis etiam in articulo mortis non obligat hominem peccatorem usu sacramenti cum attritione iustificatum, sed ipsa attritio cum sacramento baptismi, vel pœnitentiæ universaliter semper est sufficiens dispositio ad iustificationem, adeoque etiam in ARTICULO MORTIS. Ita Henriquez, Vasquez, Canus, pluribusque allegatis Cardinalis de Lugo *hic disp.* VII. *sec.* 13. Dicastillus *hic disp.* VI. *num.* 19. Layman *cit. Lib. V. tract.* VI. *cap.* II. *num.* 7. “ Vide infra *Lib. II. diss.* II. *de contrit. cap.* VIII. *num.* V. *quæst.* II.

III. Idem P. Sporer *loc. cit. num.* 173. „ Præceptum contritionis non obligat eos qui usu sacramenti cum attritione iustificati sunt, aut iustificari volunt. Communissima apud citandos infra. Ratio est, quia Christus in nova lege *singulari*

„ *privilegio* aliud quoque medium iustificationis instituit, scilicet sacramenta mor-
„ tuorum, baptismi, & pœnitentiæ, ut proinde modo solius contritionis perfectæ
„ NECESSITAS DESINAT: alioquin certe Christus instituens ac præcipiens con-
„ fessionem sacramentalem, *medium per se satis durum, & difficile*, si INSUPER
„ ETIAMNUM REQUIRERETUR CONTRITIO PERFECTA, & ipsa pec-
„ catori satis difficilis, non alleviasset, sed multum aggravasset onus legis, es-
„ semusque PEIORIS conditionis modo Christiani quam veteres olim, qui ad so-
„ lam contritionem obligati per eam iustificabantur. " Vide infra *loc. cit. num.* VI. *quæst.* III.

IV. Idem P. Sporer *loc. cit. §.* 2. *num.* 175. „ *Quando obligat? Per se quidem*
„ *satis probabiliter in articulo, vel periculo mortis tantum.* " Postea num. 177.
„ *Præceptum contritionis per se tantum obligare in articulo mortis, & NUM-*
„ *QUAM ante, docent gravissimi Doctores, D. Thomas, Caietanus*, Sotus, Navar-
„ rus, Medina, Adrianus, & aliis congestis probabilem ipse Suarez, ac mordi-
„ cus defendit Dicastillus . . . Cum hoc *præceptum* pœnale sit, & onerosum, non
„ est extendendum, sed restringendum potius ad illa tantum tempora pro quibus
„ eius obligatio certo nobis constat. At non constat nobis certo huius præcepti
„ obligatio pro ullo tempore, præter quam in articulo mortis. Ergo &c. Vides
„ probabilitatem huius sententiæ. " Vide infra *loc. cit. num.* VII.

V. P. Georgius Gobatus *tract.* VI. *num.* 139. „ Dico VI. *Probabile quidem est* nul-
„ lum extare præceptum de contritione per se loquendo, elicienda ante articu-
„ lum mortis; contraria tamen sententia (abstrahendo a perceptione sacramenti)
„ est verisimilior, & in praxi sequenda. Prima pars probatur auctoritate, & ra-
„ tionibus, quas pro ea adserunt Suarez *disp.* XV. *sec.* 6. atque Dicastillo *cit. disp.*
„ *part.* III. *dub. ultimo*. Qui Dicastillo *mordicus* defendit illam priorem partem;
„ Suarezio habente eam solum *pro probabili*. " Vide infra *loc. cit. num.* VIII. *quæst.* IV.

VI. P. Dominicus Viva *quæst.* III. *art.* I. *num.* 8. hanc quæstionem proponit.
„ *An peccator qui non potest aliquo anno ex defectu Confessarii confiteri, tenea-*
„ *tur ad contritionem, antequam annus elabatur?* " Ita respondet. „ Affirmat Do-
„ minicus Soto . . . quia præceptum pœnitendi divinum, quod ex se indetermi-
„ natum est, iam ab Ecclesia est determinatum ad singulos annos . . . iuxta il-
„ lam regulam: *Qui non potest quantum debet, solvat quantum potest*: & iuxta
„ illam aliam: *Qui non potest totum, reddat partem quam potest*.

„ Respondeo equidem cum Con. & aliis *communiter* NEGATIVE. Falsum est
„ enim quod Ecclesia determinarit tempus illud indeterminatum pœnitendi in
„ genere, ad quod obligamur ex divino præcepto. Solum enim determinavit
„ tempus confitendi indeterminatum. Cum autem in tali casu sit impossibilis

„ con-

„ confessio, non videtur peccator teneri ad contritionem . Et ratio ulterior est , „ quia cum conteri sit aliquod mere internum , non cadit sub præceptum Eccle„ siæ, neque ratione sui, & directe, ut patet, neque ratione alterius, & indire„ cte, hoc est ratione sacramenti &c. "

„ Ad regulas adductas: *Qui non potest totum &c.* respondeo eas valere , quan„ do totum, & partes sunt *homogenea* . . . non vero quando sunt *heterogenea*. " Vide infra *loc. cit. num.* x. *quæst.* VI.

VII. Idem P. Viva *ibidem* . „ Verum quidem est quod præceptum divinum con„ tritionis obliget peccatores ad non differendum diu, & usque ad mortem pœ„ nitentiam . Hinc tamen non fit quod impotens aliquo anno suscipere sacra„ mentum pœnitentiæ, teneatur saltem conteri." Vide infra *loc. cit. num.* XII.

VIII. De Lugo *de pœnit. disp.* VII. *sec.* 13. *num.* 261. „ *Utrum in articulo mortis* „ *sufficiat habere attritionem cognitam?* Quintum dubium magis difficile est, an „ ille qui suscipit sacramentum pœnitentiæ cum attritione cognita, debeat ad„ huc sub peccato mortali habere contritionem saltem in articulo mortis. Affir„ mant multi, Suarez . . Nugnus . . Sanchez . . Granado . . Valentia &c. . . . „ Contrariam tamen sententiam docent alii multi, *Coninch . . Becanus . . Lay*„ *man . . Fagundez . . Faber . . Diana . . Turrianus . . Salas* , & alii recentio„ res. 263. *Hæc posterior sententia semper mihi verior visa est*. "

IX. Idem de Lugo *loc. cit. num.* 272. „ Dices . Negari etiam non potest quod „ sit probabilis sententia contraria, quæ docet obligationem esse eliciendi contri„ tionem propter illud periculum. Non potest ergo in re tanti momenti confor„ mare se *practice* cum nostra sententia, licet sit *probabilior* . Quia esto in aliis „ materiis possumus sequi sententias probabiles , & habere iudicium practicum „ iuxta illas ad licite operandum; id tamen locum non habet, quando id cede„ ret in detrimentum salutis propriæ, vel aliorum. *Et ideo non possumus adhibe*„ *re baptismum cum materia aut forma probabiliori* , *relicta magis secura & cer*„ *ta*; quia exponeremus periculo salutem æternam, si forte illa sententia esset „ falsa. Cum ergo probabilis sit sententia quam modo impugnamus, & illa sit „ magis secura, non possumus practice amplecti nostram, licet, speculative lo„ quendo, sit *probabilior*.

„ 273. Respondeo aliter loquendum esse de sententia quæ negat attritionem „ cum sacramento sufficere ; aliter de illa quæ obligationem ponit contritionis „ habendæ propter incertitudinem huius remedii. *Prior quidem probabilis non est* „ *post Tridentinum*, ut diximus, neque habet fundamenta quæ ad probabilitatem „ sufficiant; immo a multis gravioribus *censura notatur* . Posterior vero probabi„ lis est. Sed eius probabilitas non impedit iudicium practicum , quo aliquis pos„ sit in operando amplecti nostram sententiam . *Regula enim illa* , *quod in ope-*

„ *vando liceat sequi sententiam probabilem*, *VERA EST IN UNIVERSUM*, si „ sermo sit de ultimo iudicio circa licitum vel illicitum hic & nunc. Nec obstat „ illa regula quæ dicit, circa materiam & formam sacramenti baptismi, & or- „ dinis, saltem sacerdotii, non licere sequi sententiam probabilem. Nam ibi non „ est sermo circa licitum, sed circa valorem verbi gratia materiæ, vel formæ. " Vide infra *loc. cit. num.* xv. *quæst.* vii. *num.* xvi. *quæst.* viii. *num.* xvii.

X. Henricus Henriquez *Lib. IV. Summæ cap.* vi. *num.* 5. „ Qui cum attritione „ per absolutionem iustificatur, non tenetur ad præceptum connaturale de con- „ tritione formali, quia iam remedio per se instituto, & COMPENSATIVO ex „ applicatione meritorum Christi consecutus est remissionem, & in AEQUIVA- „ LENTI implevit priori, & meliori ratione finem totum, in quem contritio „ ordinatur. Contritio enim non remittit peccatum, nec compensat, nisi ut in- „ cludit votum, & vicem sacramenti pœnitentiæ. Quare compensatione per sa- „ cramentum applicata magis contentus est creditor Deus, quam compensatione „ contritionis. Alias si contritio, dum haberi potest, esset necessaria, obligaret „ PER SE, etiam dum suscipitur absolutio, quia tunc haberi potest. Ac subinde „ Christus in lege evangelica non LEVIGASSET ONUS, SED ADIECISSET „ GRAVE ONUS CONFESSIONIS præter necessariam contritionem. " Vide in- fra *diss.* ii. *cap.* iv. *§.* v. *num.* vii.

XI. P. Dominicus Viva *in trut. in prop.* xv. *Alex. VIII. num.* 20. „ Nec lex gra- „ tiæ præstaret legi antiquæ, aut Mosaicæ, aut naturæ, in quibus sufficie- „ bat contritio sine confessione sacramentali. UNDE NON POSSET IUGUM „ CHRISTI DICI SUAVE, ET ONUS LEVE ... Ergo dicendum, contritio- „ nem in sacramento non prærequiri, sed sufficere meram attritionem ex mero „ pœnarum metu conceptam. " Vide *loc. cit. num.* viii.

XII. P. Thomas Tamburinus *Lib. I. meth. conf. cap.* i. *§.* 4. *num.* 11. „ Inter mo- „ tiva attritionis, de quibus *num.* 4. diximus, licet aliqui non admittant aliud „ quartum, idest timorem mali temporalis, atque adeo qui peccata execraretur „ propter timorem infamiæ, carceris, ægritudinis, & similium, quæ propter pec- „ cata incurri solent, legitimum dolorem pro sacramento confessionis per hos „ *Doctores* non afferret: quia huiusmodi dolor naturalis est (aiunt) non autem „ supernaturalis, & prout oportet ad gratiam supernaturalem obtinendam: ta- „ men in *sententia probabilissima* etiam hoc motivum est sufficiens, si huiusmodi „ mala temporalia timeantur ut a Deo inflicta, seu infligenda. " Vide infra *diss.* iii. *de iustif. cap.* i. *num.* x.

XIII. Idem Tamburinus *loc. cit.* §. 2. *num.* 5. „ Unde, quando advertis pœni- „ tentem tuum *valde* alicui crimini addictum, ne inculces doloris actum circa „ illud *peculiare peccatum*. Periculum enim suberit ne illud ex animo deteste-

„ tur,

„ tur, dum eius specialis memoria refricatur, quod in universum, & simul cum „ aliis, detestandi difficultatem *vel nullam sentiet*, *vel exiguam*. “ Vide infra *loc. cit. num.* XII. *& seq. quæst.* VII.

XIV. P. Patritius Sporer *Part. III. cap.* 11. *sec.* 4. *num.* 310. *pag.* 204. „ Potest „ enim quis vere dolere, & detestari peccatum, ac vere, & absolute proponere „ se de cetero non peccaturum, *seu firmum* propositum, ac sufficiens concipe- „ re abstinendi imposterum; tametsi valde timeat, aut etiam existimet, immo „ *CERTO CREDAT se ob expertam voluntatis suæ inconstantiam, & fragilitatem* „ *suam denuo relapsurum*: non omnia peccata mortalia, vel hoc certum pecca- „ ti genus non evitaturum. Unde si pœnitens dicat: *Omnino quidem doleo, ac* „ *firmiter propono imposterum abstinere: interim tamen SCIO, iterum faciam, ite-* „ *rum labar, iam toties expertus*: is tamquam BENE DISPOSITUS, præmis- „ sa confirmatione, ac consolatione debita, ABSOLVENDUS est. Quia sen- „ sus verbi, *Iterum faciam*, est tantum indicativus, seu enuntiativus ex par- „ te intellectus. “ Vide infra *differt.* III. *de iustif. cap.* II. §. IV. *num.* III. *quæst.* I.

XV. Idem Sporer *Part. III. cap.* 11. *sec.* 4. *quæst.* 2. §. 1. *num.* 324. „ Quando „ enim solum est probabile te succubiturum in tali occasione tentationi, certe „ etiam probabile est te non succubiturum. Occurrunt enim graves rationes ob „ quas vir prudens iudicat te lapsurum in hac occasione; contra vero sunt et- „ iam graves rationes aliæ, ob quas alius æque prudens iudicat te non la- „ psurum: certe huius iudicium sequendo, sine nota temeritatis ob rationabilem „ causam poteris te committere huic occasioni, certo non commissurus, si sci- „ res, vel CERTO crederes te lapsurum. Quare Confessarius non iudicabit es- „ se in occasione proxima peccandi, v. g. se inebriandi, fornicandi &c. *qui in* „ *tali loco decies tentatus succubuit solum ter, vel quater*; *secus, si octies, vel* „ *septies, & bis vel ter tantum peccatum vitavit, & superior evasit*. Quapro- „ pter huic, non illi nolenti hanc occasionem relinquere, neganda erit abso- „ lutio. QUIA Ioannes Caramuel *Theol. Reg. disput.* XX. *num.* 1056. vult etiam „ dandam absolutionem illi qui *toties fuit victor, quoties victus*, referente, & „ non contradicente P. Gobat *casu* 16. “ Vide infra *cit. loc. num.* XVI. *& seq. quæst.* VI.

XVI. P. Georgius Gobat *tractat.* V. *cap.* XXXII. *sec.* 2. *num.* 19. *&* 20. *pag.* 552. 553. „ Liquido scio crebro fieri, præsertim inter plebeios, & rusticos, ut eodem „ in lecto puella cum proco cubent aliquot horas *induti, & exuti*, & tamen „ nihil omnino impudicum agant, vel *nonnisi oscula, & turpes attrectationes* „ *exerceant*. Unde iudico, non posse a Confessario *negari absolutionem* omnibus „ illis puellis plebeiis (aliud ob varias considerationes sentio de nobilibus) quæ

„ nem

„ *non videntur habere propositum numquam amplius admittendi in lectum procum* „ *suum*. " Vide infra *loc. cit. num.* XVIII.

XVII. P. Dominicus Viva *quæst.* III. *artic.* 4. *num.* 5. „ Unde inferunt Perez, „ Leander, Lugo, aliique, posse absolvi adolescentes qui versantur cum feminis „ laborando, vel *conversando cum iis quæ in eadem domo non habitant*: quia li- „ cet aliquando in tali occasione mortaliter peccent *consensu, tactibus, & etiam* „ *copula, ea tamen occasio censetur de se remota*. *Quandoquidem non solent homi-* „ *nes ex tali occasione SEMPER, AUT FERE SEMPER PECCARE MORTA-* „ *LITER*. " Vide infra *loc. cit. num.* XXV. *& seq. quæst.* X.

XVIII. P. Georgius Gobat *tract.* VI. *num.* 261. „ Dico VI. tametsi confessionem dif- „ ferendo usque ad *articulum mortis*, vel Pascha, *certus* sis te ob hanc dilatio- „ nem esse obliturum *multa crimina*, haud tamen inde oritur tibi obligatio *confi-* „ *tendi* citius. Ita sane tenet communis sensus, ut reor, tum confitentium, tum „ *Confessariorum*." Vide infra *diss.* IV. *de confess. cap.* II. *num.* XXXII. *quæst.* IX.

XIX. Leander tract. V. disp. III. quæst. XIX. (*Qui recipere alia sacramenta volunt* (*præter Eucharistiam*) *tenentur ne divino iure confiteri?*) hæc scribit. „ *Sed certissi-* „ *me* respondeo, non teneri: quia nullum extat præceptum circa hoc impositum, „ ut clare colligitur ex Trident. . . . . Sic Victor. Sylvester, Angel. P. Soto, „ quos citat, & sequitur Suarez, Fagundez, Lugo, Villalobos, & omnes com- „ muniter." Vide *loc. cit. num.* XXXIII. *& seq.*

XX. P. Claudius La-Croix *Lib. VI. part.* II. *num.* 944. „ Mors, exustio domus, „ privatio rationis, motus venereus dicuntur effectus peccati: & de illis quæri- „ tur, an, & quando secuti sunt, etiam sint simul explicandi in confessione: an „ e contra satis sit dicere: Transfodi, intendens mortem proximi, Incendi domum „ proximi, Potavi prævidens periculum ebrietatis, Locutus sum turpia prævidens „ motus venereos, *tacendo quod omnia ista reipsa secuta sint*.

„ Probabilius videtur non esse obligationem per se loquendo confitendi talem „ effectum, Ita Vasq. Salas, Granad. Lugo, Bonac. &c. . . . . . Licet effectus „ fuerit in peccato, veluti caussa prævisus, aut etiam intentus, tamen talis ef- „ fectus proprie dici non potest peccatum, uti probatum est *Lib. V. num.* 33. cum „ neque in se sit peccatum, neque etiam externe compleat peccatum, secundum „ dicta 943. ergo non est obligatio illum confitendi, quia non est obligatio con- „ fitendi aliud quam peccatum. Nec obstat quod non retractarit caussam. Nam „ sive retractarit, sive non, effectus manet suo modo æqualiter immutabilis, non „ tamquam culpa, sed tantum tamquam effectus culpæ præteritæ, uti explica- „ tum est *Lib. V. num.* 42. Et consequenter talis homo satisfaciet dicendo, Proieci „ breviarium„ prævidens me tanto tempore non posse orare, Porrexi proxi- „ mo venenum intendens eius mortem: tacendo, an horas non orarit, & an

„ mors

„ mors sit secuta nec ne." Vide *loc. cit. cap.* IV. *num.* XXIII. *& seq. quaest.* VIII.

XXI. P. Gobat *tract.* VII. *num.* 324. „ Non contrahitur, adeoque confitenda non „ est malitia circumstantiae *mutantis speciem*, nisi poenitens, *quando peccatum com-* „ *mittebat*, *saltem dubitavit*, an non adesset circumstantia talis, & an non con- „ traheretur propter illam peculiare peccatum. Ita fert communis sensus Theo- „ logorum. *Utere*, *mi bone vir*, frequenter hac regula, praesertim in excipiendis „ confessionibus rudium, & nominatim, quando malitia circumstantiae est nota „ soli Doctorum vulgo." Vide infra *loc. cit. cap.* V. *num.* III. *quaest.* I.

XXII. P. Dominicus Viva in *Cur. Theol. mor. Tom. II. part.* VI. *quaest.* V. *num.* II. „ Licet teneatur poenitens respondere Confessario interroganti consuetudinem „ peccati, cum opposita sententia sit damnata ab Innoc. XI. . . . . tamen per „ se loquendo non est aperienda huiusmodi consuetudo." Vide infra *loc. cit. num.* XVI. *quaest.* X. *& seq.*

XXIII. De Lugo *disp.* XVI. *sec.* IV. *§.* 7. *num.* 202. „ Ille qui per plura periuria „ comparat consuetudinem peierandi, eo ipso constituit se in periculo & occasio- „ ne proxima peierandi postea. Ergo debet in confessione explicare illam cir- „ cumstantiam consuetudinis, quatenus includit periculum morale, & occasionem „ proximam ad peccata subsequentia &c. . . . .

„ Adhuc tamen regulariter non videtur necessario explicanda illa circumstan- „ tia: *tum quia homines non attendunt communiter ad illud periculum morale se-* „ *quentis peccati*, quando aliquod peccatum committunt, nec facile discerni pot- „ est, quando consuetudo perveniat ad eum gradum, ut inducat occasionem „ moralem proximam aliorum subsequentium peccatorum: *tum etiam quia expo-* „ *nere se periculo fornicationis verbi gratia*, *non habet malitiam specie diversam ab* „ *ipsa fornicatione*. Cum ergo explicuit in confessione praecedenti suam fornica- „ tionem, iam explicuit totam malitiam specificam illius peccati. *Nam circum-* „ *stantia illa periculi*, *quod subiit alterius fornicationis*, non addit malitiam specie „ diversam, licet aggravet intra eamdem speciem. Unde regulariter non videtur „ obligandus poenitens ad fatendam necessario consuetudinem, nisi interrogetur." Vide infra *diss.* IV. *de conf. cap.* V. *num.* XXI. *& seq.* post *quaest.* X.

XXIV. Idem de Lugo *ibi num.* 204. „ Maior difficultas esse potest de consuetu- „ dine posterioris generis, quae scilicet est caussa faciendi similes actus absque „ deliberatione sufficienti, vel advertentia. In quo casu certum in primis vide- „ tur actus subsequentes sine deliberatione praesenti factos non esse nova peccata, „ sed solum esse peccata in sua caussa, nempe in consuetudine praecedenti libere „ volita, seu esse effectus peccati, ut cum aliis probat Thomas Sanchez . . Sua- „ rez . . *Unde non erit necesse iuramenta sequentia absque advertentia prolata in con-*

„ *fessio-*

„ *fessione explicare*, sed solum causam culpabiliter antea positam, nempe consue„ tudinem illam volitam, aut permissam, ut notat idem Sanchez." Vide *loc. cit. num.* XXIV. *& seq.*

XXV. P. La Croix quærit Lib. VI. part. II. num. 973. *an illa quæ ex consuetudine mortaliter mala postea inadvertenter fiunt, sint confitenda*. Resp. num. 974. „ Si „ supponamus, quando ista fiunt, nullam prorsus adesse advertentiam malitiæ; „ talia non habebunt ullam novam malitiam, uti constat ex dictis *Lib. V. a num.* 16. „ & consequenter cum ista in se non sint peccata, nec externe compleant pec„ catum aliquod internum, sed tantum sint effectus peccati secundum dicta num. „ 944. *non est obligatio illa confitendi .... Quod verum est, secundum multos cum* „ *Dicastil. quamvis illa consuetudo non sit retractata.*" Vide *loc. cit. num.* XXVI. *& seq. quæst.* XI.

XXVI. P. Thomas Tamburinus *Lib. II. meth. confess. cap.* VII. *§.* 7. *num.* 48. „ Dico, probabile esse, nec consanguinitatem ab affinitate ex S.Th. 2. 2. *quæst.* „ XVI. *art.* 9. & Caiet. *ibid.* nec unum gradum ex his differre specie ab aliis. „ Sic Filliuc. dicens esse opinionem S. Th. Caiet. Soti, & fere Thomistarum, „ Griptus .. Megala .. uterque apud Dianam. *Unde licet sine dubio gravius sit* „ *contra unum gradum delinquere, v. g. contra primum cum MATRE, quam contra* „ *alium, v. g. cum consobrina: tamen quia non mutatur species, puto non esse ea* „ *speciatim manifestanda* in confessione." *loc. cit. num.* XXVIII. *& seq. quæst.* XII.

XXVII. Salmanticenses *tract.* XXIV. *disp.* VIII. dub. 4. *§.* 2. *num.* 202. *pag.* 140. inquiunt. „ Secundo modo contingit Confessarium inquirere de his circumstantiis, „ non ob motiva aliqua specialia, & accidentalia, qualia proxime recensuimus; „ sed quia in ea opinione est, quod aggravantes notabiliter intra speciem debent „ in confessione explicari. Et tunc pœnitens, quia *scit saltem practice, & ex a-* „ *liorum testimonio* nostram sententiam negantem esse tutam, communiorem, & „ probabiliorem contraria, *non tenetur ad illam Confessarii interrogationem responde-* „ *re; sed potest cum reverentia dicere, se explicuisse quod debuit, & posse reticere* „ *quod tacet, nec ad amplius teneri: quia scit circumstantias notabiliter aggravantes,* „ *v. g. quantitatem rei ablatæ, de qua inquiritur, non esse materiam necessariam* „ *confessionis. Et his dictis nequit Confessarius illum amplius cogere: nec illi ex vi* „ *huius absolutionem denegare: quia pœnitens procedit secundum tutam & probabi-* „ *lem opinionem, atque adeo recte agit, & cum eo se potest AC DEBET Confessa-* „ *rius conformare.*" Vide infra *loc. cit. cap.* VI. *§. unic. num.* VI. *& seq.*

XXVIII. P. Dominicus Viva *quæst.* V. *art.* 4. *num.* 2. „ Quare satis est in con„ fessione dicere: Toties morose delectatus sum de copula illicita, non explican„ do, an cum nupta, vel cum Moniali, consanguinea &c. vel toties morose de„ lectatus sum de occisione hominum, non explicando, an sit circa patrem, vel

„ Sa-

„ Sacerdotem, vel inimicum, aut alterius conditionis. " Vide *loc. cit. cap.* VII. *num.* II. & III.

XXIX. P. Claudius La-Croix *Lib. VI. part.* 2. *num.* 1030. „ Qui fine ullo defi- „ derio perfonam *veneree* afpicit, non tenetur dicere (in confeffione) qualis per- „ fona fuerit. " Vide *loc. cit. num.* IV.

XXX. Idem La-Croix *ibid. num.* 1031. „ Qui fine defiderio veneree attigit puel- „ lam, fecundum Dianam . . . fatisfacit dicendo fe toties attigiffe turpiter, nihil „ dicendo de partibus, in quibus attigit. „ Subdit: Alii *probabiliter* dicunt expri- „ mendum, fi partem turpem attigerit. " Vide *num.* V.

XXXI. Idem *ibid. num.* 1040. „ Qui fornicatus eft cum tribus diverfis, vel ter „ cum una, fatisfacit dicendo, fe ter fornicatum, nec tenetur dicere, an fuerit „ una, vel plures, an fuerint meretrices, an aliæ, dummodo non fit cooperatus „ ad impediendam generationem. Bonacina, Tamburinus. " Vide *num.* VI.

XXXII. Idem *ibid. num.* 1041. „ Si Sacerdos fornicetur cum filia confeffionis, „ S. Th. Sot. Sanch. & alii graviffimi Auctores, quos refert, & fequitur Averfa „ quæft. *16.* f. 14. adhuc dicunt contrahi novam fpeciem malitiæ, quia ius cano- „ nicum vocat quoddam adulterium, vel inceftum: & reipfa videtur effe fpecies „ irreverentiæ, & facrilegii in facramentum. E contra effe fimplicem fornicatio- „ nem, *ac poffe taceri, quod fuerit filia confeffionis*, docent Ledefm. Vafq. Sa, „ Bon. Filliuc. I. San. Pontius G. Hurr. Ochag. Dic. Tamb. Dian. Lugo: quia ex „ confeffione nulla oritur cognatio fpiritualis, uti certum eft, nec apparet cur „ cenfeatur fieri irreverentia facramento iam præterito, cum peccatum non ha- „ beat refpectum ad illud. *Utraque fententia eft probabilis. Prima eft conformior* „ *iuri canonico; fed fecunda videtur ex ratione probabilior.* " Vide *loc. cit. num* VII. & *feq.*

XXXIII. De Lugo *de pœnit. difp.* XVI. *fec.* III. *num.* 142. „ De circumftantia „ follicitantis feminam ad fornicationem, an fit explicanda; an vero fufficiat fa- „ teri fornicationem; *placet* quod cum aliis docet Vafquez, non effe explican- „ dam illam circumftantiam: quia illa malitia habetur, licet non ita gravis, „ quando aliquis non follicitat: adhuc enim participat cum illa in fuo peccato, „ & eft caufa cooperationis ad eius ruinam. " Vide *loc. cit. num.* IX.

XXXIV. P. Dominicus Viva *quæft.* V. *art.* 4. *num.* 10. „ Si quis alium follici- „ tavit, & peccatum non eft fecutum, debet id in confeffione explicari: fi ta- „ men peccatum eft fecutum, putat *probabiliter* De Lugo, & Tamburinus con- „ tra Sanch. & Bonac. non effe explicandum, quod primus invitaveris, quia „ quamvis graviter peccaveris invitando, adhuc tamen es particeps peccati illius, „ etiamfi non invitaveris. " Vide *loc. cit. num.* X.

XXXV. P. La-Croix *Lib. VI. part.* 2. *num.* 1072. „ Probabile eft quidem, quod „ ofcu-

„ oscula, tactus, aspectus, turpiloquia, *etiam publice facta in loco sacro*, non ha-
„ beant rationem sacrilegii; ideoque opus non sit dicere esse ibi facta, uti tenent
„ Sanchez, Aversa, & alii cum Diana. " Vide *loc. cit. num.* xx.

XXXVI. Leander *disp.* VIII. *quæst.* xlII. „ An si aliquis peccatum committit
„ in die qua Eucharistiam sacram sumpsit, teneatur hanc temporis circumstantiam
„ fateri? Probabilius respondeo non teneri per se loquendo, quia alias Sacerdos,
„ *qui quotidie celebrat, deberet in singulis peccatis explicare illam circumstantiam*
„ *Missæ celebratæ illo die, quod nemo facit*. Sic Homobonus, Lugo, Diana, Trul-
„ lench. Vasquez &c. Vide infra *loc. cit. num.* XXIX.

XXXVII. Idem Leander *tract.* v. *disp.* VIII. *quæst.* XXV. „ An debeat explicari
„ effectus subsecutus, an vero sufficiat confiteri causam: v. g. an satis sit in con-
„ fessione dicere, te letale venenum dedisse alicui, ut moreretur; an vero ne-
„ cesse sit addere, quod interfecisti cum veneno? . . . Probabilius respondeo, suf-
„ ficere confiteri actionem non internam voluntatis, sed externam, qua vene-
„ num præparasti, & dedisti; *quamvis* non confitearis effectum, seu mortem ex
„ illo secutam: quia in confessione solum debent necessario explicari peccata: sed
„ ille effectus, quando consequitur, non est actu *peccatum, sed effectus peccati*
„ Sic Vasquez, Granados, Azor. Bonacina, Diana, Suarez, Curiel, quos omnes
„ refert, & sequitur Lugo disp. XVI. art. 2. num. 430. *ubi doctissime de hoc puncto agit*. "
Vide infra *loc. cit. num.* XXX. *& seq.*

XXXVIII. P. Dominicus Viva *quæst.* II. *art.* 2. *num.* 3. „ *An qui certus est de*
„ *peccato mortali commisso*, dubitat tamen positive, an illud confessus fuerit, ita
„ ut habeat rationem probabilem, quod confessus fuerit, & probabiles etiam, im-
„ mo *probabiliores rationes*, quod non fuerit confessus, teneatur illud confiteri?
„ Respondeo pariter negative cum communi Doctorum, quos citat Martinus Pe-
„ rez contra Conink apud Dianam. " Vide infra *loc. cit. cap.* VIII. *num.* III.
& seq.

XXXIX. Idem P. Viva in *curs. Theol. mor. de pœnit. quæst.* II. *art.* 2. *num.* 6.
„ Respondeo fere communissimam antiquorum Doctorum sententiam fuisse, quod
„ teneatur homo peccata *negative dubia* clavibus subiicere. Et Thomas Sanchez
„ id *omnino* certum reputat .... Hac de causa P. Matthæus Moya nostræ Socie-
„ tatis, qui fuit a confessionibus Mariæ Annæ Hispaniarum Reginæ, in selectis
„ quæstionibus de sacramento pœnitentiæ, postquam asseruerat opinionem se con-
„ trariam per triginta annos etiam in scholis docuisse, dis. I. quæst. v. hæc ha-
„ bet. *Nihilominus re maturius considerata standum censeo pro contraria & com-*
„ *muni sententia asserente obligationem peccati dubii: ad quod hoc uno efficaci argu-*
„ *mento ducor, quia Sacramentum pœnitentiæ institui potuit a Christo Domino cum*
„ *hac obligatione. Quod autem instituerit, suadet communior Catholicorum sensus, &*
„ *tra-*

„ *traditio a tempore Apostolorum usque ad nostra continuata tempora, ratione cuius vel-„ ut INCONCUSSUM DOGMA preceptum confitendi peccata dubia aeque ac certa „ non tam probarunt quam supposuerunt Doctores. Ut enim ait August. Lib. IV. con-„ tr. Donat. Quod universa tenet Ecclesia* &c. Hactenus P. Moya. His adde Lean-„ drum, ac Tamburinum ipsum, quamvis patronos in benigniores opiniones. "

Num. 7. „ His tamen non obstantibus, puto *probabilem* esse ac TUTAM opi-„ nionem contrariam, asserentem *peccata dubia negativa* non esse materiam ne-„ cessariam sacramenti poenitentiae, quam sequuntur plurimi Auctores apud Men-„ do, & Dianam, & alios ... quos usque ad viginti duos numerat Caramuel ... „ Quibus adde *Lessium*, *Sa*, *Layman*, *Praepos. Amicum*, *Leandr. Haunoldum*, nec „ non *Ferrandinum de scandalo quaest.* LXXVII., *ubi citat Revisores Societatis IESU „ sentientes posse NUNC in scholis nostris banc sententiam permitti, quam aperte & „ ex professo* Con. Marchant. Ioseph de Ianuario, Martinonius, & alii multi scri-„ ptores iudicant probabilem: *quamvis OLIM secundum nostras regulas permitti non „ poterat*; cum vix reperiretur unus scriptor qui illam aperte tueretur, ut iidem „ Revisores apud Tamburinum testantur. NUNC TAMEN, ut notat Da-„ na, IN DIES MAGIS RADICES AGIT. " Vide infra *diss.* IV. *cap.* VIII. *num.* XVII. *& seqq.*

XL. Idem P. Viva *quaest.* II. *art.* 2. *num.* 7. „ Neque dicas praxim Ecclesiae, & „ consensum Doctorum per sexdecim saecula uniformiter existimantium institutum „ esse a Christo Domino sacramentum poenitentiae cum obligatione confitendi „ peccata dubia, reddere nos certos de tali lege, & institutione.

„ Nam quamvis VERUM SIT quod usque ad praeteritum saeculum VIX UNUS „ AUCTOR reperiatur qui aperte NOS deobliget a confitendis peccatis negati-„ ve dubiis; at non inde id ortum est, quia in sententiam obligantem omnes „ scriptores calamo iverint, sed quia ab ea quaestione abstinuerunt. Cum autem „ NUNC in terminis agitetur, & plurimi sententiam deobligantem sequantur, „ haec reddita est PROBABILIS. " Vide infra *loc. cit. num.* XXXV. *& seq.*

XLI. P. Georgius Gobat *tract.* VI. *num.* 479. „ Negat P. Conink *l.* 6. *num.* 98. „ esse probabilem opinionem arbitrantium, quando adest tanta multitudo confite-„ ri volentium pro aliquo celebri festo, ut Sacerdos nequeat omnibus satisfacere „ audiendo omnes *integre*, posse singulis dicere, ut aperiant *solum graviora* e mor-„ talibus, reliqua differant ad aliud tempus. Censeo ego, salvo meliori iudicio, „ eam opinionem posse probabiliter sustineri, casu quo multi ex longinquo adve-„ nissent, obtinendae alicuius *grandis* indulgentiae confessionem, & communionem „ requirentis causa. " Vide infra *loco cit. cap.* IX. *num.* III. *quaest.* I.

XLII. P. Ioannes Baptista Gormaz *disp.* V. *de absol. sec.* 2. *§.* 2. *num.* 266. *pag.* 775. *& seq.* „ Quapropter etsi forte quis ACTUALITER PECCANDO subito

„ de-

„ destituatur sensibus, REGULARITER sine absolutione dimittendus non est; „ cum rarissime contingat ut morti vicinus non velit saluti suæ consulere, *saltem* „ *per attritionem*, qua non constat interne carere, quamvis externe sit sensibus „ privatus: per conditionem enim evitatur iniuria sacramenti &c. Sic Bonagra- „ tia supra citatus. Vide *Gobat tract. 7. num.* 597. *usque ad* 625. " Vide infra *loc. cit. num.* XVI. *& seq.*

XLIII. P. Claudius La-Croix *Lib. VI. part.* 2. *num.* 1255. *§.* 5. „ *Rigoristæ dicunt,* „ causam relaxandi disciplinam quoad pœnitentias esse refrigescentem caritatem „ fidelium. *Sed contra est:* nam potius inter causas fuit, 1. ne confessio ab hæ- „ reticis impugnata velut impossibilis per duras pœnitentias magis redderetur odio- „ sa. 2. quia successu temporis plures fuere Sacerdotes, apud quos frequentarentur „ confessiones ad emendationem utilissimæ, & qui in hoc foro interno aliter mede- „ rentur peccatis *per medicinas benigniores*. 3. quia animadversum est, *benignas* „ *pœnitentias* plus prodesse quam rigidas, quod per benignas magis *allicerentur* fi- „ deles ad sacramentum pœnitentiæ, & Eucharistiæ. 4. quia occasione belli sacri „ contra Turcas *inductus est usus indulgentiarum*, qui ... est modus satisfaciendi „ pro peccatis *utilior*, & *certior* quam *observatio canonum pœnitentialium*. 5. quia „ successu temporis instituti sunt Ordines Religiosi, qui sunt status pœnitentium „ utilissimi. Vide *Francolinum* Cler. Rom. *part.* 2. *cap.* 1." Vide infra *diss.* v. *de satisfactione cap.* VII. *num.* 1. *& seq.*

XLIV. P. Patritius Sporer *Part. III. cap.* IV. *quæst.* 1. *§.* 3. *num.* 45. *pag.* 237 „ Excusatur Confessarius, ut *nullam*, vel *levissimam* pœnitentiam iniungat .... „ Quando quis lucratur indulgentiam plenariam, potest dimitti sine ULLA ALIA „ MINUTA pœnitentia; cum per illam indulgentiam satisfiat debito pœnæ. Et- „ si autem id raro pro certo, sufficit quod *probabiliter* credatur." Vide *loc. cit. num.* VI. *quæst.* 1.

XLV. P. Dominicus Viva *quæst.* VI. *de pœnit. art.* 1. *num.* 1. „ Immo Lugo *disp.* „ XXVII. *sec.* 2. *num.* 24. putat eum qui lucratur indulgentiam, non obligari ad pœ- „ nitentiam, *etiamsi detur in medicinam*: quia medicus non præcipit, sed suadet „ remedium, & solus iudex præcipit pœnam. Quare si non tenetur pœnitens ra- „ tione indulgentiæ ad pœnam quæ præcipitur, nec tenebitur ad medicinam, quæ „ solum suadetur, nisi forte aliquando ad illam obligetur iure naturali, ne facile „ labatur." Vide *loc. cit. num.* VII.

XLVI. P. Sporer *Part.* III. *cap.* IV. *quæst.* 1. *§.* 4. *num.* 548. „ Sententia sane gra- „ vium Doctorum Soti, Caietani, Sylvestri, Medinæ, ac Navarri Man. cap. XXVI. „ num. 20. nimirum liberum esse pœnitenti acceptare, vel repudiare pœnitentiam „ a Confessario impositam, etsi maxime post Tridentinum, non intrinsece, *tamen* „ *extrinsece probabilis*, *ad hoc* servire potest Confessario, ut NEMINEM sine abso-

„ lu-

„ lutione remittat qui eam ſententiam ſecutus, nollet acceptare pœnitentiam „ impoſitam, paratus Deo ſatisfacere in hac vel in altera vita, *dummodo* ali- „ quam vel LEVISSIMAM pœnitentiam ſubire velit, v. g. aliquot *Pater* & „ *Ave*, tunſionem pectoris &c. “ Vide infra *loc. cit. cap.* VIII. *num.* V. *& ſeq. quæſt.* III.

XLVII. P. La-Croix *Lib. VI. part.* II. *num.* 1788. „ Putant *Lamas*, & *Stoz* ad „ hoc munus (Confeſſarii) ſatis DOCTOS eſſe illos qui integram SUMMAM „ CASUUM diligenter legerint, vel attente AUDIERINT *explicari*. Quod ſi „ quis de ſe ipſo dubitet, ſiſtat ſe examinatoribus ab Epiſcopo, vel Superiore „ conſtitutis; qui ſi eum ſatis ſcire iudicent, poteſt acquieſcere, & cum fiducia „ in Deum aggredi functionem, quamvis omnium maximam, & graviſſimam. „ *Stoz*, *Sporer*. “ Vide infra *Lib. II. diſſ.* I. *cap.* V. *num.* III.

XLVIII. Idem La-Croix *ibidem num.* 1795. *pag.* 284. “ *Recte notat* GOBAT *tra-* „ *ctat.* VII. *num.* 321. Confeſſarium debere ſcire SENTENTIAS PLURES, quæ „ vere probabiles ſunt, circa materias morales, eo quod ſæpe, ubi non agitur „ de valore ſacramenti, non poſſit, nec expediat pœnitentes dirigere SECUN- „ DUM UNICAM DOCTRINAM. “ Vide *loc. cit. num.* VI. *& ſeqq.*

XLIX. P. Dominicus Vivà *quæſt.* VIII. *art.* I. *num.* 7. “ Innoc. XI. an. 1679. vo- „ luit ut Epiſcopi non permittant venialium confeſſionem fieri ſimplici Sacerdo- „ ti non approbato ab Epiſcopo, aut Ordinario . . . Puto tamen cum Carden. „ & aliis apud *Croix*, quod non ſit invalida, & quod non exponeretur periculo „ fruſtrationis ſacramentum: *cum enim probabile ſit iuriſdictionem* conferri Sacer- „ doti *immediate a Chriſto Domino*; & cum iuriſdictione probabili valide confe- „ ratur ſacramentum pœnitentiæ, ut dicemus quæſito nono; idcirco valide con- „ fertur ſacramentum a ſimplici Sacerdote abſolvente dumtaxat a venialibus, „ aut a mortalibus alias abſolutis. “ Vide *loc. cit. diſſert.* II. *cap.* IV. *num.* VIII. *& ſeq.*

L. Salmanticenſes *tractat.* VI. *cap.* II. *punct.* 2. *num.* 16. „ Rogabis primo, an ſi „ contingat quempiam bona fide confitentem de ſolis venialibus alicui ſimplici „ Sacerdoti, habere fortaſſe occultum, & invincibiliter oblitum aliquod mortale, „ adhuc confeſſio, & abſolutio valeat, qua indirecte etiam mortalia remittan- „ tur? Negat Candidus . . . Affirmant tamen *probabiliter*, in caſu poſito adhuc „ confeſſionem, & abſolutionem valere, qua indirecte etiam mortalia remitten- „ tur, cum onere tamen confitendi mortalia invincibiliter oblita legitimo Con- „ feſſario, cum poſtea venerint in memoriam, & aderit tempus præcepti con- „ feſſionis. *Suarez*, *Granados*, *Leander*, *Henrix*. “ Vide infra *loc. cit. num.* XII. *& ſeq.*

LI. Leander *tract.* V. *diſ.* XI. *quæſt.* XIV. „ An ſaltem poſſit omnis Sacerdos nul- „ lo

„ lo modo expositus valide absolvere pœnitentem qui bona fide confitetur pec-
„ cata venialia, & mortalia simul ? . . . Probabilius respondeo, posse in utroque
„ casu valide absolvere a mortalibus; licet certior factus pœnitens, quod Sacer-
„ dos ille non habeat iurisdictionem super mortalia, teneatur iterum confiteri. "
Vide *loc. cit.*

LII. P. Dominicus Viva *quæst.* VIII. *art.* 1. *num.* 16. „ Respondeo iurisdictionem
„ conferri, non solum quando errori communi adiungitur titulus coloratus . . .,
„ sed etiam *probabiliter*, si error communis non coniungatur cum titulo colora-
„ to; puta, si Sacerdos non habens iurisdictionem bona, *vel mala fide* exponat
„ se confessionali ad confessiones audiendas, communiter censetur Confessarius
„ approbatus. Ita Diana, Molfesius . . . Debet autem hic error esse probabilis,
„ *non vero supinus, aut crassus*. " Vide *loc. cit. num.* XXX. *& seq.*

LIII. Idem Viva *quæst.* VIII. *art.* 2. *num.* 1. *&* 2. „ Videtur non licere confi-
„ cere sacramentum pœnitentiæ cum iurisdictione probabili, saltem quando pot-
„ est haberi iurisdictio certa. Nihilominus censeo licitum esse absolvere cum iu-
„ risdictione probabili . . . Hinc sequitur ab Innocentio XI. in prima ex eius
„ proscriptis thesibus non esse damnatam hanc sententiam; QUIA DEBUISSET
„ APERTE ILLAM DAMNARE, si voluisset, quod non solum in iis quæ per-
„ tinent *ad materiam, & formam sacramenti*, sed etiam in iis quæ pertinent ad
„ *iurisdictionem* sequamur opinionem tutiorem, omissa probabili, ut *multi viri*
„ *docti censent*. " Vide infra *Lib. II. diss.* 11. *cap.* V. *num.* 111. *&* §. 1.

LIV. P. Franciscus Fegelli *Part. I. cap.* 11. *num.* 21. *pag.* 14. „ Praxis & usus
„ *omnium Confessariorum* obtinuit ut impendant absolutionem cum iurisdictione
„ probabili. Ergo ne tot eorum actus sint irriti cum maximo pœnitentium da-
„ mno, recte iudicatur Ecclesiam certissime conferre iurisdictionem, si antea non
„ dabatur. " Vide *loc. cit.* §. 1. *num.* X.

LV. P. Dominicus Viva *in curs. theol. quæst.* IX. *art.* 3. *num.* 2. hæc disputat,
& resolvit. *Quæritur secundo, an ignorantes reservationem, illam incurrant: & idem quæritur de non advertentibus ad illam dum ACTU peccant*. Post multa
sic concludit. „ Quare a primo ad ultimum nec reservationem, neque excom-
„ municationem incurrunt qui illas ignorant; & quia communiter Doctores in-
„ advertentiam actualem, & oblivionem æquiparant ignorantiæ invincibili, & in-
„ culpabili, inde fit *quod non advertens ad pœnam sive reservationis, sive censu-
„ ræ, illam non incurrat*, non secus ac si ignoraret. Unde Sanchez *Lib. IV. cap.*
„ XXII. docet, quod si quis, verbi gratia, in pœnam periurii vovisset ieiunare,
„ quoties mentitur, si deinde mentiatur advertens ad votum non mentiendi,
„ non vero ad pœnam impositam ieiunandi, peccaret quidem, sed non tenere-
„ tur ieiunare, ex hoc scilicet principio, quod pœna extraordinaria, & medici-
„ nalis

„ nalis non incurratur ab eo qui illam ignorat, AUT NON ADVERTIT ad „ illam. " Vide *loc. cit. cap.* VI. *§.* I. *num.* II. *& seqq.*

LVI. P. Patritius Sporer *Part. III. cap.* VI. *sec.* I. *§.* 3. *num.* 735. „ Quintanad-„ venas rorunde scribens: Ignorantia reservationis, sive iuris, sive facti, *etiamsi* „ *sit vincibilis, excusat a reservatione*. Et sane sequitur manifeste ex dictis. Si „ enim dubium de reservatione ab ea excusat, multo magis excusabit ignoran-„ tia reservationis *etiam vincibilis*. " Vide *loc. cit. num.* X.

LVII. Idem Sporer *ibidem*. „ Bene observat Gobat, merito censens, Confes-„ sarium regularem non fore fidelem suo Prælato, si nactus pœnitentem impli-„ citum peccato reservato, sed reservationis ignarum, non dicat expresse: Te „ quidem absolvo hac vice (*scilicet ex probabili opinione* DD. & benigna inter-„ pretatione mentis Superioris, ne bona fide procedens idem peccatum morta-„ le bis debeas confiteri) scito imposterum te a me non posse absolvi sine ex-„ pressa voluntare Superioris. Quod ipsum consulere soleo Parochis, & Vica-„ riis de reservatis casibus episcopalibus sollicitis: *loc. cit.* " Vide *cit. num.* X. *& seq.*

LVIII. P. Dominicus Viva *in trutina in prop.* 41. *Alex. VII. num.* XVI. „ Dubi-„ tatur hic, an possit absolvi qui in occasione peccandi proxima versatus est, „ antequam illam tollat; præsertim si in alia confessione id promisit, & deinde „ non stetit promissis? Nonnulli cum Con. *disp.* VIII. *de pœnit. num.* 133. Fill. „ Azor. Sanch. putanr absolvi non posse extra casum necessitatis: immo Carde-„ nas *diss.* XL. *cap.* V. *art.* 4. *num.* 108. putat id colligi ex propositione 61. Innoc. „ XI. ubi damnatur, quod absolvi possit qui in proxima occasione peccandi ver-„ sarur, quam potest & non vult omittere. Et ratio videtur esse, quia qui ad „ sacramentum pœnitenriæ accedit, antequam occasionem illam tollar, censetur „ eam nolle eiicere, atque adeo sine debito proposito efficaci non peccandi de „ cetero accedere; quandoquidem in hoc ipso quod occasio peccandi non tolla-„ tur, quando potest tolli, peccatur. Neque obstat quod dicar habere proposi-„ tum tollendi: nam si solum proponit illam tollere de futuro, & non statim „ tollit, eo ipso vulr de præsenti in ea occasione manere, atque adeo peccat; „ sicut qui appropinquante leone proponit fugere, & non statim fugit, censetur „ velle in periculo mortis manere.

„ Communius tamen cum *Suar. disput.* XXXII. *sec.* 3. *Tabiena*, & alii censent, „ posse huiusmodi pœnitentem absolvi semel ac iterum, si appareant hic & „ nunc vera signa doloris, & propositi efficacis tollendi statim occasionem pro-„ ximam: immo *Corduba*, *Caiet.* & alii putant, quod possit etiam *tertia*, *&* „ *quarta vice absolvi*; esto sæpe expediar absolutionem differre, quousque pro-„ xima illa occasio tollatur. Debet tamen omnino absolvi, etiam ante separa-

„ tionem ab illa, tum si instet mortis periculum, tum si dilata absolutione, cre-
„ datur non habiturus ille opportunitatem redeundi, aut ex alia causa non red-
„ iturus. Ratio, cur videatur posse prima & secunda vice absolvi, est, quia
„ *potuit pœnitens aut immediate ante, aut audiendo concionem, aut audiendo i-*
„ *psius Confessarii admonitiones, excitari ad verum, & efficax propositum non pec-*
„ *candi, in quo casu est sufficienter dispositus. Sic passim absolvuntur pœnitentes*
„ *per hoc quod proponant restituere, quamvis ante confessionem non restituerint,*
„ *prout poterant*: quia ex admonitionibus Confessarii *potest* hic & nunc consur-
„ gere verum propositum restituendi, quod ante confessionem vel erat debile,
„ vel putabatur sufficiens, esto per aliquod tempus opportunum restitutio esset
„ differenda. Ergo hoc idem fieri potest in eo qui tenetur proximam occasio-
„ nem tollere. Neque ex propositione illa 61. Innoc. XI. eruitur, quod absol-
„ vi non possit: nam qui proponit occasionem statim tollere, non potest dici,
„ quod illam velit de præsenti; sicut nec dicitur velle periculum mortis qui
„ appropinquante leone proponit fugere statim ac potest. Caute tamen in hoc
„ procedendum, eo quod passim huiusmodi propositum non est efficax in eo qui
„ potuit antecedenter occasionem peccandi tollere, & nondum sustulit." Vide
„ *Lib. II. de pœnit. diss.* III. *cap.* VII. *§.* III. *per totum*.

LIX. P. Martinus Torrecilla plures opiniones laxas de sacramento pœnitentiæ docet. Advertendum tamen, ab aliis quoque Casuistis easdem defendi, quos ego citare prætereo brevitatis caussa.

„ In propositione 57. damnata ab Innocentio XI. circa attritionem natura-
„ lem, videtur non venire damnatum dicere, sufficere attritionem supernatu-
„ ralem existimatam, etsi in re naturalis sit." Idem Torrecilla *in prop. damn. ad prop.* 57. *Innoc. XI. tract.* VIII. *concl.* 3. *num.* 19. *fol.* 461.

LX. Idem Torrecilla *Tom. III. consult. consult.* 12. *miscel. num.* 2. *fol.* 454. „ Quan-
„ do confessio est tantum de venialibus, non requiritur dolor, attritiove illa de
„ qua Tridentinum *sess.* XIV. *cap.* III. sed sufficit quod pœnitens ad confessionem
„ accedat desiderio & voluntate confitendi, sine actuali peccandi complacen-
„ tia."

LXI. Idem Torrecilla *Tom. II. Sum. tract.* IV. *disp.* IV. *sec.* I. *cap.* III. *num.* 17. *fol.* 418. „ Peccata sub dubio, etsi stricte tali positivo, negativove, non sunt con-
„ fitenda necessario."

LXII. Idem *loc. cit. tract.* I. *disp.* II. *cap.* IV. *§.* 2. „ Grave saltem non est in
„ confessione sacramentali (præsertim si ea sit generalis, licet voluntaria) simu-
„ lare peccata gravia præterita, numquam exposita in confessione, quasi ante
„ acta esset."

LXIII. Idem *ibid. §.* 7. *num.* 512. *fol.* 75. „ Qui in confessione omisit letale,
„ quod

„ quod ex conscientia erronea vincibili tale non putabat, non tenetur eo animadverso, confessionem repetere, sed tantum peccatum quod omisit, confiteri.“

LXIV. Idem *ibid.* §. 10. *num.* 633. *fol.* 86. „ Generatim rudes & ignorantes ad confessionem perficiendam possunt admitti, etsi nullum præmiserint examen.“

LXV. Idem *Tom. II. Summ. tractat.* 1. *disput.* 11. *cap.* IV. §. 10. *num.* 643. *fol.* 87. „ Confessor potest absolvere pœnitentem, etsi certo sciat in peccato mortali esse, quod nec interrogatus confitetur: credere enim debet iustam causam illud negandi habere.“

LXVI. Idem *Tom. II. Summ. tract.* IV. *disput.* IV. *sec.* 2. *cap.* 1. *num.* 30. *fol.* 426. „ In tribus casibus potest simplex Sacerdos actu administrare sacramentum pœnitentiæ. 1. Si confessio sit de venialibus. 2. Si sit de mortalibus iam confessis, immo & de oblitis in aliis confessionibus. 3. In periculo mortis, & probabiliter, etiam præsente Parocho, vel Sacerdote approbato.“

LXVII. Idem *ibid. cap.* III. *num.* 28. *fol.* 432. „ Quilibet Sacerdos approbatus potest in vi Cruciatæ absolvere toties quoties a casibus occultis Bullæ Cœnæ Domini, hæresi excepta.“

LXVIII. Idem *ibid. sec.* III. *cap.* 1. *num.* 54. *fol.* 442. „ Parochus eligibilis est in Confessarium vi Cruciatæ, aut Iubilæi in tota diœcesi, imo & in alienis.“

LXIX. Idem *ibid. tractat.* 1. *disput.* 11. *cap.* IV. §. 5. *num.* 289. *fol.* 57. „ Regulares privilegio Bullæ Cruciatæ uti possunt, ut independenter a Prælatis suis a quolibet Confessario absolvantur, etiam a casibus in Ordine suo reservatis.“

LXX. Idem *ibid. tract.* IV. *disput.* IV. *sec.* II. *cap.* III. *fol.* 436. „ Probabile est Regulares approbatos posse adhuc vi suorum privilegiorum absolvere a casibus occultis Bullæ Cœnæ, excepta hæresi.“

LXXI. Idem *Tom. in propos. damn. tract.* II. *conf.* 1. *a num.* 34. *fol.* 97. „ Sacerdos saltem regularis limitate approbatus pro certo genere personarum, vel pro hoc, vel illo loco, virtute Bullæ Cruciatæ, vel Iubilæi eligi a quibusvis illimitate ad confessiones potest.“

LXXII. Idem *in propos. damn. dict. tract.* II. *conf.* 1. *num.* 37. *fol.* 97. „ In propositione 13. ab Alex. VII. damnata, non venit comprehensa sententia dicentium, Sacerdotem approbatum pro determinato tempore, eo transacto eligibilem esse per Bullam, vel Iubilæum; immo & locum habere potest, quando limitatio temporis absque ulla causa fuit posita, vel mala, vel libera voluntate Ordinarii.“

LXXIII. Idem *ibid. tract.* IV. *disput.* IV. *sect.* III. *cap.* III. *num.* 17. & 18. *fol.* 446. „ Approbatio semel absolute concessa Regularibus, nisi sit iusta causa revo-

„ candi, saltem ab eodem Episcopo concedente, neque iuste, neque valide re-
„ vocabilis est. “

LXXIV. Idem *ibid. num.* 20. *&* 21. *fol.* 447. „ Nulla alia censenda est causa „ sufficiens ut Episcopus revocare licite, & valide possit approbationem semel „ absolute concessam Regularibus, nisi quia Regularis scandalose vivit, errores „ seminat, omnimode insurdescit, vel mente captus sit. “

LXXV. Idem *ibid. num.* 9. *fol.* 449. „ Probabile est, Regularem ab Episcopo ap- „ probatum, etiamsi dioecesim mutet, semper, & ubique approbationem illi du- „ rare, solummodoque concessione iurisdictionis illius Episcopi, ad cuius dioece- „ sim transit, indigere. “

LXXVI. Idem *Tom. de Episc. tractat.* 11. *quaest.* 11 r. *sec.* 2. *difficult.* 13. *num.* 82. 83. *&* 88. *fol.* 208. „ Regulares semel approbati ab Episcopo unius dioecesis ne- „ queunt ab eodem, neque a successore eius novo examini subiici; immo nec „ Sacerdotes saetulares, nisi licentia ipsis fuerit absque examine concessa, vel „ si examen praecesserit, alia iusta interveniente causa, ut examini subiician- „ tur. “

LXXVII. Idem *in propos. damn. tract.* 11. *consult.* 4. *a num.* 3. *fol.* 107. „ Sacer- „ dos regularis approbatus ab Ordinario suo ad audiendas confessiones Religioso- „ rum, ubi non est recepta constitutio Gregorii XV. *Inscrutabili*, potest ex vi „ talis approbationis audire confessiones Monialium, etiam earum quae Episcopo „ subiiciuntur. Et ubi est recepta, id ipsum virtute Cruciatae possunt. “

LXXVIII. Idem *Tom. III. consultation. consf. de poenitent. num.* 1. *&* 2. *fol.* 342 „ Episcopus qui in ingressu suo per publicum edictum praecipit ut omnes Con- „ fessarii tam saeculares, quam regulares examini praesententur, & quod dicto „ termino transacto a confessionibus cessent, non solum iniuste, sed nulliter pro- „ cedit. “

LXXIX. Idem *in prop. damn. tract.* 11. *de poenit. consf.* 1. *num.* 26. *&* 27. *fol.* 96. „ Omnes Regulares, adhuc & Religiosi, ac Equites S. Iacobi, Calatravae, & Al- „ cantarae, & pariter Moniales virtute suorum privilegiorum possunt confiteri „ cum quolibet Sacerdote simplici, etiam ad annuum praeceptum adimplendum, „ ut minimumque hoc non venit damnatum in propos. 13. ab Alexandro VII. „ damnata. “

§. III.

§. III.

Opiniones quæ P. Balthasari Francolino *æquo rigidiores videntur*.

PRopositiones quas æquo rigidiores P. Francolinus in Merbesio, Genneto, & Iuvenino deprehendit, tales mihi visæ non sunt. Nihilosecius, ut iterum palam faciam me a partium studio liberum esse, easdem transcribere, atque lectorum iudicio subiicere operæ pretium existimavi, quales referuntur a P. Francolino, cuius etiam animadversiones referam. Præmittit P. Francolinus, se non tamquam censorem has propositiones rescribere, sed ut ex illis iudicet lector, an sit aliqua in scholis doctrina iusto rigidior. Inquit enim: *Si ergo eorum doctrina rigidior est, iam rigidior doctrina, ac proinde RIGORISMUS multorum est*.

Aliquot Boni Merbesii *propositiones, excerptæ* a P. Francolino *in suo opere inscripto* Francolinus vindicatus, *cap.* 11. *pag.* 123. *edit. Venet.*

I. Merbesius. *Veri nominis contritio, seu conversio cordis ad sacramenti valorem necessaria, Dei super omnia dilectionem exigit*. In Summ. Christ. Tom. II. pag. 37.

II. *Francolinus*. „ Quamvis postea dicat, sufficere dilectionem Dei initialem, „ seu inchoatam, & non perfectam, significat præcise non requiri dilectionem „ intensam; ceterum veram caritatem theologicam requirit. Constat enim quod „ caritas, etiam remissa, est vera caritas theologica, sicut calor remissus est ve- „ rus calor. “

III. Merbesius. *Ad veram contritionem non solum requiritur dolor de universis peccatis mortalibus generatim, & confuse conceptus; verum etiam specialis & distinctus de singulis peccatis, tam quoad numerum, quam quoad speciem conceptus*. pag. 54. col. 1.

IV. *Francolinus* pag. 123. „ Quamvis autem moneat satis esse ut id fiat unico „ actu, vult tamen ut is actus tendat in peccata singillatim recogitata, secun- „ dum speciem, & numerum. “

V. Merbesius. *Ab Sanctis Patribus quatuor afferuntur rationes ob quas Sacerdos pœnitentium reconciliationes differre teneatur. Si quis dixerit, id iam nec fieri posse, nec debere, tametsi sit priscis temporibus factitatum; respondeo, quod*

olim factitatum est, nostris etiam hisce temporibus esse faciendum, si eædem illæ rationes propter quas id olim usurpatum est, nostra etiam hac ætate vigeant. pag. 94. Affert autem ibidem solas has quatuor rationes. *Prima*, inquit, *ut ex diuturnitate temporis, & difficultate curationis mali ab semetipso perpetrati magnitudinem peccator intelligeret. Secunda, ut ipse peccator reconciliationem, ad quam per tot gemitus, & labores pervenerat, assecutus, studiosius peccatum effugeret, atque ita partam tot lacrymis gratiam diligentissime retineret. Tertia, ut inde liqueret, quanta obstinatos peccatores alia ex aliis peccare solitos, maneant supplicia, si tam ægre ad Deum reverti properantibus, & pœnitentiæ labores obeuntibus, remissionis gratia conceditur. Quarta denique, ut intima cordis conversio soli cordium scrutatori bene perspecta, & cognita, tandem per aliquod saltem tempus inter pœnitentiæ labores exhibita, in Sacerdotum notitiam deveniret.*

VI. *Francolinus* pag. 124. „ Cum autem hæ rationes etiam modo vigeant, si „ olim viguere, sequitur quod etiam modo debeat differri absolutio . . . . Lo- „ quendo de pœnitentibus qui habent inveteratum habitum peccandi, sic disse- „ rit (Merbesius.) *Eiusmodi homines non sunt cito absolvendi, quia non nisi ægre admodum convertuntur ad Deum, sicut oportet. Nam, ut ait Sanctus Thomas* 1. 2. *quæst.* lxxviii. *art.* 2. *ad* 3. „ ille qui peccat ex habitu, semper gaudet de hoc „ quod ex habitu operatur, quamdiu habitu utitur; sed quia potest habitu non „ uti, sed per rationem, quæ non est totaliter corrupta, aliquid aliud medita- „ ri, potest contingere quod non utens habitu, doleat de hoc quod per habi- „ tum commisit; & sic plerumque tales pœnitent de peccato, non quia eis pec- „ catum secundum se displiceat, sed propter aliquod incommodum quod ex pec- „ cato incurrunt. “ *Hæc Sanctus Thomas. Ergo cum peccantibus ex habitu vitioso non displiceat peccatum secundum se, quatenus scilicet est offensa Dei, sed propter aliquod detrimentum, vel incommodum temporale, quod ex ipso percipiunt; ita affectis, sicut & quibuslibet aliis ita animatis, ad tempus deneganda est, & differenda sacramentalis absolutio, donec eorum conversio per dignos pœnitentiæ fructus ex inchoato saltem Dei amore concepta cernatur, & appareat.*

VII. *Francolinus* pag. 124. „ Omitto quod hic Merbesius addit de suo verbum „ illud *temporale*, quod non est in textu D. Thomæ, quem ipse allegat: quod- „ que S. Thomas non agit ibi de accedentibus ad confessionem, ad quam qui „ sponte accedunt, non solent dolere de peccato ad vitandum aliquod incom- „ modum temporale, sed *saltem* ex timore gehennæ cum spe veniæ, & ut re- „ concilientur cum Deo, adeoque eum aliquo amore Dei. Illud videtur into- „ lerabile, quod tam multa is Auctor exigat, ut hi pœnitentes tandem absol- „ vantur. “

VIII. Duo obiter in doctrina P. Francolini animadverto, minime ut sive Merbe-

besii, sive Iuvenini, sive Genneti vindicias suscipiam, sed ne imperiti errent. Utique in textu S. Thomae non est illud *temporale*, sed est in P. Viva, & aliis infra citandis. *Qui sponte accedunt* (inquit Francolinus) *non solent dolere de peccato* &c. Spontaneus ergo accessus ad *confessionale* argumentum est sufficientis doloris pro sacramento suscipiendo? Hanc doctrinam, quae mihi videtur iusto laxior, quamque permulti Probabilistae docent, infra refellam. Eam nunc indicasse sufficiat.

IX. Merbesius. *Contraria vitiosis habitibus adhibenda sunt remedia: ergo perperam agunt Confessarii qui ad profligandos superbiae, avaritiae, libidinis, ebrietatis, & maledicentiae habitus, qui radices habent altiores, aliquot dumtaxat preces iniungunt*. pag. 121.

X. *Francolinus* pag. 124. „ Hos Confessarios sic generatim nec Sanctus Thomas, nec Sanctus Antoninus damnat, apud quos excusatur, aut etiam laudatur Confessarius benignius agens cum poenitentibus infirmae virtutis, in quibus gravius onus poenitentiae exiguum contritionis ignem extingueret. “

XI. Merbesius. *Si poenitens crebro in peccata letalia caderet, probari posset per duos menses, vel toto trimestri; quo exeunte, si vera prospiceretur emendatio profecta ex integra eius fidelitate, & ex vi qua peccata diuturna consuetudine insita ex animo revellere conatus esset, posset absolvi*. pag. 141. col. 2.

XII. *Francolinus* pag. 124. „ Sed quid fiet cum illis qui aut redire non possunt amplius, aut redire non possunt tempore constituto, qui certe sunt innumeri? “

XIII. Merbesius. *Satisfactionem admissorum non potest poenitens alteri reservare saeculo, ut in purgatorio impleatur*. pag. 165. col. 2.

XIV. *Francolinus* pag. 125. „ Si sensus sit quod neque pars possit alteri saeculo reservari; propositio opponitur doctrinae Raymundi, Humberti, Antonini, ut patebit consulenti eorum Summas. “

XV. Merbesius. *Poenitens cui certo constiterit sibi leviorem quam sua mereantur crimina, ex praxi Ecclesiae satisfactionem ab Sacerdotibus impositam esse, ad aliam ultro assumendam tenetur, quae quidem tota ad aliquam aequalitatem cum poena temporali pro peccatis debita, perveniat*. pag. 185. col. 1.

XVI. *Francolinus* pag. 125. „ Addit rationem, quam dicebam, nempe praeceptum naturale, & divinum satisfaciendi Deo per poenam culpae correspondentem. Quae hinc angustiae in miseros poenitentes, qui de hoc ipso dubitabunt, an vere careant hac certitudine, quique, ut prudenter iudicent, an ipsi servent hoc divinum praeceptum, tenebuntur scrutari, quae sit praxis Ecclesiae circa hoc. Et hinc iterum angustiae. “

XVII. Merbesius. *Oportet quemcumque Sacerdotem, animas in poenitentiae tribunali*

nali rite moderari, & regere cupientem, imbutum esse & instructum notitia canonum, seu regularum quas Sancti Patres, & Concilia ad plectenda mortalium flagitia & condiderunt, & promulgarunt: alioquin perrumpet decretum Celestini Pontificis sanctissimi, insertum in corpus iuris, bisque verbis conceptum: Nulli Sacerdotum liceat suos canones ignorare, aut quidquam facere quod Patrum possit regulis obviare. pag. 182. col. 2.

XVIII. *Francolinus* pag. 125. „ Utile profecto est hos canones perdiscere, & „ ideo Confessarii monentur ut eos nosse satagant; at necessarium id esse, & lege praeceptum, non probatur eo mandato Celestini, quod aut modo non adstringit, cum canones poenitentiales non sint in usu; aut non loquitur de illis, cum eorum notitia non esset omnibus Sacerdotibus quos ibi alloquitur Celestinus, necessaria, & forte nec omnibus Confessariis. "

XIX. Rigorismi Merbesium arguit P. Francolinus. Sed audiant omnes iudicium quod de *Summa* Merbesii tulit sapientissimus Cardinalis de AGUIRRE *dissert. x. in Concil. Hispan. excur.* 11. ubi haec habet. „ Merbesius Doctor Theologus, & valde versatus in canonibus sacris, ut ostendit Summa Christiana ipsius edita duobus vastis voluminibus Parisiis ann. 1683. . . . . Non sum nescius id opus a nonnullis incusari nimiae severitatis sive rigoris. Sed fortasse, ut ita censeant, in plerisque rebus germana caussa est, non quia sententiae ipsius strictiores iusto sint, sed quod illorum conscientia laxa est; ut hic „ quodammodo locum habeat dictum illud vetus: *Pedes tui non calcant spinas, sed habent*. "

Gasparis Iuvenin *propositiones*.

I. Iuvenin pag. 503. edit. Lugd. col. 2. init. hanc statuit conclusionem: *Eo intensius debet esse peccati odium, quo graviora sunt crimina*.

II. *Francolinus* pag. 126. num. 5. „ Additque id esse in praecepto secundum aliquos, licet secundum aliquos non sit. Ipse autem iam ingerit *scrupulum*, dum „ vult ut ad amovendum scrupulum *impensius, & saepius debitam contritionis intensionem a Deo postulemus*. "

III. Iuvenin. *Qui solo timore poenae dolet, de suae contritionis supernaturalitate cum fundamento dubitabit*. pag. 509. col. 2.

IV. Iuvenin. *Divinum praeceptum confessionis obligat lapsum intra breve tempus, ita ut lapso non liceat in multum tempus secundum prudentem aestimationem suam confessionem differre*. pag. 63. col. 2.

V. *Francolinus* pag. 127. „ Haec propositio est contraria omnibus Doctoribus, uno „ vel altero excepto, ut dictum est. "

VI.

VI. Iuvenin. *Iure divino est necessaria satisfactio lapsis post baptismum*. pag. 676. col. 2.

VII. *Francolinus* pag. 127. „ Et quidem condigna, ita ut levis iniungi non possit pro gravibus, ut postea probare contendit. Igitur cum Ecclesia non possit dispensare in præceptis divinis & naturalibus, male dispensavit in hoc, ut certe fecit sæpissime. "

VIII. Iuvenin. *Periculum est ne viri nobiles, qui magno suæ famæ desiderio tenentur, ruant ad duella, si in iis locis permaneant in quibus prævident suam famam, quam depereunt, adducendam esse in discrimen. Dimittendi sunt igitur absque sacramento, si ex iis locis discedere detrectent*. pag. 742. col. 2.

IX. *Francolinus* pag. 1227. „ Hoc periculum non videtur proximum, nec ea „ *prævisio officere videtur*, si alioquin habeant firmum propositum abstinendi ab „ omni peccato. Alioquin vix ullus miles nobilis potest absolvi. "

Rigorismus Francisci Genneti *Episcopi Vasionensis*.

I. *Gennetus* Tom. IV. tract. VI. cap. V. quæst. XIX. „ Requiritur ut possit Confessarius prudenter iudicare contritionem pœnitentis includere quatuor circumstantias quas Tridentina Synodus censuit necessarias &c. *Tertia est firmum constansque, seu non vacillans novæ vitæ propositum*.

II. Francolinus *Lib. II. disp. X. num. 26. pag. 99. edit. Venet.* „ At ipsi forte non „ vident suæ doctrinæ consequentias, ut certe eas non vidisse dicendus est Fran- „ ciscus Gennetus in sua recentissima Theologia morali edita Parisiis anno 1703. „ Ex pluribus exemplis *rigidissimæ ipsius doctrinæ*, unde gravia sequantur absurda, „ unum afferam ex *Tom. IV. tract.* VI. *de sacram. pœnit.* ubi *cap. V. quæst.* XIX. „ docet, ad veram contritionem, in hoc sacramento requisitam, esse necessarium „ *constans propositum* : non inquit, propositum, sed *constans propositum*, idque de- „ bere innotescere Confessario. "

III. En Rigorismum Genneti. Ad veram peccatoris in Deum conversionem non modo requirit *propositum* utcumque, ut fieri solet, *sed firmum, constansque, seu non vacillans*. Hæc autem doctrina, clamat P. Francolinus, non rigida tantum est, sed etiam *rigidissima*. Rigorista ergo est S. Paulus, qui *II. Cor.* VII. docet : *Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem STABILEM operatur*. Et tamen hoc est potissimum exemplum quod affert P. Francolinus, ut demonstret *doctrinam* Genneti esse *rigidissimam*, nedum rigidam. Si quis diceret, oppositam P. Francolini doctrinam, nempe ad veram pœnitentiam sacramentalem *sat esse propositum inconstans, & vacillans*, esse laxissimam, abluderet ne a vero?

Brevis Animadversio.

Conferat nunc lector præiudiciorum vacuus Rigorismum propositionum quas ex *Merbesio*, *Iuvenin*, & *Gennetto* refert P. Francolinus, cum Laxismo propositionum quas ego §. antecedenti ex permultis Probabilistis recensui. Deinde concludar, quisnam potiori iure vocis sonitum extollere iure valeat, & debeat : an P. Francolinus, *Cave a Rigorismo*, *cave a Rigoristis*; an ceteri, *cave a Laxismo*, *cave a Laxistis*. Verum luculentiora in universo hoc opere argumenta istius iudicii formandi dabimus.

CAPUT II.

Nonnullæ quæstiunculæ de virtute pœnitentiæ distinctæ a sacramentali resolvuntur.

I. QUæst. I. *Quid sit pœnitentia generatim accepta?* Resp. Pœnitentiæ significatus multiplex. Isidorus Hispalensis *Lib. VI. Orig.* a pœna, seu punitione originem eius repetit : & Auctor libri Augustino adscripti de vera, & falsa pœnitentia *cap.* XIX. inquit : *Pœnitere idem est ac pœnam tenere* , *ut nempe homo semper puniat in se ulciscendo quod commisit peccando*. Alii nomine *pœnitentiæ* ea intelligunt quæ consilio, & voluntate facta displicere incipiunt.

II. Græci, quod Latini pœnitentiam appellant, *Metanæam*, *Exomologesim* , *Epitimion* vocant. *Exomologesis* idem sonat ac latine confessio ; *Metanæa* resipiscentiam, *Epitimion* mulctam peccatis debitam significant.

III. Pœnitentia generatim accepta triplicem præfert significatum. I. Pœnitentiæ vocabulum latissime acceptum dolorem prodit de quacumque re, sive bona, sive mala, quam aliter factam quis vellet. II. Pœnitentia minus ample accepta est dolor ob crimen patratum, conceptus non Dei, sed sui ipsius caussa . Hoc modo doluit Esau, quod propter unam escam hereditatem vendidisset. III. Est dolor de peccato, propterea quod est offensa Dei. Cum legitur in Scripturis sanctis, Deum alicuius rei pœnitere, id per translationem, & figuratam locutionem dici, omnes afferunt. Pœnitentia hæc non affectum, seu mutationem aliquam in ipso Deo , sed effectum prodit, quem delere Deus ipse decreverat. *Delebo*, inquit, *hominem quem creavi* : Gen. VI.

IV. Penes Theologos tria includit pœnitentia . I. Prioris vitæ resipiscentiam , seu mutationem. II. Vitæ prioris intimum dolorem, & detestationem . III. Pœnam seu punitionem, quam peccator vel sponte sibi imponit, vel impositam sibi li-

libenter sustinet, ut Deo satisfaciat. Heinc constat, quam turpiter a veritate aberrent novatores Lutherani, & Calvinistæ, contendentes pœnitentiam totam consistere in mentis mutatione, & proposito melioris vitæ ineundæ. Quem errorem damnavit Tridentina Synodus *sess.* xiv. *cap.* iv. Ipsamet naturalis ratio evincit, intelligi haud posse resipiscentiam seu vitæ in melius commutationem sine prioris anteactæ detestatione.

V. Quæst. II. *Quotuplex sit pœnitentia?* Resp. I. Pœnitentia tribuitur in veram, & falsam. Vera est internus animi dolor de peccato patrato, Dei caussa conceptus cum detestatione præteritæ vitæ, & proposito melioris, & cum satisfaciendi deliberatione coniunctus. Falsa est illa qua quis affligitur non Dei, sed sui ipsius caussa, puta quia commissa peccata aut infamiam, aut temporalia illi damna inferunt. II. Pœnitentia vera altera interior, exterior altera. Interior est ipsamet virtus pœnitentiæ, quæ describi solet *virtus qua peccator movetur ad odium, & detestationem sui peccati, ad firmum melioris vitæ propositum, & sui vindictam in compensationem iniuriæ Deo illatæ*. Exterior est sacramentum novæ legis a Christo Domino institutum, quo per iuridicam Sacerdotis absolutionem homini contrito, & confesso remittuntur peccata post baptismum commisa. III. Pœnitentia exterior alia publica, alia privata, & secreta. Interior alia actualis, seu actus ipse pœnitendi; alia habitualis, nempe propensio & facilitas ad exercenda doloris & resipiscentiæ officia. IV. Denique pœnitentia alia fit ante, alia post baptismum: & hæc altera mortalium, venialium altera. Qua de re lege S. Thomam *III. Part. quæst.* xc. *art.* 4. ubi perspicue hæc omnia explicat.

VI. Quæst. III. *An pœnitentia sit virtus proprie dicta?* Resp. Adfirmans sententia communis est, Scripturarum testimoniis nixa. Nam Deus *Ezechiel.* xviii. clamat: *Convertimini, ait Dominus Deus, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris*. Rursus Matth. iii. *Pœnitentiam agite . . . Facite fructum dignum pœnitentiæ*. Item Luc. vi. *Cœpit Iesus prædicare, & dicere : Agite pœnitentiam* . Quæ divina lege præcipiuntur, ad virtutem proprie dictam pertinent. At nihil fere in Scripturis sanctis præcipitur frequentius quam de perpetratis flagitiis pœnitentia. Ergo hæc vera virtus est. Præterea dolor de peccatis eo modo & fine conceptus, ut extrema devitet, nequit non esse virtutis actus, ut inquit S. Thomas *III. Part. quæst.* lxxxv. *art.* 1. Nam qui lætantur, cum male fecerint, peccant; sicuti qui ita dolent, ut in desperationis laqueum se coniiciant, ut Cain, & Iudas, scelus perpetrant. Ergo dolor, ad leges æquitatis, & christianæ moderationis mensuram conceptus, officium virtutis est. Nonnulla quæ obiici solent, prætereo, utpote nullius momenti.

VII. Hæc pœnitentia virtus non generalis, sed peculiaris est, & revocatur ad iustitiam commutantem, non tamquam pars subiectiva illius, sed ut potentialis. Nam

Nam pœnitentia dolet de malo commisso, quatenus est offensa Dei, cuius læsum ius reparare conatur. Hæc autem alterius violati iuris compensatio ad iustitiam commutantem attinet. Verum quia compensatio hæc non est ad æqualitatem; ideo pœnitentia non est pars subiectiva, sed potentialis tantum iustitiæ commutantis.

VIII. Quæst. IV. *Utrum pœnitentia sit virtus infusa?* Resp. Virtutes aliæ sunt acquisitæ humanis actibus, ut iustitia, fortitudo, temperantia &c. aliæ infusæ, quas Deus gratuito infundit, ut sunt virtutes theologicæ, fides, spes, caritas. Ad quæsitum respondeo, dogma fidei esse, virtutem pœnitentiæ per se infusam esse. Hæc veritas apette revelata in Scripturis est. *Ierem.* XXXI. dicitur: *Converte me, & convertar: quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam.* Ezechiel sic Deum loquentem inducit. *Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri . . . . & dabo vobis cor carneum . . . . & faciam ut in præceptis meis ambuletis.* Heinc Concilium Tridentinum *sess.* VI. *can.* 8. hanc veritatem definivit. *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur; anathema sit.* Illa enim virtus infusa dicitur, inquit S. Thomas *III. Part. quæst.* lxxxv. *art.* 5. quam Deus in nobis, sine nobis, non tamen sine nobis dispositive coopetantibus, in primis producit. Eiusmodi est habitus pœnitentiæ, ut ex Scripturarum testimoniis constat.

IX. Quæst. V. *Utrum quovis tempore lapsis in culpam mortalem fuerit necessaria virtus pœnitentiæ?* Resp. Necessitas duplex: medii, & præcepti. Necessitas medii duobus intelligi modis potest. Aliud est medium intrinsecum, necessariam natura sua cum fine connexionem habens, ut est gratia necessaria ad salutem. Aliud est medium necessarium institutione divina, ut est baptismus: potuisset enim Deus alio modo hominem ad salutem regenerare.

X. Pœnitentia est necessaria necessitate medii, & præcepti divini, ut ex divinis Scripturis patet. *Matth.* IV. inquit: *Cœpit Iesus prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cælorum.* Item Lucas *Act.* III. *Pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Iterum Lucas in Evang *cap.* XIII. inquit: *Si pœnitentiam non egeritis, omnes simul peribitis.*

XI. Adducta testimonia, & alia plurima, quæ brevitatis studio omitto, necessitatem tum medii, tum præcepti evincunt. Nam illud dicitur necessarium necessitate medii sine quo obtineri finis nequit. Porro æterna salus, quæ est hominis finis, ita a pœnitentia pendet, ut sine ea haberi non possit. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes simul peribitis.* Hanc veritatem definivit Concilium Tridentinum *sess.* XIV. *cap.* I. his verbis. *Fuit quidem pœnitentia universis hominibus qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam & iustitiam assequendam ne-*

necessaria, illis etiam qui baptismi sacramento ablui petivissent, ut perversitate abiecta, & emendata, tantam Dei offensionem cum peccati odio, & pio animi dolore detestarentur. Pœnitentia igitur ante omnem legem scriptam fuit peccatoribus necessaria ad salutem, atque adeo necessaria necessitate medii, & quidem intrinseci, cum sit natura sua cum fine coniunctum. Quamobrem Tertullianus *Lib. de pœnit. cap.* II. ait: *Deus post tot ac tanta delicta humanæ temeritatis a principe generis humani auspicata, post condemnatum hominem, post eiectum paradiso, mortique subiectum, cum rursus ad suam misericordiam maturavisset, iam inde in semetipso pœnitentiam dedicasset* &c. Ratio huiusce necessitatis medii intrinseci evidens est. Nam remitti peccata nullo modo possunt, nisi Deus in suam amicitiam reconciliet peccatorem. Repugnat autem quod Deus recipiat in suam amicitiam peccatorem impœnitentem. Quoniam tunc amaret hominem, quem a se aversum, & in peccato obstinatum cognosceret, & consequenter peccatum ipsum amaret; quod horrendum, & impossibile est.

XII. Quæst. VI. *Quot gradibus ad pœnitentiæ virtutem perveniatur?* Resp. Sex veluti gradus a Theologis distinguuntur. 1. Dei nos convertentis operatio, 2. motus fidei, 3. motus timoris servilis, 4. motus spei, 5. motus caritatis, 6. motus timoris filialis. Hanc doctrinam tradit S. Thomas III. Part. quæst. lxxxv. artic. 5. *Dicendum, quod de pœnitentia loqui possumus dupliciter. Uno modo quantum ad habitum; & sic immediate a Deo infunditur sine nobis principaliter operantibus, non tamen sine nobis dispositive cooperantibus per aliquos actus. Alio modo possumus loqui de pœnitentia quantum ad actus quibus Deo operanti in pœnitentia cooperamur. Quorum actuum primum principium est Dei operatio convertentis cor, secundum illud Thren. ult.* Converte nos Domine ad te, & convertemur. *Secundus actus est motus fidei. Tertius est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum a peccatis retrahitur. Quartus actus est motus spei, quo quis sub spe veniæ consequendæ assumit propositum emendandi. Quintus actus est motus caritatis, quo alicui peccatum displicet secundum seipsum, & non iam propter supplicia. Sextus actus est motus timoris filialis, quo propter reverentiam Dei aliquis emendam Deo voluntarius offert.*

Sic igitur patet quod actus pœnitentiæ a timore servili procedit, sicut a primo motu affectus ad hoc ordinato; a timore autem filiali, sicut ab immediato, & proximo principio.

XIII. Hanc ipsam doctrinam confirmat Tridentinum Concilium *sess.* VI. *cap.* VI. his verbis. *Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati divina gratia & adiuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitus revelata, & promissa sunt: atque illud in primis, a Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu; & dum*

dum peccatores se esse intelligentes, a divinae iustitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tamquam omnis iustitiae fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, ac detestationem, hoc est per eam poenitentiam quam ante baptismum agi oportet: denique dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam, & servare divina mandata. Si haec ad baptismum rite suscipiendum in adultis requiruntur, necessaria quoque sunt ut peccatores sacramentum poenitentiae sancte suscipiant.

XIV. Divinam operationem primum omnium necessariam esse certum est, cum Christus ipse *Ioan.* xv. testetur: *Sine me nihil potestis facere:* & rursus cap. vi. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Et Concilium Tridentinum *sess.* vi. *can.* iii. haec definit. *Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut poenitere posse sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur; anathema sit.* Secundo succedit fidei motus, quem necessarium ad virtutem poenitentiae esse Scriptura ipsa testatur. *Sine fide* (inquit Paulus Hebr. xi.) *impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit.* Fides enim omnium virtutum fundamentum est, religionis principium, corrigendi cordis initium, & prima iustificationis radix.

XV. Sequitur timoris servilis motus, quo peccator suppliciorum terrore concussus a peccato recedere incipit, ut *Eccles.* i. habetur. *Timor Domini expellit peccatum. Qui sine timore est, non poterit iustificari.* Quare Christus Dominus *Matth.* x. ad hunc timorem sic excitat: *Timete eum qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.* Quartus gradus est motus spei, quae ex divinae misericordiae intuitu concipitur, quaque erecti confidimus, Deum propter Christi merita nobis propitium fore. Quintus gradus est motus caritatis, vi cuius peccata nobis displicent, ut sunt Dei summe boni offensa, & non tantum propter suppliciorum metum, ut clarius infra. Quare scite Tridentinum subdit: *Sicque Deum tamquam omnis iustitiae fontem diligere incipiunt.* Et S. Thomas *loc. cit. ad* i. perspicue loquitur. *Nam peccatum prius incipit homini displicere, maxime peccatori, propter supplicia, quae respicit timor servilis, quam propter Dei offensam, vel peccati turpitudinem, quod pertinet ad caritatem.* Sextus tandem gradus est motus timoris filialis, quo poenitens Deum tamquam patrem optimum revereri incipit, satisfactionem offensae illatae offert, & peccatum in seipso punire constituit. Hoc filiali timore perculsus celebris filius prodigus dixit: *Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccavi in caelum, & coram*

ram te : iam non sum dignus vocari filius tuus : fac me sicut unum de mercenariis tuis. Luc. xv.

XVI. Motus isti quos ex Tridentino, & S. Thoma descripsi, non sunt omnes ita absolute necessarii, ut omnes explicite & formaliter requirantur. Sed posito gratiæ prævenientis motu, qui semper est formaliter necessarius, ceteri in unico formali actu comprehendi valent. Potest enim unico instanti peccator converti; ut patet in conversione S. Pauli Apostoli. Ideo autem Tridentinum, & S. Thomas post alios Patres eiusmodi actus in œconomia pœnitentiæ enumerarunt, quia iuxta consuetum divinæ providentiæ cursum hoc ordine concurrunt ad iustificationem. Motus isti veri meriti rationem ad iustificationem obtinendam non habent, prout præcedunt iustificationem: nam gratia ipsa iustificans est principium meriti. Porro motus isti, qui iustificationis gratiam præcedunt, sunt dispositiones veluti materiales, quæ nobis consentientibus, & per Dei gratiam operantibus, in animam introducuntur, & iisdem ad iustificationis gratiam per merita Christi IESU obtinendam præparamur. Quæ doctrina traditur a Synodo Tridentina *sess.* VI. *cap.* VIII. his verbis. *Cum vero Apostolus dicit, iustificari hominem per fidem, & gratis; ea verba in eo sensu intelligenda sunt quem perpetuus Ecclesiæ catholicæ consensus tenuit, & expressit, ut scilicet per fidem ideo iustificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis iustificationis; sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum eius consortium pervenire: gratis autem iustificari ideo dicimur, quia nihil eorum quæ iustificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur: si enim gratia est, iam non ex operibus: alioquin, ut idem Apostolus inquit, gratia iam non est gratia*. Pauca hæc delibavi de pœnitentiæ natura, & œconomia; sed plura infra dicturus sum.

XVII. Quæst. VII. *Quinam sint pœnitentiæ effectus?* Resp. Primus effectus pœnitentiæ internæ est remissio omnium peccatorum quantum ad culpam, quidquid in oppositum fabulentur novatores Lutherani, & Calviniani, quorum errorem damnavit Concilium Tridentinum. Innumera sunt Scripturarum testimonia, ut *Ezech.* XVIII. *Ionæ* III. *Isaiæ* Iv. *Sap.* x. *II. Reg.* XII. quibus Deus veris pœnitentibus omnium peccatorum remissionem promittit. Secundus effectus est remissio pœnæ eternæ. Homo enim per pœnitentiam fit ex iniusto iustus, & ex inimico amicus, ut fit heres secundum spem vitæ æternæ, quemadmodum inquit Tridentinum *sess.* VI. *cap.* VII. ergo reus æternæ damnationis remanere nequit. Pœna tamen temporalis non semper tota remittitur; sed hæc per opera pœnalia, vel per indulgentias in hac, vel per purgatorii pœnas in altera vita expiatur, ut suo loco explicabitur. Hanc veritatem definit Tridentinum *sess.* VI. *cap.* XVI. *can.* XXX. his verbis. *Si quis post acceptam iustificationis gratiam cuilibet pec-*

CAPUT III.

De existentia sacramenti pœnitentiæ a Christo Domino instituti.

I. PRincipio, quid sit sacramentum pœnitentiæ, explicandum est. Definiri autem sic solet : *Est sacramentum a Christo Domino institutum, quo per iuridicam Sacerdotis absolutionem homini contrito, & confesso remittuntur peccata post baptismum commissa.* Primæ particulæ rationem genericam produnt, cum omnia sacramenta sint a Christo Domino instituta. Per sequentes particulas, *Quo per iuridicam Sacerdotis absolutionem remittuntur peccata*, exprimitur modus iuridicus ministerii, seu vera potestas in Sacerdote remittendi peccata, & non declarandi tantum ea esse remissa. Additur, *Peccata post baptismum commissa* : quia hoc sacramentum baptizatis solummodo dispensatur qui post baptismum peccant. Tandem ultimæ particulæ, *Homini contrito, & confesso*, significant duas partes veluti materiales huius sacramenti ex parte pœnitentis, nempe confessionem, & contritionem, a perfecta, & imperfecta abstrahentem, quæ odium peccati includit, propositum melioris vitæ, & satisfactionis Deo exhibendæ. Hæc omnia fusius infra explicabuntur. Consuetæ methodo nostro inhærentes paucis perstringemus hæreticorum errores, & postea dogmata Ecclesiæ catholicæ breviter, sobrieque declarabimus.

§. I.

Recensentur hæreticorum errores adversus sacramentum pœnitentiæ.

II. COntendunt plures recentiores, quos inter *P. Le Drain* de re sacramentaria *Tom. II. quæst.* 11. & Gaspar Iuvenin, ante decimum sextum sæculum Christianorum neminem extitisse qui sacramentum pœnitentiæ negaverit. Inficiantur, ex albo sacramentorum sive a Montanistis, sive a Novatianis expunctam fuisse pœnitentiam. Contra sentiunt alii cum Bellarmino *Lib. I. cap.* 1x. Sed dissidium istud levis momenti est, & facile componitur. Tam Montanistæ, quam Novatiani aliorum hæreticorum more, cum viderent nimiam adversus se concitari invidiam ob suos evulgatos errores, eosdem aut mutarunt, aut tempe-

rarunt. S. Ambrosius *Lib. I. de pœnit. cap.* II. narrat, Novatianos *Stoicorum quodam more omnia peccata paribus æstimasse mensuris, & æque eum qui gallum, ut aiunt, gallinaceum, atque illum qui patrem suffocaverit, perpetuo cælestibus abdicandos mysteriis*. Ab hac criminum æqualitate, quam nimis odiosam experti fuere Montanistæ, & Novatiani, recesserunt, ut testatur S. Ambrosius *loc. cit. cap.* III. ubi scribit: *Sed aiunt se, exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus*. At subdit huius distinctionis initio non meminisse Novatianum. *Non hoc quidem auctor vestri erroris Novatianus, qui nemini dandam pœnitentiam putavit*. Hæc hæreticorum varietas in caussa fuit cur in contrarias abierint opiniones laudati Theologi. VValdenses quoque, Viclefistas, & Hussitas sacramentum pœnitentiæ negasse aliqui contendunt; sed opposita sententia communis est. In hoc tantum errarunt isti, quod vellent Sacerdotes improbos absolvendi potestate carere.

III. Novatores Lutherani, & Calviniani, qui ex omnium fere antiquorum hæreticorum sentina fæces collegerunt, ex sacramentorum numero pœnitentiam expunxerunt. Lutherus varius fuit. *Lib. de captiv. Babyl.* circa initium scribit: *Principio neganda mihi sunt septem sacramenta, & tantum tria pro tempore ponenda, baptisma, pœnitentia, panis*. Verum sub eiusdem libri finem sibi minime constans hanc suam sententiam retractavit. *Si rigide*, inquit, *loqui velimus, tantum duo sunt in Ecclesia sacramenta, nempe baptismus, & panis . . . Hoc pœnitentiæ sacramentum, quod ego his duobus accensui, signo visibili, & divinitus instituto caret, & aliud non esse dixi quam viam, ac reditum ad baptismum*. A Lutheri doctrina recedere videtur Lutheranorum disciplina. Nam, ut narrat Clar. Bossuetus *Lib. III. hist. var.* Lutheranorum ministri excipiunt peccatorum confessiones, & pœnitentes sic interrogant: *Numquid credis remissionem quam tibi do, esse remissionem Dei? Respondet pœnitens, Ita. Tum minister: Et ego ex Christi mandato remitto tibi peccata tua, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Zuinglius *Lib. de ver. & fal. relig. cap. de sacram.* perfricte negat sacramentorum numero accensendam pœnitentiam esse. Calvinus *Lib. IV. Institut. cap.* XIX. *§.* 15. consueta sua vesania debacchatur in Catholicos, quod pœnitentiam sacramenti loco habeant. *Romanenses*, inquit, *& Scholastici, quibus solemne est omnia perperam interpretando corrumpere, anxie in reperendo hic sacramento desudant: nec mirum videri debet: nodum enim in scirpo quærunt*. Post *§.* 16. plenius evomit bilem suam hæc eructans. *Ac, ut istas belluas in sua arena conficiam, si ullum hic sacramentum quæratur, nonne longe speciosius iactari poterat absolutionem Sacerdotis sacramentum esse quam pœnitentiam vel interiorem, vel exteriorem?* Tandem *§.* 17. sacramentum pœnitentiæ cum sacramento baptismi confundit. *Aptissime itaque dixeris, si baptismum vocaveris pœnitentiæ sacramentum . . . quod*

ne

ne commentum esse nostrum putes . . . apparet . . . Ioannem prædicasse baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Protestantes, qui apologiam confessionis Augustanæ amplectuntur, pœnitentiam ut sacramentum suscipiunt, cum in eadem expresse asseratur: *Vere igitur sunt sacramenta, baptismus, cœna Domini, absolutio, quæ est sacramentum pœnitentiæ*. Melanchthon, quemadmodum Lutherus, varius fuit; constanter tamen negat absolutionem, Sacerdotis esse actum iudicialem, sed nudum esse ministerium contendit declarandi peccata esse remissa confitenti. Marcus Antonius de Dominis *Lib. V. de Rep. Eccl. cap.* XII. docet sola peccata publica externa clavibus Ecclesiæ esse subiecta, secus peccata interna occulta: quæ sola, inquit, interiori pœnitentia sanantur.

§. II.

Pœnitentia est verum novæ legis sacramentum a Christo institutum, quo iudiciaria Sacerdotis potestate peccata remittuntur.

I. Luculenta sunt Scripturarum oracula, quibus a Christo Domino pœnitentiæ sacramentum institutum evincitur. Nam *Matth.* XVI. hæc habentur. *Tibi dabo claves regni cælorum: & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Nec est quod reponas, hæc Petro dicta fuisse; cum subdat ibidem Evangelista: *Amen dico vobis: quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Luculentius Evangelista Ioannes *cap.* XX. hanc exprimit potestatem. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.*

II. Heinc evidenter elicitur, pœnitentiam verum & proprie dictum sacramentum esse. Nam ad sacramentum requiritur quod sit a Deo institutum, quod symbolo externo, & sensibili gratiam sanctificantem significet, producatque. Hæc omnia in citatis testimoniis habentur. Ritus externus est, & sensibilis: *Quorum remiseritis* &c. Quomodo enim pœnitens se aut absolutum, aut ligatum intelliget, nisi exteriori & sensibili iudicis decreto id percipiat? Quod ritus iste a Christo imperatus sit, perspicue ostendunt evangelica verba: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis* &c. Non minus manifestum est huic ritui annexam esse gratiæ efficientiam. *Quorum remiseritis, remittuntur*. Si remittuntur peccata, ergo gratia infunditur, quæ peccatorum maculas delet. Hæc duo, peccata condonari, & redire cum Deo in gratiam, ita con-

coniuncta intime sunt, ut consistere unum sine altero nequeat. Quam doctrinam Concilium Tridentinum *sess.* XIV. *cap.* I. his verbis proponit. *Dominus autem sacramentum pœnitentiæ tunc præcipue instituit, cum a mortuis excitatus, insufflavit in discipulos suos, dicens:* Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt. *Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi, & retinendi peccata ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos, Apostolis, & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit.*

III. Tam evidens est Patrum, quos citat Tridentinum Concilium, traditio, ut Calvinus ipse *Lib. IV. Instit. cap.* XV. fateri cogatur. *Equidem scio aliud COMMUNITER receptum esse, pœnitentiæ, & clavium beneficio nos obtinere post baptismum remissionem, quæ prima regeneratione per solum baptismum nobis datur.* Communiter sane receptum est, fuitque semper tum in occidentali, tum in orientali Ecclesia, pœnitentiæ sacramento peccata post baptismum commissa remitti. Et hoc evidentissime demonstrarunt innumeri Theologi catholici, adductis utriusque Ecclesiæ splendidissimis documentis. Pauca ego transcribam.

IV. Tertullianus, antequam Montanista evaderet, *Lib. de pœnit. cap.* VIII. hæc scribit. *Pervicacissimus hostis numquam malitiæ suæ otium facit, tunc maxime sævit, cum hominem plene sentit liberatum .... Igitur cum scias adversus gehennam, post prima illa intinctionis dominicæ monimenta, esse adhuc in exomologesi secunda subsidia; cur salutem tuam deseris? cur cessas aggredi quod scias mederi tibi?*

V. S. Cyprianus ad S. Cornelium P. M. epis. LIV. *Statueramus iam pridem .... ut qui in persecutionis infestatione supplantati ab adversario, lapsi fuissent, & sacrificiis se illicitis maculassent, agerent diu pœnitentiam plenam: & si periculum infirmitatis urgeret, pacem sub ictu mortis acciperent, quando permiserit ipse qui legem dedit, ut ligata in terris, etiam in cælis ligata essent, solvi autem possent illic, quæ prius in Ecclesia solverentur.*

VI. S. Pacianus Barcinonensis Episcopus *epis.* I. Sympronianum Novatianum hoc pacto redarguit. *Solus hoc, inquies, Deus poterit: verum est; sed & quod per Sacerdotes suos facit, ipsius potestas est. Nam quid aliud est quod Apostolus dicit: Quæ ligaveritis in terris, ligata erunt & in cælis? Cur hoc, si ligare hominibus, ac solvere non licebat? An tantum hoc solis Apostolis licet? Ergo & baptizare solis licet, & Spiritum sanctum dare solis, & solis gentium peccata purgare: quia totum hoc non aliis quam Apostolis imperatum est.... Si ergo lavacri, & chrismatis potestas maiorum longe charismatum ad Episcopos inde descendit; & ligandi quoque ius adfuit atque solvendi: quod etsi nos id ob nostra peccata temerarie vindicamus; Deus tamen illud, ut Apostolorum cathedram tenentibus, non negabit.*

VII. S. Ioannes Chrysostomus *Lib. III. de Sacerdotio* fuso calamo dogma catholicum

licum confirmat; sed brevitatis studio hæc pauca verba transcribo. *Non solum Sacerdotes, cum regenerant, sed etiam postea condonandorum peccatorum obtinent potestatem.*

VIII. S. Ambrosius *Lib. I. de pœnit. cap.* II. *&* VIII. plura de sacramento pœnitentiæ docet. *Cur baptizatis*, inquit, *si per hominem peccata remitti non licet? In baptismo enim utique remissio peccatorum omnium est: nec interest utrum per pœnitentiam, an per lavacrum hoc ius datum sibi Sacerdotes vindicent: unum in utroque ministerium est. Sed dices, quia in lavacro operatur mysteriorum gratia. Quid in pœnitentia? Nonne Dei nomen operatur?*

IX. S. Hieronymus *Lib. I. contra Pelagianos* ait, *duobus maxime sacramentis nobis sanguinem Christi applicari, in baptismate scilicet, & in pœnitentia, quæ imitatur baptismi gratiam.*

X. S. Augustinus *Lib. I. de adulter. coniug. cap.* XVI. inquit: *Si a catechumeno factum est homicidium, baptismate abluitur; si a baptizato, pœnitentia, & reconciliatione sanatur.*

XI. Quæ opponere hæretici solent, ex recensitis Patrum testimoniis omnia corruunt. Garriunt, laudata Evangelistarum oracula intelligenda esse, non de iudiciaria potestate, sed de Evangelii prædicatione. Quæ commentatio ineptissima est, & obvio Scripturæ sensui adversa, & ab omnibus Patribus reiecta. Insistunt. Lucas nullibi in Actibus Apostolorum pœnitentiæ meminit. Quamvis hoc verum esset, quid inde? Numquid omnia Apostolorum gesta Lucas descripsit? Numquid argumentum negativum infringere positiva, & apertissima testimonia valet? Apostoli toti fuerunt in baptismate administrando, quia convertendæ tum gentes erant; & Christianorum illius temporis innocentia raro egebat secunda post naufragium tabula. Præterea *Act.* VIII. Petrus ad pœnitentiam invitat Simonem Magum. *Pœnitentiam age ab hac nequitia, & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc nequitia cordis tui.* Quæ verba ad potestatem clavium pertinere inde colligitur, quod Simon Magus iam baptizatus erat. Plura alia obtrudere novatores solent eiusdem furfuris. Utique Patrum sanctorum aliqui evangelicos textus præter sensum litteralem extendunt etiam ad correctionem fraternam, ad prædicationem Evangelii; sed in primis de clavium potestate eadem interpretati sunt, illorum nemine repugnante.

CAPUT IV.

Nonnullæ quæstiunculæ resolvuntur.

I. QUæst. I. *Quandonam sacramentum pœnitentiæ institutum fuit?* Resp. Cum Christus Dominus excitatus a mortuis insufflavit in discipulos suos dicens: *Accipite Spiritum sanctum* &c. instituit præcipue hoc sacramentum. Tum enim contulit illis iudiciariam potestatem, ut declarat Concilium Tridentinum *sess.* XIV. *cap.* I. Addit sacra Synodus, *præcipue* post resurrectionem institutum pœnitentiæ sacramentum: quia ante passionem illud Christus promisit, & prædicavit; potestatem tamen illis non contulit nisi post resurrectionem.

II. Quæst. II. *Sacramentum pœnitentiæ est ne omnibus post baptismum lapsis ad salutem obtinendam necessarium?* Resp. Sententiam adfirmantem definivit Tridentinum Concilium *sess.* XIV. *cap.* II. his verbis. *Est autem hoc sacramentum pœnitentiæ lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus.* Quandoquidem, si Sacerdotes iudices in Ecclesia sunt (ut illos esse probatum est) a Domino constituti, consequitur criminum reos permanere peccatores, si ad ipsos Sacerdotes, cum possint, non accedunt, ut absolvantur. Quamobrem pœnitentia a Patribus *secunda post naufragium tabula* nuncupatur. Quemadmodum enim cum navis confringitur, servandæ vitæ perfugium in tabula, si occurrit, arripienda reponitur ad evadendum naufragium; sic violata iustitia baptismali, ad declinandam æternam damnationem, unica salutis spes in pœnitentia reposita est. Porro sicut medicina ægrotis, non sanis necessaria est; ita non iusti & innocentes, sed lapsi opus pœnitentia habent. Est vero necessarium lapsis post baptismum pœnitentiæ sacramentum necessitate medii, & præcepti.

III. Quæst. III. *Cur pœnitentiam in sacramentorum numerum Christus retulit?* Resp. Duplex a Catechismo Concilii Tridentini assignatur ratio. Prima est, ut firmior nobis esset obtinendæ veniæ spes. Anxii quippe, & perplexi nimium essemus de nostra interna pœnitentia, nostroque iudicio: idcirco clementissimus Dominus, ut huic nostræ anxiæ sollicitudini præsidium afferret, pœnitentiæ sacramentum instituit, quo per Sacerdotis sensibilem veluti sententiam dimissa nobis esse peccata intelligeremus. Quid enim aliud est Sacerdotis absolutio quam eiusdem Christi Domini vox nobis, quemadmodum paralytico, annuntians: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*? Matth. IX. Et hæc infinita Dei clementia non modo erigere fiduciam nostram, sed alacriores animosioresque ad pœnitentiam ferventius peragendam efficere debet, cum illam agere deberemus, ut S. Augustinus *hom.* I. *inter* L. docet. *Sed fac incertum esse, utrum ignoscat Deus. Quid perdidit, cum supplicat*

cat Deo, cum salutem perdere non dubitavit, cum offenderet Deum? Quis enim certus est quod etiam Imperator ignoscat? Et tamen pecunia funditur, maria transmeantur, procellarum incerta subeuntur: & pene, ut mors evitetur, mors ipsa suscipitur. Supplicatur deinde per homines homini: sine dubitatione fiunt ista, cum sit dubium quo fine proveniant. Et tamen certiores sunt claves Ecclesiæ quam corda regum: quibus clavibus quodcumque in terra solvitur, etiam in cælo solutum promittitur: & multo est honestior humilitas, qua se quisque humiliat Ecclesiæ Dei; & labor non imponitur, & nullo temporalis mortis periculo mors æterna vitatur. Altera ratio est, quia salus nostra nonnisi per Christi passionem & merita haberi potest. Idcirco congruum fuit, hoc pœnitentiæ sacramentum institui, cuius vi Christi merita nobis applicarentur ad peccata post baptismum perpetrata remittenda; totumque reconciliationis nostræ beneficium ab uno Servatore nostro proficisci intelligeremus.

IV. Quæst. IV. *Sacramentum pœnitentiæ diversum ne est a sacramento baptismi?* Resp. Sententia adfirmativa dogma fidei est, quod Concilium Tridentinum *sess.* XIV. *cap.* II. definivit adversus novatores, præsertim Calvinistas. *Hoc sacramentum,* inquit, *multis a baptismo differre cognoscitur: nam præterquamquod materia, & forma, quibus sacramenti essentia perficitur, longissime dissident: constat certe baptismi ministrum iudicem esse non oportere, cum Ecclesia in neminem iudicium exerceat qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus.* Et hanc veritatem confirmavit sacra Synodus *can.* 2. atque Patres omnes, Cyprianus, Athanasius, Pacianus, Chrysostomus, & Augustinus, quorum testimonia, alioquin obvia, prætereo.

V. Opponit Calvinus cum ceteris novatoribus. S. Marcus *cap.* I. narrat Ioannem prædicasse dumtaxat *baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Præterea peccatorum remissionem baptismum consequentem, tribuendam esse ipsi baptismo, Apostolus ad *Ephes.* V. docet. *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam.* Quibus verbis soli baptismo peccatorum remissio tribuitur. Et hoc confirmat S. Augustinus *Lib. I. de nupt. & concupisc. cap.* XXXIII. ubi relatis Apostoli verbis hæc ait. *Sic accipiendum est quod ait Apostolus, ut eodem lavacro regenerationis, & verbo sanctificationis omnia prorsus mala hominum regeneratorum mundentur, atque sanentur; non solum peccata, quæ omnia nunc remittuntur in baptismo, sed etiam quæ posterius humana ignorantia, vel infirmitate contrahuntur; non ut baptisma, quoties peccatur, toties repetatur; sed quia ipso, quod semel datur, fit ut non solum antea, verum etiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur.* Hæc sunt quæ Calvinus exaggerat *Lib. XIV. Inst. cap.* XIX.

VI.

VI. Resp. Recensita Calvini sophismata nullius sunt momenti. S. Ioannes appellat baptismum *pœnitentiæ*, quem ipse prædicabat, quia *vi propria* Spiritum sanctum non conferebat: idcirco Præcursor Domini hortabatur Iudæos ad se confluentes, ut Agno Dei, tollenti peccata mundi, viam pararent. Baptismo adscribitur omnis innovatio & anterior, & subsequens, quia per ipsum Ecclesiam ingredimur, Christi membra evadimus, ex oleastro decerpti inserimur plantæ vitæ, a qua profluunt remedia, quibus sequentia peccata deleantur; sicuti generationi, & nativitati tribuuntur incrementa, robur, & morborum sanitas, & cetera bona quæ inde consequuntur. Valet itaque baptismus ad sequentem peccatorum remissionem, quia ab ipso principium spiritualis regenerationis & vitæ accipimus: quo baptismo sublato, cetera non prodessent sacramenta; illo vero, ut fundamento posito, sequentia sacramenta suos pariunt effectus. Et hæc est S. Augustini doctrina. *Quid enim* (subdit ille continuo post verba a Calvino obiecta) *prodesset vel ante baptismum pœnitentia, nisi baptismus sequeretur, vel postea, nisi præcederet?* Plura alia adducere sancti Patris testimonia possem, quæ prætermitto.

VII. Quæst. V. *Iterari ne sacramentum pœnitentiæ potest?* Resp. Adfirmans sententia est omnium Catholicorum, definita in Concilio Tridentino *sess.* XIV. *can.* I., & a verbis evangelicis supra relatis hausta. Christus enim Dominus potestatem remittendorum criminum impertiit Apostolis, eorùmque successoribus nulla adiecta restrictione. Et *Luc. cap.* XVII. dicitur: *Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum: & si pœnitentiam egerit, dimitte illi: & si septies in die peccaverit in te, & septies in die conversus fuerit ad te, dicens, Pœnitet me, dimitte illi.*

VIII. Accedit omnium Patrum consensus. S. Ioannes Chrysostomus in *parænesi* I. ad Theodorum Monachum lapsum. *Talis est erga homines pietas Dei. Numquam spernit pœnitentiam, si ei fincere, & simpliciter offeratur. Etiamsi ad summum quis perveniat malorum, & inde tamen velit reverti ad virtutis viam, suscipit libenter & amplectitur, & facit omnia, quatenus ad priorem revocet statum.*

IX. S. Augustinus *ser.* CCLI. *cap.* V. inquit: *Si iam de sanitate desperans, addis peccata peccatis, sicut scriptum est*: Peccator cum venerit in profundum malorum, contemnit: *noli contemnere, noli desperare: clama etiam de profundo ad Dominum, & dic ei:* De profundis clamavi ad te Domine . . . *De tali profundo Ninivitæ clamaverunt, & hanc propitiationem invenerunt: faciliusque est evacuata comminatio Prophetæ, quam humiliatio pœnitentiæ. Hic fortasse dicis: Sed ego iam baptizatus sum in Christo, a quo omnia mihi peccata præterita dimissa sunt; vilis factus sum nimis, iterans vias meas, & canis horribilis oculis Dei conversus ad vomitum suum. Quo ibo a spiritu eius, & a facie eius quo fugiam? Quo, frater, nisi ad eius misericordiam pœnitendo cuius potestatem peccando contempseras? Nemo enim recte fugit ab illo nisi ad illum: ab eius severitate ad eius bonitatem . . . . Quidquid feceris,* quæ-

quæcumque peccaveris, adhuc in hac vita es, unde te Dominus omnino, si sanare nollet, auferret. Cur ergo ignoras, quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Qui enim clamando non tibi persuasit, ut non recederes, parcendo clamat, ut redeas. Aliqui Patres, qui iterari pœnitentiam posse negant, pœnitentiam publicam & solemnem intelligunt, secus privatam. Sed de hoc plura infra.

CAPUT V.

Materia remota sacramenti pœnitentiæ sunt peccata detestanda post baptismum commissa.

I. SAcramentum pœnitentiæ, sicut cetera omnia novæ legis sacramenta, diversis partibus constat, quæ materiæ, & formæ vocabulis appellantur. Materia sacramenti pœnitentiæ duplex, remota una, proxima altera. De illa nunc, de hac infra. Materia remota sunt peccata sive mortalia, sive venialia post baptismum commissa. Peccatum originale, vel actualia ante baptismum commissa, non sunt materia huius sacramenti; cum pœnitentia sit secunda post naufragium tabula. Nec Ecclesia iurisdictionem exercet in eos qui baptismo tincti non sunt.

II. Plura hic disputare Theologi solent de peccato fictionis in susceptione baptismatis, & de peccatis positive, & negative dubiis. Qui ficte exterius baptizatur sine animo recipiendi baptismum, nullo modo baptismum suscipit, ut communis sententia docet. Si quis vero reipsa & serio suscipiat sacramentum, & characterem baptismi, sed absque necessaria dispositione, sublato obice, reviviscit baptismus. De peccatis sive negative, sive positive dubiis infra, ubi de integritate confessionis sermo erit, disputabo, & laxas plurium Probabilistarum opiniones refellam.

III. Quæst. unic. *Utrum sit aliquod scelus adeo enorme, ut sit irremissibile?* Resp. Catholici omnes docent adversus Montanistas, & Novatianos, nullum reperiri peccatum, quantumvis gravissimum, ut idololatria, blasphemia, homicidium, quod pœnitentia expiari, & ab Ecclesia remitti non possit. Plurima occurrunt Scripturarum testimonia quæ perspicue evincunt, omnia peccata expiari pœnitentia posse. Verum hæc oracula nihil evincunt contra Novatianos, qui non negabant, Deum quodcumque scelus condonare posse homini pœnitenti; sed inficiabantur Ecclesiam potestate præditam esse remittendi graviora scelera. Quamobrem SS. Patres, ut hanc profligarent hæresim, opponebant Montanistis, & Novatianis verba quibus Christus declaravit potestatem Ecclesiæ collatam. *Quæcumque solveritis* &c. *Quorum remiseritis* &c. nulla adiecta limitatione. Quare S. Am-

Ambrosius *Lib. I. de pœnit. cap.* 11. sic urget Novatianos. *In eo igitur Patrem vestrum propria damnatis sententia, qui distinctionem peccatorum facitis, quæ solvenda a vobis putatis, & quæ sine remedio arbitramini. Sed Deus distinctionem non facit; qui misericordiam suam promisit omnibus, & relaxandi licentiam Sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit.* Damnabant Patres Novatianum, qui Stoicorum more paria omnia peccata effutiebat. Mitto Cypriani, Paciani, aliorumque Patrum testimonia.

IV. Ecclesia catholica vix ortam Novatianam hæresim damnavit. Eam Concilium Romanum coactum a S. Cornelio an. 251. declaravit *immanissimam, & a fraterna caritate alienam.* Et, missis aliis Conciliis, Synodus Tridentina *sess.* XIV. *cap.* 1. inquit: *Novatianos remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia catholica tamquam hæreticos explosit atque condemnavit.*

V. Plura opponebant Novatiani Scripturarum testimonia, quorum potissima hæc sunt. Matth. XII. *Omne peccatum, & blasphemia remittetur hominibus; spiritus autem blasphemiæ non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Rursus S. Paulus ad Hebr. cap. VI. *Impossibile est enim eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt; rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes.* Hanc eamdem doctrinam inculcat Apostolus ibidem cap. X. *Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis iam non relinquitur pro peccatis hostia.*

VI. Primum Matthæi testimonium directe cum hæresi Novatiana pugnat. Dicitur enim omnem blasphemiam, & omne peccatum remitti, quod Novatiani perstricte inficiantur. Blasphemia autem in Spiritum sanctum, quæ numquam remittitur, est, ut exponit S. Augustinus (*ser.* 11. de verbis Evangel. in Matth.) *peccatum impœnitentiæ contra donum Dei, & gratiam regenerationis, vel reconciliationis quæ fit in Ecclesia in Spiritu sancto.* Heinc peccatum hæreticorum, & schismaticorum, qui sunt extra Ecclesiam, & qui obstinate redire ad Ecclesiam recusant, irremissibile est, non absolute spectatum, sed adiunctum obstinationi, & obfirmatæ pertinaciæ hæreticorum, qui extra arcam perseverare volunt. Extra arcam autem Ecclesiæ peccatorum remissio, & salus haberi nequit. Neque hæc Augustini doctrina discrepat a doctrina aliorum Patrum, Hieronymi, Paciani, Ambrosii, asserentium blasphemiam in Spiritum sanctum illam esse quæ manifestæ veritati resistit, & Christi miracula dæmoni tribuit. Nam huc quoque Augustini doctrina pertinet. Qui a Christo se separant, & Ecclesiæ unitatem scindunt, manifestæ veritati oculos claudunt, & pertinaciter extra Ecclesiam degunt. Isti bla-

blaſphemant in Spiritum ſanctum, nihilque illis pœnitentia extra Eccleſiam prodeſt. Et ſic neque blaſphemia in Filium, neque in Patrem, neque in Spiritum ſanctum remittitur, ut ibidem ſubdit S. Auguſtinus. *Si quemquam extra Eccleſiam ſuorum pœniteat peccatorum, & huius tanti peccati, quo alienus eſt ab Eccleſia Dei; cor impœnitens habeat; quid ei prodeſt illa pœnitentia, cum iſto ſolo verbum dicat contra Spiritum ſanctum, quo extraneus eſt ab Eccleſia, quæ accipit hoc donum, ut in in Spiritu ſancto fiat remiſſio peccatorum?* Neque vel ipſorum hæreticorum, & ſchiſmaticorum peccatum irremiſſibile eſt, ſi redire intra Eccleſiæ arcam velint. Sed irremiſſibilis dicitur illorum pervicacia, qua Spiritui ſancto reſiſtunt, & in eumdem blaſphemant, dum extra Eccleſiam ſalutem obtinere præſumunt.

VII. Ad teſtimonium, quod ex Apoſtolo Paulo opponitur, reſpondent multi; impoſſibile eo loci idem ſignificare ac difficile; ſicuti cum dicitur Matth. XIX. *Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire quam divitem intrare in regnum cælorum.* Alii reſpondent, Apoſtolum ibi negare baptiſmi, non pœnitentiæ repetitionem. Et hic ſenſus litteralis, & obvius videtur. Impoſſibile enim eſt ſemel baptizatos rurſus renovari ad illam regenerationis ſpiritualis gratiam quam per baptiſmum aſſecuti fuerunt. Sicut enim homo ſemel corporaliter naſcitur, ita ſemel ſpiritualiter regeneratur. Gratiam quippe & iuſtitiam baptiſmalem dotes comitantur, quæ abſunt a pœnitentia, quæ poſt baptiſmum peragitur. Per illam non culpa modo, verum etiam pœna temporalis tota remittitur; ſecus per hanc. Peccatum poſt baptiſmum patratum novam inducit perturbationem, & concupiſcentiam perſonalem, quæ per pœnitentiam non deletur; ſed plures malignæ reliquiæ ſuperſunt in anima, etiam poſt ablatam per pœnitentiam maculam culpæ. Impoſſibile ergo eſt lapſos poſt baptiſmum rurſus recuperare gratiam, & iuſtitiam baptiſmalem; at impoſſibile non eſt eos obtinere per pœnitentiam gratiam reconciliationis & remiſſionis perpetrati delicti. Ne multa: iuſtitia baptiſmalis excellens, & præſtantiſsima eſt; iuſtitia vero quæ per pœnitentiam habetur, longe inferior eſt. Apoſtolus vero ſcribens Romæ ad Hebræos baptizatos, & quaſi vacillantes in chriſtiana religione, quod non viderent adhuc impletas Chriſti promiſsiones omnes, ut eos in fide Chriſti roboraret, ſplendidiſſimum illud Dei donum in baptiſmate acceptum ob oculos illis refert, iiſdemque dicit, impoſsibilem illius recuperationem eſſe, ſi ſemel repellatur. Idcirco ad conſtantem perſeverantiam, & perſecutorum victoriam eoſdem hortatur, animatque. In hac epiſtola pœnitentiæ ſacramenti non meminit, quia circumſtantiæ non ſerebant.

VIII. Heinc patet reſponſio ad aliud teſtimonium Apoſtoli in eadem *Epiſ. cap.* X. ubi dicitur: *Voluntarie peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis iam non*

relinquitur pro peccatis hostia. Hæc Pauli verba confirmant ea quæ hactenus dicta sunt. Post acceptam Christi fidem in baptismate, & iustitiam, quæ in sola Christi religione infunditur, non relinquitur *hostia*; idest, non superest altera baptismatis innovatio, & regeneratio. Huc tota tendit epistola Apostoli Romæ scribentis, & confirmantis fratres suos Ierosolymis degentes. Rescribam S. Ioannis Chrysostomi interpretationem in hunc locum *hom.* xx. ubi inquit: *Hic rursus nos adoriuntur qui tollunt pœnitentiam, & quicumque cunctantur venire ad baptismum. Hi quidem dicunt, non esse eis tutum venire ad baptismum, siquidem non est secunda remissio; illi vero dicunt, non esse tutum eos qui peccaverunt, insigniri mysteriis, siquidem non est secunda remissio. Quid ergo dicemus utrisque? Quod hic non tollit pœnitentiam, neque eam quæ per pœnitentiam fit placationem; neque expellit, aut deiicit per desperationem eum qui lapsus est. Non est utique adeo inimicus nostræ salutis; sed secundum aufert lavacrum. Non enim dixit: Non est amplius hostia; hoc est, non est amplius crux secunda. Hoc enim vocat hostia*. Hostiam enim Christus se in cruce obtulit æterno Patri. Nonnulla alia prætereo, quia de his infra sermo redibit.

CAPUT VI.

De prima pœnitentiæ parte, nempe de CONTRITIONE, quæ est materia proxima huius sacramenti.

I. MAteria proxima sacramenti pœnitentiæ sunt tres pœnitentis actus, nempe *contritio, confessio, & satisfactio*, ut definivit Concilium Tridentinum *sess.* XIV. *cap.* III. his verbis. *Sunt autem quasi materia huius sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio, & satisfactio. Qui, quatenus in pœnitente ad integritatem sacramenti, & ad plenam, & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, pœnitentiæ partes dicuntur*. Hoc idem prius definitum fuerat ab Eugenio IV. in *decr. pro instr. Arm.* In præsentiarum solam primam partem, contritionem videlicet, exponendam suscipio.

II. Quæst. I. *Quid sit contritio generatim sumpta?* Resp. Contritio universe spectata, prout a perfecta & imperfecta abstrahit, a verbo *contero* suum recipit nomen. Contero idem sonat ac divido, scindo, confringo aliquid in minutissimas partes. Sic contritio cor humanum peccato induratum, & tumidum contra Deum deprimit, subiicit legi Dei, & eo quo divina gratia vocat, inflectit, ut habetur Ioelis II. *Scindite corda vestra*. Concilium Tridentinum *sess.* XIV. *cap.* IV. sic eam definit. *Contritio animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non pec-*

peccandi de cetero. Appellatur contritio *animi dolor*, seu displicentia & tristitia animi ex Dei offensa orta. Contritio itaque intra animum tota consistit. Quare licet effusus exterius dolor, lacrymae, & gemitus, quae interiorem animi affectum consequuntur, bona sint, & laudabilia; tamen ad veram contritionem necessario non requiruntur. Dicitur *detestatio*, quia poenitentia non modo est nova vita, seu resipiscentia, ut contendunt Lutherani, sed etiam anteactae vitae odium. Additur *de peccato commisso*. Haec particula indefinita, cum sit in materia necessaria, aequivalet universali, quae ad omnia peccata mortalia, quibus Deus offensus est, extenditur, ut habetur Ezechiel. XVIII. *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis quae operatus est, & custodierit omnia praecepta mea, & fecerit iudicium, & iustitiam; vita vivet, & non morietur.*

III. Dicitur *cum proposito non peccandi de cetero*. Quoniam ad veram poenitentiam non modo requiritur praeteritas culpas, ut delendas, respicere; verum etiam praecavere futuras. Quare S. Gregorius Magnus *homil.* XXXIV. *in Evang.* inquit: *Poenitentia est mala praeterita plangere, & plangenda iterum non committere*. Haec duo ita coniuncta sunt, ut unum consistere sine altero nequeat. Propositum istud expressum, & formale communiter esse debet, & non tantum virtuale, & implicitum. Concilium *loc. cit.* adiicit: cum voto praestandi omnia quae requiruntur ad sacramentum poenitentiae rite percipiendum, nempe confitendi, & satisfaciendi. Votum istud necessarium est, cum & confessio, & satisfactio iure divino necessaria sint, ut infra clarius patebit.

IV. Obiectum ergo, seu materia contritionis sunt peccata praeterita ipsius poenitentis. Quamquam enim omnia peccata etiam aliena, & ipsum originale propter eorum foeditatem displicere debeant, de illis tamen contritio stricte dicta non est.

V. Quaest. II. *Quaenam sunt contritionis proprietates?* Resp. Praecipuae quae assignantur, sunt istae: *libera*, *bona*, *supernaturalis*, *vera*, *sincera*, *magna*, *vehemens*. Lutherus contritionem coactam esse, & in terroribus conscientiae positam, quibus anima necessario commovetur, effutiit. Heinc nec poenarum metum, nec ipsam contritionem ad gratiam praeparare, sed h omem hypocritam facere docuit. Quem errorem proscripsit Tridentinum Concilium *sess.* XIV. *can.* V. Prima itaque contritionis proprietas est, quod sit actus liber, & bonus. Praeterea supernaturalis esse debet, tum ratione divini auxilii, sine quo nemo, ut oportet, conteri potest, ut Catholici omnes semper docuerunt contra Pelagianos; tum ratione motivi, a quo speciem capit. Si enim contritio ipsa supernaturalis est, eiusdem quoque motivum supernaturale sit necessum est. Contritio enim naturalis, ob aliquod naturale malum concepta, inepta est ad peccatoris conversionem, Talis fuit contritio & Antiochi deflentis peccatum ob gravissimum quo

cru-

cruciabatur morbum; & Esau, qui amissam lugebat temporalem hereditatem: Plura concurrunt ad contritionis partum edendum. Nam præter divinum auxilium, & fidem, timor pœnæ æternæ, & amittendæ beatitudinis, peccati turpitudo, quatenus est offensa Dei, & tandem amor saltem inchoatus & initialis divinæ bonitatis influunt in contritionem. Diligenter tamen distinguendum est motivum contritionis ab occasione, qua quis excitatur ad pœnitentiam. Mortis temporalis timor, & urbis subversio, quam Ionas Ninivitis imminere annuntiavit, eos ad pœnitentiam peragendam impulerunt. Illorum pœnitentia non fuit concepta ex motivo temporalis damni; alioquin sufficiens minime fuisset ad divinam vindictam placandam; sed id occasio tantum fuit, qua excitati, ex supernaturali motivo veram pœnitentiam peregerunt.

VI. Vera, & sincera esse contritio debet, quæ non in solo verborum strepitu, non in fictis lacrymis, non in lectione alicuius formulæ in libello descriptæ consistit; sed in intima voluntate ab omni peccati affectu aliena. Quo facilius sibi blandiuntur peccatores veram se habere contritionem, eo difficilius deprehendi, vera ne, an falsa sit, potest. Quoniam, inquit S. Gregorius Magnus *cap.* IX. Regulæ pastoralis, *fit aliquando ut aliud in imis intentio supprimat, aliud tractantis animo superficies cogitationis ostendat. Nam sæpe sibi de se mens ipsa mentitur, & fingit se de bono opere amarè quod non amat, de mundi autem gloria non amare quod amat*. Contritio ista dignosci a nobis non potest; cum donum Dei, & intimus animi actus sit. Ex peccati fuga, & bonorum operum exercitio colligere illam possumus. *A fructibus eorum cognoscetis eos*, inquit Matth. VII. Et Præcursor Domini clamabat Matth. III. *Facite fructus dignos pœnitentiæ*.

VII. Quæst. III. *Quam magna & vehemens debeat esse contritio?* Resp. Contritio debet esse summa appretiative: quia Deum cunctis creaturis anteponit, & à divino amore suam ducit originem, eoque veluti fundamento nititur. Porro Deum super omnia diligere iubemur; atque adeo summo de eius offensa dolore contristemur oportet. Quemadmodum enim Deus inter omnia diligenda summum est bonum; sic peccatum inter omnia detestanda est summum malum: & sicut *modus* (inquit S. Bernardus Lib. de diligendo Deo) *Deum diligendi est diligere sine modo*; ita modus detestandi peccatum, est detestari sine modo. Hinc contritio non solum est summa *appretiative*, sed dici etiam potest summa *intensive*, dum summo voluntatis ardore in odium peccati, & amorem Dei fertur; & *extensive*, dum ad omnia & singula peccata extenditur, nulla adiecta temporis limitatione. Appretiatio spectat obiectum, quod omnibus rebus anteponitur. Intensio respicit subiectum, seu gradum, & fervorem contritionis: extensio peccatorum multitudinem, diversitatem, & temporis perpetuitatem. Hæc omnia multis Scripturarum testimoniis demonstrantur. Deuter. IV. *Cum quæsieris Dominum*

num Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quaesieris, & tota tribulatione animae tuae. Item Ioel. cap. II. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu: & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Item Mich. IV. *Dole, & satage filia Sion quasi parturiens.* Rursus Isaias cap. LIX. *Rugiemus quasi ursi, omnes, & quasi columbae meditantes gememus.* Tandem Matth. XXII. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.* Quae oracula amorem appretiativum, Deum ceteris omnibus praeferentem, & doloris acerbitatem ad similitudinem mulieris parientis, leonisque rugientis significant; ut ex alio *Matth.* X. textu colligitur: *Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus: & qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus.* Adeo firma, fortis, & constans contritio ista Dei amore formata esse debet, ut nihil ab eadem nos dimovere valeat, inquit S. Paulus Rom. cap. VIII. *Quis nos separabit a caritate Christi? An tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque instantia, neque futura . . . neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quae est in Christo Iesu Domino nostro.* Et tamen P. Francolinus Rigorismi arguit Gennetum, quod ad veram poenitentiam postulet propositum constans, & non vacillans.

VIII. Contritionis dolor summus esse debet in corde, quin necesse sit ut foras erumpat, & lacrymas emittat; quemadmodum supra indicavimus. Interdum enim lacrymae ab oculis nostris ubertim effluunt, & acerbo sensuum dolore afficimur, quin internus animi dolor summus sit. Et contra saepe animi dolor maximus, & vehemens est; & tamen nec unam exprimere lacrymam ab oculis valemus. Indoles, variae sensuum affectiones, temperamenti corporis humani diversitas, & plura alia fontes lacrymarum aperiunt. Ab hac ergo exteriori, & lugubri sensuum moestitia haud pendet supernaturalis contritio, quae siccis oculis summa, quemadmodum inter lacrymarum torrentes ficta, esse valet. Nihilominus *lacrymae* (inquit Catechismus Concil. Trid.) *summopere optandae, & commendandae sunt. Praeclara est enim ea de re S. Augustini sententia: Non sunt in te christianae caritatis viscera, si luges corpus, a quo recessit anima, animam vero, a qua recessit Deus, non luges: atque huc spectant illa Salvatoris verba:* Vae tibi Corozain, vae tibi Bethsaida: quia si in Tyro, & Sidone factae essent virtutes quae factae sunt in vobis, olim in cinere & cilicio poenitentiam egissent: *tametsi ad eam rem comprobandam satis esse debent clarissima Ninivitarum, Davidis, Peccatricis, Apostolorum Principis exempla, qui omnes plurimis lacrymis Dei misericordiam implorantes, peccatorum veniam impetrarunt.*

IX. Hinc colliges, sive amorem, sive dolorem appretiativum vix sine aliqua in-

intensione esse : & quo maior ad bona creata, & mundi illecebras propensio & affectus, eo intensiori conatu seiungenda, & convertenda in summum bonum voluntas est. Siquidem, ut S. Cyprianus *de lapsis* inquit, *quam magna delinquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens, & longa medicina non desit. Pœnitentia crimine minor non sit.* Nullus tamen designari gradus intensionis valet certus & determinatus, qui ad essentiam contritionis, vel amoris Dei necessarius dicatur. S. Thomas *Suppl. quæst.* III. *art.* I. explicat his verbis dolorem contritionis. *Dolor in contritione excedit omnes alios dolores : quia quantum aliquid placet, tantum contrarium eius displicet; finis autem ultimus super omnia placet, cum omnia propter ipsum desiderentur : & ideo peccatum, quod a fine ultimo avertit, super omnia displicere debet.*

CAPUT VII.

De præcepto naturali, & divino contritionis. Obligat ne mandatum istud ut statim ac homo peccavit, pœniteat?

I. NEcessariam esse contritionem iure naturali, divino, & ecclesiastico, fatentur omnes. *De iure naturali* (inquit S. Thomas III. Part. quæst. LXXXIV. art. 7. ad I.) *est quod aliquis pœniteat de malis quæ fecit, quantum ad hoc quod doleat se fecisse, & doloris remedium quærat per aliquem modum, & quod etiam aliqua doloris signa ostendat.* Necessitatem contritionis ex divino iure plura Scripturarum testimonia evincunt. Ezech. XVIII. *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris :* & Luc. XIII. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Hinc Concilium Tridentinum *sess.* XIV. *cap.* IV. declarat, *quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum contritionis motum fuisse necessarium.* Adeo luculenta est veritas ista, ut S. Augustinus *Lib. de duabus animabus cap.* XIV. scripserit, *posse quidem aliquem dicere, se non peccare; at nullam esse barbariem quæ dicere audeat, non esse pœnitendum, si peccaverit.* Necessaria quoque est contritio iure ecclesiastico, cum semel in anno facienda sit confessio, quæ sine contritione valida esse nequit. Nulla ergo est apud Theologos disputatio de contritionis necessitate; at non leve est penes illos dissidium circa tempus quo hoc præceptum urgeat. Quod mihi probabilius videtur, mox dicam.

II. Quæst. unic. *Præceptum contritionis obligat ne statim ac homo peccavit?* Resp. Distinguunt obligationem per se, & per accidens. Priori modo, inquit *Turnelius* cum aliis permultis, obligat præceptum contritionis in articulo mortis,

tis, quia quisque tenetur consulere saluti suæ, quam sine pœnitentia obtinere nemo potest. Posteriori modo, inquiunt, obligat, cum urget præceptum percipiendæ Eucharistiæ, aut confirmationis. Hoc pacto ratiocinabantur plures de præcepto amoris Dei, antequam Innocentius XI. damnaret has tres propositiones. 5. *An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei semel tantum in vitam eliceret, condemnare non audemus.* 6. *Probabile est ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum caritatis erga Deum.* 7. *Tum solum obligat, quando tenemur iustificari, & non habemus aliam viam qua iustificari possimus.* An damnata in his propositionibus sit doctrina rescripta ex Turnely *de sacr. pœnit. quæst.* III. *quæsit.* 6. videlicet præceptum contritionis *per se* obligare dumtaxat in articulo mortis, per accidens vero cum tenemur iustificari, alii decidant. Mihi sane, salvo meliori iudicio, necessaria consecutione, immo potiori iure, per se contritionis præceptum non tantum in articulo mortis, aut singulis quinquenniis, sed frequentius urgere videtur, quemadmodum præceptum amoris. Immo si præceptum caritatis absolute & per se, non tantum aut mortis tempore, aut singulis quinquenniis, sed frequentius ad amandum Deum obstringit Christianum, abstrahendo a peccato in illum perpetrato; strictiore sane iure obstringere contritionis mandatum videtur Christianum peccatorem. Exempti ne sunt peccatores a caritatis præcepto? Nemo dixerit. Porro impleri caritatis præceptum a peccatore nequit sine contritione de perpetrato peccato. Ergo sicuti proscripta est doctrina restringens præceptum caritatis ad mortis articulum, aut ad quinquennium; ita proscripta videtur doctrina limitans ad præfata tempora contritionis mandatum

III. Alii Theologi docent præceptum hoc obligare saltem singulis diebus festis, quibus audiendum est Missæ sacrificium: alii quoties peccatum commissum memoriæ occurrit: alii statim post peccatum patratum. In hac opinionum varietate illud mihi certum videtur, sententiam illorum qui ad duos casus, nempe ad mortis articulum, & ad receptionem, aut administrationem sacramentorum, limitant contritionis mandatum, falsam esse, &, nisi mea me fallat opinio, vi iusti ratiocinii proscriptam, non secus ac doctrinam de caritate in rescriptis propositionibus contentam.

IV. Utrum vero obliget præceptum istud continuo ac homo peccavit, difficillimum est determinare. Quæstionem hanc fuse discussi *Tom. I. in Decalog. Lib.* I. *dissert.* IV. *cap.* X. §. 2. Iudicium ibidem meum suspendi, & in hunc locum absolute pronuntiandum remisi. Dixi ibidem, argumenta sententiæ asserentis peccatorem, statim ac peccavit, obstringi ad actum contritionis, mihi apparere evidentissima, & ineluctabilia. Cur ergo, inquiet aliquis, iudicium tuum suppressum voluisti? Quia non ad omnia quæ imbecillitati meæ evi-

dentia apparent, amplectenda alios urgere lubet. Verum haec per transennam.

V. Tempus nunc est id patefaciendi quod ipse sentio de hac gravissima quaestione. Dico itaque, praefatam sententiam, asserentem peccatorem debere statim, modo ibi explicato, a peccato recedere, & se se in Deum convertere, mihi videri probabiliorem, tum ob auctoritatem & Scripturarum, & tot Sanctorum Doctorum qui illam propugnant, tum ob rationum momenta, quae mihi videntur efficacissima. Secus fortassis apparebunt aliis. Tu serio illa expendito *loc. cit.* ne ego actum agam, eadem huc transcribendo.

VI. Pauca in praesens obiter adiicio, seu clarius expono. Dixi ibi *τὸ statim* moraliter, non physice accipiendum esse. Addo hic dari materiae seu temporis parvitatem in hoc negotio christianae conversionis, sicut in ceteris praeceptis. In hac itaque latitudine spectandae sunt circumstantiae peccatoris, ita ut diu non differatur conversio. Sic explicata, seu temperata sententia a nemine negari deberet. Nam communiter graviores Theologi docent, illum graviter peccare qui diu differt suam conversionem. Difficultas est, quid intelligatur per *τὸ diu*. Alii intelligunt mensem. Ego hebdomadam praeter propter intelligerem. Advertat tamen christianus lector, nos nihil certi definire posse circa hoc temporis intervallum. Ex Scripturis, ex Patribus, ex Conciliis scimus, peccatorem differentem suam conversionem peccare. Hoc certe scimus. Quantum vero temporis requiratur ad novum peccatum mortale patrandum, certo definire quis potest? Id solum dico, sententiam quam proposui, & circumscripsi, mihi videri probabiliorem. Quare semper prae oculis habendum est, quod peccatum suo pondere in aliud impellit, & perpetrata malitia ad aliam perpetrandam invitat; ut Scripturae divinae, Patres, experientia, & Concionatores omnes clamant. Admissa contraria recentiorum sententia, qua efficacitate Concionatores e suggestu revincere peccatores valent, ut non differant poenitentiam de die in diem, sed statim se se convertant, ut periculum damnationis declinent; si consilium hoc tantum sit, & non praeceptum? Quare sophisma est, &, ut mihi videtur, manifeste falsum, quod docent iuniores permulti; videlicet, communem fidelium sensum declarare hoc praeceptum non urgere statim ac peccatum commissum est, neque cum peccatum sive speculative, sive practice memoriae occurrit. Quoniam, inquiunt, fideles accusare se de hac circumstantia in confessione non assueverunt. Quot crimina peccatores, quot corruptelas, quot flagitiosas illecebras deglutiunt, quin ullum sibi scrupulum moveant? Communis fidelium sensus colligi debet ex Dei ministris, qui omnes uno ore contra poenitentiam de die in diem differentes vehementi zelo declamant, non tantum ut meliora suadeant, & tutiora; sed ut luculentissimis argumentis evincant, obstrictos peccatores esse ad non protrahendam

dam pœnitentiam, ut cæcitatis & obstinationis abyssum declinent. Patefaciunt, quam horrendum sit, & detestandum quod homunciones persistant in Dei aversione, & inimicitia, quod nolint cum diabolo pactum fœdus statim rescindere, sed contra fovere, & continuare, atque in inveterato peccandi habitu, & vitiorum cœno conquiescere, Dei vindictam provocare, & tandem damnationem sibi obstinate asciscere. Hic est omnium Concionatorum sensus communis. Quinam sensus præferendus? Concionatorum, an peccatorum, qui de hac dilatione non se accusant? Quid? Dicemus ne, omnes divini verbi ministros falli, & fallere populum fidelem, dum præfata e publico suggestu detonant zelo summo? Dicturi ne erunt Casuistæ, apostolicos viros *concionatorie*, *oratorie*, *declamatorie* loqui, secus *scholastice*, & *casuistice*? Alia ne est doctrina cathedræ apostolicæ a doctrina tribunalis pœnitentiæ? Peccatores non se accusant de hac dilationis circumstantia, quia cæci sunt, quia luci divinæ oculos claudunt: non se accusant ex incuria interdum, & negligentia aliquorum aut Parochorum, aut Confessariorum, qui, ut debent, pœnitentes non instruunt. Divini verbi ministri ex Scripturarum, & Patrum documentis suas efficiunt conciones, neglectis Casuistis. Contra Casuistæ non pauci, neglectis Scripturis & Patribus, plures opiniones resolvunt ex auctoritate aliorum Casuistarum. Non me latet, Theologos quoque graves, nedum Casuistas, contrariam propugnare opinionem. Quid inde? Pro nostra, quam defendimus, stant Scripturæ divinæ, stant Patres, stant Theologi sane præstantiores, ut Thomas, Bonaventura, Alensis, Antoninus, Paludanus, ceterique, quos allegavi *loc. cit.* Stat denique communis Concionatorum sensus.

VII. Paritas præcepti confessionis, quam urgere adversarii solent, nullius momenti est. Præceptum enim istud est merum affirmativum. Nam S. Thomas in *IV. dist.* XVII. *quæst.* III. *art.* I. *quæstiunc.* 4. & habetur in *Suppl. III. Part. quæst.* VI. *art.* 5. docet, præceptum confessionis natura sua esse affirmativum; & solum per accidens obligare præter tempus præscriptum. Notanda sunt quæ ibi initio corporis articuli habentur. *Respondeo dicendum, quod cum propositum confitendi sit annexum contritioni, tunc tenetur aliquis ad hoc propositum, quando ad contritionem tenetur, scilicet quando peccata memoriæ occurrunt*. Conferas velim hæc cum iis quæ ex 2. 2. *quæst.* LXII. adduxi *loc. cit.* & inde colliges, S. Doctorem aperte docere nostram sententiam, quam probabiliorem existimamus. Clarius rem explico. Peccator tenetur statim se Deo reconciliare vel contritione, vel sacramento pœnitentiæ, seu medio necessario ad suam iustificationem obtinendam. Quamvis igitur præceptum confessionis moras admittat; tamen ad pœnitentiam peccator tenetur statim morali in sensu, seu plus minusve, ut dictum est, ac peccatum perpetravit, seu memoriæ occurrit. Sat vero erit ut propositum seu

votum confessionis, quod elicere, dum conteritur, tenetur, opportuno tempore impleat. In hoc, similibusque controversiis indulgendum non est argutationibus metaphysicis, & a paritatibus repetitis; sed bono sensu utendum, & id agere debemus quod Scripturæ, & Patres docent. AEque periculis subiacet qui ad extremum multiplicandi peccata, ac qui ad aliud extremum dilabitur peccata tollendi. Quamobrem dixi, hanc sententiam post diligens, & diuturnum studium mihi videri probabiliorem. *Loc. cit. num.* 39. laudavi P. Contensonium *Lib. II. part.* III. *cap.* I. pro hac sententia; sed nunc adverto, ipsum propendere quidem in hanc sententiam, sed eam absolute definire non audere; quemadmodum nec ego eam absolute definio, sed aio longe mihi esse probabiliorem contraria. Adiicit ibidem Contensonius, „ periculosissimum esse pœnitentiam post lapsum „ protrahere, cum sententia adfirmans dari speciale de peccato confestim con„ tritione delendo præceptum, iis rationum ponderibus, iis muniatur auctorita„ tum momentis, iis præsertim S. Thomæ verbis satis apertis doceatur, quibus „ (ut mea opinio, vel imbecillitas fert) satisfacere nequeo: & si tuum iudi„ cium, lector cordate, ita adhibeas, ut alienum, nonnisi cognita caussa, sequa„ re, ultro fateberis, talia esse posterioris sententiæ argumenta, ut eis evidenter „ responderi posse plane diffidendum esse censueris. “ Et tamen argumenta omnia quibus hæc nostra nititur sententia, non indicat Contensonius; sed pauca, & quidem obiter perstringit. Consule itaque rationum momenta quæ *loc. cit.* fuso calamo expendi, & quod tibi visum fuerit verbo Dei, Sanctorumque doctrinæ magis consentaneum, amplectere. Hanc nostram sententiam, præter citatos, defendunt VVitasse de *contr. art.* 2. *assert.* 4. Bonus Merbesius de *pœnit. dissert.* IV. Oppones forte, hos esse Antiprobabilistas, & iuxta P. Francolinum Rigoristas. Audiamus ergo Probabilistas.

VIII. P. Ioannes Cardenas Probabilista, meo iudicio doctissimus, qui Probabilismum adeo coercuit, & restrinxit, ut in praxi communiter saniori doctrinæ adhæreat, Caramuelem strenue exagitat, & laxiores opiniones profligat. Probabilistarum legi neminem qui in tam arcta confinia Probabilismum revocaverit. Probabilismum Cardenas speculative defendit, anticipationibus, quæ nobis intimæ sunt, præventus; ceterum in praxi, Probabilismo reiecto, ut plurimum nobiscum sentit. Hæc dixi in iustam perdocti viri laudem, ut veritati litem, & ut a partium studio me immunem esse patefaciam. Porro *cap.* III. *art.* 2. hæc statuit. „ Secunda pars conclusionis suprapositæ est, hominem, STATIM ac labitur in „ peccatum letale, teneri ad ponendum medium suæ iustificationis vel per con„ tritionem caritate formatam, vel per sacramentum pœnitentiæ. Hanc conclu„ sionem propugnant quatuordecim Doctores citati *art.* I. “ Hanc conclusionem munit, & roborat P. Cardenas luculentissimis Scripturarum, & Patrum testimoniis.

niis. Verum, misso recentiorum Theologorum dissidio hoc, iuxta divinarum Scripturarum, Patrum, Concionatorum, atque adeo communem proborum fidelium sensum peccatores qui diu differunt propriam in Deum conversionem, peccant. Quantum autem temporis spatium requiratur ut dilatio sit mortalis, res adeo certa non est. Ille, si differat per integram hebdomadam, peccabit mortaliter; iste ob varias circumstantias, vel inadvertentiam, vel ignorantiam non peccabit mortaliter. Illud certum maneat, præceptum pœnitentiæ, seu conversionis in Deum esse gravissimum, quod diuturna dilatione violatur: & hoc inculcare Concionatores debent, missis Probabilistarum plurium commentis.

CAPUT VIII.

Quæstiunculæ nonnullæ resolutæ. Desierit ne in lege evangelica contritionis ex amore caritatis conceptæ præceptum. Laxæ opiniones Sporer, Viva, De Lugo, *& aliorum refelluntur.*

I. INaudita paradoxa refellenda hoc in capite mihi sunt. Iure naturali & divino obstringere peccatores contritionis mandatum, dictum est, atque iuxta probabiliorem sententiam teneri homines non diu differre post peccatum conversionem in Deum. Nunc plurium Probabilistarum opiniones expendendæ sunt.

II. Quæst. I. *Obligat ne hoc præceptum per se in articulo mortis tantum?* Resp. P. Leander *tract.* v. *disp.* I. *quæst.* XXXVII. „ Affirmant, inquit, solum in articulo „ seu periculo mortis obligare, Vasquez, Caietanus, Hurtado, Diana, Villalo„ bos. Citat etiam Lugo pro hac sententia Navarrum, Durandum, Sotum &c. „ Affirmat etiam Bonacina, qui pro se citat Suarez, Filliucium, Molsesium „ &c. " Hactenus Leander. An citati Auctores revera hanc doceant laxam, &, ut ego quidem arbitror, proscriptam opinionem, alii videant. Ad Caietanum quod attinet, hæc in *Sum.* verb. *Contrit.* docet. *Tempus autem quo tenetur post commissum mortale quis conteri, quantum ad surgendum a morte peccati, & vitandum periculum repentinæ mortis ac damnationis, determinatum est ad STATIM, quia nec per momentum tutum est, licitumque stare in statu offensæ & iræ Dei.*

III. Illud certum est, plures benignioris Ethices patronos negare extra mortis articulum per se præceptum istud obligare. Quoniam argutantur hoc pacto. Rationes quæ probant non obligare hoc præceptum, continuo ac homo pecca-

vit, eædem evincunt quoque non obligare per se in quocumque tempore determinato. Verum hanc doctrinam proscriptam esse in tribus supra recensitis propositionibus damnatis ab Innocentio XI. iam dixi. Obligatur Christianus per se consulere propriæ saluti in articulo mortis, & non tenetur sibi consulere in vitæ decursu? Hæc ne benignissimi Probabilismi axiomata? Diversa ne est Theologia mortis a Theologia vitæ? Tempus istius determinationis certum assignari nequit. Verum habet. Quid inde? Ideo ne omni tempore, sublato mortis articulo, exemptus homo est ab huiusmodi obligatione? Immo, quia præceptum absolutum, & indefinitum est, legitime infertur eiusdem obligationem frequenter urgere.

IV. Urgeo fortius istius opinionis assertores. Ecclesia damnavit opiniones propugnantes præceptum caritatis non obligare per se extra articulum mortis, vel intra quinquennium. Ergo damnata quoque est opinio defendens præceptum contritionis non obligare per se extra articulum mortis. Probo consequentiam. Peccatores tenentur ne extra articulum mortis, & infra quinquennium implere præceptum caritatis? Ais? Ergo etiam præceptum contritionis: quia nequeunt Deum amare amore caritatis, nisi doleant de culpis patratis. Adeo hæc duo connexa sunt, ut damnatio unius necessario inferat damnationem alterius.

V. Quæst. II. *An sit nimium laxa sententia* P. Sporer, *asserentis non urgere præceptum contritionis in articulo mortis respectu peccatoris iustificati per attritionem cum sacramento?* Resp. P. Patritius Sporer *de sacram. Part. III. cap.* 11. *sec.* 11. *§.* 11. *num.* 174. hæc docet. „ Præceptum contritionis etiam in articulo mortis „ non obligat hominem peccatorem usu sacramenti cum attritione iustificatum; „ sed ipsa attritio cum sacramento baptismi, vel pœnitentiæ universaliter sem„ per est sufficiens dispositio ad iustificationem, adeoque etiam in ARTICULO „ MORTIS. Ita Henriquez, Vasquez, Canus, pluribusque allegatis Cardinalis „ de Lugo *hic disput.* VII. *sec.* 13. Dicastillus *hic disput.* VI. *num.* 19. Layman *cit.* „ *Lib. V. tract.* VI. *cap.* 11. *num.* 7. " Iudicet cordatus & christianus lector, sit nec ne nimium laxa doctrina hæc. Mihi videtur non modo laxa, sed laxissima, & æternæ Christianorum saluti perniciosissima: atque in recensitis damnatis thesibus continetur, ut mea minima præfert opinio. Vel ipse P. Sporer *num.* 175. oppositam sententiam vocat tutiorem, & in praxi sequendam, consulendam, & a Confessariis *practicandam*. Probabilistæ plures, postquam laxas opiniones docuerunt, & in lectorum animos insinuarunt, adiicere solent aliquod linimentum, & doctrinas veras, tamquam aliquid melius & tutius, consulunt.

VI. Quæst. III. *An præceptum contritionis ex caritate conceptæ DESIERIT in lege evangelica, supposito sacramentorum usu?* Resp. Affirmat P. Sporer *loc. cit. num.* 173. his verbis. „ Præceptum contritionis non obligat eos qui usu sacra-

„ men-

„ menti cum attritione iustificati sunt, aut iustificari volunt. Communissima „ apud citandos infra. Ratio est, quia Christus in nova lege *singulari privilegio* „ aliud quoque medium iustificationis instituit, scilicet sacramenta mortuorum, „ baptismi, & pœnitentiæ, ut proinde modo solius contritionis perfectæ NE- „ CESSITAS DESINAT: alioquin certe Christus instituens, ac præcipiens con- „ fessionem sacramentalem, medium per se satis *durum*, *& difficile*, si INSU- „ PER ETIAMNUM REQUIRERETUR CONTRITIO PERFECTA, & ipsa „ peccatori satis difficilis, non alleviasset, sed multum aggravasset onus legis, „ essemusque PEIORIS conditionis modo Christiani quam veteres olim, qui ad „ solam contritionem obligati per eam iustificabantur. " Incredibilia videntur paradoxa ista; & tamen illa typis edita leguntur a Confessariis animarum curatoribus, & a mollioris Ethices Doctoribus defenduntur. Sermo est de contritione concepta ex amore caritatis theologicæ etiam in infimo gradu. Quemlibet enim amorem etiam remissum caritatis theologicæ iustificare peccatores extra sacramentum, Auctores isti contendunt. Quis autem profundo horroris ictu se percussum non experitur, dum audit in lege evangelica, quæ lex amoris est, contritionis ex amore caritatis conceptæ necessitatem desiisse? Nec minorem incutit horrorem ratio quam pro sublata contritione assignant. Christus instituit sacramentalem confessionem, quæ remedium *durum*, inquiunt, & *difficile* est. Quid? *Si insuper requireretur contritio perfecta, Christus non alleviasset, sed multum aggravasset onus legis, essemusque peioris conditionis modo Christiani quam veteres olim, qui ad solam contritionem obligati per eam iustificabantur*. In lege veteri contritio perfectissima iustificabat impium absque voto sacramenti pœnitentiæ. In lege evangelica non iustificat absque hoc voto, ut Tridentinum docet. Ergo Christus Dominus aggravavit, non alleviavit iugum evangelicæ legis? Lacrymis hæc deflenda amarissimis potius quam acri stilo plectenda iudico. Contritionem caritate conceptam omni tempore fuisse necessariam Tridentinum Concilium declaravit; & naturali divinoque iure præscriptam Catholici omnes hactenus fassi sunt. Et hoc naturale divinumque mandatum Christus Dominus delevit, sustulit, abrogavit pro iis omnibus qui sacramentum pœnitentiæ frequentant? Hi omnes exempti a contritionis perfectæ præcepto sunt? Hoc mandatum naturale, & divinum illos dumtaxat paucos obstringit qui confiteri nequeunt? Hi soli conteri urgentur de peccatis ex amore divinæ bonitatis, & ex dolore offensæ eidem irrogatæ? Isti soli detestari peccata debent, propterea quod infinitam bonitatem læserint? Ceteri vero Christiani omnes, qui sacramentum pœnitentiæ frequentant, sat est ut ex solo suppliciorum timore, & amore beatitudinis obtinendæ peccata detestentur. Alioquin, si astricti essent ex amore divinæ bonitatis, & ex dolore offensæ eidem intentatæ peccata detestari, simulque iugo du-

duro, & aspero sacramentalis confessionis obnoxii, peioris conditionis, quam Iudæi, forent. Et hæc doctrina, inquit P. Sporer, est *COMMUNISSIMA apud citandos infra*. Citat vero *Henriquez*, *Vasquez*, *Canum*, *De Lugo*, *Dicastillum*, *Laymanum*. An revera isti omnes talem doctrinam doceant, penes P. Sporerium fides esto.

VII. Pergit P. Sporer scribere alia plura, quæ laxa & falsa sunt, ne plus dicam. Hanc enim thesim proponit defendendam loc. cit. §. 2. num. 175. „ *Quando obligat? Per se quidem satis probabiliter in articulo, vel periculo mortis tantum.* " Postea num. 177. „ *Præceptum contritionis per se tantum obligare in articulo mor-* „ *tis, & NUMQUAM ante, docent gravissimi Doctores, D. Thomas, Caietanus,* „ Sotus, Navarrus, Medina, Adrianus, & aliis congestis probabilem ipse Suarez, „ ac mordicus defendit Dicastillus ...... Cum hoc *præceptum pœnale sit, & onerosum*, non est extendendum, sed restringendum potius ad illa tantum tempora „ pro quibus eius obligatio certo nobis constat. At non constat nobis certo huius „ præcepti obligatio pro ullo tempore, præter quam in articulo mortis. Ergo &c. „ Vides probabilitatem huius sententiæ. " Quantum per summam iniuriam, & manifestam falsitatem impingat hoc laxitatis commentum scandali plenum S. Thomæ, ex iis quæ dicta sunt, patet. De Dominico Soto infra dicam. Plurima alia, quibus sanctorum Patrum doctrinam deludit variis distinctiunculis Auctor iste, nunc prætermitto. Subdit ibidem §. 4. longe probabilius esse, obligare etiam ante articulum mortis. Succensuri ne nobis erunt Probabilistæ, si dixerimus, vi Probabilismi vel ipsa prima, & potissima naturalia, & divina mandata Scripturarum, & Patrum testimonia deludi, & proscindi? Ut falsitatem doctrinæ quam hactenus ex P. Sporer, & aliorum Probabilistarum sententia rescripsi, evidentius percipias, præ oculis habeto hanc *prop.* 7. damnatam ab Innocentio XI. *Tunc solum obligat, quando tenemur iustificari, & non habemus aliam viam qua iustificari possumus*. Præceptum autem caritatis impleri sine contritione aut implicita, aut explicita nequit, ut iam dictum est. Ergo damnatio unius infert damnationem alterius.

VIII. Quæst. IV. *Quoties per se obligat præceptum contritionis ex caritate conceptæ?* Resp. P. Georgius Gobatus *tract.* VI. *num.* 139. „ Dico VI. *Probabile quidem* „ *est* nullum extare præceptum de contritione per se loquendo, elicienda ante ar- „ ticulum mortis; contraria tamen sententia (abstrahendo a perceptione sacra- „ menti) est verisimilior, & in praxi sequenda. Prima pars probatur auctorita- „ te, & rationibus, quas pro ea adferunt Suarez *disp.* XV. *sec.* VI. atque Dica- „ stillo *cit. disp. part.* III. *dub. ultimo*: qui Dicastillo *mordicus* defendit illam „ priorem partem, Suarezio habente eam solum *pro probabili*. " Probabilismus omnia pro tribunali definit. Præceptum contritionis, iure naturali atque divino im-

impositum, non obligat ante articulum mortis vi opinionis, & *quidem probabilis*, inquit Gobat. Sed nota, *abstrahendo a perceptione sacramenti*: quoniam si confiteàris, tum præceptum contritionis evanescit. Plures alias opiniones ab Ecclesia proscriptas de præceptis fidei, spei, caritatis, & contritionis, quas ut probabiles Casuistæ non pauci defendebant, mordicus contendentes eiusmodi divina præcepta, quæ sunt fundamenta, & anima religionis christianæ, non obligare extra articulum mortis, aut intra quinquennium, retuli *Tom. I. in Decal. Lib. I. diss.* IV. *cap.* IX. & quæ ibi de frequentandis caritatis actibus dicta sunt, proportione servata, de repetendis contritionis actibus dicenda esse collige; cum hæc duo ita connexa sint, ut caritas sine contritione saltem implicita reperiri non possit.

IX. Quæst. V. *Quoties obligat per accidens contritionis præceptum?* Resp. I. obligat, quoties sunt administranda sacramenta, vel recipienda. Tum enim aut contritio, aut confessio necessaria est. II. Quando urget gravis tentatio, quam sine contritione superare homo moraliter nequit. III. Urgente publica necessitate, dum prudenter timetur, Deum ob peccata privata flagella immittere. IV. In gravi periculo vitæ, in bello, in navigatione procellosa, tempore grassantis pestis, aut terræmotus.

X. Quæst. VI. *Quid dicendum de hac quæstione quam proponit* P. Dominicus Viva *quæst.* III. *art.* I. *num.* 8. *An peccator qui non potest aliquo anno ex defectu Confessarii confiteri, teneatur ad contritionem, antequam annus elabatur?* Resp. P. Dominicus Viva respondet his verbis. „ Affirmat Dominicus Soto .. quia præce„ ptum pœnitendi divinum, quod ex se indeterminatum est, iam ab Ecclesia „ est determinatum ad singulos annos .... *Qui non potest quantum debet*, *sol„ vat quantum potest*: & iuxta illam aliam: *Qui non potest totum*, *reddat par„ tem quam potest*.

„ Respondeo equidem cum Con. & aliis *communiter* NEGATIVE. Falsum est „ enim quod Ecclesia determinarit tempus illud indeterminatum pœnitendi in ge„ nere, ad quod obligamur ex divino præcepto: solum enim determinavit tem„ pus confitendi indeterminatum. Cum autem in tali casu sit impossibilis con„ fessio, non videtur peccator teneri ad contritionem. Et ratio ulterior est, quia „ cum conteri sit aliquod mere internum; non cadit sub præceptum Ecclesiæ, „ neque ratione sui & directe, ut patet, neque ratione alterius & indirecte, hoc „ est ratione sacramenti &c.

„ Ad regulas adductas: *Qui non potest totum &c.* respondeo eas valere, quan„ do totum, & partes sunt homogenea .... non vero quando sunt heteroge„ nea. "

XI. Heinc collige, quam evidenter fallat lectores suos P. Sporer, dum pro laxissima opinione supra *num.* VI. citavit Dominicum Soto, qui, teste ipso Viva,

op-

oppositum docet. Porro, missa intentione, quam piam suppono in Auctore fuisse, quæro, si quis vellet peccatoribus animos adiicere ad persistendum in malitia, qua alia via posset eos animare? Peccatores intra annum non tenentur conteri, & se convertere in Deum? Decipiunt ergo Concionatores fideles, eos urgentes ad celerem conversionem. Fallit eos Scriptura sancta, dum clamat: *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem:* Eccl. v. Iterum: *An divitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis iusti iudicii:* ad Rom. 11. Tenentur peccatores iustificari intra annum præcepto Ecclesiæ. Deficiente copia Confessarii, unica superest contritio: & ad hanc non tenentur? Quid significat hæc damnata propositio? *Tunc solum obligat, quando tenemur iustificari, & non habemus aliam viam qua iustificari possumus.*

XII. Damnabilior imbecillitati meæ, & salvo meliori iudicio, doctrina P. Viva, ac aliorum Probabilistarum videtur, quam contenta in damnata propositione. Damnata propositio ait, tunc solum urgere præceptum caritatis, quando tenemur iustificari. Tenemur iustificari singulis annis ex præcepto Ecclesiæ, ut fatetur P. Viva. Et tamen damnata est propositio, quia *solum* tunc obligare mandatum caritatis propositio afferebat. P. Viva fatetur peccatorem, de quo disputat, ex præcepto Ecclesiæ teneri ad iustificationem obtinendam intra annum: sed alia via non potest, nisi per caritatem, & contritionem, quia deficit Confessarius: & nihilominus neque tunc obligare divinum caritatis, & contritionis præceptum docet? Et hanc doctrinam cum *Conink communem* appellat? Reponet forsitan P. Viva, deficiente copia Confessarii, non urgere præceptum iustificationis, quia præceptum contritionis, & præceptum confessionis non sunt *homogenea*, sed sunt *heterogenea*. Per has latebras, fundamentalium evangelicæ legis mandatorum obligationem effugere pertentant? Si per integrum annum peccator perseverare in malitia sua potest, quin violet præcepta caritatis, & contritionis; eadem ratione poterit per biennium, per triennium, & per quinquennium. Et reipsa plures Probabilistæ hac argumentatione ducti sic docuerunt; sed damnata est eorum doctrina. Subdit ibidem P. Viva. „ Verum quidem est quod præceptum divinum „ contritionis obliget peccatores ad non differendum diu, & usque ad mortem „ pœnitentiam. Hinc tamen non fit quod impotens aliquo anno suscipere sacra„ mentum pœnitentiæ, teneatur saltem conteri. " Si ex præcepto Ecclesiæ, obligantis fideles ad pœnitentiæ sacramentum in annos singulos, aliquam accipere non possumus iuxta P. Viva, & alios Probabilistas normam stabilem determinandi saltem intra annum obligationem præceptorum divinorum caritatis, & contritionis; unde colligere poterimus regulam aliquam fixam prudentis & morali

ralis determinationis? Obligat præceptum ad non differendum *diu*, *& usque ad mortem*. Peccator qui differt per annum integrum, per biennium, non differt *diu*? Vanæ ergo sunt omnes conciones, & declamationes Scripturarum, & sanctorum Patrum contra lapsos procrastinantes pœnitentiam.

XIII. Sed audias velim quid respondeat P. Sporer *cit. Part. III. cap.* 11. *sec.* 2. *§.* 3. *num.* 178. *& seq.* „ Absterrent te gravissimæ SS. Patrum, & sacræ Scripturæ sententiæ, tam serio, & minaciter urgentes maturam pœnitentiam, & damnantes *feram dilationem pœnitentiæ usque ad mortem*." Adulterat Scripturarum sensum. Non modo usque ad mortem Scripturæ sanctæ, verum etiam de die in diem damnant conversionis dilationem. Sed audiamus responsum quod continuo ibidem subiicit. *At quidni commode intelligi possint aut de consilio sane optimo, ac saluberrimo; aut ad summum de præcepto, non debere nos nimis diu permanere in statu peccati mortalis*? Refutanda ne hæc sunt, & contemnenda, aut lugenda? Consilium ergo optimum, & saluberrimum continent tot Scripturarum, & SS. Patrum oracula, quæ dilationem pœnitentiæ execrantur? Sed iterum percontatur P. Sporer ibidem *num.* 179. „ Quis Confessariorum ex PP. Augustinianis, Dominicanis, Franciscanis, Societatis &c. frequentissimi in confessionali, ab integro „ vel medio anno, in uno vel pluribus peccatis mortalibus hærentem interrogat „ &c. .... O abyssum scrupulorum, & anxietatum! An absque certo fundamento „ adstruendum? Addit *Gobat*, quod Prælati Ecclesiæ culpabilissime deessent suo „ officio in re maximi, & summi momenti, si illa rigida sententia foret vera, „ quandoquidem non dant operam ut ea prædicetur suis diœcesanis."

XIV. An Apostolus Paulus, an SS. Patres non sunt Prælati Ecclesiæ? An oracula Scripturarum non sunt manifesta? At hæc omnia pro consilii, non necessitatis, & debiti loco habes. An Concionatores omnes non exaggerant necessitatem celeris conversionis? Scriptura clamat: *Ne differas de die in diem*. Probabilistæ non pauci e contrario aiunt, differri pœnitentiam posse non modo de die in diem, non modo de hebdomada in hebdomadam, non modo de mense in mensem, sed de anno in annum, quin aliquod novum committatur peccatum. Nam *Coninch*, *Lessius apud Gobat*, ipso Sporer teste, & alii docent, differri posse per tres aut quatuor annos. Tandem P. Sporer, postquam laxas propugnavit opiniones, *ibi §.* 4. *num.* 186. hæc scribit. *Ego cum Tannero condemnarem peccati novi impœnitentiæ, qui ultra hebdomadam voluntarie & negligenter differret contritionem*. At quia Probabilista, probat omnes alias laxas opiniones, quas prolixe, & perturbate antea defenderat. Idcirco semper inculcandum duco lectoribus meis, ut, neglectis eiusmodi libris, divinis Scripturis studeant: succenseant mihi, quantum velint, Probabilismi patroni. P. Sporer fusissime laxiores opiniones docet; postea sub finem disputationis immiscet cursim & obiter pauca quæ recensui ver-

verba, quibus ſana doctrina indicatur. Lectores aut feſſi longa lectione, illa oſcitantes prætereunt, aut ulcere laxitatis iam inquinati apti amplius non ſunt ad illa amplectenda; cum vi Probabiliſmi ſecuram reputent doctrinam laxam ab eodem Sporer probatam. Poſt laudata verba renovat iterum doctrinam laxam, inquiens, præceptum contritionis perfectæ non obligare eos qui per attritionem cum ſacramento ſuſcepto iuſtificati ſunt, *ſaltem extra articulum mortis:* quia ſaltem extra articulum mortis *deſiit* in lege evangelica reſpectu illorum qui confitentur, præceptum contritionis ex caritate conceptæ.

XV. Quæſt. VII. *Utrum ſit nimium laxa ſententia* De Lugo, *negantis præceptum contritionis in articulo mortis?* Reſp. De Lugo. de *pœnit. diſput.* VII. *ſec.* 13. *num.* 261. hæc ſcribit. „ *Utrum in articulo mortis ſufficiat habere attritio-* „ *nem cognitam?* Quintum dubium magis difficile eſt, an ille qui ſuſcipit ſacra- „ mentum pœnitentiæ cum attritione cognita, debeat adhuc ſub peccato mor- „ tali habere contritionem ſaltem in articulo mortis. Affirmant multi, Sua- „ rez ... Nugnus ... Sanchez ... Granado ... Valentia &c. ... Contrariam ta- „ men ſententiam docent alii multi, Coninch ... Becanus ... Layman ... Fa- „ gundez ... Faber ... Diana ... Turianus ... Salas, & alii recentiores. 263. „ *Hæc poſterior ſententia ſemper mihi verior viſa eſt.* “

XVI. Quæſt. VIII. *Utrum ſit nimium laxa opinio* de Lugo, *aſſerentis*, *opinionem probabilem in conſpectu alterius probabilis eſſe veram in univerſum*, *atque adeo in articulo mortis?* Reſp. Idem De Lugo *loc. cit. num.* 272. hæc docet. „ Dices. Ne- „ gari etiam non poteſt quod ſit probabilis ſententia contraria, quæ docet obli- „ gationem eſſe eliciendi contritionem propter illud periculum. Non poteſt ergo „ in re tanti momenti conformare ſe *practice* cum noſtra ſententia, licet ſit *pro-* „ *babilior*. Quia eſto in aliis materiis poſſumus ſequi ſententias probabiles, & ha- „ bere iudicium practicum iuxta illas ad licite operandum; id tamen locum non „ habet, quando id cederet in detrimentum ſalutis propriæ, vel aliorum. *Et* „ *ideo non poſſumus adhibere baptiſmum cum materia*, *aut forma probabiliori*, *reli-* „ *cta magis ſecura & certa*: quia exponeremus periculo ſalutem æternam, ſi „ forte illa ſententia eſſet falſa. Cum ergo probabilis ſit ſententia, quam modo „ impugnamus, & illa ſit magis ſecura, non poſſumus practice amplecti noſtram, „ licet, ſpeculative loquendo, ſit *probabilior*.

„ 273. Reſpondeo aliter loquendum eſſe de ſententia quæ negat attritionem „ cum ſacramento ſufficere; aliter de illa quæ obligationem ponit contritionis „ habendæ propter incertitudinem huius remedii. *Prior quidem probabilis non eſt* „ *poſt Tridentinum*, ut diximus, neque habet fundamenta, quæ ad probabilitatem „ ſufficiant; immo a multis gravioribus *cenſura notatur*. *Poſterior vero probabilis* „ *eſt* (N. B. non ergo certa) ſed eius probabilitas non impedit iudicium practi-

„ cum,

„ cum, quo aliquis possit in operando amplecti nostram sententiam. *Regula e-*
„ *nim illa, quod in operando liceat sequi sententiam probabilem*, *VERA EST IN*
„ *UNIVERSUM*, si sermo sit de ultimo iudicio circa licitum, vel illicitum hic &
„ nunc. Nec obstat illa regula quæ dicit, circa materiam & formam sacramenti
„ baptismi, & ordinis, saltem sacerdotii, non licere sequi sententiam probabilem.
„ Nam ibi non est sermo circa licitum, sed circa valorem, verbi gratia, mate-
„ riæ, vel formæ."

XVII. Hæc serio meditare, christiane lector, tuæ æternæ salutis flagrantissimus. Ad Probabilismi *speculativi*, & *practici* fallacissimam trutinam salus æterna Christianorum appenditur? In UNIVERSUM prævalet illa regula, quod liceat sequi opinionem probabilem? Excusatione aliqua dignus est De Lugo, quod ante propositionem damnatam a *Ven. Innocentio XI.* scripserit. Verum nullus nobis nunc de illius animo, menteque, quam piam, probamque supponimus, sermo. sed illius laxam improbamus doctrinam. Probabilismus ergo etiam in articulo mortis grassatur sub larva probabilitatis *practicæ*, & *speculativæ*? An ipsa propositio damnata non excipit *baptismum*, & *sacerdotium*? An attritio, sive formidolosa, sive amore initiali formata, non est materia huius sacramenti; qua deficiente nullum est sacramentum? An, si materia est dubia, non erit illicitus eiusdem usus? Quorsum ergo illa sophistica cavillatio circa licitum, & circa valorem? An Auctores damnatæ thesis non loquuntur de probabilitate practica, & de iudicio ultimo? Neque in articulo mortis præceptum illud naturale, divinumque urget? Desiit in lege evangelica respectu illorum qui confitentur, præceptum contritionis etiam in extrema lucta? Neque in hoc puncto tenentur Christiani conteri de patratis sceleribus ex dolore offensæ irrogatæ infinitæ Dei bonitati? Plura dicenda tuæ meditationi relinquo, lector cordate.

CAPUT IX.

De divisione contritionis in perfectam, & imperfectam, & utriusque natura.

I. CElebris est partitio contritionis in perfectam, & imperfectam. Perfecta est dolor summus de peccato patrato, ex amore Dei super omnia conceptus, seu caritate perfectus, cum proposito non peccandi de cetero, & voto suscipiendi sacramentum pœnitentiæ, ut colligitur ex Tridentino *sess. XIV. cap. IV.* ut indicatum est supra *cap. VI.* & nunc clarius explicandum est. Motivum unicum, unde contritio perfecta proficiscitur, est summa Dei bonitas offensa, seu ipse

ipse Deus infinite bonus peccato offensus, & super omnia dilectus. Heinc colliges, contritionem perfectam & incipere ab amore Dei, & includere semper caritatem; sicuti contra caritas includit contritionem. Quoniam sicut quælibet virtus, puta castitas, prosequitur bonum suum, & fugit ac detestatur malum oppositum; ita caritas, qua prosequimur infinitam Dei bonitatem super omnia, necessario nos movet, inclinatque ad fugiendum, & super omnia detestandum peccatum, quatenus summum malorum est, & eiusdem infinitæ bonitatis offensivum; quodque ab illo summo bono nos separat. Quamvis igitur contritio non sit formaliter amor Dei, cum sit actus, non prosecutionis, sed fugæ & detestationis; includit tamen necessario caritatem. Immo sæpe hæc non implicite modo, verum etiam explicite & formaliter importatur. Disputare Theologi solent, utrum perfecta contritio eliciatur a caritate, & imperetur a virtute pœnitentiæ, aut contra. Sed non vacat disputationem hanc discutere. Contritio perfecta est actus elicitus a virtute pœnitentiæ, quæ vendicat Dei offensam, & imperatus a caritate, quæ amando Deum super omnia, & detestando necessario eiusdem offensam, imperat vindictam & satisfactionem præstandam a pœnitentia. Hinc contritio perfecta, quia incipit ab amore Dei, *caritas perfecta* appellatur a Tridentino.

II. Contritio imperfecta, quæ etiam attritio dicitur, incipit a timore. Est enim dolor conceptus vel ex turpitudine peccati, vel ex gehennæ, & pœnarum metu: & quia peccatum iniuria Dei est, illud detestatur, & pro eodem satisfacere Deo intendit.

III. Contritionis perfectæ expressa mentio fit in Scriptura Psal. L. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum Deus non despicies:* & rursus Psal. cxlvi. *Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum:* & Luc. iv. *Sanare contritos corde*.

IV. Docent Theologi plures, Scriptorum neminem ante sæculum xiii. vocem *attritionis* usurpasse. Primi omnium, qui hanc invexerunt vocem in scholas, fuerunt *Alexander Alensis*, *Albertus Magnus*, & *Guillelmus Parisiensis*: quæ postea latius manavit, & communis evasit.

V. Quæst. I. *Utrum hæ duæ contritiones specie differant*? Resp. Disputant in utramque partem Theologi, etiam ex Thomistis. Gonet, Cardinalis Gotti cum aliis, specie differre propugnant. Quoniam, inquiunt, actus qui eliciuntur a virtutibus specie diversis, sunt specie essentiali diversi. Contritio elicitur a virtute pœnitentiæ, tamquam eiusdem primarius actus. Attritio vero, inquit Cardinalis Gotti *quæst.* iv. *dub.* i. §. 3. elicitur vel a timore servili, si sit ex metu gehennæ; vel, si sit ex turpitudine peccati, puta luxuriæ, elicitur a virtute morali cui talis turpitudo opponitur, ut a temperantia, a castitate. Sed, admissa hac sen-

ten-

tentia, iam non una, sed duæ virtutes pœnitentiæ specie diversæ admittendæ erunt. Sententia quæ mihi probabilior est, defendit, contritionem imperfectam; seu attritionem, quæ est pars prima sacramenti pœnitentiæ, specie non differre a contritione perfecta, ob oppositam rationem, quod uterque actus contritionis, & attritionis prodeat ab eadem virtute pœnitentiæ; & uterque actus idem obiectum formale respiciat, peccatum nimirum, ut est Dei offensa, quæ per compensationem, & satisfactionem emendari & aboleri debet. Ergo ad eamdem virtutem uterque actus pertinet. Quod autem perfecta contritio ex amore Dei proficiscatur, & contritio imperfecta, seu attritio incipiat vel a turpitudine peccati, vel a timore gehennæ, & suppliciorum, & deinde assurgat ad detestandum peccatum, & de eodem dolendum ex amore initiali divinæ bonitatis, pœnitentiæ virtuti extrinsecus adveniunt ista, quæ illius speciem essentialem non variant. Docet S. Thomas, solos actus virtutis pœnitentiæ materiam præbere huic sacramento, & proxime ad eiusdem gratiam suscipiendam disponere. Quamobrem sacramentum, non timoris, non spei, non temperantiæ, sive cuiusque alterius virtutis, sed solius *pœnitentiæ* nuncupatur. *Dicendum est* (inquit S. Thomas III. Part. quæst. lxxxvi. art. 6. ad 3.) *quod actus pœnitentiæ virtutis habet quod sine eo non possit fieri remissio culpæ, inquantum est inseparabilis effectus gratiæ, quæ operatur in omnibus sacramentis. Et ideo per hoc non potest concludi, nisi quod gratia est principalior causa remissionis culpæ, quam pœnitentiæ sacramentum. Sciendum tamen, quod etiam in veteri lege, & in lege naturæ erat aliqualiter sacramentum pœnitentiæ*. Utraque igitur contritio, perfecta, & imperfecta, ab eadem oritur pœnitentiæ virtute: utraque respicit peccatum detestandum sub eadem formali ratione veluti intrinseca, iniuriæ nimirum irrogatæ Deo: & solum penes motiva extrinseca distinguuntur, quatenus contritio perfecta ab amore Dei, seu a caritate; & imperfecta a metu gehennæ, vel ex turpitudinis consideratione originatur: deinde contritio imperfecta ad amorem initialem progreditur. Plura rationum momenta; quæ evincunt, utramque contritionem ad eamdem pœnitentiæ virtutem pertinere, infra fusius explicabo: quia utraque voluntatem peccandi excludat oportet. Ergo utraque & dolere de peccato, & detestari peccatum commissum debet sub universali, & illimitata ratione, quæ omnem affectum erga peccatum extermninet. Hæc autem ratio universalis esse nequit, nisi ratione offensæ Deo illatæ vindicandæ, & compensandæ. Nam horror turpitudinis ebrietatis non excludit affectum aut luxuriæ, aut avaritiæ; & purus gehennæ metus omnem affectum non excludit; cum ea quæ sunt ex metu, semper quidpiam involuntarii includant. Verum, ut dixi, fusius de hoc infra.

VI. Quæst. II. *An oporteat, ut dolor qui in utraque contritione concipi debet, sit formalis, & explicitus, & non tantum virtualis, & implicitus in sacramento pœni-*

 ten-

tentiæ? Resp. Prima & princeps pars materiæ huius sacramenti est contritio, sive perfecta, sive imperfecta, de qua infra. Dolor autem formalis, & expressus est de essentia contritionis. Ergo dolor necessarius ad sacramentum pœnitentiæ rite suscipiendum debet esse formalis, & expressus, & non sufficit virtualis. Similiter propositum non peccandi de cetero communiter, aliquibus casibus exceptis, expressum, & formale sit necessum est, ut clarius infra dicetur.

VII. Quæst. III. *Utrum contritio extendi ad singula peccata debeat?* Resp. Non est necesse ut tot numero contritionis actus repetantur, quot sunt numero peccata; sed, ut explicando proprietates contritionis dixi, contritio debet esse universalis, seu ad omnia peccata quæ post maturum examen memoriæ occurrunt, se extendere debet. Et generatim de omnibus, etiam de iis quæ aut per oblivionem memoriæ non occurrunt, aut per ignorantiam non cognoscuntur; immo de ipsis ignorantiæ peccatis dolere & conteri debemus. Lubet huc transcribere doctrinam Catechismi Tridentini, in quo *Part. III. §. 29.* hæc habentur. *Maxime autem hortandi & monendi sunt fideles ut ad singula mortalia crimina proprium contritionis dolorem adhibere studeant. Ita enim Ezechias contritionem describit, cum ait:* Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. *Etenim recogitare omnes annos est sigillatim peccata excutere, ut ea ex animo doleamus.* Subdit postea *§. 30.* sufficere *universe quandoque peccata sua detestari.* Quoniam, inquit, *cum Deus nostræ salutis cupidissimus sit, nullam moram ad tribuendam nobis veniam interponit; sed peccatorem paterna caritate complectitur, simul atque ille se collegerit, & universa peccata sua detestatus, quæ deinde alio tempore, si facultas erit, singula in memoriam reducere, ac detestari in animo habeat, ad Dominum se converterit.* In peccatis luxuriæ, ut omnes admonent, diutius immorandum non est, ne illorum putidus fœtor mentem animumque inficiat, & lutulentæ exhalationes impuras flammas succendant. Aliorum delictorum deformitatem, & cum divina bonitate, aliisque infinitis perfectionibus oppositionem, & repugnantiam meditari optimum est, ut facilius dolorem, & detestationem vehementiorem concipiamus.

VIII. Quæst. IV. *Utrum ad remissionem venialium necessaria sit contritio?* Resp. Sententia adfirmans communis est. Quia etiam peccata venialia vere sunt peccata. Porro divina Scriptura, nullo discrimine peccatorum gravium, & levium posito, ad illorum relaxationem postulat contritionem. Unum & alterum testimonium ex Patribus transcribo. S. Hieronymus *epist.* XLVI. ad Rusticum *cap.* IV. inquit: *Septies cadit iustus, & resurgit. Si cadit, quomodo iustus? Si iustus, quomodo cadit? Sed iusti vocabulum non amittit, qui per pœnitentiam semper resurgit.* S. Augustinus epist. XCIII. *Nec quemquam putes ab errore ad veritatem, vel a quocumque sive magno, sive parvo peccato ad correctionem, sine pœnitentia posse transire.*

IX. Sat est tamen ut contritio, & displicentia de venialibus sit virtualis, ut do-

docet S. Thomas *III. Part. quæst.* lxxxvii. *art.* 1. inquiens : *Sicut peccatum mortale remitti non potest, quamdiu voluntas peccato adhæret ; ita etiam nec peccatum veniale, quia, manente caussa, manet effectus. Exigitur autem ad remissionem peccati mortalis perfectior pœnitentia, ut scilicet homo actualiter peccatum mortale commissum detestetur, quantum in ipso est, ut scilicet diligentiam adhibeat ad rememorandum singula peccata mortalia, ut singula detestetur . Sed hoc non requiritur ad remissionem venialium peccatorum : non tamen sufficit habitualis displicentia, quæ habetur per habitum caritatis, vel pœnitentiæ virtutis . . . . Unde sequitur quod requiratur virtualis quædam displicentia ; puta , cum aliquis hoc modo fertur secundum affectum in Deum, & res divinas, ut quidquid sibi occurreret quod eum ab hoc modo retardaret, displiceret ei, & doleret hoc se commisisse , etiam si actu de illo non cogitaret.*

X. Eiusmodi peccata venialia non abolentur solius aquæ lustralis aspersione, nisi accedat contritionis actus : non requiritur tamen ut sit specialis ; sed sat est ut sit generalis, ita ut quis generatim venialia detestetur. Quamobrem contritio de mortalibus non includit natura sua detestationem venialium. Potest enim quis odisse mortalia, quin detestetur venialia. Requiritur itaque proprius de his levioribus dolor. Contritio vi sua delet venialia, quin opus sit voto sacramenti . Nec propterea superfluit pro his sacramentum : quia , si accedat , auget gratiam, & auxilia peculiaria obtinentur ad eadem pro loci, & temporis opportunitate vitanda.

DISSERTATIO II.

DE INSUFFICIENTIA ATTRITIONIS FORMIDOLOSAE, ET NECESSITATE CARITATIS INITIALIS AD SACRAMENTUM POENITENTIAE VALIDE SUSCIPIENDUM.

PRAELOQUIUM;

in quo

Quam sit momenti summi proposita controversia, quam diligenter a me enucleanda, quam serio a lectore, positis præiudiciis, expendenda, disseritur.

I. SI ulla est in universa Theologia christiana controversia impedita, & usquequaque subtilissimis commentationibus circumsepta; si ulla est scitu necessaria, & explicatione perspicua dispicienda, hæc sane est, quam nunc habemus in manibus. Et ne magnifico verborum apparatu te suspensum detineam, paucis habeto, christiane lector, gravissimum, & momentosissimum argumentum, unde æterna pendet plurimorum salus, tractandum. Disputatur; quænam sit vera & certa materia sacramenti pœnitentiæ. Adfirmant illi esse attritionem supernaturalem ex metu gehennæ, & pœnarum, aut ex peccati turpitudine conceptam, cuiuscumque dilectionis benevolæ expertem. Negant alii hanc esse sufficientem, & certam materiam. Alterutra sententia falsa sit necessum est; cum plus una vera esse nequeat. Si reipsa attritio formidolosa, ut vocant, insufficiens materia sit, sacramentum nullum est; quemadmodum, si aqua qua administratur baptismus, naturalis non est, frustraneum est baptismi sacramentum Et sicuti perirent omnes qui vera aqua tincti non essent; ita æternas daturi pœnas essent peccatores omnes, hypothesi facta quod præfata servilis attritio insufficiens sacramenti materia foret. Neque hac in hypothesi aut mirifica Probabilismi vis, aut Auctorum multitudo, aut certitudo illa moralis quam plures comminiscuntur, aut ignorantia invincibilis præsidium aliquod afferrent. Deficien-

ciente enim vera materia, nullum omnino est sacramentum: & peccatores qui sola attritione formidolosa, tametsi supernaturali, peccata detestantur, si nullum sit ex veræ materiæ defectu pœnitentiæ sacramentum, quod se suscipere credunt, in infernum præcipites ruere, nemine diffitente, tamquam compertum exploratumque fatentur omnes.

II. Serio nunc mediteris velim, an in universa Theologia gravior caussa, an maioris momenti argumentum occurrat. In ceteris de actionum aut malitia, aut honestate controversiis fieri potest ut in utramque partem innoxie disputetur: ignorantia enim, si invincibilis sit, innoxiam saltem formaliter efficere actionem valet. In hac, quæ factum discutit, & in qua pro sufficienti, aut insufficienti sacramentalis absolutionis materia Theologi decertant, nulla ignorantia, persuasio nulla, quamtumvis firma, ab æterna eripere damnatione valet peccatores, cum sola attritione præfata obeuntes, si hæc insufficiens sit sacramenti materia.

III. Præiudicatæ igitur e scholis domove sententiæ delatæ exuendæ; fundendæ Deo preces, implorandum cæleste lumen, quo animus a partium studio omnino vacuus assequi valeat, qui sit verus & sufficiens de commisso peccato dolor, sine quo nulla est absolutio sacramentalis, & irreparabilis est peccantium damnatio. In utramque partem disputari caussam istam declaravit Alexander VII. ut infra patebit. Dubia itaque materia est quæ disputationis nostræ argumentum constituit. Probabilior una præ altera dici; at neutra certa pronuntiari iure valet vi citati decreti. Verum quia heinc afflictam, & penitus prostratam caussam suam intelligunt adversarii ob posterius decretum, quo Innocentius XI. tutiorem inter probabiles opiniones amplectendam in sacramentis perficiendis definivit, ut suæ sententiæ providerent, ab ordine probabilitatis ad moralis certitudinis gradum eam extulerunt. Fuerit olim probabilior, fuerit communior *inter Scholasticos* sententia pro attritione formidolosa pugnans; certa tamen moraliter dici nequit. Hæc moralis certitudo merum est commentum, ut infra patefaciam. Porro si evidenter certa non est, falsa esse potest. Si falsa, actum de peccatoribus christianis dumtaxat attritis est; cum invalidum sit sacramentum, nulla opitulante ignorantia, aut morali persuasione. Contra, etiamsi sententia quam ego propugnaturus sum, falsa esset, non propterea nullum evadit sacramentum; cum certum sit penes omnes, attritionem ex Dei amore conceptam sufficere ad sacramentum rite perficiendum. Hæc ergo in praxi unice adhibenda.

IV. Quibus constitutis, nemo non videt de summa rei christianæ in hac disputatione agi, quæ extremam a me postulat industriam, ut pro viribus perspicue illam explicem, & vero in lumine, quoad possum, constituam. Persuasum mihi est me pro tuta, & unice secura caussa disputaturum; sed candide fateor, me ma

magnopere vereri ne tantum mihi affulgeat lumen, viresque suppetant quibus veritatem, undique æquivocationum, distinctiuncularum, & sophismatum densissimis tenebris circumfusam, in apricum reducere valeam. Nihil novi me dicturum scio, & spondeo: omnis enim novitas, præsertim in sacramentorum materia a Christo Domino definita, venefica est, & exitialis. Eo tantum studium pertinet meum, ut quæ præclarissimi, doctissimique Theologi fuso calamo in utramque partem disputarunt, ad certa capita revocem, & ordinate digeram. Eam servare brevitatem curabo quam impeditissima controversia fert; sed malo esse in negotio summo prolixior quam cum dispendio veritatis contractior. Quanto sint periculo obnoxii sive qui aut oscitanter, aut partium studio caussam hanc gravissimam tractant, sive qui eam tractatam & discussam minus attente, aut anticipationibus occupati legunt, tibi, christiane lector, iudicandum relinquo. Illud tandem monere te magnopere interest, me obsequio summo obsecuturum decreto Alexandrino. In antecessum spondeo me ab omni censura longe semper futurum. Censuræ enim privatorum non meliorem, sed peiorem potius caussam efficiunt. Solæ Superiorum censuræ decidunt litem. Adversarii statuunt, ut infra videbimus, nullam esse censuram, asserere alterutram opinionem falsam esse, improbabilem, & laxam. Huic doctrinæ non repugno. Distinguenda tamen opinio est a pluribus ratiunculis, & vanis commentis quæ iuniores non pauci excogitarunt ad suam opinionem tuendam. Immunem, ut dixi, ab omni censura opinionem volo; verum plures rationes quas adducunt in eiusdem præsidium, ut falsas, vanas, & arbitraria commenta reiiciam. Contendunt illi, opinionem attritionis formidolosæ ita esse moraliter certam, ut hæc certitudo elidat omnem oppositæ sententiæ probabilitatem: heinc inferunt esse tutam. Hanc moralem certitudinem esse arbitrariam, directe decreto Alexandrino adversam, evidentissime demonstrabo. Rursus Concilium Tridentinum nihil definiisse *sess.* XIV. *cap.* IV. pro sententia attritionis formidolosæ, ipsorum adversariorum doctiores, qui hac postrema ætate scripsere, ingenue fatentur: & factum certum est. Heinc in antecessum vides, adversarios falso supposito niti, imaginariam ostentare certitudinem, ut suam propugnent sententiam, unde sacramenti valida administratio pendet. Tandem illorum alii, & quidem hac ætate, eo progressi sunt, ut propugnent præfatam opinionem esse *tutiorem*: quod inauditum paradoxon ideo excogitarunt, quia post studium improbum, alia via a damnatione I. prop. decret Innocentii XI. eripere suam opinationem nescierunt.

V. P. Balthasar Francolinus præ ceteris iunioribus hanc controversiam fuso calamo, & acri studio tractavit. Sub finem prolixæ disputationis, quam duobus integris libris complexus est, ut suum revera acerbissimum stilum non adversus errores modo, verum etiam adversus Auctores, quos Rigoristas appellat, defendat,

dat, hæc *Lib. II. de dolore ad sacram. pœnit.* &c. *cap. x. pag. 237. edit. Venet.* respondet. *Offendit aliquos mea scribendi ratio, eorumque palato visa est bilim sapere, & acrimoniam mordicantem. Sed hanc accusationem initio operis, cum præfarer, occupavi. Addo, NON ALIO DICENDI GENERE USOS FUISSE PATRES IPSOS SANCTISSIMOS, cum novaturientes impugnarunt. Aliis videor Doctores adversos in contemptum, & invidiam vocare, infamare, & parum civiliter refutare; quod non fecerunt illi ipsi qui contra hæreticos scripsere. At alia debet esse ratio scribendi contra hostes fidei manifestos; alia contra eos qui forte errant, sed præferunt sanctitatem: his, ut cognoscantur, qui sunt, detrahenda ab ore persona, horum facta prodenda, ut ii ad quos spectat, etiam ex factis iudicent de doctrina*. Licita ergo hæc, honesta, & sancta sunt, dum pro benigno Probabilismo, & suaviore Ethice scribitur? Iure ergo imitari hanc scribendi acrimoniam, quam usurpavit, & usurpari licite posse docet P. Francolinus, alii possunt. Absit tamen mihi ut imitanda proponam quæ hic docet P. Francolinus. SS. Patres acri stilo, opportunitate data, non contra personas, sed contra errores usos fuisse in *præf. ad Tom. I. in Decal.* ipse demonstravi. Auctor noster personas ipsas adoritur: inquit enim: *Aliis videor Doctores adversos in contemptum, & invidiam vocare, infamare, & parum civiliter refutare*. Quid ad hæc? Quam defensionem opponit? Qua via se se expedit? Ecce. *Alia debet esse ratio* (subdit) *scribendi contra hostes fidei manifestos*. Hos benigne, & urbane tractare convenit. Verum enimvero Rigoristis detrahenda larva est. Hos *in contemptum, & invidiam vocare, infamare, & parum civiliter refutare* non est vetitum. Præferunt enim isti sanctitatem: idcirco hypocrisis ista auferenda. *Horum facta prodenda, ut ii ad quos spectat, etiam ex factis iudicent de doctrina*. Intellexistin'? Interest Reipublicæ nosse malos. Qui sunt in quos tam vehementer P. Francolinus suum stilum armat? Sunt *Merbesius*, *Iuveninus*, *Farvaquesius*, duo Episcopi, *Vasionensis*, *Castoriensis*, & alii. Hæc indicare volui, ut heinc discant adversarii mei, non paucos benignos Probabilistas longe acerbius acriusque scribere contra ipsos Auctores quam ego scribam, non contra personas, quod numquam feci, nec faciam Deo auspice; sed contra ipsos errores & opiniones, quas laxas, & Christianorum saluti perniciosas existimo. Falli in hoc me posse ultra fateor, oroque ut ignorantia mea corrigatur. At consuetam supplicationem simul repeto, ut nolint mihi impingere, quod personas lædam, dum Auctorum falsas opinationes forti validoque pro tenuitate mea stilo labefactare nitor. Hæc pauca præfari volui, ut lectores ad diligens gravissimæ controversiæ examen disponerem.

CAPUT I.

Status quaestionis aperitur, & variae sententiae exponuntur.

I. ARgumentum praesentis disputationis est, sufficiat ne attritio supernaturalis ex gehennae & poenarum metu, aut ex turpitudine peccati concepta; an vero requiratur amor caritatis inchoatae, ut sit materia sufficiens sacramenti poenitentiae. Prima attritio *servilis*, seu *formidolosa*, altera *amoris initialis* appellari solet.

II. Ut vocum aequivocationem sub initium disputationis tollere incipiam, Auctores attritionis *formidolosae* haudquaquam excludunt, immo requirunt spei theologicae amorem, qui concupiscentiae nuncupatur, illumque in ipso timore gehennae includi docent. Ne ulla suboriatur suspicandi occasio, me minus exacte illam describere, exponam propriis verbis Cardinalis de Lugo, qui inter praecipuos huiusce opinionis patronos habetur. Is autem *disput.* v. *sect.* ix. *num.* 132. inquit: „ Quae sunt haec motiva attritionis? Communiter reducuntur ad duo capita „ scilicet ad metum gehennae, & poenarum, & ad turpitudinem peccati. Nam „ haec duo expressit Tridentinum ubi supra, agens de motivo propter quod com„ muniter concipitur attritio. Et quidem omnia motiva facile ad haec possunt „ reduci. Nam desiderium beatitudinis, vel aliorum donorum videtur compre„ hendi sub timore gehennae, & poenarum. Idem enim esse videtur timere ca„ rentiam alicuius boni, ac desiderare illud. Deinde quaecumque alia malitia, „ propter quam detestamur peccatum, videtur comprehendi in turpitudine pec„ cati: omnis ergo attritio est propter metum poenarum, vel propter peccati „ turpitudinem.

133. „ Huic *communi* doctrinae se se opponit Franciscus Sylvius *quaest.* I. *in Sup„ plem. art.* 3. ubi docet eam solum attritionem sufficere cum sacramento quae „ includat etiam dilectionem Dei super omnia, licet debilem, & imperfectam, „ quam dicit cum sacramento sufficere. " Haec sententia, subdit continuo de Lugo, est contra *omnes Theologos*, *& contra Tridentinum*. Similia scribit ex eodem de Lugo P. Dominicus Viva *quaest.* III. *art.* 3. *num.* I. ubi inquit. „ Dico at„ tritionem differre a contritione per hoc quod ista detestatur peccatum ut ma„ lum Dei, & quia illi displicet; attritio vero detestatur ut malum peccatoris, „ & quia sibi nocet . . . Et ideo ex Lugo, Suar. & aliis habetur verissima attri„ tio tam ex timore amissionis gloriae, seu ex desiderio gloriae, quam ex timo„ re

„ re gehennæ: & utrumque motivum a Tridentino comprehenditur sub timore „ gehennæ, quia gehenna per pœnam damni privat gloria æterna. " Hic de Lugo, & P. Viva falsa miscent veris. Fallitur de Lugo, dum inquit, omnia motiva attritionis reduci ad timorem gehennæ, aut peccati turpitudinem; ipsumque desiderium beatitudinis comprehendi sub timore gehennæ. Nam hæc duo facillime separantur. Innumeri sunt peccatores qui, si declinare gehennam possent, nihil de beatitudine curarent, & quam libenter semper in hoc mundo viverent. Similiter errat P. Viva inquiens: *Utrumque motivum a Tridentino comprehenditur sub timore gehennæ, quia gehenna per pœnam damni privat gloria*. Tridentinum conceptis verbis præter gehennæ timorem addit *cum spe veniæ*. Sed de hoc infra.

III. Præter has duas sententias succedit tertia, quæ, ut attritionis formidolosæ a de Lugo descriptæ, & a P. Viva, asperitatem deliniat, præter metum gehennæ postulat pro sufficienti attritione in sacramento amorem aliquem spei, quo Deus diligatur ut bonus nobis, sive ut finis noster, atque beatitudo. Hæc opinio, quæ plures habet assertores, verbis, non re, discrepat a priori opinione attritionis servilis. Quamvis enim plures Casuistæ, præsertim Probabilistæ non pauci, solum timorem, aut peccati turpitudinem extollant, ut Lugo, Viva, & alii; tamen argumentis pressi ab attritione necessaria ad sacramentum non excludunt sive fidem, sive spem; licet communiter isti spei amorem perspicue non exponant.

IV. Quarta sententia ad sacramentum pœnitentiæ suscipiendum requirit contritionem *caritate* perfectam, quæ culpam deleat apud Deum, seu coniunctam cum caritate habituali, & gratia sanctificante. Et hæc sententia plures habet ex antiquis Theologis assertores.

V. Quæres. *Damnata ne est sententia hæc quæ contritionem perfectam delentem culpam requirit ad sacramentum pœnitentiæ suscipiendum?* Resp. Falsam illam communiter Theologi omnes, quibus subscribo, iudicant. At neque in Concilio Tridentino, neque alio Ecclesiæ decreto hæc sententia proscripta umquam fuit. Præfatam sententiam gravissimi Theologi ante Concilium Tridentinum propugnarunt. Hugo a S. Victore *Lib. II. de sacram. part.* XIV. *cap.* VIII. Ricardus Victorinus *Lib. de potest. absolvend. cap.* VII. Robertus Pullus *de sacram. part.* V. *cap.* XIII. Innocentius III. in *Psalm.* II. *pœnit.* Guillelmus Antisidorensis in *Sum.* Albertus Magnus in *IV. Sentent. dist.* XVII. & XVIII. Alexander Alensis *Part. IV. Sum. quæst.* VIII. *memb.* I. S. Raymundus *Lib. III. de pœnit. §.* 8. Vincentius Bellovacensis *Lib. VIII. specul. Hist. cap.* XLIII. S. Bonaventura in *IV. dist.* XVIII. *part.* I. *art.* 2. *quæst.* I. S. Bernardinus Senensis *Tom. II. serm.* XXVII. *de confess.* Gabriel Biel in *IV. dist.* XIV. *quæst.* II. *art.* 2. Alphonsus Tostatus *cap.* V. *Defensorii*. Guillel-

lelmus Pepinus *fer. v. in coen. Domini*, inquit : *Regula generalis Theologorum est ; quod Confessor neminem debet absolvere quem non credit verisimiliter a Deo absolutum*. Nemo Theologorum tribus integris saeculis ante Tridentinum notam haeresis huic sententiae impegit, neque in Conciliis Lateranensi IV. Lugdunensi II. Vienensi, Constantiensi, Basiliensi, Florentino de eadem quaerela aliqua mota fuit. Immo nec ipsum Concilium Tridentinum aliquam in eamdem censuram tulit, ut testatur Cardinalis Pallavicinus *Lib. IV. hist. cap.* x. atque gravissimi Theologi, qui eidem Concilio interfuere, Andreas Vega *Lib. XIII. in Concil. Trident. cap.* XXXIII. Ricardus Tapperus, ut colligitur ex historia *Concil. Trident. Lib. XII. cap.* x. Dominicus Soto in *IV. dist.* XVIII. *quaest.* III. *artic.* 2. Relata sententia de perfecta contritione, quae culpam deleat, non ita facile cum potestate clavium componi valet ; quamvis haec duo variis viis consociare illius Auctores studeant. Idcirco omnes Theologi iure nunc hanc sententiam reiiciunt, non quod sit ab Ecclesia peculiari decreto proscripta ; sed quia reipsa falsa est, & clavium potestati derogare videtur. Si plura hac de re cupis, lege P. Druin *Tom. II. Lib. II. cap.* II.

C A P U T II.

PRAEIUDICIA QUATUOR

Iuniorum Theologorum, qui pro formidolosa attritione pugnant, labefactanda.

I. QUatuor sunt prima & potissima PRAEIUDICIA quibus auctores *formidolosae*, seu *servilis attritionis* occupati suam opinionem, tamquam certam divendunt, nostramque ut penitus improbabilem reiiciunt. I. Concilium Tridentinum definivit attritionem formidolosam sufficere in sacramento poenitentiae. II. Sententia haec est fere omnium Theologorum, & contraria excogitata fuit a Baio, Iansenio, & a Iansenistis propagata. III. Caritatis inchoatae a caritate perfecta distinctio, qua contenditur hanc, secus illam delere peccatum, commentitia est, & *Baianismum* redolet. IV. Sententia, requirens amorem inchoatae caritatis, *Rigorismum severum* praefert : contra opinio attritionis servilis ex suppliciorum timore conceptae *suavem* spirat *benignitatem* : metus enim dulcis ; caritatis amor austerus. Hae sunt quatuor praeiudicatae sententiae quae in iuniorum pro servili attritione pugnantium animis fere inveteraverunt : & nisi in antecessum penitus evellantur, inanis omnino foret labor noster. Porro, ut id feliciter praestem, per distincta capita singula expendam, & in medium promam quae praestan-

ſtantiſſimi Theologi iam diu contra præfata præiudicia ſcripſerunt, illaque exornare pro imbecillitate mea curabo. Ad rem.

CAPUT III.

PRAEIUDICIUM PRIMUM.

Evidenter falſum eſt quod aiunt formidoloſæ attritionis aſſertores, Concilium Tridentinum definiiſſe, attritionem ſervilem ſufficere ad ſacramentum pœnitentiæ.

IN duabus potiſſimum ſeſſionibus, nempe VI. & XIV. præfati Concilii ſermo fuit de contritione, & diſpoſitionibus ad iuſtificationem in ſacramentis baptiſmatis, & pœnitentiæ obtinendam. In priori, ut infra oſtendam, in qua univerſalis doctrina traditur, neceſſitas amoris divini aſſeritur. Idcirco ſervilis attritionis aſſertores nihil ex eadem nobis opponunt. In unico decreto *ſeſſ.* XIV. *cap.* IV. probari tamquam ſufficientem ad ſacramentum pœnitentiæ attritionem ſervilem contendunt. Quod quam ſit evidenter falſum, ſequentia argumenta declarabunt.

§. I.

Cardinalis Pallavicinus *aperte teſtatur, nihil in Concilio Tridentino definitum eſſe circa diverſas de attritione opiniones.*

I. HAEC *Lib. XII. cap.* X. ſcribit Eminentiſſimus Hiſtoricus. „ Quantum ex
„ Actis coniicio, Theologorum mens erat *ut error hæreticorum damnare-*
„ *tur*, tamquam inhoneſtum improbantium pœnæ timorem: *non item ut fer-*
„ *rent ſententiam* de ſcholaſtica quæſtione, an huiuſmodi timor, non ſolum abſ-
„ que contritione animi perfecta (de quo controverſia vix fuit) ſed etiam abſ-
„ que eo quod ullus excitetur amor imperfectus, ſufficiat ad remiſſionem pec-
„ catorum in ſacramento. Id vero clare liquet ex ipſa probatione Concilii, quæ
„ huius articuli doctrinam firmat *cap.* IV. nimirum Ninivitarum pœnitentiam ex
„ timore profectam illis profuiſſe; cum certum eſſet, eo tempore, quo ſacramen-
„ tum

„ tum adhuc non extabat, eam formidolosam pœnitentiam minime sufficisse „ per se ad peccatum delendum, sed vim tantummodo habuisse ad impetrandam „ novam gratiam, cuius ope adiiceretur *caritatis affectus, quem omnes necessa- „ rium fuisse fatentur* ante novam legem ad iustitiam recipiendam. In Patrum „ conventu id PAUCI attigerunt. ALIQUOD DUMTAXAT VESTIGIUM „ COMPERIO OPINIONIS NEGANTIS NECESSITATEM AMORIS, in iis „ quæ Granatensis disputavit. At vero Ioannes AEmilianus Hispaniensis Tude- „ tanus Antistes extremum oppositæ sententiæ tenuit; hoc est, opus esse con- „ tritione perfecta: nec tamen hinc argui peccata per sacramentum non remit- „ ti, quippe quia sacramentum non invenit præeuntis contritionis efficacita- „ tem. Siquidem, aiebat, ipsa contritio id præstat virtute sacramenti, cuius vo- „ tum in ea continetur.

„ Præterea oportet scire postea decretis doctrinam complexis verba hæc fuisse „ adiecta: *Illam contritionem quam Theologi attritionem vocant, quod imperfecta „ sit, & solum vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœ- „ narum metu, qui servilis dicitur, concipiatur; si voluntatem peccandi excludat, „ & dolorem qualemcumque de commissis delictis exprimat; statuit hæc sancta Sy- „ nodus, & declarat, non solum non facere hominem hypocritam, & magis pecca- „ torem (ut quidam blasphemare non verentur) verum etiam SUFFICERE ad sa- „ cramenti huius constitutionem, ac donum Dei esse, ac Spiritus sancti impulsum „ verissimum, non quidem actu inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens „ adiutus, cum SINE ALIQUO DILECTIONIS IN DEUM MOTU ESSE VIX „ QUEAT, viam sibi ad iustitiam munit, & per eum ad Dei gratiam facilius „ impetrandam disponitur*. Sed laudatus Episcopus monuit, falso dici, huiusmodi „ dolorem sine amore vix umquam concipi posse. Quod autem hæc attritio sa- „ tis esset sacramento constituendo, ita ut homini attrito deleantur peccata ab- „ solutionis supervenientis vi, variare Auctorum sententias, adeoque esse tollen- „ dum. *Quamobrem decretum, sicut nunc extat, reformatum est*, & prout a no- „ bis refertur. "

II. Non est quod verba faciam, ut evincam, quantæ sit auctoritatis Cardinalis Pallavicini historia, cum illam ex *intimis scriptis Archivi apostolici* iussu Alexandri VII. eidem subministratis confecerit. Plura nunc ex rescripta narratione animadvertenda occurrunt. I. Patribus unicum fuisse scopum, damnare hæreticos, qui gehennæ metum veluti vitiosum, & inhonestum reiiciebant; nullo vero modo dirimere Scholasticorum opiniones. II. Vix inter Theologos, & Patres disputatio fuit de attritione ex solo metu concepta, & amoris vacua. *In Patrum conventu* (inquit Purpuratus Historicus, qui acta sessionis legit) *id pauci attigerunt. Aliquod dumtaxat vestigium comperio opinionis negantis necessitatem amo-*

amoris, in iis quæ Granatensis disputavit. Neque dissidium de hoc esse poterat; cum vix aliquis Theologorum ante Tridentinum servilem defenderit attritionem ut sufficientem ad sacramentum. De quo ergo disputatum? III. Disputatio fuit, num esset necessaria contritio perfecta, an sufficeret imperfecta cum aliquo Dei amore coniuncta. Et quoniam Tudetanus Episcopus, contritionis perfectæ assertor, opposuit, *falso dici huiusmodi dolorem sine amore vix umquam concipi posse*; adiecitque *variare circa hoc Auctorum sententias*; & quia, uti dictum est, Patrum consilium fuit hæreticorum proscribere errores, intactis Scholasticorum opinionibus; idcirco reformatum decretum fuit, & verbo *sufficit* substitutum est verbum *disponit*. IV. Illud vero altius menti hæreat, in primo decreto disputationem fuisse de attritione coniuncta cum amore imperfectæ caritatis, ut heinc colligas, numquam, neque ante, neque post reformationem decreti Patribus persuasum fuisse, timorem separatum ab amore saltem initiali sufficere ad sacramentum. Nec obstat, in priori decreto appositam fuisse particulam *solum ex gehennæ, & pœnarum metu concipiatur*: quia particula posita erat sub initium decreti, ubi sermo erat de attritione quantum ad suum exordium, & secundum se spectata: quo in statu bona, & utilis, non inhonesta, & perniciosa, ut volebant hæretici Lutherani, declarata fuit. Et hoc in sensu verum est attritionem suum initium sumere a solo metu, tametsi in suo progressu, & complemento non sit absque amore inchoato; sicuti homo inchoatur ex rudi materia, & postea ultra progreditur, & tandem suam suscipit perfectionem. Hæc vero attritio vocatur *Spiritus sancti impulsus, non adhuc inhabitantis, sed tantum moventis*.

III. Ex quibus omnibus constat, & quidem evidenter, noluisse Patres definire, quænam attritio sufficeret ad sacramentum pœnitentiæ; cum verbum illud *sufficit* abrogaverint, substituto verbo *disponit*. Quin nec ipsam sententiam exigentem contritionem perfectam, quam propugnabat Episcopus Tudetanus cum permultis aliis eximiis Doctoribus, proscribere voluerunt, ut præscinderent a Theologorum variis sententiis, & solos novatorum errores damnarent. Porro si proscripta non fuit sententia contritionis perfectæ necessariæ ad sacramentum, numquid exclusa fuit sententia quæ requirit amorem imperfectum?

§. II.

§. II.

Interpretamenta quibus Balthasar Francolinus, aliique Casuistæ eludere conantur Cardinalis Pallavicini luculentissimum testimonium.

I. P. Balthasar Francolinus, qui præ ceteris, duobus integris libris pro attritione formidolosa pugnavit, *Lib. I. cap.* I. ut laudatum testimonium eludat, exquisita industria lectorem admonet, Purpuratum Historicum nullum non movisse lapidem, ut sententiam *attritionis servilis* labefactaret. Quorsum? Quia in *Lyceo Romano* defenderat Pallavicinus necessitatem attritionis cum amore initiali coniunctæ; & hanc sententiam inseruerat suæ Theologiæ typis editæ. Heinc ea omnia in Actis Concilii expiscatus est quæ illustrando proprio partui afferre lucem existimavit. Lectori postea inferendum relinquit Francolinus, Eminentissimum Historicum suæ confirmandæ sententiæ amore succensum, sub eo aspectu narrationem proposuisse, unde percipere sibi subsidium contra sententiam formidolosæ attritionis poterat. Transcribo ipsius P. Francolini verba. „ Eam quidem (historiam „ Cardinalis Pallavicini) ipsi exceperunt cum ingenti plausu, utque in omnium „ manus facilius perveniret, ea pars *cap.* x. *Lib. XII.* in qua *nonnulla* circa præ„ sentem controversiam auctor congerit, fuit e toto opere excerpta, typis man„ data, & *folio volanti* per totum Belgium, & finitimas provincias divulgata. „ Id fecit Franciscus *Farvacques*, qui post multas, easque acerrimas disputationes „ hac super re editas cum *Maximiliano Le Dent* Societatis Iesu Theologo, mul„ tosque hinc inde editos libros, & libellos, hanc historiam nactus, telum se re„ perisse credidit quo *NOS* conficeret, & bellum quod sibi fuerat *non nihil cruen„ tum*, absolveret. Hanc eamdem historiam, seu historiæ partem in suos de con„ tritione tractatus seu quæstiones transtulere reliqui, nempe *Episcopus Castorien„ sis, Merbesius, Iuveninus*, & alii, eaque etiam ipsi putant *everti penitus præci„ puum, aut etiam unicum nostræ sententiæ fundamentum. Et hoc etiam intendebat PAL„ LAVICINUS*, qui cum in *Lyceo Romano* suam illam aliqualis *amoris benevoli* „ necessitatem defendisset, eamque docuisset in *sua Theologia postea in lucem edi„ ta*, cum postea historiam Concilii Tridentini scribere aggressus est, & præ ma„ nibus habuit omnia eius Synodi acta, *vestigavit in illis diligentissime quidquid „ suam sententiam confirmare suo iudicio posset*, idque suæ historiæ, ut fecit, in„ seruit. Verum illud accidit quod accidisse minime crederem, nisi viderem, ut „ videlicet vir, ceteroqui ingeniosissimus, post accuratam actorum omnium syno„ da-

„ dalium lectionem, ea demum promeret quæ *ipsi nihil, aut fere nihil, nobis vero plurimum prosunt.* "

II. Mirifica nec ne sit P. Francolini præsidentia, qua contendit se felicius ipso Cardinali Pallavicino assequi actuum synodalium germanum sensum, aliorum esto iudicium. Numquam Francolinus aperte concedit, Casuistas Escobarium, Busembaum, Tamburinum, Castropalaum, ceterosque in laxis opinionibus propugnandis cæspitasse. E contrario Eminentissimus Pallavicinus in interpretandis actis Tridentini Concilii caligavit.

III. Plura implerem folia, si omnia commenta sane vanissima expendere vellem quibus perdoctus Francolinus eludere hanc Pallavicini historiam adnititur. Factum negare non audet, nempe abrogatum esse verbum *sufficere*, substituto verbo *disponit*; sed veritate actuum synodalium, unde illud extraxit Pallavicinus, coactus fatetur. Quid ergo reponit? Ea quæ reponere ii solent qui caussam quam semel adoptarunt, pugnacissime defendere pergunt. Belligeravit *P. Maximilianus Le Dent* in Belgio pro attritione servili contra *Franciscum Farvacquesium*, quem bello *non nihil cruento*, inquit Francolinus, sauciaverat: & Farvacquesius, ut inflicta sibi vulnera, Baianismi forsitan, & Iansenismi, obduceret, historiam Pallavicini in apricum adduxit, qua adversarium prostraret. P. Francolinus, ut suppetias ferat P. Maximiliano, comminiscitur *cap. 11.* mutatum fuisse decretum, non quod Patres Tridentini *cognoverint in Scripturis contineri oppositum, sed ex aliis causis . . . . Sane nemo sapiens dicet a Patribus ignoratum id antea fuisse, effulsisse autem illis lumen de cælo, quo cognoscerent oppositum statim ac audierunt unum Episcopum id opponentem.* Vin' meliora? Effugia sunt hæc nimium mirifica. Mutatum decretum Historicus asserit: & hoc nobis sat est. Rationum momenta quibus ad hanc mutationem inducti Patres fuere, Historicus indicat: & quæ Francolinus somniat, absona sunt, & arbitraria.

IV. Similia commenta obtrudit novissimus Scriptor *Michael Poli* in opusculo edito Patavii an. 1743. in quo *Lib. I. cap. XIII.* hæc scribit. „ Mens Patrum Concilii „ ante admonitionem Tudetani certo & indubitanter erat pro *sufficientia attritionis* „ . . . . Ergo omnes, vel fere omnes ante admonitionem Tudetani, post varias „ disputationes, & diligentissimum examen huius controversiæ, convenerant in „ sententiam pro *sufficientia attritionis*, adeo ut tunc crederent hanc veritatem inter *catholicæ Ecclesiæ dogmata numerandam esse*. Certum est ex eodem Pallavicino, „ rationem a Tudetano productam, ut ea verba omitterentur, hanc unam fuisse, „ quia videlicet circa hoc variabant Auctorum sententiæ, & ob id tantum, & non „ ob aliquam aliam rationem ea esse tollenda ex decreto. Ex quo *motivo*, & ex „ verbis Tudetani vere non potest deduci, noviter subortam fuisse in Patribus Concilii aliquam dubitationem circa *sufficientiam attritionis*. "

V.

V. Hæc, tametsi prolixa, rescribere volui, ut heinc colligas, quanti sit faciendum integrum *opusculum* istud, cui adiecta est epistola gallice, & latine exarata; quæ est dignum sane patella operculum. *Certo & indubitanter* crediderunt Patres Tridentini *sufficientiam attritionis formidolosæ* esse veritatem inter *catholicæ Ecclesiæ dogmata numerandam?* Et propter oppositionem Episcopi Tudetani, & ne offenderent Scholasticos, *dogma istud* natalitiis tenebris sepultum voluere? Huccine impellit mollioris Ethices studium? Quæ scandala hic argutandi modus non ingerit novatoribus? Dogmata fidei severe expensa, & certo atque indubitanter cognita suppresserunt Patres Tridentini, ut declinarent Scholasticorum invidiam? Hæc inaudita excogitanda commenta sunt, ut inter dogmata reponatur opinio *attritionis servilis?* Quod Patrum Tridentinorum consilia eo spectaverint, ut dogmata Ecclesiæ in discrimen ab hæreticis revocata definirent, neglecto examine opinionum quæ inter Scholasticos in utramque partem disputabantur, verum habet, & ex historia Pallavicini colligitur. Et hæc agendi ratio, spectata illorum temporum conditione, necessaria erat. Neque enim Tridentini Patres omnes tunc opiniones quæ in mundo obtinebant, severe expendere, & definire poterant: idcirco eo consilia sua contulerunt, ut novatorum, qui Ecclesiæ unitatem lacerabant, errores proscriberent: Quod autem Archipresbyter *Poli*, & Francolinus comminiscuntur, Patres Tridentinos severe expendisse sententiam afferentem *attritionem servilem sufficere* ad sacramentum pœnitentiæ, illamque *certo & indubitanter* credidisse ut *veritatem inter dogmata catholicæ Ecclesiæ numerandam*, & hoc dogma suppressisse propter Scholasticorum dissidium, commentum erroneum est, & scandali, ut mitissime loquar, plenum. Alia sophistica interpretamenta prætereo, ut inepta, & vana. Illud solum moneo, opusculum *Michaelis Poli* compendium esse doctrinæ P. Francolini.

§. III.

Utrum saltem Concilium Tridentinum faveat sententiæ attritionis servilis.

I. Evidenter ostensum est, Concilium Tridentinum non definiisse, attritionem servilem *sufficere* ad sacramentum pœnitentiæ. Illud nunc disputandum, cuinam duarum opinionum faveat in decreto reformato, in quo hæc habentur, omissis multis.

II. „ Illam vero contritionem imperfectam quæ attritio dicitur, quoniam vel „ ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu com- „ muniter concipitur, si *voluntatem peccandi excludat* cum spe veniæ, declarat,

„ non

„ non solum non facere *hominem hypocritam*, *& magis peccatorem*, verum etiam „ donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, „ sed tantum moventis, quo pœnitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat. *Et* „ *quamvis sine sacramento pœnitentiæ* per se ad iustificationem *perducere* peccato„ rem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetran„ dam *disponit*. Hoc enim timore concussi Ninivitæ ad Ionæ prædicationem ple„ nam terroribus pœnitentiam egerunt. "

III. Ex hoc reformato Concilii Tridentini decreto sic arguunt attritionis servilis defensores. *Tò* verbum *disponit* idem sonat ac *sufficit*. Quia Tridentinum non loquitur de dispositione remota ad gratiam impetrandam; cum etiam extra sacramentum habeat attritio talem dispositionem. Ergo loquitur de dispositione proxima.

IV. Magna opus est patientia, qua zelus cohibeatur contra eiusmodi argutationem in re gravissima, summoque negotio. Quid? Tridentinum delevit verbum *sufficit*, ut abstineret a decisione controversiæ, & substituit verbum *disponit*, quod idem significat ac *sufficit*? An ab homine ratione prædito asseri hoc potest? Dispositio proxima idem significat ac sufficiens? Concilium Tridentinum definivit attritionem servilem proxime disponere? Definivit ergo id quod, ne definiret, erasit, abrogavit, delevit. Substituit verbum *disponit*, quod idem significat, ac *sufficit*? Ergo decreti reformatio mera illusio fuit: quod dici absque extrema temeritate, & audacia nequit. Cedo: dispositio proxima idem ne significat ac sufficiens, an secus? Si primum; ergo reformatio decreti est chimærica. Si secundum; ergo non est dispositio proxima. Quid ad hæc? Quid? Respondet P. Dominicus Viva *in trutina in prop.* 15. damnatam ab Alex. VIII. *num.* 34. his verbis. „ Licet expresse Tridentinum loc. cit. non dicat attritionem sufficere ad „ constitutionem sacramenti; hoc tamen *dicit implicite*, *& DILUCIDE*. " Pulchre & venuste. *Dilucide* abrogavit verbum *sufficere*, & *dilucide* illud non abrogavit. Siccine deridendæ propinantur sacrosancti Concilii œcumenici sanctiones, post tam serium examen peractæ? Quæ esse cum his Auctoribus disputatio potest? Si Tridentinum voluisset idem significari per verbum *disponit* ac per verbum *sufficit*, superflue abrogasset verbum *sufficit*.

V. Insistunt. Attritio servilis disponit remote, etiam extra sacramentum. Ergo ad sacramentum disponit proxime; atque adeo sufficit. Ex vi quippe antithesis, *quamvis sine sacramento &c. tamen eum in sacramento disponit*, vim & efficaciam Synodus tribuit attritioni servili coniunctæ sacramento, quam eidem non adscribit extra sacramentum. Hæc autem peculiaris efficacitas esse nequit, nisi virtus proxime disponendi ad gratiam in sacramento obtinendam.

VI. Quam sit imbecillis & vana obiectio isthæc, verba ipsius Concilii clare osten-

ostendunt. *Ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit.* Sensus naturalis & obvius est. Attritio servilis in sacramento, seu cum sacramento coniuncta, minus remote disponit ad gratiam quam extra sacramentum. Attritio enim iuncta sacramento aliquid habet quo caret extra illud. Idcirco minus remote intra quam extra sacramentum, ad gratiam impetrandam disponit. Ergo disponit *proxime?* ergo *sufficit?* Ineptissimæ sunt illationes istæ, atque ipsi Concilio iniuriosæ. Tridentinum quippe delevit verbum *sufficit*, ut nihil in hac *sess.* XIV. definiret super hac quæstione Catholicorum. Nonne iuxta omnes Theologos dispositiones ad formam aliæ sunt remotæ, aliæ propinquæ, aliæ propinquiores, aliæ proximæ? Attritio servilis extra sacramentum remote, in sacramento minus remote, propinque, propinquius, minime vero *proxime* disponit. Interpretatio hæc suapte natura obvia, & genuina est; in præsenti vero controversia necessaria. Alterutrum enim adversarii præstent necessum est: aut enim fateri debent, hanc interpretationem esse veram atque germanam; aut Concilium Tridentinum illusisse universæ Ecclesiæ delendo verbum *sufficit*, & substituendo verbum *disponit*. Ut enim mox dixi, idem significat in hac caussa *disponit* proxime ac *sufficit*. Concilium delevit *sufficit*. Ergo substitutum verbum *disponit* non significat dispositionem proximam: alioquin chimærica & illusoria esset variatio. Patet ne ad effugium rima? Revera hanc obiectiunculam obtrudere adversarii non auderent, si adverterent, decretum illud ad damnandum Lutheranorum errorem unice formatum fuisse. Dispositiones enim ad iustificationem in sacramentis baptismi, & pœnitentiæ absolute necessarias iam explicaverat Concilium *sess.* VI. ut infra evincam. Illud tantum magnopere advertendum, conversionem peccatoris partum esse, qui initium, inchoationem, progressum, & perfectionem a variis motibus suscipit; & gradus isti magis ac minus remoti sunt. Porro hoc in decreto, adversus Lutheranos formato, omnino abstinuere Patres a variis Theologorum opinionibus dirimendis. Tantum vero abest, Concilium Tridentinum favere attritioni servili, ut vix de ea disputatum fuerit. *Aliquod dumtaxat vestigium* (inquit Purpuratus Historicus) *comperio opinionis negantis necessitatem amoris, in iis quæ Granatensis disputavit.* Unus Episcopus Granatensis aliquod *vestigium* prodidit opinionis negantis amoris necessitatem. Et iuniores Casuistæ audent asserere, Tridentinum sin minus definiisse, saltem ita favere sententiæ attritionis servilis, ut opposita probabilis amplius non sit?

§. IV.

§. IV.

DECRETUM ALEXANDRI VII.

Ex hoc infertur, Tridentinum nullo modo favere attritioni formidolosæ.

I. Adeo incaluerat de attritione servili in Belgio disputatio, præsertim inter P. Maximilianum Le Dent S. I., & Franciscum Farvacquesium Ord. S. Augustini, ut ad censuras, quas ultro citroque iaculabantur, compescendas Alexander VII. anno *1667.* sequens ediderit decretum.

II. „ Fer. 5. Maii MDCLXVII. SS. D. N. ALEXANDER PAPA VII. cum acceperit non sine gravi animi mœrore, Scholasticos quosdam acrius, nec absque fidelium scandalo inter se contendere, an illa attritio quæ concipitur ex metu gehennæ, excludens voluntatem peccandi cum spe veniæ, ad impetrandam gratiam in sacramento pœnitentiæ requirat insuper aliquem actum dilectionis Dei, asserentibus quibusdam, negantibus aliis, & invicem adversam sententiam censurantibus: Sanctitas sua, enixe cupiens pacis vinculum inter fideles servari, omnemque scissuræ fomitem extinguere, auditis votis Eminentissimorum & Reverendissimorum DD. Cardinalium Inquisitorum, nec non DD. Consultorum & Qualificatorum S. Congregationis eiusdem generalis Inquisitionis hoc præsenti decreto in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ huic sanctæ Sedi reservatæ, aliisque pœnis eiusdem sanctæ Sedis arbitrio taxandis, præcipit cunctis, & singulis fidelibus, quocumque gradu, ac dignitate episcopali, & maiori, immo & cardinalitia fulgentibus, ut si deinceps de materia attritionis præfatæ scribent, vel libros, aut scripturas edent, vel docebunt, vel prædicabunt, vel alio quovis modo pœnitentes, aut scholares, ceterosque erudient, non audeant alicuius theologicæ censuræ, alteriusve iniuriæ aut contumeliæ nota taxare alteram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata attritione ex metu gehennæ concepta, quæ HODIE inter Scholasticos communior videtur, sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem, donec ab hac sancta Sede fuerit ALIQUID hac in re definitum. “

III. An Ven. Innocentius XI. anno *1679.* *aliquid* hac in re definierit, infra videbimus: Decretum istud eo unice tendit, ut, sublatis dicteriis, maledictis, & censuris, quæ ultro citroque in Belgio intorquebantur, pacificam disputationem, & gravem, ut Theologos decet, restituat; ut bellum, quod ***nonnihil cruentum***, te-

teste P. Francolino, P. Maximilianus *Le Dent* intentaverat P. Francisco *Farvacquesio*, omnino *incruentum* redderet. Omnia quæ pro utraque sententia in hoc decreto referuntur, historica sunt, & nihil omnino ponderis uni præ altera sententiæ adiicit; sed utramque, ad meritum quod attinet, in proprio statu relinquit, & unice reciprocas censuras severe prohibet. Huc pertinet universi decreti scopus, ut omnibus compertum est.

IV. Ex hoc decreto evidenter colligitur, quam arbitraria sint commenta quibus innumeri iuniores Casuistæ contendunt, Concilium Tridentinum ita approbasse attritionem servilem, ut opinio contraria sit omnino improbabilis. At si revera improbabilis esset sententia *attritionis initialis*, & moraliter certa, & omnino secura opinio attritionis formidolosæ, prohibuisset ne Alexander VII. ne quis alterutram sententiam censuris notaret? Sed de præsidentia plurium Casuistarum in carpenda, & diffamanda sententia quæ in iustificatione peccatoris postulat caritatem initialem, mox dicam.

§. V.

Commentum P. Claudii La-Croix *in decretum Alexandri VII. exponitur.*

I. P. Claudius La-Croix *Lib. VI. part. II. num. 875. pag. mihi 197.* sibi opponit decretum Alexandri VII. deinde hanc format argumentationem. „ Dicere, opinionem quæ requirit dilectionem, esse absolute improbabilem, est „ eam afficere censura, iniuria, & contumelia. Sed hoc prohibet Alexander „ VII. Ergo. Resp. Decretum expresse loquitur de illa tantum opinione quæ re„ quirit *aliquam dilectionem Dei in attritione ex metu gehennæ concepta*. Hanc „ autem opinionem nos (non) oppugnamus, sed fatemur aliquam Dei dilectio„ nem esse necessariam, unde ex hoc decreto confirmantur illa quæ diximus: „ Itaque distinguo antecedens. *Sententia requirens aliquam dilectionem non potest* „ *dici absolute improbabilis*; concedo: *requirens dilectionem ex motivo caritatis*; „ nego. “ Peregregie. Duæ opiniones referuntur in decreto, inter Theologos controversæ; quarum neutra censuris obnoxia est. Una, *quæ requirit aliquam dilectionem Dei in attritione ex metu gehennæ concepta*: & hæc sententia *non potest dici absolute improbabilis*. CONCEDO, inquit P. La-Croix, quia hæc dilectio non est ex motivo caritatis, sed spei: est amor castæ concupiscentiæ, qui necessario antecedit spem. Quænam altera in decreto contenta, quæ iuxta P. La-Croix sit *absolute probabilis?* Dicturus ne erit P. La-Croix neutram ex duabus opi-

opinionibus contentis in decreto esse *absolute probabilem ?* Itaque illa opinio quæ in attritione requirit aliquam dilectionem quæ non sit ex motivo caritatis, *non est*, ait P. La Croix , *absolute improbabilis* . Ergo opposita , quæ nullam omnino requirit dilectionem neque concupiscentiæ, neque spei, illa opinio est quæ dici debet absolute probabilis. Atqui opinio quæ excludit spei dilectionem , excludit spem ipsam; cum, fatentibus omnibus , impossibile sit spem veram dari quam dilectio concupiscentiæ non præcedat . Porro opinio quæ asserit , spem non esse necessariam in attritione & dispositione ad iustificationem in sacramento obtinendam, est , quid ? Erronea , temeraria , hæretica ? Declarabit *novissimus Anonymus* illustrator P. La-Croix, quem ab imposturis, ut ille ait, & maledictis vindicandum suscepit, cuique supplementum adiecit . Concilium Tridentinum clare definit CUM SPE VENIAE. Sed alterum distinctionis membrum rescribamus. Opinio *requirens dilectionem ex motivo caritatis*; nego. Cedo : hæc opinio est ne una ex duabus In decreto contentis ? Si negas; ergo una ex duabus contentis in decreto excludit dilectionem spei, atque adeo spem ipsam . Altera vero, quæ admittit dilectionem spei, *non est absolute improbabilis* . Et hanc opinionem , inquit P. La-Croix, non oppugnamus. Bene habet. Cedo : quænam ergo ex duabus opinionibus, de quibus sermo est in decreto, non solum *probabilis*, non solum *probabilior* , non solum *probabilissima* , sed *moraliter certa est ?* Opinio quæ requirit aliquam dilectionem quæ non sit ex motivo caritatis , *non potest dici absolute improbabilis*, inquit P. La-Croix . Opinio quæ requirit aliquam dilectionem ex motivo caritatis, *est absolute improbabilis* . Ergo non solum probabilis , probabilior , probabilissima , sed moraliter certa est opinio quæ in attritione ex solo timore concepta nullam dilectionem spei, atque adeo neque spem ipsam requirit . En in quos laqueos, in quos anfractus se sponte detrudunt adversarii . Huc prolabuntur omnes qui contra veritatem belligerant . Ceterum P. La-Croix nimis crasse vel ipsum statum controversiæ ignorare videtur . Nam duarum opinionum quæ in decreto recensentur , altera requirit aliquam dilectionem necessariam ex motivo caritatis ; altera hanc dilectionem excludit . Etenim Catholicorum nemo asserit, amorem spei, seu spem, quæ sine præcedente amore haberi nequit, non requiri ad iustificationem. Ergo manifeste errat P. La-Croix, dum inquit, in decreto Alexandrino mentionem haud fieri opinionis requirentis dilectionem aliquam ex motivo caritatis in attritione necessaria ad iustificationem.

tii XI. quo cavetur ne censura, nota, aut convicio notentur propositiones *quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur?* Decretum istud, in quo nullæ opiniones sigillatim indicantur, extendunt Probabilistæ ad quamlibet laxissimam opinionem, quæ si ab uno, & altero Probabilista defendatur, statim inter catholicos Doctores eam controverti contendunt. Alexander VII. sigillatim de hac duplici opinione loquitur: & P. Viva inquit, decretum istud non impedire *quominus aliqua ex iis dici possit improbabilis*; ac si plures quam duæ fuissent opiniones de quibus erat disputatio. Prohibet enim Pontifex ne *alterutram sententiam* quisquam censura notare audeat. Verum hæc obiter.

IV. Admissa itaque doctrina P. Viva, licitum quoque nobis erit reiicere vi solius decreti Alexandri VII. opinionem de attritione servili, tamquam *falsam*, *&* *omni probabilitate destitutam*. Violatores ne tunc nos erimus Alexandrini decreti? At id de hac nostra opinione dici nequit, reponet P. Viva, quia opinio attritionis formidolosæ *communior est inter Scholasticos*. Ita ne vero? Pontifex summus dixit an. 1667. *Quæ hodie inter Scholasticos communior videtur*. Notandum *τὸ hodie*. An antea erat communior? An postea? Tempore Alexandri VII. Probabilismus attigerat ultimam metam; sed post damnatas ab eodem, & ab Innocentio XI. propositiones, continuo languere, & decrescere cœpit, & *hodie* apud doctos, & a partium studio vacuos penitus defecit. Et hinc magnum decrementum passa est attritio formidolosa. Quamobrem *hodie* inter celebriores universitates, & sapientes viros, qui gravissimam hanc controversiam ad Scripturarum, Patrum, & præsertim Actuum Tridentinorum, non ad Casuistarum tribunal expendunt, *communior videtur* sententia attritionis initialis, ut infra patebit. Aliud mirificum interpretamentum profert decreti Alexandrini P. Viva *cit. num. 33.* ubi ait, ALEX. VII. *asserere AUTHENTICE sententiam negantem necessitatem amoris in attritione esse inter Scholasticos communiorem*. *Videtur*, inquit Pontifex, *inter Scholasticos communior*. Et *τὸ videtur* præfert *authenticam* definitionem? An hoc sit decipere lectores imperitos, ceteri viderint. Nihil quippe in hoc decreto *authentice* definitur; sed factum historice narratur. Aliud non minus chimæricum commentum affingunt præfato decreto, quo historice refertur sententia, *an attritio ex metu gehennæ excludens voluntatem peccandi* &c. Et Casuistæ heinc inferunt, Alexandrum VII. declarasse attritionem ex metu gehennæ conceptam excludere voluntatem peccandi. Hæc est manifestissima falsitas. Nihil enim ibi Pontifex declarat; sed narrat sententiam, prout illam exponunt eiusdem Auctores, ut compertum omnibus est.

V. Quid plura? P. Viva ultra pergit. Docet ita improbabilem esse sententiam nostram, & exuisse omnem probabilitatem, *sicut plures opiniones postquam a Pontificibus damnatæ sunt*. Eodem ergo loco, iudice sedente P. Viva, habenda est

hæc nostra de attritione initiali sententia quo habentur propositiones ab Ecclesia damnatæ. Et dum talia scribit *P. Viva*, obsequium, & obedientiam exactissimam se præstare credit Alexandrino decreto. Iudicent autem æqui rerum æstimatores, quo partium studium, & impotens erga opiniones minus probabiles inveteratus amor impellat. Sed forte inquires, quo prætextu nixus talia afferat P. Viva. Respondet ille ibi num. 31. *Prohibitio autem illa Alex. VII. ne alterutra ex iis opinionibus censuretur, non infert utramque opinionem esse probabilem, cum huiusmodi prohibitiones sæpe fiant in bonum pacis, & ad vitandas discordias, NON IN GRATIAM VERITATIS*. Peregregie. An hæc interpretandi methodus præbeat IANSENISTIS eludendi diplomata pontificia ansam, penes eos sit iudicare quorum interest. Quisque imposterum clamitare poterit: Constitutiones S. Romanæ Sedis *sæpe fiunt in bonum pacis, & ad vitandas discordias, non in gratiam veritatis*. Hac admissa interpretatione, quo res recidat, nemo non videt. Peiora in hoc genere videbis infra de confessione epistolari adversus Clementem VIII. & Paulum V. Perdocti Salmanticenses Scholastici *Tom. XII. tract.* XXIV. *disp.* VII. *dub.* I. *§.* 2. *num.* 9. indicatas censuras, collectas a P. Viva ex Lugo, Candido, Ardeskino, Dicastillo, Francolino, aliisque referunt, inquientes: *Censuram in oppositam sententiam* nullo modo *approbamus vel admittimus . . . Nam præ oculis habemus, & reverenti obedientia suspicimus, & suscipimus decretum SS. D. N. Alex. VII.* &c.

VI. Sed inquires, cur tanto studio contendant recentiores censuras falsitatis, improbabilitatis, & implicitæ damnationis inurere sententiæ nostræ. Quia Alexander VII. prohibet alterutram opinionem censura notari, *donec ab hac S. Sede fuerit ALIQUID in hac re definitum*: & quia S. Sedes, Ven. Innocentio XI. sedente, *aliquid* definivit, nempe tutiorem in perficiendis sacramentis opinionem adhibendam esse; idcirco omni arte curarunt ut opinio quæ tempore Alexandri VII. ad summum erat extensive communior inter Scholasticos, evaderet non modo probabilissima, sed moraliter certa, & tutissima. Verum ex præfato decreto nos evidentissimo (nisi me amor fallat) ratiocinio opinionem formidolosæ attritionis improbare nunc valemus, tamquam contentam in prima propositione damnata ab Innocentio XI. Sed de hoc infra sermo erit.

VII. Lubet transcribere quæ animadvertit Cl. BOSSUETUS in laudatum decretum Alexandrinum. *In opusc. de doct. Conc. Trid. pag.* 111. *& seq.* hæc scribit. „ Vetat Pontifex ne se invicem *censurent*, *taxent*, theologicas censuras, &, ut „ aiunt, qualificationes inurant, neve iniuriis, & contumeliis mutuo se proscin„ dant: iubet ut caritatis vinculum servent. Id quidem vel maxime pertinet „ ad eos coercendos qui *quotidie nostram, hoc est Concilii Tridentini, de incipien„ tis dilectionis necessitate doctrinam passim infamant*, tamquam eam quæ purum „ pu-

„ putumque *Lutheranismum* aut *Calvinismum* inducere, aut redolere videatur. „ Sane contrariam partem a talibus quoque abstinere oportet . . . Ait Pontifex „ sententiam negantem . . . inter Scholasticos videri communiorem. *Videri* sa- „ ne, non esse. *Opinionem*, non autem scholæ decretum, aut dogma. *Commu-* „ *niorem*, non proinde stabilem ac certam: *hodie* non ab antiquo: *inter Schola-* „ *sticos* hodiernos certe, non Patres: quid tum postea? Melchior Canus vir do- „ ctissimus *Lib. de loc. theol.* . . . clare pronuntiat, nemine repugnante, aliud „ esse scholæ decreta, ac firma dogmata; aliud opiniones mobiles & fluctuan- „ tes. Nunc autem confitendum est, multas invaluisse opiniones quæ ab ante- „ actæ ætatis auctoritate deficiant, *pronis ad laxiora ingeniis, & ad nova pru-* „ *rientibus auditorum auribus. An propterea putemus illi nunc quidem forsitan* „ *communiori opinioni aliquam conciliatam esse vel tenuissimam probabilitatis au-* „ *ctoritatem? Absit.*

VIII. Hactenus ostensum est auctoritate Actorum Concilii Tridentini, & Cardinalis Pallavicini, & legitima interpretatione ipsius decreti Tridentini reformati, & decreto Alexandri VII. Concilium Tridentinum laudata *sess.* XIV. *cap.* IV. nec tantillum favere opinioni formidolosæ, cuius vestigium in solius Episcopi Granatensis voto deprehendit Eminentissimus Historicus Pallavicinus. Tanti autem Historici auctoritas prævalet in hac materia sexcentis Casuistis, qui Acta illa synodalia nec viderunt, nec examinarunt, sed plurimi mutuo se se exscripsere.

CAPUT IV.

PRAEIUDICIUM SECUNDUM

convellendum, est genealogia utriusque sententiæ; quam texit P. Francolinus *cum aliis Probabilistis.*

I. ANtequam genealogiam sententiæ propugnantis necessitatem amoris initialis, a R. P. Balthasare Francolino contextam rescribo, operæ pretium existimavi, propositiones damnatas, vulgo Baianas, quæ nobis opponi solent, ob oculos ponere. Sunt autem sequentes.

Prop. 31. *Caritas perfecta, & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tam in catechumenis, quam in pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum.*

Prop. 32. *Caritas illa quæ est plenitudo legis, non est semper coniuncta cum remissione peccatorum.*

Prop·

Prop. 33. *Catechumenus iuste, ac recte, & sancte vivit, & mandata Dei observat, ac legem implet per caritatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quae in baptismi lavacro demum percipitur.*

Prop. 70. *Homo existens in peccato mortali, sive in reatu aeternae damnationis; potest habere veram caritatem, & caritas etiam PERFECTA potest consistere cum reatu aeternae damnationis.*

Prop. 71. *Per contritionem etiam cum caritate PERFECTA, & cum voto suscipiendi sacramentum coniunctam non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut martyrii, sine actuali sacramenti susceptione.*

II. In his propositionibus sermonem haberi de caritate habituali, aut actuali perfecta, atque perfecta contritione, communis est Theologorum interpretatio. Unum & alterum allegare sufficiat. Doctor eximius Franciscus SUAREZ in *III. Part. ad art. 1. quaest.* lxxxv. *disput.* IV. *sec.* 2. *num.* 1. inquit: „ Hic vero referri „ posset nova quaedam opinio Michaelis Baii, qui fatebatur quidem, *gratiam &* „ *caritatem* in eodem momento infundi in quo homo habet actum contritionis „ vel dilectionis; peccata vero non statim remitti, etiam quoad culpam, donec „ sacramentum baptismi, vel poenitentiae reipsa recipiatur: ex quo plane sequi- „ tur, talem actum non statim esse pleno formatum. Illa tamen sententia sup- „ ponit falsos errores, scilicet quod peccatum numquam remittatur usque ad „ realem susceptionem sacramenti, & consequenter sine hac susceptione non pos- „ se hominem salvari. Item posse esse hominem in statu peccati, immo & con- „ demnari CUM HABITIBUS GRATIAE, ET CARITATIS. "

III. Alter Theologus est omni exceptione maior, Cardinalis Bellarminus, qui *Lib. II. de poenit. cap.* XIII. haec de his propositionibus scribit. „ Fuit Doctor quidam „ ante paucos annos, qui in libro quem de caritate conscripsit, adversus communem „ sententiam docuit, catechumenis poenitentibus, quamvis PERFECTE conver- „ sis, & caritate flagrantibus, non remitti peccata, sive reatum mortis aeternae, „ nisi cum vel baptizantur, vel reconciliantur ministerio Sacerdotum, nisi forte „ in mortis articulo . . . Scriptori illi catholico, qui veram PERFECTAMQUE „ CONTRITIONEM cum reatu letalis peccati usque ad sacramenti perceptio- „ nem manere contendit, opponimus primum &c. "

IV. Innumeros alios recensere Theologos possem qui eamdem confirmant interpretationem. Quid quod interpretatione nulla opus est, cum obvius, & perspicuus sit propositionum sensus? In nulla quippe earum vel leve vestigium apparet sive caritatis inchoatae, sive imperfectae contritionis. Et tamen has nobis obtrudere propositiones minime erubescunt adversae opinionis patroni.

V. P. Francolinus *Lib. I. cap.* 1. indicatis constitutionibus S. Pii V. & Gregorii XIII. adversus propositiones Baianas, redarguit Castoriensem, Iuveninum, alios-

que,

que, quod has constitutiones dissimulent. *Quamvis*, inquit, *nescio quas alias quorumdam Pontificum, quas nobis contrarias putant, perpetuo nobis obtrudant*. Quam venusta sit phrasis ista, dici vix potest. *Nescio quas? Pontifices quidam?* Non ergo appellari suis nominibus merentur Alexander VII. & Ven. Innocentius XI. qui diris devovere sequentes laxissimas, & scandali plenas opiniones quorumdam Casuistarum? 1. *Homo nullo umquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & caritatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium*. 2. *An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus*. 3. *Probabile est ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum caritatis erga Deum*.

§. I.

Orsa genealogiæ sententiæ contritionis imperfectæ *repetit* P. Francolinus *a Donatistis, & Pelagianis. Illius incrementum Luthero, & Calvino, propagationem Baio, Iansenio, Castoriensi, Arnaldo, Merbesio, Lupo, Iuvenino, Genneto, aliisque adscribit.*

I. FIdem superant omnem quæ proposita sunt: idcirco verbis eiusdem Francolini demonstranda sunt. *Lib. I. de dolor. necess. ad sac. pœnit. cap.* VIII. *&* IX. hoc ostendendum proponit. *Unde petenda sit genealogia prædictæ sententiæ?* Donatus, subdit, omnium primus damnavit eos qui pœnæ timore ad cultum veri Dei trahebantur, *quique proinde primus videtur esse in dicta genealogia parens*. Donatistis accessere Pelagiani, qui similiter putarunt, non bene homines a peccatis revocari metu pœnæ inferente quamdam violentiam.

II. Horum hæreticorum errorem cumulavit Lutherus, qui *damnavit* contritionem imperfectam, seu attritionem *ex illis præcise* capitibus, quibus sæpe adversarii, inquit Francolinus, nos redarguunt, quod videlicet is timor sit coactus. Ita ne vero? Ecquis Catholicorum damnavit umquam contritionem imperfectam? Ceterum errores Lutheri se penitus ignorare ostendit Francolinus. Audiat illum in Catholicos debacchantem *cap.* XXII. *in epist.* ad Galatas. *Sophistæ cæci somniant, fidem non iustificare, nisi ornata sit operibus caritatis*. Quid de contritione ex timore concepta Lutherus blateret, infra dicam. Sed quid abrumpo genealogiæ filum?

III. *Eamdem* (sunt ipsa Francolini verba, non truncata, sed integre relata) *caritatis necessitatem ad bene pœnitendum, & in universum ad recte operandum satis insinuat Calvinus Lib. III. Inst. cap.* XVI. *§. 3. & cap.* XVIII. *§. 2.* Propterea ne Hæresiarcha Calvinus audit, quia caritatis necessitatem ad bene pœnitendum, & re-

cte

cte operandum *insinuat*? Vetitum ergo interdictumque vel *insinuare* caritatem ad bene pœnitendum, & in universum ad recte operandum? Opusne aliquod vita æterna dignum caritate destitutum? Utinam Calvinus caritatis officia insinuasset ad nostram comparandam iustificationem. Sed uni fidei iustificationem peccatoris ille adscribit *loc. cit.* a Francolino §. 8. & non 2. inquiens: *Adducuntur & illæ Pauli sententiæ*: Si habeam omnem fidem, ita ut montes loco dimoveam, caritatem autem non habeam, nihil sum . . . *item*: Super omnia habete caritatem; quod est vinculum perfectionis. *Ex his quius duobus contendunt nostri Pharisæi, caritate nos iustificari potius quam fide, virtute nimirum, ut ipsi aiunt, potiore. At nullo negotio diluitur hæc argutatio* &c. Tantum ergo abest ut Calvinus caritatem insinuet ad bene pœnitendum, ut Pharisæos nos vocet, qui illam exigimus, perfectam quidem extra sacramentum, imperfectam vero cum sacramento. Dupliciter itaque errat Francolinus, & quod caritatis persuasionem ad recte pœnitendum, sancteque operandum improbet, & quia Calvino adscribit id quod Calvinus inficiatur.

IV. *Cap.* IX. sic persequitur suam genealogiam Francolinus. Prædictos errores temperare sibi visus est *Michael Baius*, & post ipsum Iansenius Iprensis Episcopus; sed temperamentum fuit in solis verbis, non in verborum sensu. Comparat doctrinam *Baii*, & *Iansenii* cum *Lutheri* doctrina, ut genealogiæ texturam perficiat, & catholicorum Theologorum nominibus, veluti floribus quibusdam, exornet. Subdit enim, ceteros Theologos catholicos, attritionis initialis defensores, ex fonte *Baii*, & *Iansenii* hanc epotasse doctrinam: & ut decretorie id statuat, adducit testimonium de-Lugo, mollioris Ethices singularis patroni, qui insignem Theologum Franciscum Sylvium Baianismi lue inquinare minime dubitat *disp.* v. *de pœnit. sec.* 8. *num.* 118. his verbis. *Videri quod SYLVIUS eius propugnator desumpserit ipsam ex Molano, & Guillelmo Estio. Sed de utroque curandum non est: fuerunt enim discipuli Baii, cuius doctrinam quacumque via possent, tueri vellent.* Repetit Francolinus, Sylvium, Christianum Lupum, ceterosque iisdem prorsus argumentis hanc sententiam amoris initialis defendere quibus eam propugnarunt Baius, & Iansenius. Singularem parallelum instituit inter Lupum, & Iansenium.

V. Concludit hoc caput IX. his verbis. „ Nec is ego sum qui velim *hæresis notam, immo nec erroris* inurere adversariis. Id solum volo ostendere, qui sit fons „ eorum doctrinæ sententiæque, qui sint illi quos sequuntur, quasque propositiones ex ipsis acceperint, nescio an probandas. An vero sit argumentum in materia inter Catholicos controversa, ex duabus sententiis eam reiicere quam omnes fere Doctores catholici tamdiu post Tridentinum secuti sunt, ut ostendi, „ quamque ii qui sequuntur modo, sunt absque dubio omnes Catholici; eam vero amplecti, & propugnare quam invexere *novatores*, iidemque, vel eorum „ discipuli modo propugnant, iudicent alii. “

VI.

VI. Scilicet, resumo ego, alii iudicent, modestiam ne, prudentiam, gravitatemque, an præsidentiam, nimiumque partium studium præferat Francolini scriptio. Interim ego sic urgeo Francolinum. Lutheranismus, & Iansenismus redolent ne hæresim, aut secus? Si negat; hæresim ipse pronuntiat. Si ait; cedo: nullam ne censuram affingit Catholicorum doctrinæ, dum adfirmat legitimam esse sobolem ipsius Lutheranismi, Calvinismi, & Iansenismi? Et dum talia scribit, obsequio summo nonne obtemperat decreto Alexandrino? Præterea manifestis antilogiis semetipsum conficit Francolinus, atque damnatæ hæreticorum doctrinæ notam Catholicis inurere, & non inurere studet. Conceptis verbis, & fuso sermone ostendere ille pertentat, eamdem omnino sententiam in hac controversia docere Sylvium, Estium, Lupum, Merbesium, Iuveninum, & ceteros, *QUAM INVEXERE NOVATORES*. Insuper testatur se nolle iisdem neque *hæresis notam, immo nec erroris inurere*. Cedo: novatores aut docent errorem, aut secus? Si secundum; novatores, ad hoc quod attinet, non sunt; & calumnia teterrima tum novatoribus, tum Catholicis impingitur. Si primum; catholici Theologi eamdem omnino sententiam docent ac novatores: & illis erroris notam non impingit? Rursus: aut Theologi a novatorum erroribus hanc sententiam defæcarunt, aut secus. Si secundum; idem quod prius. Si primum; ruit tota genealogia.

VII. Explicatis *cap.* IX. primordiis sententiæ attritionis initialis pergit *cap.* X. ad exponendam eiusdem propagationem. Inquirit, *ubi, quando, & a quo potissimum fuerit hæc sententia propagata, & propugnata*. Definit autem, eodem tempore cœpisse sententiam hanc propagari quo amplificatus est Iansenismus, & in iisdem quidem regionibus. Ab eo autem tempore per totum Belgium, & per finitimas regiones, mox per alias se se diffudit. *Per alias, inquam, non tamen per illas in quas nec LUTHERANISMUS, nec CALVINISMUS, nec BAIANISMUS penetravit. In has profecto nec ista sententia pedem intulit.* Et tamen, ipso Francolino teste, pedem intulerat in *Lyceum Romanum*, in quo eam docuerat Cardinalis Pallavicinus, ut vidimus supra *cap.* II. *§.* II. *num.* I. adductis Francolini verbis. Meditentur lectores, quo partium studium præcipitem egit hunc Auctorem, qui contra gravissimum Alexandri VII. obedientiæ mandatum, Lutheranismi, Calvinismi, Baianismi, & Iansenismi tetra fuligine tingere doctrinam quam ab omni censura immunem voluit Pontifex summus, non reformidat. Sed genealogiam persequamur.

VIII. Qui hanc obligationem, pergit Francolinus, præ ceteris exaggeravit, fuit Antonius Arnaldus, post Ioannes Neercassel Episcopus Castoriensis, Ioannes Obstraet, Gummarus Huigens, Macarius Avermans. De Arnaldi vicibus plura scribit. Eiusdem e Sorbona eiectionem, & secessum in Belgium, ubi susceptus est ab Episcopo Castoriensi, cuius epistolas ad Arnaldum, & alia plura congerit, quæ incolatum Arnaldinum in Belgio spectant, atque genealogiam attritionis initialis mi-

mirifice, & aptissime illustrant; & plura alia narrat de *Rosariis*, *Scapularibus*, *Chordulis*, aliisque id genus pietatis symbolis, de confraternitatibus, de peregrinationibus, quæ sunt veluti suæ genealogiæ ornamenta. Synopsim quamdam perstringit Libri Castoriensis inscripti, *Amor pœnitens*.

IX. *Capiti* 10. *& Libro I.* finem imponit P. Francolinus hoc consectario, quo infert, omnes Theologos catholicos assertores attritionis initialis nullius esse auctoritatis. Cur? Quia Lutherus, Calvinus, Baius, Iansenius, Arnaldus, Castoriensis, a quibus hanc acceperunt sententiam, omni sunt destituti auctoritate. Omnes enim discipuli inferiores in doctrina, eruditione, & existimatione sunt laudatis magistris. Ergo nullam auctoritatem huic sententiæ adiicere valent, quantuscumque sit illorum numerus. Sunt hæc, inquis, supra quam dici potest, monstrosa paradoxa.

X. Ne quis adduci in suspicionem queat, quidquam per exaggerationem dictum esse, verba ipsa Francolini transcribo ex *loc. cit.* „ Quæro enim abs te, an aliquam auctoritatem habeant in doctrina fidei, & morum, qui prædictas propositiones dictarunt &c.

„ *Cler.* Nullam prorsus auctoritatem habere possunt.

„ *Mag.* Ergo nec reliqui prædictæ sententiæ Doctores. Nullus enim ex ipsis tantam habet apud suos æstimationem, immo omnes longe minorem quam prædicti. Ergo neque illi qui *hos Doctores sequuntur*, *quantuscumque sit eorum numerus*, auctoritatem ullam huic sententiæ conciliare possunt. Non enim in doctrinam, in quam ex magistris nulla refunditur auctoritas, & æstimatio, refundi potest ex numero discipulorum, longe doctrina, & eruditione inferiorum.

„ *Cler.* At qui contingere potest ut tam multi, iique Catholici, piique sequantur hos Doctores omni prorsus auctoritate carentes?

„ *Mag.* At unde habes quod omnes qui eos sequuntur, Catholici sint? .... Sunt igitur ex tam multis, quos dicis esse prædictorum magistrorum discipulos, separandi Iansenistæ a Catholicis. At quis hanc separationem faciet? Inimici suspecti sunt, aut esse dicuntur. Amici non loquuntur. Opera ipsa eos non ita facile distinguunt, & separant. Ceterum, si separatio fiat, o quam decrescet ille magnus numerus pro contritione pugnantium!

„ Verum sint etiam multi, iique Catholici, pii, doctique, qui prædictos Doctores sequuntur. Non enim ex vera eos auctoritate sequuntur, sed apparente."

XI. Habes nunc sinceram imaginem *Francolinianæ genealogiæ* sententiæ attritionis initialis, seu contritionis imperfectæ necessariæ ad obtinendam in sacramento iustificationem. Paucis tibi illam perstringo. Hæc sententia, inquit P. Francolinus, originem suam arcessit a Donatistis, a Pelagianis, quam foverunt Lutherus, & Calvinus. Incrementum illa a Baio, & Iansenio, & propagationem a Molano,

no, Castoriensi, Arnaldo, ceterisque Ianseniftis accepit. Isti sunt magistri huius sententiæ. Quinam discipuli? Cardinalis Pallavicinus, Lupus, Huygens, Obstraet, Merbesius, Iuveninus, Le Drou, Natalis Alexander, & innumeri alii Theologi catholici. Omnes isti discipuli, *quantuscumque sit illorum numerus*, nullam auctoritatem *huic sententiæ conciliare possunt*. Quoniam non plus discipuli isti auctoritatis habent quam magistri. Magistri sunt Donatistæ, Pelagiani, Lutherani, Calviniani, Baiani, Ianseniani. Aliqua ne isti potiuntur auctoritate in Ecclesia, a qua præcisi sunt? Ergo potiore iure discipuli, tametsi Catholici, omni prosus carent auctoritate, qua fieri hæc sententia probabilis queat.

XII. Hoc est ratiocinium P. Balthasaris Francolini. Hæc genealogia sententiæ attritionis initialis. Tu forsitan expectabis, ut ego vividis coloribus depingam huius Auctoris, & similium ius illud quo catholicos Theologos hæreticorum affeclas atque pedissequos declarant, atque diffamant, ut prudentiam & moderationem in promovenda laxiore Ethice, ut illorum obedientiam & obsequium erga Apostolicam Sedem, quæ eiusmodi acerbissimas censuras vetat, ut *Bibliothecam Iansenianam*, cui pro arbitrio inserunt catholicos Theologos laxioris Ethices oppugnatores, ob oculos ponam. At falleris. Hæc omnia doctioribus meditanda relinquo. Illud me torquet quod videam imperitos lectores, Parochos, & Confessarios in re omnium gravissima, qualis est sacramentaria, ex eiusmodi libris decipi, atque in extremum adduci discrimen, ut mox patefaciam. Illud a te peto ego, ut non a quo veritas dicatur, attendas, sed num quæ proponitur, veritas sit, expendas. *Numquid* (inquit Augustinus contra Petilianum cap. 111.) *dicere non debemus, quod bonus Deus fecerit mundum, quia hoc etiam dicit Manichæus?* Traducat nos P. Francolinus cum aliis pro sua humanitate, prudentia, & iure, quod sibi vendicat, tamquam discipulos Lutheri, Calvini, Baii, & Iansenii: clamet nos istorum discipulos non plus auctoritatis habere quam habeant præfati magistri, qui ipso iudice doctiores fuerunt. Hæc omnia christiana patientia sustinemus, illique, & aliis condonamus omnia. Interim tu, lector cordate, quæ dicturus sum, expende.

§. II.

Theologi qui interfuerunt sessioni XIV. Concilii Tridentini, testantur attritionem servilem esse materiam dubiam sacramenti pœnitentiæ.

I. Missa sententia illorum qui & ante, & tempore Concilii perfectam contritionem postulabant ad pœnitentiæ sacramentum, illorum dumtaxat alle-

allegabo teſtimonia qui attritionem ſufficere concedunt; at ſimul admonent hoc dubium eſſe, & incertum.

II. Ruardus Tapperus, qui *ſeſſ.* XIV. interfuit *in expoſitione art.* 4. *Lovanienſis de contritione.* hæc ſcribit. *Quod attritio ſufficiat, quamvis verum ſit, NON EST TAMEN CERTUM ATQUE INDUBITATUM.*

III. Melchior Cano, eiuſdem Concilii Theologus, & a partium ſtudio, ſi quis alius, vacuus, cuiuſque teſtimonium ab omnibus ſuſpicitur, *relect. de pœnitent. part.* V. *ad* 3. *arg.* hæc teſtatur. *Reſpondetur, quod contritio ponitur pars ſacramenti, quia eſt CERTA, ET INDUBITATA MATERIA. Quod autem attritio ſufficiat, quamvis verum ſit, NON EST TAMEN ADEO CERTUM ET INDUBITATUM: & ideo Concilium Florentinum, COMMUNISQUE SENTENTIA tenens certum, relinquens incertum, PONIT CONTRITIONEM partem eſſe huius ſacramenti.* Quid ad hæc neoterici Probabiliſtæ? Tempore proximo ipſi Concilio Tridentino abſolute communis ſententia Catholicorum propugnabat attritionem incertam eſſe ſacramenti materiam.

IV. Dominicus SOTO, celeberrimus Concilii Tridentini Theologus, in *IV. diſt.* XVIII. *quæſt.* III. *art.* 2. hanc proponit quæſtionem. *Utrum ad ſacramentum pœnitentiæ, ut gratiam conferat, requiratur contritio in ſe, vel ſaltem in opinione peccatoris, ut putet ſe eſſe contritum; an vero ſufficiat attritio etiam cognita.* Et facta diſtinctione inter baptiſmum, & pœnitentiam reſpondet. *Sacramentum pœnitentiæ eſt eorum qui, cum per proprium actum, & voluntatem averſi ſunt a Deo, eadem voluntate in ipſum convertuntur: at vero quem peccati, quatenus offenſa Dei eſt, non pœnitet, CERTE NON convertitur. Nam ad amicitiam reſarciendam requiritur pœnitentia offenſæ amico illatæ. Accedit demum quod DOCTRINA HAEC DE ATTRITIONE, quæ in ſacramento fit contritio, licet ſit vera, NON EST TAMEN ITA MULTUM VETUS. Patres enim antiqui SOLAM contritionem agnoſcebant neceſſariam ad confeſſionem: Revera eum qui mihi diceret, non ſe pœnitere propter Deum, abſolvere non auderem.* Ibidem paullo ante præmittit Soto. *In Concilio ſolum determinatur in genere, quod contritio eſt pars ſacramenti. Quod autem contritio formata ſit neceſſaria ut ſacramentum ſit perfectum, & efficax, vel attritio ſufficiat ad ſubſtantiam ſacramenti, THEOLOGORUM SCHOLIS RELICTUM EST EXPLICANDUM.* Diſſertius idem Soto ſubdit *diſt.* XX. *quæſt.* II. *art.* I. ſcribens. *Arbitror, attritionem, niſi quæ exiſtimetur contritio, NUMQUAM ſufficere ut per ſacramentum conferatur gratia, eo quod accuſatio, quæ debet eſſe ſignum pœnitentiæ, qua ratione offendit Deum, non eſt ſignum verum ſecundum conſcientiam, & exiſtimationem pœnitentis, quia loqueretur contra cor.* Denique *diſt.* XIX. *quæſt.* II. *art.* 3. ait: *Quod attriti fiant contriti per ſacramentum; ſolum eſt Scholaſticorum collectio, quæ, quamquam vera ſit, NON EST*

CER-

CERTE DIGNA CUI BILANCES NOSTRAE PERPETUAE SALUTIS, AUT DAMNATIONIS CONFIDAMUS.

V. Petrus Soto, novatorum strenuus debellator, qui Londini catholicam doctrinam e cathedra propugnavit, qui Academiam Delinganam adversus hæreticos instituit, qui lucubrationibus auro cedroque dignis Lutheranam, & Calvinianam impietatem labefactavit, qui denique inter celebratissimos Tridentini Theologos resplenduit, in suo opere *de instruct. Sacerd.* fuso sermone sacramentum pœnitentiæ illustrat, eiusque partes contritionem, confessionem, & satisfactionem perspicue dispicit; nullibi docet attritionem servilem sufficere, sed contritionem ubique necessariam asserit, solumque distinguit contritionem in perfectam, & imperfectam ex graduum intensionis diversitate. Plures instituit de contritione lectiones, nullibi vel obiter asserit, dolorem ex solo pœnarum metu conceptum, exclusa caritate, sufficere ad sacramentum. Liceat aliqua, tametsi prolixiora, transcribere ex tam insigni Theologo, qui ubique lectorem ad caritatem stilo cælesti unctione perfuso inflammat. *Lect.* XVII. primum inquit: „ Dicendum iam est „ de hac integritate, & perfectione pœnitentiæ, quid potissimum proponendum „ sit populo, cui certe nec difficiliora intellectu, nec executione ardua proponenda sunt, nisi cum summa cogit necessitas, & tunc, quantum fieri potest, „ ad captum intellectus, & affectus eorum accommodata . . . Igitur primo perfectio ista doloris docenda est; sed ita ut non magna quædam & impossibilia „ doceri videantur, sed plane nec gravia, ut Ioannes inquit: *Mandata eius gravia non sunt*: non, inquam, gravia innitentibus divinæ bonitati. Nam quæ „ apud homines, inquit Christus, impossibilia sunt, non sunt apud Deum. Quid „ igitur acturi sunt, dicatur &c.

„ Primum. Volentem vere, & integre pœnitere, ante omnia divinæ bonitati; „ eiusque gratiæ inniti oportet, & per humilem instantemque orationem ante „ omnia gratiam pœnitendi sibi a Deo postulet necesse est. Proponendæ sunt „ igitur Sanctorum, & Prophetarum orationes. "

VI. Integra hac lectione Sacerdotes, & populum docet veræ contritionis imaginem, & modum quo corda nostra disponi ad eam excitandam concipiendamque debent, tanta Scripturarum copia, ut sola lectio caritatis ignem succendat. *Diligentissime*, inquit, *curandum ut magni hoc donum pœnitentiæ & iustificationis æstimetur: ita enim fiet ut & ardentius petatur, & a Domino misericordius, & liberalius donetur . . . Itaque timendum est populo christiano & rudi, ne ex facilitate remissionis peccati, quam illi putant . . . minoris quam opus est faciat . . . Quare nullam popularem opinionem putamus diligentius eximendam ab animis Christianorum quam hanc tam minimam æstimationem, & tam parvam considerationem horum donorum Dei in remissione peccati. Hoc igitur agendum tribus præcipue mediis* &c.

VII. Sub finem prolixæ & aureæ lectionis hæc adiicit. *Sunt quædam circa hæc non pauca dubia & quæstiones SCHOLASTICORUM, quæ satis ex dictis solvi possunt, vel non sunt admodum necessariæ. Quare consulto eorum tractationem omittimus: satis sit eas vel proponere* &c.

Cum quæritur rursum, an ex attritione fiat contritio, & quid inter attritionem, & contritionem intersit, PARUM curandum est. Certe ex imperfecto dolore ascenditur ad perfectum, sive eadem operatio perfecta sit, & imperfecta (ut nonnumquam contingit successu temporis) sive sint diversæ.

Denique & de sacramento pœnitentiæ quæritur, an ex attrito contritum faciat, & quomodo id sit intelligendum. Ubi sunt diversæ sententiæ, quam rem melius, cum de sacramento agetur, tractabimus. Interim tamen supradicta retinenda sunt, videlicet, sine vera caritate NUMQUAM remitti peccatum.

VIII. Tredecim circiter lectiones de confessione instituit pro instructione Sacerdotum, & populi christiani, omnia perspicue enucleat, & continenter necessitatem veræ caritatis ad digne hoc sacramentum suscipiendum inculcat. *Lect.* VII. *de conditionibus necessariis confessionis* sub finem hæc docet. *Ex quibus duo accipiamus huic quæstioni necessaria. Primum, ut intelligamus (quod huius articuli proprium est) quam necessaria sit illa perfecta contritio (de qua supra locuti sumus) ad remissionem peccati, etiam cum ipso sacramento vel pœnitentiæ, vel quocumque alio.*

IX. Distinguit *lect.* VIII. de confessione informi varios gradus & contritionis, & caritatis, seu duplicem perfectionem, aliam *intensionis*, alteram *appretiationis*: hanc, non illam necessariam ad sacramentum digne suscipiendum asserit. *Defectus perfectæ contritionis dumtaxat, etsi non deprehendatur a pœnitente, vel Sacerdote, tantus tamen, & talis ut merito deprehendi debuerit, hoc est qui deprehenderetur, si uterque in eo negotio non negligenter, & minori cura quam par erat, se gessisset, reddit etiam nullam confessionem.* Et paullo post. *Defectus perfectæ contritionis, qui deprehensus non est a pœnitente, vel Sacerdote bona fide & debita diligentia (quæ videlicet probabiliter iudicata est sufficere) agentibus, etsi NONNUMQUAM fructum auferat absolutionis, non tamen nullam reddit confessionem, aut repetendam; sed est validum sacramentum, quod postea recedente fictione operabitur.*

Denique post multa addit. *Ut magis explicetur, consideremus quæ superius de perfecta contritione dicta sunt. Cum enim ad hanc requiratur veritas, & efficacia . . . & perfectio sive intensionis, sive appretiationis, & tandem ut prædominetur affectus ille divinæ dilectionis ceteris omnibus, ut dictum est, ex his pensandum est, quam perfectus sit hic dolor . . . Potest enim MULTOS HABERE GRADUS; sed satis est quod habeat veritatem, & efficaciam . . . Hæc ideo quam po-*

potuimus diligentissime conati sumus explicare, ut admoneamus & pœnitentes ipsos, & spirituales iudices, ut non leviter hæc pertranseant. Est enim totius salutis nostræ cardo in vera mutatione animæ. Cum igitur hoc oscitanter facimus, & negligenter, tam medici spirituales, quam infirmi, certe gravissime timendum est ne socordia nostra omnia Dei beneficia convertantur nobis in perniciem, & ex quibus consecuturi eramus salutem, proveniat perditio; dum scilicet fit mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones, & in scandalum: & obscurentur oculi eorum, ne videant: quod idem sic dicere possumus: Fiat baptismus eorum: fiat confessio eorum &c. *Est igitur Confessori (ut Chrysostomum superius audivimus dicentem) opus sexcentis oculis, ut habitum mentis eius qui confitetur, agnoscat, ut excitet ad pœnitentiam, ut ab admonitione, & oratione non desistat, quousque, quantum dabitur, agnoscat pœnitentem ascendisse ad perfectum contritionis, & caritatis.*

X. Fredericus Nausea, Viennensis Episcopus, & Concilii Tridentini Assessor; anno proximo a celebratione *sess.* XIV. nempe 1552. Catechismum edidit, in quo *cap.* XLVII. hæc statuit. *Conversio, si vera fuerit, & perfecta, dici cœpit CONTRITIO, quam Deus gratiose nimirum acceptat, Propheta dicente:* Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies. *Nec est ut absque eiusmodi quemquam possit absolvere, cum ipse reum non absolvat, nisi reus in se debito modo dispositus, sit capax absolutionis.*

XI. Franciscus Ricordatus Episcopus Attrebatensis an. 1567. quatuor annis post absolutum Tridentinum Concilium in Instructione pastorali *cap.* XLVII. latine reddita ab Auctore libri *de Mente Concilii circa contritionem & attritionem* &c. hæc scribit. *Verum quidem est peccati detestationem quæ timori pœnæ innititur, posse ad veram & perfectam contritionem disponere; sed illa non sufficit ad remissionem peccatorum obtinendam, licet utilis . . . nisi metus cedat caritati:* & loquitur de contritione quæ sit pars sacramenti.

XII. Cornelius Mussus Episcopus Bituntinus in sua Synodo anno 1579. ait, *illos recte & rite suscipere sacramentum pœnitentiæ qui, antequam ad mysticum sacræ confessionis Iordanem accedant, lavandi mundandique a lepra peccati . . . se se per Dei gratiam non solum atterunt, sed minutatim CONTERUNT, contritique . . . confitentur Sacerdoti.*

XIII. Ioannes Antonius Pantusa Episcopus Litterensis *Tom. III. opusc. cap.* XI. hæc statuit. *Licet contritio necessaria sacramento pœnitentiæ, sit odium peccati super omne odibile, quia pendet a dilectione Dei super omne diligibile; tamen in latitudine sua potest esse maior, & minor; & secundum diversos gradus participat diversimode fructum passionis Christi. Unde licet a culpa, & pœna omnes absolvantur, pœnæ tamen temporalis remissio non omnibus eodem modo fit, sed secundum mensuram contritionis.*

XIV. Plures alios omitto, tum ut lectoris tædium, tum ut prolixitatem declinem. Hi, quos recensui, ineluctabile testimonium conficiunt omni exceptione maius, quo luce meridiana clarius evincitur falsitas facti, quod, ut verum, obtrudunt Moralistæ iuniores, videlicet Concilium Tridentinum declarasse, attritionem servilem sufficere, vel proxime disponere ad sacramentum pœnitentiæ.

§. III.

Theologi propinquiores Concilio Tridentino non adfirmant controversiam hanc definitam in Concilio fuisse; sed dubitanter asserunt attritionem servilem esse probabilem sacramenti pœnitentiæ materiam.

I. IOannes Maldonatus S. I. percelebris Theologus *in tract. de pœnitent. cap.* v. inquit: *Quærunt etiam Theologi, quando obliget præceptum contritionis, cum sit affirmativum; & affirmativa præcepta non obligent nisi certo tempore. COMMUNIS opinio est non obligare, nisi QUANDO PRAECEPTUM CONFESSIONIS OBLIGAT: quia necesse est ut habeat contritionem QUI CONFITETUR.*

II. Ioannes Medina *in cod. de pœnit. quæst.* IV. scribit: *Videtur tenendum, quod pœnitentia, sive contritio neque cum sacramento, neque sine illo potest valere ad salutem animæ de lege ordinaria, nisi in DEUM SUMME DILECTUM sit relata.*

III. Bartholomæus Medina, Melchioris Cani in Cathedra Salmanticensi successor, 1. 2. *quæst.* XIX. *artic.* 6. ait: *In sacramento pœnitentiæ dicit OPINIO PROBABILIS, quod attritio cognita attritio ex parte materiæ sufficit ad sacramentum pœnitentiæ. At CERTUM NON EST, an conficiatur sacramentum.* Sic fatur Probabilismi inventor.

IV. Ludovicus Lopez anno circiter 1583. viginti annis a celebratione Concilii Tridentini edidit suum *Instructorium* conscientiæ, in quo *Part. I. cap.* IX. hoc modo scribit. *AUDEO & hanc statuere conclusionem: PROBABILE EST, & non parum veritati, & Concilio Tridentino consona opinio affirmativa, scilicet quod ad impetrandam iustitiam, & remissionem peccatorum in sacramento pœnitentiæ, satis est attritio cognita, etiamsi pœnitens non existimet probabiliter eam esse contritionem.* Lopez Probabilista fuit, eoque tempore scripsit quo Probabilismus vix in apricum apparere audebat. Idcirco inter pavorem, & audaciam vacillans Lopez audet, ut probabilem sacramenti materiam, invehere attritionem servilem.

V. Martinus Navarrus, sacrorum Canonum peritia valde celebris, qui vitam degebat tempore Tridentini Concilii, in Manuali, Romæ anno 1579. sexdecim annis post Tridentinum edito, *cap.* 1. hæc scribit. *Infertur non esse veram illam*

opi-

opinionem quam nuper vidimus defendi in selectis quibusdam Comitiis ; videlicet sufficere ad condonationem peccati per sacramentum pœnitentiæ attritionem, qua pœnitens dolet de peccato, etiamsi sciat eam NON ESSE CONTRITIONEM, NEC DOLEAT PROPTER DEUM, VEL QUIA EUM OFFENDIT, sed propter infamiam, vel mala alia temporalia. Oportet enim IN PRIMIS ut pœniteat OB AMOREM DEI. Hanc controversiam fusius versat a *num.* 33. *& seqq.* Porro *num.* 37. hæc adiicit. *Decimo nono infertur ad illam magnam differentiam, quam Magister Sotus ponit inter pœnitentiam peccatorum ad suscipiendum baptismum necessariam, & inter eam quæ necessaria est ad sacramentum pœnitentiæ, videlicet quod ad suscipiendum baptismum sufficiat quæcumque pœnitudo . . . ad sacramentum tamen pœnitentiæ requiri pœnitentiam de peccatis propter amorem Dei, & eo quod peccatum est eius offensa, & quod a pœnitente putetur esse contritio . . .*

Hæc doctrina, licet SATIS BONA videatur, quantum pertinet ad sacramentum pœnitentiæ, quantum tamen pertinet ad sacramentum baptismi admodum nova mihi visa est . . . Quapropter equidem sub debita correctione semper consulerem illis qui infideles adultos aliquos baptizant, sive apud nos, sive apud Indos, ut prius illos inducant ad pœnitudinem peccatorum mortiferorum, eo quod illis offenderint Deum, quem super omnia amare, & bonorare debuissent. Nec auderem asserere, eis licere baptizare illos, quamvis videant non pœnitere eos OB AMOREM DEI, sed ob alias causas. Plura alia scribit *num.* 42. varias distinguit attritiones, & nullibi asserit, Concilium Tridentinum declarasse attritionem servilem sufficere ad sacramentum pœnitentiæ. An id omisisset, si tum temporis persuasio obtinuisset, id Concilium præstitisse ?

VI. Vix mirari satis possum P. Francolini præfidentiam, qui, ut quoquo modo imperitis fucum facere queat, allegat *Lib. I. cap.* VII. *§.* 2. textum Navarri ex Manuali edito anno 1573. neglecta posteriore editione anni 1579. Ut autem lector intelligat, desiderandam esse in Francolino diligentiam, sciat oportet, Navarrum hæc scribere in dedicatione eiusdem Manualis ad Gregorium XIII. *Manuale Confessariorum, quod Sanctitati Tuæ octogenarius ante circiter decem annos dicaveram, & postea ter in boc decennio recusum, & nunc iam quanto serius & accuratius adeo pluribus in locis, quam putabam, emendatum, auctum, & ordinatum, & mundatum denuo eidem nonagenarius consecro*. Porro in hac purgata editione ea correxit quæ Francolinus minus diligenter obtrudit. Vincentii Iustiniani nomen suppressit Navarrus, & solum asserit *cuidam recentiorum visum esse* &c. Obiectionem istius recentioris, nempe quod Concilium Tridentinum *sess.* XIV. *cap.* IV. *aperte docet per sacramentum pœnitentiæ dari gratiam attrito*, correxit ; & aliis verbis obiectionem recentioris narrat. Sit recentior iste Iustinianus Ord.

Præd. qui de hoc argumento nihil typis edidit. Navarrus in hac editione posteriore delevit illius nomen, & verba obiectionis, in qua asserebatur, Concilium docere, attrito conferri gratiam in sacramento, similiter abrogavit. Transcribenda omnia essent quæ ibi Navarrus scribit, ut luculentius Francolini diligentia emicaret. Addo, etsi omnia quæ Francolinus opponit, vera essent, illud tantum concluderent, Vincentium Iustinianum, non Navarrum asseruisse, attrito conferri gratiam in sacramento. At hoc non dixisse vel ipsum Iustinianum, evincit Navarri, qui forsitan ex falso rumore id audierat, correctio. Ut ut sit, Navarrus refellit obiecta recentioris, seu Iustiniani, & controversiæ illi his verbis finem imponit num. 44. *Sexto negamus sufficere ad absolutionem sacramentalem attritionem, sive pœnitudinem, qua peccator cesset a peccato propter solam pœnam inferni, quatenus pœna est, si nullus actualis, vel virtualis AMOR DEI, vel odium peccati, quatenus est IPSIUS OFFENSA, eum comitetur per dicta supra, præsertim num.* 34. & 35. Ex his omnibus collige, quanta sit Francolino hac in caussa fides adhibenda.

VII. Cardinalis Toletus in sua Summa editionis an. 1599. 1609. 1610. *Lib. III. cap.* IV. hæc docet. *Prima quidem attritio, si talis sit, ut cognoscat pœnitens se non detestari peccatum, ut est Dei offensa, sed tantum ut est alicuius mali causa, & pœnæ inferni, quamvis bonus actus ille sit, tamen non sufficit ad sacramentum: immo qui sic accederet, peccaret denuo, & non impleret præceptum, sed esset repetendum sacramentum .... Unde Confessarii maxime debent considerare, qualiter pœnitentes admittant ad confessionem: non enim sunt admittendi, nisi qui peccata detestantur, ut OFFENSA DEI sunt.* Editiones posteriores adulteratæ hæc ultima verba sic mutata præbent: *Nisi qui peccata detestentur ob debitum finem*: priora vero penitus mutarunt. Meditare zelum abolendi hæc verba, *ut offensa Dei*, quasi aut hæresim, aut errorem continerent. O utinam zelus similis in abolendis laxissimis non paucis opinionibus!

VIII. Mutationis caussam prodit P. Francolinus *Lib. II. cap.* VI. *§.* 2. inquiens, Cardinalem Toletum retractasse hanc suam sententiam, quia in Collegio Romano asservatur Summa Sacerdotum manu ipsius Cardinalis scripta, in cuius margine legitur correctio ad mentem Concilii Tridentini. Quod, inquit, si scivisset *Iuveninus*, non fuisset inutiliter conatus Summæ Toleti antiquiores editiones recensere. Bona venia liceat mihi suspicari, sibilis a Iuvenino exceptum iri eiusmodi commentum, si viveret. Ego sane illud penitus reiicio, ut arbitrarium, nullamque fidem adhibeo Francolino. P. Dominicus Viva in trutina in *prop.* 15. Alex. VIII. *num.* 36. scribit, quod Toletus *ante Tridentinum fuerit in priori sententia requirente contritionem putatam, ac deinde advertendo ad verba Tridentini docuerit sufficere attritionem* &c. Egregie. *Sessio* XIV. Concilii Tridentini absoluta fuit anno 1551.

To-

Toletus obiit anno 1596. ætatis suæ 63. Tempore quo *sessio* XIV. Concilii Tridentini absoluta fuit, annos tantum duodeviginti natus erat Toletus. Quid ad hæc Francolinus, & Viva? An ante hanc sessionem anno ætatis suæ XVIII. exaraverat Toletus opus suum? An non evidens est, post hanc sessionem elucubrasse *instructionem* præfatam? Non ergo ipsum latebat, dum opus suum scripsit, quid Tridentinum definierat in hac controversia. Ipso Francolino fatente, in corpore Summæ nulla est Concilii Tridentini mentio. In sola margine adiecta est eiusdem Concilii mentio. Ergo coniecturæ omnes additionem illam, si qua est, supposititiam & spuriam evincunt. Præterea cur primum MS. non prodiit cum hac correctione? Sileo plures alias coniecturas: indicatæ enim satis superque patefaciunt fabulosa commenta redolere quæ P. Francolinus, & P. Viva narrant.

IX. Paulus Comitolus, cuius *Responsa moralia* prodiere circiter an. 1609. hæc *Lib. I. quæst.* XXXII. *num.* 7. scribit. *PLURES MAGNIQUE THEOLOGI in pœnitente antequam absolvatur, contritionem veram caritate formatam requirunt. NEQUE USQUE ADEO CERTUM EST ATTRITIONEM pœnitenti ESSE SATIS. Quo circa Sacerdotis partes esse debent, veræ contritionis motum in corde pœnitentis auxiliante Deo elicere, ardentique eum cohortatione urgere, ut propter Deum peccata admissa execretur omnia.*

X. Doctor eximius P. Franciscus Suarez *Tom. IV. in III. Part. disp.* XV. *sect.* 4. *num.* 17. hæc docet, quæ, licet prolixa, lubet transcribere, ne solitis cavillationibus locus pateat. „ Licet sit *probabilis opinio* attritionem cognitam cum Sacra„ mento sufficere ad iustificationem, *tamen non est certa, & potest esse falsa.* Quod „ si fortasse in re ita est, *probabilis illa existimatio non sufficit ut homo salvetur*. „ Ergo qui sciens, & videns ita se mori permittit, voluntarie exponit se pericu„ lo morali æternæ damnationis. Nam ubi est morale dubium, est morale per„ iculum præsertim in re tam gravi. Hic autem est morale dubium, *cum illa* „ *opinio NEC VALDE ANTIQUA, NEC MULTUM COMMUNIS SIT*. Neque „ habet locum hic distinctio de dubio practico, vel speculativo. Nam quando „ dubium est de re ipsa, seu effectu, an fiat, nec ne, tam dubium speculati„ vum, quam practicum sufficit ad rem ipsam in periculo constituendam. Vide„ tur autem profecto caritas obligare hominem ne sit adeo negligens suæ salutis „ æternæ, ut eam tanto periculo exponat. Ergo obligat illum ad faciendum „ quod in se est, & conandum ad habendam contritionem. "

Num. 18. „ *Quæ sententia mihi SEMPER valde probabilis visa est, & NUNC* „ *etiam videtur*: quamquam videam multis viris doctis, atque etiam piis difficile „ ac rigorosum hoc videri: quia putant sententiam illam de iustificatione per „ sacramentum pœnitentiæ cum attritione cognita esse adeo receptam, & aucto„ ritate Concilii Tridentini munitam, ut videatur sufficiens ad tollendum morale

 „ pe-

„ periculum. Item quia alias etiam non liceret homini umquam confiteri cum „ attritione cognita: quia exponit se morali periculo non recipiendi sacramentum, vel saltem non recipiendi gratiam. Tandem quia nimis coarctamus viam „ saluris, & iniicimus hominibus scrupulos, ut quoties insurgunt dubia circa statum peccati, vel remissionem eius, teneamur contritiones iterare. "

XI. Hinc patet, quam ineptissima sint commenta, quibus elevare huiusce testimonii vim conantur Attritionistæ. P. Francolinus *Lib. II. cap.* VI. §. 2. post varias arbitrarias interpretationes, supra quam dici potest, vanas, tandem huc se recipit. *Addo, quod verba recitata non dicuntur a Suario ex sensu suo; quod nec Merbesius, nec ali i adverterunt.* P. Francolinus tam manifestam falsitatem imperitis obtrudere nimis confidentet ausus est. Nullus dubito, quin omnes qui testimonium P. Suarez legerinr, succensuri sint non Merbesio, non mihi, sed P. Francolino, qui non reformidavit publicum iudicium, dum tam peregrinum paradoxon evulgavit. Nec verbis opus est ut refellatur, sed sola testimonii lectio sat est. Perpendantur serio illa verba. *Cum illa opinio* (attritionis cognitæ) *nec VALDE ANTIQUA, nec multum COMMUNIS SIT*. Rursus alia: *Quæ sententia MIHI SEMPER VALDE PROBABILIS VISA EST, ET NUNC ETIAM VIDETUR*. Item alia: *PROPTER RATIONEM FACTAM, QUAE APUD ME EFFICACISSIMA EST*. Et tandem alia: *Tamen non est CERTA, ET POTEST ESSE FALSA*. Et heinc collige, quo partium studium, & zelus emolliendæ divinæ legis abripiant.

XII. Verum habet, P. Suarez *disp.* XX. *sect.* I. *num.* 10. hæc docere. *Sacramentum hoc habet virtutem ad iustificandum peccatorem per solam veram supernaturalem, & integram attritionem dispositum: & in hoc sensu efficaciam habet ad efficiendum hominem ex attrito contritum. Hanc conclusionem existimo HOC TEMPORE adeo certam, ut non possit absque errore negari, loquendo, ut loquimur, absolute de efficacia, abstrahendo a modo quo id fit.* Aliqui contendunt P. Suarezium sibi contradicere, & pugnantia loqui, si disputatio hæc vigesima cum quintadecima conferatur. Sed isti, ut mea præfert opinio, falluntur. *Disp.* XV. P. Suarez docet opinionem attritionis servilis & cognitæ non esse certam, non esse antiquam, nec *multum communem*, atque adeo posse esse falsam. Hic *disp.* XX. docet sententiam attritionis absolute veræ, & supernaturalis esse probabiliorem, & *hoc tempore adeo certam, ut non possit absque errore negari*. Non potest, inquam, absque errore negari eiusdem probabilitas & certitudo. Idque constat ex iis quæ Suarez ipse adiicit sub finem eiusdem sect. I. num. 26. *Ex concessis a Navarro, & aliis, qui magis consequenter loquuntur, practicum argumentum desumere possumus. Nam negare non possunt, quin hæc opinio quam defendimus, practice, ac moraliter probabilis sit.* P. Suarez ergo non asserit, non posse absque errore adfirmari oppositum, sed non posse

se absque errore negari suæ sententiæ probabilitatem, præsertim *suo tempore*. Siquidem opinio quæ, dum scribebat *disp.* xv. nec erat *valde antiqua*, *nec multum communis*, dum scribebat postea *disp.* xx. incrementum *suo tempore* acceperat. Hæc dicta sint ad eximendum P. Suarezium a nota contradictionis. Ceterum, ut ut res se habeat, mihi sat est ex adductis P. Suarez testimoniis evidenter constare, controversiam de attritione servili in utramque partem disputatam tunc fuisse; & opinionem pro *sufficientia* eiusdem attritionis, Suarezio teste, nec valde antiquam, nec multum communem esse.

XIII. P. Gabriel Vasquez in 2. 2. *quæst.* xix. *art.* 6. *disp.* lxiii. hæc habet. *Qui ad sacramentum accedit cum sola attritione scita, licet non se exponat periculo efficiendi irritum sacramentum, exponit se tamen periculo frustrandi sacramentum effectu suo, in quo non minor est irreverentia contra religionem. Neque usque adeo certum est attritionem pœnitenti esse satis.*

XIV. Guillelmus Estius, qui obiit 1613. in *IV. dist.* xvi. *§. 9.* hæc habet. *Timor gehennæ non sufficienter præparat ad peccati remissionem per sacramentum pœnitentiæ consequendam, nisi accesserit dilectio Dei super omnia, ac detestatio peccati propter eius offensam.*

XV. Gamachæus circa idem tempus *de pœnit. cap.* viii. scribit. *Etiamsi sola attritio a parte rei, & speculative sufficiat ad iustificationem; attamen practice, & respectu nostri NON SATIS TUTUM videtur, ut scienter prudenter solam eiusmodi attritionem in vitæ exitu adhibeamus. Homo enim debet salutem suam cum timore & tremore operari, præsertim in periculo mortis, & quasi omnia tuta timere, nec tentare Deum, aut se in probabile damnationis periculum mittere.*

XVI. P. Thomas Sanchez, mollioris Ethices singularis patronus, an. 1622. in *Decal. Lib. I. cap.* ix. *num.* 34. postquam docuit *num.* 33. licitum esse in sacramentis sequi opinionem minus probabilem, *relicta probabiliore*, hæc *num.* 39. subdit. *Hoc tamen intelligerem, nisi pœnitens in mortis articulo esset, atque habere posset contritionem. Tunc enim esset mortale & recipere, & ei pœnitentiæ sacramentum CUM SOLA ATTRITIONE cognita ministrare propter grave æternæ damnationis periculum, cui ille exponeretur, si forte hæc sententia non esset vera; cum tamen gratia Dei adiutus possit SECURUM contritionis remedium assequi.* Tu heinc collige an Theologia adhibenda in mortis articulo diversa sit a Theologia vitæ.

XVII. Iacobus Boonen Archiepiscopus Mechliniensis an. 1637. decretum condidit, quo Confessariis mandat *ut moneant, & disponant pœnitentes ad dolorem suorum peccatorum non tam ex timore pœnarum, quam ex Dei amore, quo ipsum velut summum bonum perfecte diligant, vel saltem ut fontem iustitiæ, qua scilicet iustificamur, diligere incipiant, non tamquam servi timore pœnarum, sed tamquam filii ex amore eius qui dilexit. . . Cum enim ex omnium Theologorum sententia in eorumdem sa-*

sacramentorum administratione adhiberi semper debeant materiæ & formæ CERTAE, determinatæ, ac, quantum fieri potest, securissimæ . . . intelligamus vero inter c atholicos Doctores adhuc disputari . . . an sufficiens censeri debeat illa contritio imperfecta, seu attritio qua tantum propter pœnas peccata detestantur, pluribus quidem a Concilio Tridentino id affirmantibus, aliis nihilominus etiam ab eodem Concilio id negantibus, ne ista sententiarum diversitate salus pœnitentium periculo exponatur, vobis mandamus &c.

XVIII. P. Gonet an. 1659. *Tom. V. tract. v. disp. VII. art. 4. §. 3. num. 103.* post defensam sufficientiam timoris servilis, hæc adiicit. *Cum non sit omnino certum ac indubitatum, attritionem solam cum sacramento iustificare; & PLURES Theologi non contemnendæ auctoritatis, non solum id esse incertum, sed etiam FALSUM existime nt quamvis opposita probabilior sit : nihilominus debet tunc pœnitens* (in mortis articulo) *tutiorem partem eligere, & uti medio certissimo & tutissimo, nimirum contritione, ac ea supplere quidquid incertum aut dubium vel minimum esse potest . . . . Debet ergo tunc elicere actum contritionis, ut sibi in periculo damnationis æternæ melior modo possibili subveniat, & prudens illud Augustini consilium sequi : In his quæ salutis sunt, TENE CERTUM, DIMITTE INCERTUM.* Hanc regulam sequendam in re sacramentaria semper Ecclesia definivit.

XIX. Ioannes Dicastillus an. 1652. *tract. VIII. de pœnit. disp. VI.* docet, *opus esse in mortis articulo conari habere contritionem, licet extra illum satis sit attritio . . . . quia licet verum putent* (Suarez, Sanchez &c.) *attritionem etiam cognitam ut talem satis esse cum sacramento pœnitentiæ ad remissionem peccati; tamen non ita certum est, quin PLURES ET GRAVES DOCTORES putent non sufficere.*

XX. Cardinalis de Laurea an. 1676. *Tom. IV. in III. Sent. disp. XI. art. 4. num.* 52. docet, *indubitatum esse oportere quod in qualibet detestatione peccati, offensæ Dei, etiam ex motivo gehennæ, aut turpitudinis peccati, debeat adesse actus aliquis inchoatæ caritatis.* Plura alia & urgentiora docet *disp. XVII. art. 6.* inquiens : *In utriusque* (baptismi, & pœnitentiæ) *susceptione est necessaria dilectio Dei.*

XXI. Iacobus Platelius an. 1694. *in Synop. part. V.* inquit : *Quamvis autem sententia nostra de sufficientia attritionis ex metu gehennæ sit aliquo modo moraliter certa ob notabilem excessum probabilitatis eius supra probabilitatem alterius ; quia tamen NON EST OMNINO CERTA, in praxi curandum est ut quo potest certiori modo consulatur validitati absolutionis.* Et rursus cap. VI. §. 5. *Quia tamen hoc non obstante semper manet illud, quod hæc sententia NON SIT OMNINO CERTA, ac proinde Sacerdos eam in praxim redigens, aliquo saltem modo exponat sacramentum PERICULO NULLITATIS; ideo in praxi debet pœnitentem, si rudis, & minus instructus appareat, excitare ad actum contritionis, ut certius consulat valori sacramenti.*

XXI. Quos hactenus laudavi in hoc paragrapho, uno, aut altero dempto, ex eorum censu sunt qui pro attritione pugnant : & nihilosecius illi ipsi testantur suam opinionem

nem non esse ita certam, ut in praxi omitti contritio aliquo Dei amore formata possit absque periculo frustrandi sacramentum, & exponendi propriam salutem æternæ damnationis discrimini. Quid, si centum & amplius Theologos allegarem qui opinionem de attritione servili, ut falsam, improbant? Verum de his infra.

§. IV.

CONSECTARIUM,

quo evidenter ostenditur, iuniores Moralistas falli, & fallere lectores suos in hac caussa.

I. ADmonere lectores interest ut distinguant opinionem attritionis servilis a documentis quæ ad illam confirmandam eiusdem patroni promunt. In præsens illam relinquo eo in statu in quo illam voluit Alexander VII. videlicet ab omni censura immunem. Quare vi huius decreti nec improbabilem, nec falsam eam pronuntio: tantum abest ut aliqua censura notare illam ausim. Quid postea vi decreti posterioris Innocentii XI. dicendum de eadem sit, infra edisseram.

II. His delibatis, quæ hactenus protulimus testimonia Cardinalis Pallavicini, & postea Theologorum, tum qui *sessioni* XIV. Concilii Tridentini interfuere, tum qui post Tridentinum ad hæc fere usque tempora scripsere, ob oculos revoca. Pallavicinus testatur reformatum decretum. Theologorum nemo, qui illi sessioni interfuerunt, asserit definitam in Concilio Scholasticorum de contritione disputationem. Variæ inter Theologos fervebant opiniones, de quibus a Concilio reduces singuli pro sua scripsere. Plures pro contritione perfecta, alii pro contritione imperfecta, & alii pro attritione servili, cuius indicium prætulit Episcopus Granatensis. Illorum nemo, ut vel adversariorum opinionem refelleret, vel propriam confirmaret, sibique victoriam ascisceret, in medium protulit Concilii definitionem, declarationemve. Immo plurimi propriam sententiam confirmant Scripturarum, & Patrum testimoniis, nulla Concilii mentione facta. Et novi Casuistæ non reformidant iactare Concilii definitionem, quam illi ipsi qui Concilio vel ut Theologi, vel ut Episcopi, & Assessores adstitere, ignorarunt, & quorum summopere intererat eamdem obiicere adversariis, ut istorum opinionem labefactarent, & pro se allegare, ut suam doctrinam ineluctabilem efficerent? Notitia huiusce declarationis reservata fuit modernis Moralistis? Quid plura? Non modo silentio præterierunt hanc conciliarem declarationem, quam novi Casuistæ tanta præfidentia obtrudunt in præsidium attritionis formidolosæ; sed e contrario conceptis verbis asserunt dubiam esse & incertam hanc de servili attritione sententiam.

III.

III. Quæ cum ita ſe habeant, quis nunc mirari ſatis valet De Lugo ; Amicum, Sporerium, La-Croixium, Francolinum, Abelly, Viva, Piſelli, & ſexcentos alios huius poſtremæ ætatis Caſuiſtas, qui incredibili, ut mitiſſime loquar, auſu apud imperitos diſſeminant, Concilium Tridentinum definiſſe, attritionem ex ſolo timore gehennæ conceptam *ſufficere* ad ſacramentum pœnitentiæ ? Quis non miratur illorum cenſuras in ſententiam ſacris Scripturis, SS. Patribus, Concilio Tridentino, eius Catechiſmo, & graviorum Theologorum doctrinæ apprime conſentaneam, quæ ad remiſſionem peccatorum in ſacramento baptiſmi, vel pœnitentiæ aliquam imperfectam caritatis dilectionem neceſſariam poſtulat ? Minime verecundantur Moraliſtæ iuniores has cenſuras in præfatam ſententiam pectore intrepido ferre. *Non poteſt ſine nota defendi. Eſt evidenter falſa. Caret omni probabilitate. Repugnat Tridentini Concilii definitioni. Eſt Lutheri, & Calvini fetus, cuius ova poſuere Donatiſtæ, & Pelagiani. Sententiam hanc propugnarunt Baianiſtæ, & Ianſeniſtæ, & iſtorum diſcipuli, qui maiori auctoritate non potiuntur quam magiſtri.* Hæ ſunt cenſuræ quas benigniſſimæ Ethices patroni in ſententiam laudatam intorquent.

IV. Omnes tamen recenſitas cenſuras parvi ego pendo. Securitatis prærogativa, qua ſententiam de attritione formidoloſa, cuiuſque caritatis vel imperfectæ vacua, inſigniunt, maximum faceſſit negotium. Aiunt hanc ſuam opinionem eſſe *certam, tutam, tutiſſimam, a Tridentino definitam*. Recogites ſerio, lector, velim, hic controverſiam eſſe de *materia præcipua, & neceſſaria ſacramenti pœnitentiæ*. Si falſa ſit opinio hæc, ſacramentum pœnitentiæ nullum eſt ex defectu materiæ. Fundamentum potiſſimum, & fere unicum, cui hanc opinionem fidunt iuniores Moraliſtæ, eſt Concilium Tridentinum, a quo illam definitam aſſerunt. Sed evidentiſſime, & luce meridiana clarius conſtat, Tridentinum non definiiſſe, attritionem ſervilem *ſufficere* ad ſacramentum vel baptiſmi, vel pœnitentiæ. Poſſunt Theologi iſti, per me licet, ex aliquibus Tridentini decreti verbis probabiliter in favorem attritionis ſervilis argumentari. Verum enimvero, dum aiunt Tridentinum Concilium id definiiſſe, baſilice fallunt, & falluntur in re graviſſima. Porro ſi unicum fundamentum iſtius ſententiæ ruit, ruat & ipſa neceſſum eſt.

V. Serio nunc meditare, lector chriſtiane. Si falſa ſit opinio attritionis ſervilis, actum de æterna plurimorum Chriſtianorum ſalute eſt. Non Caſuiſtarum multitudo, non Probabiliſmi medicina, non ignorantia invincibilis præſidium adferunt. Damnatio irreparabilis eſt. Porro falſam eſſe plures & graviores Theologi, qui Concilio Tridentino interfuere, teſtantur. Ceteri omnes, qui Concilio Tridentino propinquiores fuere, incertam dubiamque confitentur. Unde ergo noviſſimi ætatis noſtræ Caſuiſtæ certitudinem illam moralem, qua eam ornant, hauſerunt ? Unde? Edíſſerant, loquantur. Quid cauſſæ eſt cur tanto ſtudio hanc novam opinionem

cum

cum periculo æternæ damnationis Christianorum propugnent? Ut securius saluti animarum provideant? Hoc dicere nequeunt. Cur ergo? Videant ipsi, num amor defendendæ opinionis semel adoptatæ, num studium partium in caussa sit cur tanto impetu & conatu belligerent pro domestica opinione, quam incertam testantur communiter fere omnes Theologi usque ad annum circiter 1615. Proh Deum immortalem! Permisit ne Deus omnibus elapsis sæculis Ecclesiam in tenebris cæcutire in notitia veritatis omnium gravissimæ, & necessitatis extremæ? Novis ne Casuistis, qui respectu antiquorum, sive sapientiam, sive sanctitatem spectes, pygmæi sunt coram gigantibus, revelavit Deus istius opinionis *certitudinem moralem*, quam priscis Theologis abscondit? Hæc meditare, & contremisce. Verum de hoc plura infra.

§. V.

Opinio attritionis servilis Salmanticæ prodiit, sicut & Probabilismus. Pari passu hæ duæ opiniones, ceu sorores duæ, crevere, & decrevere, ac in dies decrescunt magnopere.

I. P. Balthasar Francolinus, ut vidimus, genealogiam pluribus capitibus distinctam texit sententiæ attritionis, quam vocant *initialem*. Paucis ego perstringo genealogiam attritionis formidolosæ. Eiusdem vestigium se deprehendisse Cardinalis Pallavicinus asserit in scriptis Episcopi Granatensis. Ioannes Morinus, qui præ ceteris tractatum de pœnitentiæ sacramento incredibili eruditione exornavit *Lib. VIII. cap.* IV. *num.* 2. hæc scribit. *Istius sententiæ Auctores fuerunt Melchior Canus ... & Henricus quidam Salmanticensis Doctor. Ante hos legi neminem qui sic doceret, aut docere perhiberetur. Doctores Salmanticenses primi hanc sententiam amplexi sunt, & propagarunt. Navarrus Manualis cap.* I. *num.* 8. *non nihil miratur, quod eam in selectis comitiis viderit defendi, scribitque veram non esse*. Oppositam Navarri, & Soti sententiam Ludovicus Lopez se amplexatum fuisse ait, sed postea opinioni Salmanticensium adhæsit: & dum illam tamquam probabilem defendit, se aliquid insolitum audere contra communem doctrinam fatetur. Alphonsus Vivaldus *Candelabri aurei tit.* VI. Salmanticensium opinionem utpote novam improbat. Henriquez *Lib. IV. cap.* XXVI. *num.* 5. *in adnotationibus ad Summam theolog.* narrat, *quod in publicis actibus Salmanticens. Penna, & postea Gallo, Sancius, & alii doctissimi reputarunt ita certum, ut sine temeritate vel errore negari non possit*. Hi omnes Probabilismi, & quidem laxioris patroni fuere,

re, ut doctissimus *Sancius*, sive *Ioannes Sanchez*, qui ob nimiam laxitatem prohibitus est.

II. Miraberis quod opinio servilis attritionis, quae initio pudibunda, & tremebunda apparuit in lucem, potuerit medio circiter saeculo a Tridentinae Synodi celebratione tam late manare, vexillum extollere, atque de contraria communique sententia quasi triumphum canere. Sed audi P. Iosephum Giballinum, qui *Lib. VI. de usur. cap. v. art. 2. num. 3.* hoc pandit arcanum. *Moneo . . . plurimas sententias, ubi primum in scholis inductae sunt contra opiniones receptas, & vulgares, non nisi timide admodum a suis Auctoribus fuisse prolatas, tum ne vulgus Doctorum offenderent . . . tum ne alii nondum bene discussas sententias damnarent: & denique ne qui illis male intellectis abuterentur. Ubi vero aliquamdiu pensiculatius examinatae sunt eiusmodi sententiae, & discussa nube, luce veritatis perfusae, magno consensu recipiuntur, quae primum NATAE vix parentem prodere audebant.* Consule opus nostrum de *contractu trino diss. II. cap. III. §. 2. num. 4.* ubi integrum hoc testimonium reperies.

III. Quo tempore prodiit opinio attritionis servilis, eodem circiter, seu paullulum post, anno nempe 1577. in medium apparuit, & quidem in eadem Universitate Salmanticensi Probabilismus, & pari passu ambae opiniones, ceu duae confoederatae sorores, primum trepido, & pavido, ut Giballinus ait, deinde libero, & celeri cursu Scholas & Academias spatio medii saeculi usque ad annum circiter 1656. occuparunt, doctissimis tamen Theologis pro antiqua doctrina contraria strenue semper obsistentibus. Animadvertit doctissimus MORINUS, hanc opinionem evasisse celebrem, & latius manasse, postquam doctissimi Suarez, & Vasquez eam probabilem existimarunt. *Sed prae ceteris hanc opinionem celebrem . . . reddiderunt duo Theologiae scholasticae clarissima, & famosissima lumina Franciscus Suarez, & Gabriel Vasquez, quos innumeri nunc sequuntur Theologi. Quamvis qui dissentiunt, nec numero, nec auctoritate, nec doctrina contemnendi sint.* Ab hoc tempore usque ad annum praeter propter 1656. ita ambae sorores dominabantur in Scholasticorum lyceis, ut absolutum quasi imperium sibi usurpasse viderentur. Siquidem hoc medii circiter saeculi intervallo *orta* (inquit doctissimus Habert de attrit. *§. 3.*) *Casuistarum turba, opinio de sufficientia attritionis ex poenarum metu conceptae tantum sibi arrogavit, ut eius patroni contra fidem historiae, quam verisimile est ipsos ignorasse, eam tamquam de fide tenendam; & a Concilio Tridentino definitam publice asseruerint, & contra sentientes, uti catholicae doctrinae impugnatores prosciderint.*

IV. At, divina providentia favente, Galliarum Episcopi, zelo sanioris doctrinae succensi, & universi Cleri doctiores Parochi bellum implacabile Probabilismo indixere, mortiferis vulneribus eidem inflictis; & plurima eius monstrosa consectaria

ria damnanda Summo Pontifici Alexandro VII. detulerunt. Catholicis hoc bellum agentibus manus adiunxere Ianſeniſtæ, qui probabiliſticæ, & univerſæ laxioris Moralis opiniones, larva detracta, deridendas, contemnendaſque vividis coloribus ob oculos repræſentarunt. Sunt quos ſanioris doctrinæ inſtaurationem adſcribere Ianſeniſtis non pudet, propterea quod & ipſi cum Catholicis corruptam Ethicem ſcriptis inſectati ſunt. Heinc hoc ſibi captare emolumentum exiſtimarunt, ut *Ianſeniſmi*, & *Rigoriſmi* horridam larvam & Antiprobabiliſmo, & Antiprobabiliſtis impingere, atque invidiam, odiumque creare poſſent. Qua de re lege *Hiſtoriam Probabiliſmi & Rigoriſmi*, *Tom. I. diſſ.* 1. ubi fuſius hæc narrantur, adductis documentis.

V. En initium certum decrementi Probabiliſmi. Quo tempore bellum contra Probabiliſmum proſpero eventu fervebat in Galliis, eodem contra doctrinam ſervilis contritionis in Belgio conclamatum ad arma eſt. P. Maximillianus *Le Dent* pro attritione ſervili, Franciſcus *Farvacqueſius*, Chriſtianus Lupus, & plurim alii pro attritione initiali acriter diſputarunt; & eo pugna litteraria devenit, ut opus fuerit decreto Alexandri VII. quo cautum eſt ne quiſquam alterutram opinionem aliqua ſive cenſura, ſive contumelia notaret.

VI. En certam epocham decrementi ſententiæ attritionis ſervilis. Decreto Alexandrino declaratum, utramque ſententiam libere diſſertari poſſe, cenſuris ſublatis, donec *aliquid a S. Sede hac in re definitum fuerit*. Si Tridentinum, ſi Romana Sedes quidquam definiiſſet in hac cauſſa, numquid ſummus Pontifex adeo ſevere, & ſub formali præcepto prohibuiſſet ne alterutra opinio cenſura aliqua percuteretur? A publicato Alexandrino decreto duodecim annorum ſpatio opinio attritionis ſervilis extremas clades, & maximum decrementum paſſa eſt. Siquidem tum ferventiori ſtudio, & liberiori calamo doctrinæ ſervilis attritionis principia, & conſectaria Theologi doctrina, & probitate clari in mediam producere lucem, & altius exaggerare cœperunt. Oſtenſum tum eſt, non paucos Caſuiſtas attritionis ſervilis aſſertores abolere prima religionis chriſtianæ fundamenta, caritatis nempe, & pœnitentiæ virtutis præcepta. Propugnabant quippe Theologi non pauci, Chriſtianos poſt innumera ſcelera exemptos eſſe a præcepto tum caritatis, tum contritionis, modo copia adſit ſuſcipiendi ſacramenti confeſſionis. Quin plures docebant, primum illud, graviſſimumque caritatis mandatum non eſſe quid diſtinctum ab univerſi Decalogi obſervantia; neminemque teneri ad actum formalem & explicitum caritatis, neque mortis tempore, quoties attriti confeſſi ſint. Quid? clamabant illi. Contritio, vel caritas neceſſaria erat in veteri teſtamento ad iuſtificationem. In novo fœdere Chriſtus confeſſionis ſacramentum inſtituit, quod eſt graviſſimum onus, loco contritionis, & dilectionis in veteri lege neceſſariæ. Ergo ſuſtulit præceptum contritionis. Alioquin Chriſtus iu-

iugum suum non levigasset, sed nimium supra iugum Hebraeorum aggravasset; si praeter confessionem attritione formidolosa peractam, exigeret insuper dilectionem Dei super omnia, & dolorem ob offensam infinitae bonitati irrogatam.

VII. Ne quis gratis me haec scribere suspicetur, in memoriam revocet quae supra *diss.* I. *cap.* VII. ex Sporer, ex Viva, ex De Lugo adduxi; & insuper haec meditetur quae Henricus Henriquez *Lib. IV. Summae cap.* VI. *num.* 5. scribit. *Qui cum attritione per absolutionem iustificatur, non tenetur ad praeceptum connaturale de contritione formali, quia iam remedio per se instituto & COMPENSATIVO ex applicatione meritorum Christi consecutus est remissionem, & in AEQUIVALENTI implevit priori, & meliori ratione finem totum, in quem contritio ordinatur. Contritio enim non remittit peccatum, nec compensat, nisi ut includit votum, & vicem sacramenti poenitentiae. Quare compensatione per sacramentum applicata magis contentus est creditor Deus quam compensatione contritionis. Alias si contritio, dum haberi potest, esset necessaria, obligaret PER SE, etiam dum suscipitur absolutio, quia tunc haberi potest. Ac subinde Christus in lege evangelica non LEVIGASSET ONUS, SED ADIECISSET GRAVE ONUS CONFESSIONIS praeter necessariam contritionem.*

VIII. Hanc sane mirificam doctrinam communiter amplexati sunt, paucis demptis, attritionis formidolosae patroni. Ex novissimis unum laudare sufficiat *P. Dominicum Viva*, qui in *proposit.* 15. *Alexandri VIII. num.* 20. recensitam doctrinam Henriquez his verbis probat. *Nec lex gratiae praestaret legi antiquae, aut mosaicae, aut naturae, in quibus sufficiebat contritio sine confessione sacramentali. UNDE NON POSSET IUGUM CHRISTI DICI SUAVE, ET ONUS LEVE* . . . . „Ergo dicendum, contritionem in sacramento non praerequiri, sed sufficere *meram attritionem ex mero poenarum metu conceptam.*" In altera propositione dixit *ex poenarum temporalium* metu. Uno ore Patres omnes clamant, iugum Christi suave dici, & onus leve ratione caritatis, quia omnia suavia & levia sunt amanti, ut pluribus in locis demonstravi, & veritas nota est vel ipsis tyronibus, qui primis labiis christianae Theologiae elementa degustarunt.

IX. Delatis his, & plurimis aliis laxioris Moralis paradoxis an. 1679. ad Innocentium XI. qui Probabilismum in re sacramentaria, in materia iustitiae, & in capitali principio probabilitatis exiguae, aliisque ramis, quos eiusmodi planta emittit, damnavit; monstrosa commenta, quae primum divinae caritatis mandatum aut penitus de medio tollunt, aut ad quinquennium coarctant, diris devovit: & tandem decrevit in sacramentis conferendis tutiorem partem amplectendam esse: ex quo necessario sequitur labefactatam esse opinionem de attritione servili.

X. Ecce itaque epocham splendidissimam non decrescenti modo, verum etiam pro-

profligati Probabilismi, & sententiæ attritionis servilis labefactatæ; ut vi evidentis ratiocinii infra ostendam. Paucis perstrinxi genealogiam attritionis formidolosæ, illius principium, incrementum, decrementum, & tandem exinanitionem. Doctrina probabilistica una cum illius sorore attritione formidolosa ab universo regno Galliæ, a celebrioribus Universitatibus exulat: & ætatis nostræ doctiores Theologi omnes in divinis Scripturis, & SS. Patribus versati, & a partium studio alieni, tum Probabilismum, tum attritionis servilis sufficientiam in sacramento pœnitentiæ reiiciunt, & improbant.

CAPUT V.

PRAEIUDICIUM TERTIUM,

quo plures præoccupati falso existimant caritatem imperfectam in quocumque gradu, tametsi remisso, iustificare impium absque sacramento.

I. SApienter advertit S. Augustinus *Lib. de vera religione*, errores in Ecclesia Deum permittere, ut ex illorum confutatione veritas luculentius splendeat. Inquit enim *cap.* VIII. S. Pater: *Oportet multas hæreses esse, ut probati manifesti fiant inter vos. Utamur etiam isto divinæ providentiæ beneficio. Ex his enim hominibus hæretici fiunt, qui, etiam si essent in Ecclesia, nihilominus errarent. Cum autem foris sunt, plurimum prosunt, non verum docendo quod nesciunt, sed ad verum quærendum carnales, & ad verum aperiendum spirituales Catholicos excitando. Sunt enim innumerabiles in Ecclesia sancta Deo probati viri, sed manifesti non fiunt inter nos, quamdiu imperitiæ nostræ tenebris delectati dormire malumus quam lucem veritatis intueri. Quapropter multi, ut diem Dei videant, & gaudeant, per hæreticos de somno excitantur. Utamur igitur etiam hæreticis, non ut eorum approbemus errores, sed ut catholicam disciplinam adversus eorum insidias asserentes, vigilantiores, & cautiores simus, etiamsi eos ad salutem revocare non possumus.*

II. Apprime quadrat Augustini doctrina argumento quod tractandum suscepimus. Quidam enim ex una parte sacramentum pœnitentiæ, & clavium potestatem de medio tollere, ut Lutherani, & Calviniani; alii cum perfecta caritate consociare peccatum, ut Baianistæ; alii tandem præcepta prima & gravissima caritatis, & pœnitentiæ vel extenuare, vel penitus auferre, ut nonnulli Casuistæ, pertentarunt. Erroribus istis profligatis defendenda est doctrina catholica, quæ docet clavium potestate vere remitti peccata, caritatem perfectam pu-

pugnare cum peccato mortali, & præcepta tum caritatis, tum pœnitentiæ dato tempore fideles astringere.

III. Porro illud in primis serio præcavendum est, ne, dum unum errorem declinare volumus, in alium incidamus. Quinque propositiones, vulgo *Baianæ*, devitandæ supra *cap.* IV. rescriptæ sunt, & duas alias nunc subiicio nempe 57. *Unde in sacramento baptismi, aut Sacerdotis absolutione proprie reatus peccati dumtaxat tollitur, & ministerium Sacerdotum solum liberat a reatu.* 58. *Peccator pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui pœnitentiam suggerens, & inspirans vivificat, & resuscitat. Ministerio autem Sacerdotis solum reatus tollitur.* Aliæ quinque supra relatæ eo pertinent, ut cum peccato consocient caritatem perfectam, sive habitualem, sive actualem.

IV. Attritionis servilis patroni, ut Baii errores declinent, in aliud extremum, ut ego quidem arbitror, declinant, confundentes caritatem imperfectam cum perfecta. Adeo obfirmate sibi persuadent, quamcumque dilectionem Dei super omnia iustificationem peccatoris inducere, ut, nisi *hoc præiudicium* in antecessum evellatur, vana apud ipsos sint omnia contra attritionis servilis sufficientiam argumenta vel luculentissima. Ad rem igitur.

§. I.

Caritas imperfecta non iustificat impium, sed disponit ad iustificationem obtinendam in sacramento pœnitentiæ.

I. Proposita thesis non scholasticis speculationibus, sed Scripturarum, Conciliorum, & sanctorum Doctorum testimoniis evincenda est. Præmitto tamen, vel ipsos Theologos scholasticos adversarios probare, quæ dicturi sumus, debere; vel suis de virtutum tum acquisitarum, tum infusarum natura principiis nuntium remittere. Quod ut evincam, in medium produco doctrinam quam percelebres, & doctissimi Scholastici Salmanticenses Carmelitæ Excalceati in suo theologico cursu sane insigni ex communi Theologorum consensu tradunt *Tom. XII. tract.* XXIV. *disp.* VII. *dub.* I. *§.* I. *num.* 8. ubi hæc habent, quæ propriis ipsorum verbis transcribo. „ Potest dari (inquiunt) attritio specifice supernaturalis, quæ sit efficax, & absoluta tam in detestando peccatum, quam in proposito illud evitandi de cetero: & potest dari etiam attritio specifice supernaturalis minus perfecta, quæ prædicta energia, sive efficacitate inducendi effectum destituatur: *quia etsi attingat idem motivum* vitandi vel fœditatem culpæ, vel damnum pœnæ; oritur tamen ex voluntate adeo languida & remis-
„ sa,

„ sa, ut vim non habeat inducendi effectum, atque neque concipiendi proposi- „ tum simpliciter efficax, sed solam quamdam affectionem, & propensionem in „ suo genere laudabilem. Primam huius suppositionis ac distinctionis partem *do- „ cent communiter Theologi*. Secundam vero docet ipsa experientia tam in natu- „ ralibus, quam in supernaturalibus, cui etiam ratio suffragatur. Non raro nam- „ que in materia alicuius virtutis, v. g. temperantiæ, habemus actus talem ma- „ teriam, & *ex proprio virtutis motivo* attingentes, ut cum quis statuit sobrie „ edere, aut caste vivere; & tamen tales actus non hærent firmiter voluntati, „ nec efficaciam habent ut inducant executionem. Sunt itaque actus honesti, at- „ tingentes materiam virtutis temperantiæ, ad eamque saltem reductive perti- „ nentes, & disponentes in suo genere ad actus perfectiores; sed tamen sunt im- „ perfecti, & ad desideratum finem immediate non perducunt, *quia procedunt „ ex infirma voluntate*, pravæ consuetudini contrariæ multum subiecta: unde te- „ pescit animus, ne imperium efficax habeat, & executionem inferat. *Idem pro- „ portionabiliter* in supernaturalibus accidit, de quibus dubitari non debet, quod „ in supernaturali ordine dentur aliqui actus *pertinentes de se, sive ex parte mo- „ tivi, ad eiusdem ordinis virtutes, ut odium peccati, desiderium beatitudinis, pro- „ positum emendationis* &c. pro quibus auxilia gratiæ desiderantur, & qui suo „ modo cor emolliunt pro conversione; destituuntur tamen frequenter *efficacita- „ te*, ut voluntatem trahant ad effectum, & ad executionem inducant: quia „ etsi honesti & supernaturales, sunt tamen imperfecti, & non omnino absolu- „ ti. Quod itaque in aliis tam naturalibus, quam supernaturalibus videmus, *con- „ tingit etiam in supernaturali attritione*: alia enim est efficax, & absoluta, ef- „ fectumque proinde iuxta propositum inducens; alia vero quæ hanc perfectio- „ nem non habet, licet in eumdem effectum inclinet. *Quæ diversitas non in ob- „ iecta, nec in motiva* revocanda, quippe *possunt eadem proponi & attingi*; nec „ etiam reducitur in auxilia sufficientia, quæ ad utrumque parantur, & confe- „ runtur: sed quod una attritio sit absoluta, & efficax, gratiæ efficaciter ad id „ moventi tribui primario debet; & similiter quod altera sit honesta, & super- „ naturalis, atque in suo genere disponat, gratiæ etiam deferendum est; sed „ quod careat perfectione efficacitatis, & ad executionem non perveniat, revo- „ cari debet in defectum voluntatis creatæ &c.

„ Si quis autem inquirat, a quo principio, aut virtute eliciantur eiusmodi at- „ tritiones imperfectæ, quas descripsimus, respondendum est, idem dubium re- „ præsentari posse circa efficaces & absolutas: quippe ante iustificationem pec- „ catoris nullæ in eo supponuntur virtutes, vel habitus infusi præter fidem, & „ spem. Fiunt itaque mediis auxiliis sufficientibus, & *pertinent reductive ad eas „ virtutes quarum motiva attingunt*, ut attritio orta ex desiderio beatitudinis ad

 „ spem;

„ ſpem; & attritio orta ex timore amittendi beatitudinem ad eamdem ſpem; *&*
„ *attritio ex conſideratione bonitatis divinæ, & miſericordiæ erga nos ad timorem*
„ *initialem &c.* "

II. Utinam hac communi Theologorum doctrina vera, & ſummopere in hac cauſſa præ oculis habenda, bene uſi fuiſſent perdocti Patres: lapſi certe non fuiſſent in illa paradoxa quæ infra diſcutiam. Attritionem *timoris initialis* nos dicimus neceſſariam: quia, ut S. Thomas 2. 2. *quæſt.* XIX. *art.* 8. inquit, *timor initialis hoc modo ſe habet ad filialem, ſicut caritas imperfecta ad perfectam*. Communis ergo Theologorum doctrina eſt, attritiones, ſeu dolores, vel diſplicentias ſupernaturales, attingentes omnino idem obiectum, & ſub eodem formali motivo, alias eſſe perfectas, alias imperfectas & remiſſas ex humanæ voluntatis imbecillitate. Quæ imperfectæ attritiones, ſeu contritiones ſunt, non producunt ultimum effectum & executionem, non ex defectu obiecti, vel motivi, quod eſt omnino idem, ſed ex remiſſione actus. Attritio initialis caritate imperfecta formata attingit idem omnino obiectum caritatis, nempe divinam bonitatem propter ſe dilectam, & erga nos beneficentiſſimam; ſed quia imperfecta, & remiſſa, non producit ultimum effectum, ſeu expulſionem maculæ peccati. Excludit affectum ad peccatum, quia amat Deum ſuper omnia; ſed effectum ultimum & completum iuſtificationis non infert, quia efficacitate intenſionis & fervoris neceſſarii ad hunc effectum ultimum, inferendum caret. Diſtinguenda primum omnium eſt converſio ad Deum ſuper omnia dilectum a remiſſione maculæ peccati. Effectum illum caritas ſeu contritio imperfecta, hunc caritas ſeu contritio perfecta producit. Omnes actus tum naturales, tum ſupernaturales, inquiunt ex communi Theologorum doctrina percelebres PP. Salmanticenſes, attingentes idem prorſus obiectum formale ſive fidei, ſive ſpei, ſive caritatis, ſive temperantiæ, ſive iuſtitiæ, ſive caſtitatis, alii ſunt perfecti, alii imperfecti, alii producunt ultimum effectum, alii diſponunt, ſed non producunt hunc effectum. Hæc eſt doctrina, inquiunt Salmanticenſes, communis Theologorum. Ergo, ipſis iudicibus, cauſſa noſtra finita eſt. Ergo caritas imperfecta non expellit maculam peccati; cum hæc expulſio maculæ ſit ultimus operis iuſtificationis, pluribus actibus conſtantis, effectus.

III. Ut luculentior hæc doctrina fiat, illud ſemper præ oculis habendum, opus iuſtificationis maximum eſſe opus Dei, pluribuſque motibus concutienda peccatorum hominum corda, antequam ex funeſto peccati ſepulcro ad vitam reſurgant divinam. Audit impius in ſcelerum cœno demerſus, ſibi eloquenti oratione repræſentari immenſam Dei bonitatem, eiuſque infinitæ amabilitatis prærogativas, illius iuſtitiam, munificentiam, & incredibilem clementiam: affici ſe experitur erga Deum ſuper omnia diligibilem, atque in eodem ſibi complacet.

Di-

Dilectio isthæc est veluti quoddam primum imperfectissimæ divinæ dilectionis lineamentum, quod rationem caritatis forte non attingit: quia S. Thomas in *Supplem. quæst.* v. *artic.* 3. inquit: *Amor potest esse adeo remissus, quod non sufficiat ad rationem caritatis*. Deliberat suam cum Deo reconciliationem, & firmiter proponit ad pœnitentiæ sacramentum accedere; & dum in hoc opus maximo studio incumbit, dilectionis actus, divina opitulante gratia, elicit. Dilectio tamen hæc frequenter remissa est: idcirco ad iustificationem disponit, sed eam non inducit, non ex defectu obiecti caritatis, quod revera attingit; sed ex duritie humani cordis, quod communiter ab extremo amoris erga creaturam non transilit ad extremum oppositum ardentissimæ caritatis.

IV. Adeo apud quosdam scholasticos prævaluit opinio, quod nulla caritas in peccatore reperiatur, ut fere offendantur, dum oppositum doceri audiunt. Sed duo distinguenda sunt. Primum considerandus peccator est qui toto conatu summum iustificationis suæ, Deo illius cor tangente, negotium aggreditur, a peccatore qui in via sua mala perseverare pergit. Secundo distinguenda est caritas perfecta ab imperfecta. In peccatore qui in malitia perseverare vult, nulla umquam vera caritas sive imperfecta, sive perfecta reperitur. Verum in peccatore, serio & toto corde opus iustificationis suæ deliberante, Dei dilectio imperfecta illa est quæ illius cor emollire & præparare incipit ad finem intentum. Aliud itaque est confœderare caritatem quamcumque cum peccato, ut simul cohabitent; aliud quammaxime diversum asserere ad expellendum peccatum a peccatore iustificando necessario requiri Dei dilectionem imperfectam, ut ad perfectam coniunctionem animæ cum Deo disponat. His præmissis, omni argumentorum genere exposita doctrina confirmatur.

§. II.

Ex Concilio Tridentino, & eiusdem Catechismo evincitur, contritionem, quæ est dolor de peccato ob offensam Deo illatam, non semper excludere peccati maculam.

I. Celebre Tridentini Concilii decretum *sess.* XIV. *cap.* IV. tributum est in partes duas. In posteriori parte, cuius initium est, *Illam vero contritionem imperfectam quæ attritio dicitur* &c. agitur de attritione ob gehennæ metum concepta. In priori parte, ut omnibus notum est, explicatur contritio, ut est vera pœnitentiæ virtus, quæ Deum offensum spectat. Porro de hac contritione, quæ ab aliqua Dei dilectione inseparabilis est, sic loquitur Concilium. *Docet præterea*, *etsi*

etsi contritionem HANC ALIQUANDO caritate PERFECTAM esse CONTINGAT, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. Quid, quæso, hæc verba produnt? *Aliquando* dumtaxat *contingit* contritionem esse caritate perfectam. Si contritioni semper esset adiuncta caritas perfecta, numquid Concilium diceret *aliquando* dumtaxat id contingere? Ergo planum est, Concilium supponere, contritionem communiter non iustificare, etsi caritate aliqua imperfecta formatam.

II. Evidentius confirmatur hæc veritas. Concilium *sess.* XIII. *cap.* VIII. *can.* XI. hæc habet. *Et ne tantum sacramentum indigne, atque adeo in mortem, & condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa sancta Synodus, illis quos scientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam SE CONTRITOS existiment, habita copia Confessarii, necessario præmittendam esse confessionem sacramentalem.* Certum est hic sermonem esse de contritione coniuncta cum caritate, seu de dolore ob offensam Deo propter se dilecto irrogatam. Nemo enim Catholicorum asserit contritionem illam imperfectam, quæ attritio servilis dicitur, peccatum expellere. Porro si contritioni caritate formatæ semper adiuncta esset iustificatio peccatoris, numquid Concilium timeret ne contriti Sacerdotes indigne, & in damnationem sumerent Christi corpus? Quid ad hæc mollioris Ethices patroni? Numquid reponent, ideo confessionis præceptum imponere, quia nemini constat se veram contritionem habere; ideo ad maiorem cautionem confessionem præcipere? Vana est cavillatio isthæc. Quoniam nemo quoque certus esse potest se veram & perfectam confessionem agere. At quia sacramentum confessionis suapte natura peccata remittit, idcirco tamquam certum remedium confessionem præscribit. E contrario quia iuxta Concilium *aliquando* tantum *contingit* contritionem ita esse perfectam, ut peccata remittat, ideo confessionem iubet. Reponent ne iterum, positivum hoc esse præceptum? Sed Patres Tridentini ideo confessionem iubent, quia indignæ & sacrilegæ communionis periculum agnoscunt. Ergo evidens est, Concilium Tridentinum supponere contritioni, tametsi aliqua caritate formatæ, non semper adiunctam esse iustificationem.

III. Tridentini Concilii doctrinam luculentius explicat eiusdem Catechismus, qui *II. Part. cap.* V. distincte 79. *§§.* seu *sectionibus* omnia quæ ad sacramentum pœnitentiæ attinent, enucleate dispicit. In toto hoc tractatu nec verbum est de attritione servili. Scopus Theologorum qui hunc composuerunt Catechismum, quique Concilio interfuere, eo pertinet ut partes sacramenti pœnitentiæ explicent ad communem fidelium captum. Et nullibi mentio fit *attritionis ob gehennæ metum conceptæ*. Tres partes distinguit, nempe confessionem, contritionem, & satisfactionem. Contritionem sigillatim explanat a §. 23. usque ad 37. & nec verbum

bum habet de attritione servili. Ubique asserit partem, seu materiam confessionis esse contritionem. Si Concilium statuisset attritionem servilem esse partem, seu materiam sacramenti pœnitentiæ, numquid eius Catechismus istius partis explicationem omisisset? Numquid attritionem ex timore gehennæ conceptam alto, & perpetuo silentio obvolvisset? Quis ratione præditus id asserere ausus fuerit?

IV. CATECHISMUS vero doctrinam Concilii de contritione non semper iustificante ita luculenter tradit, ut omnia effugia præcludat. Siquidem primo §. 27. statuit, contritionem perfectam esse caritatis actionem: *Nam cum perfecta contritio sit caritatis actio*, subdit, opus esse *ut contritio vehementissimum animi dolorem coniunctum habeat . . . . sit præterea non solum maxima, sed vehementissima, atque adeo perfecta*. Deinde vim istius contritionis explicans §. 34. declarat, *statim ut eam in mentibus nostris concipimus, peccatorum remissionem nobis a Deo tribui . . . . Ex quo licet cognoscere veræ contritionis, de qua supra dictum est, eam vim esse, ut illius beneficio omnium delictorum veniam statim a Domino impetremus*. Tandem materiam hanc concludit duobus ultimis §§. 36. & 37. ubi decernit, *paucissimos* esse qui hunc perfectæ contritionis gradum assequantur; & idcirco Deum, ut faciliorem redderet iustificationem, instituisse confessionis sacramentum. Inquit enim §. 36. *Primum itaque docendum est, confessionis institutionem nobis summopere utilem, atque adeo necessariam esse*. Cur? Attente perpende. *Ut enim concedamus, contritione peccata deleri; quis ignorat ADEO VEHEMENTEM, ACREM, ET INCENSAM esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari, conferrique possit? At quoniam PAUCI ADMODUM ad hunc GRADUM pervenirent, fiebat etiam ut a PAUCISSIMIS HAC VIA peccatorum venia speranda esset. Quare necesse fuit ut clementissimus Dominus faciliori ratione communi hominum saluti consuleret: quod quidem admirabili consilio effecit, cum claves regni cælestis Ecclesiæ tradidit*. §. 37. *Confessio contritionem perficit. Etenim ex fidei catholicæ doctrina omnibus credendum, & constanter adfirmandum est, si quis ita animo affectus sit, ut peccata admissa doleat, simulque in posterum non peccare constituat, etsi huiusmodi dolore non afficiatur qui ad impetrandam veniam satis esse possit, ei tamen, cum peccata Sacerdoti rite confessus fuerit, vi clavium scelera omnia remitti, ac condonari*. Hoc ultimum testimonium aut per summam oscitantiam, aut ignoranter laudatur in Theologia morali Seminarii Petrocoricensis *Lib. II. tract. 1. cap. v.* ut truncatum & recisum a primo, quod decretorie reiicit adversariorum opinionem. Quare caveant lectores ne in rebus facti, seu in documentis citandis similibus Auctoribus fidem absolutam & cæcam præbeant.

V. Adeo hæc splendida sunt, ut penitus omnium adversariorum ora obstruant. Catechismus explicat contritionem, quæ est principalis pars materiæ sacramenti. Docet hanc contritionem esse *caritatis actionem*. Distinguit gradus istius contritio-

nis. Declarat *admodum paucos* esse qui ad *hunc* fervoris *gradum*, necessarium ad iustificationem inducendam extra sacramentum, *perveniant*. *Quare necesse fuit ut clementissimus Dominus faciliori ratione communi hominum saluti consuleret; quod quidem admirabili consilio effecit, cum claves regni cælestis Ecclesiæ tradidit*. Quid præstat hoc sacramentum? *Contritionem perficit*. Quomodo? Quia si peccator *huiusmodi dolore non afficiatur qui ad impetrandam veniam satis esse possit, ei tamen, cum peccata Sacerdoti rite confessus fuerit, vi clavium omnia scelera remitti ac condonari* constat.

VI. Adeo decretoria & peremptoria hæc sunt, ut nullo eludi interpretamento valeant. Quare vel indicare piget leviora quædam commenta quæ obtrudi solent. P. Francolinus *Lib. II. cap. I. num. 38.* negat Catechismum loqui de dolore *intensivo*, sed *appretiativum* tantum explicare. Deinde *cap.* VI. *§. I. num.* V. videns datam responsionem esse nimis ineptam, addit, Catechismum interpretandum esse *non de vehementia intensionis, sed extensionis*. Si interpretamentum istud prorsus vanum tibi videtur, melius non invenies in ceteris omnibus attritionis servilis patronis.

VII. Ex his omnibus patet, contritionem, & caritatem actualem adeo remissam iuxta Catechismum Tridentinum esse posse, ut in peccatore iustificando reperiri valeat ante absolutionem sacramentalem, quæ caritatem & contritionem remissam perficit, & iustificationem inducit; ut conceptis verbis Catechismus docet.

§. III.

S. Thomas Aquinas *caritatem incboatam a caritate perfecta distinguit, illamque præcedere iustificationem docet.*

I. HAEC in *II. Sent. dist.* III. *quæst.* IV. *ad* I. scribit. *Dicendum, quod actus caritatis potest dici dupliciter: vel qui est ex caritate; & hoc non est nisi in habente caritatem: vel qui est ad caritatem non sicut meritorius, vel generativus, sed sicut PRAEPARATIVUS; & sic actus caritatis ANTE CARITATEM habitam haberi potest, sicut facere iusta est ANTE habitum iustitiæ. Vel potest dici, quod in amicitia caritatis movetur animus ad amandum Deum ex similitudine gratiæ; sed in dilectione naturali ex ipso bono naturæ, quod etiam est similitudo summæ bonitatis. Et propter hoc dicendum, quod cum dicitur, quod habens caritatem diligit Deum PROPTER SE IPSUM, h* propter *denotat habitudinem finis, & efficientis, quia ipse Deus superaddit naturæ, unde in eius dilectionem tendit; sed cum dicitur de CARENTE CARITATE, quod diligit propter seipsum, h* propter *denotat habitudinem*

nem finis, & non efficientis. Adeo decretorium est testimonium istud, ut consueta distinctione de præcedentia naturæ & temporis eludi aut implicari aliquo modo nequeat. Sermo enim est de caritatis actu, qui non sit nec *generativus*, nec *meritorius*, sed *præparativus* ante caritatem habitam.

II. Hanc eamdem doctrinam S. Thomas ibi *dist.* XXVIII. *quæst.* I. *art.* 3. *ad* 2. confirmat. *Dicendum, quod sicut aliarum virtutum actus dupliciter considerari possunt; vel secundum quod sunt a virtute, vel secundum quod antecedunt virtutem; ita etiam est de caritate: potest enim aliquis etiam caritatem NON HABENS diligere proximum, & Deum, etiam super omnia, ut quidam dicunt: & hoc diligere intelligitur ACTUS CARITATIS sub præcepto directe cadere, & non solum secundum quod a caritate* (habituali) *procedit*.

III. Apertissima sunt hæc S. Thomæ testimonia. Actus qui præcedit habitum seu virtutem caritatis, non est *meritorius*, non est *generativus*. Quid ergo est? *Præparativus* ad caritatem. Si non est meritorius; ergo neque iustificans. Singulas virtutes acquisitas præcedunt actus proprii illarum virtutum. Actus castitatis antecedunt castitatem, & actus iustitiæ antecedunt iustitiæ virtutem; & sic de singulis. Et ex repetitis actibus generatur habitus, ut fert commune axioma. Virtutes infusæ non generantur actibus; sed tamen illas, quemadmodum acquisitas, actus præcedunt, non ut *generativi*, sicuti sapientissime docet Angelicus, sed ut *disponentes, & præparantes*. Ergo, nisi adversarii inconcussa & communia principia subvertere velint, admittant necessum est in peccatore iustificando actus caritatis, qui disponant ad virtutem caritatis; sicut admittere coguntur actus iustitiæ qui disponant ad iustitiam, & actus castitatis qui disponant ad castitatem. Et sicuti actus castitatis directe non disponunt ad iustitiam, aut e contrario; ita actus aliarum virtutum directe non disponunt ad caritatem. Ergo sicut quælibet virtus acquisita suos actus præsupponit & disponentes, & generantes; ita caritas, & ceteræ virtutes infusæ præceduntur ab actibus eiusdem ordinis, & speciei, qui non generant virtutem, sed ad illam disponunt & præparant.

IV. Hanc suam doctrinam confirmat S. Thomas in universa sua Summa. Pauca ex plurimis delibabo. 2. 2. *quæst.* XIX. *art.* 8. hæc docet in argumento prolusorio, ut aiunt. *Perfectum, & imperfectum non diversificant substantiam rei. Sed timor initialis, & filialis differunt secundum perfectionem, & imperfectionem caritatis, ut patet per Augustinum*. Deinde in *cor. art.* hæc resolvit. *Sic non accipitur initialis* timor, *secundum quod distinguitur a timore servili, & filiali; sed accipitur, secundum quod competit statui incipientium, in quibus inchoatur quidam timor per inchoationem caritatis. Non tamen inest eis timor filialis PERFECTE, quia nondum pervenerunt ad perfectionem caritatis. Et ideo timor initialis hoc modo se habet ad filialem, sicut caritas imperfecta ad perfectam. Caritas autem perfecta, & imperfecta*

non

non differunt secundum ESSENTIAM, sed solum secundum STATUM. Quid significant ultima verba *secundum statum?* Duo sunt status, iusti, & peccatoris. Caritas perfecta, & imperfecta differunt secundum statum, non secundum essentiam. Ergo perfecta in iusto, imperfecta in peccatore iustificando.

V. Rursus 1. 2. *quaest.* CXIII. *art.* 10. hanc eamdem doctrinam luculentius confirmat. *Est enim iste communis, & consuetus cursus iustificationis, ut, Deo movente interius animam, homo convertatur ad Deum, primo quidem conversione imperfecta, ut postmodum ad perfectam deveniat, quia CARITAS INCHOATA MERETUR AUGERI, ut aucta mereatur perfici, sicut Augustinus dicit* (tract. v. in ep. Ioan.). *Quandoque vero Deus tam vehementer animam movet, ut statim quamdam perfectionem iustitiae assequatur; sicut fuit in conversione Pauli, adhibita etiam exterius miraculosa prostratione: & ideo conversio Pauli tamquam miraculosa in Ecclesia commemoratur celebriter*. In hoc articulo S. Doctor distincte explicat iustificationis ordinem. Et continenter suum principium capitale repetit, quod maximum opus istud ab imperfecta caritate orsa capit, praecedente tamen aliorum actuum, fidei, spei, timoris &c. apparatu. Deinde fit transitus ad caritatem perfectam, & statum iustorum. Et hanc doctrinam auctoritate Augustini confirmat. Caritas haec imperfecta impium non iustificat, sed illum ad iustificationem praeparat. Neque differt *secundum essentiam*, quia attingit idem obiectum formale, nempe Deum propter se dilectum, non *effective*, inquit Angelicus, sed *affective*.

VI. Rursus *III. Part. quaest.* LXXXVI. *art.* 3. S. Thomas suam doctrinam explicat atque declarat. *Peccatum mortale non potest sine vera poenitentia remitti, ad quam pertinet deserere peccatum, in quantum est contra Deum; quod quidem commune est omnibus peccatis mortalibus: ubi autem est eadem ratio, & idem effectus. Unde non potest esse vere poenitens de uno peccato qui non poenitet de alio. Si enim displiceret ei illud peccatum, QUIA EST CONTRA DEUM super omnia dilectum (QUOD REQUIRITUR AD RATIONEM VERAE POENITENTIAE) sequeretur quod de omnibus poeniteret. Unde sequitur quod impossibile sit unum peccatum remitti sine alio*. Ad rationem itaque poenitentiae necessario requiritur displicentia de peccato, *Quia est contra Deum super omnia dilectum*. Et loquitur Angelicus de poenitentia cum sacramento necessaria, ut constat ex articulo praecedenti, ad quem hic se remittit.

VII. Cum haec ita comperta & explorata sint, & non modo in Sententiariis; sed in universa Summa Angelica repetita, qui fieri potest, inquies, ut Thomistarum aliquis oppositum sentiat? Quia interdum aliqui non ex fonte aquas attingunt, sed ex rivulis, ex interpretibus; quorum si unus aberrat, quandoque aliqui minus periti errantem sequuntur. Quandoque vel unica expressione ambigua, aut aequivoca capiuntur; & illius falso sensu semel adoptato, eidem obfirmate

mate hærent, clausis oculis ad alia luculentissima testimonia, quæ rem totam conficiunt.

VIII. Opponunt 1. S. Thomas caritati secundum speciem, & non secundum gradum acceptæ, vim iustificandi tribuit. Ergo falsa est doctrina hactenus explicata. Resp. Distinguo antecedens. Caritati habituali, concedo; caritati actuali, nego. Obtrudi solet textus ex *III. Part. quæst.* lxx. *art.* 4. ubi inquit: *Minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ* &c. At ibi loquitur S. Doctor de gratia, & caritate infusa per baptismum; ut fusius infra explicabo, ubi evincam, absque crassa ignorantia, aut oscitantia opponi hunc textum non posse.

IX. S. Thomas in IV. *dist.* XVII. *quæst.* II. *art.* 5. seu in *Supp. quæst.* V. *art.* 3. docet. *Dicendum, quod quantumcumque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet*. Resp. Hæc pauca verba truncata obtrudi solent contra manifestam S. Doctoris mentem. Quærit in hoc *art.* S. Doctor, *utrum parva contritio sufficiat ad deletionem magnorum peccatorum*: & respondet, quamlibet contritionem gratia sanctificante informatam, tametsi remissam, delere omnem culpam. En illius verba in argumento prolusorio. *Quælibet gratia gratum faciens delet omnem culpam mortalem: quia simul cum ea stare non potest. Sed quælibet contritio est gratia gratum faciente informata. Ergo quantumcumque sit parva, delet omnem culpam*. De hoc ergo dolore in corpore huius articuli loquitur qui sit caritate habituali perfectus, ut ex toto articulo patet. Præterea toto cælo aberrant oppositores, si somniant S. Thomam loqui de contritione extra sacramentum. Numquid quælibet contritio, quamtumvis parva, extra sacramentum scelera omnia delet, nisi sit sanctificante gratia informata?

X. Opponunt 2. S. Thomas *III. Part. quæst.* lxxxv. *art.* 6. hæc habet. *Actus, & habitus caritatis simul sunt tempore cum actu, & habitu pœnitentiæ, & cum habitibus aliarum virtutum*. Ergo caritas actualis, quamtumvis imperfecta, sine sacramento iustificat. Resp. Hæc omnia vera sunt, quando in sacramento impius iustificatur; extra sacramentum, nego, nisi caritas actualis sit incensa & vehemens, ut fuit in Saulo; quod raro admodum contingit. Quæ omnia patent ex iis quæ ibidem continuo Angelicus subdit. *In iustificatione impii simul est motus liberi arbitrii in Deum, qui est actus fidei per caritatem formatus; & motus liberi arbitrii in peccatum, qui est actus pœnitentiæ. Horum tamen duorum actuum primus naturaliter præcedit secundum. Nam actus virtutis pœnitentiæ est contra peccatum ex amore Dei. Unde primus actus est ratio & caussa secundi. Sic igitur pœnitentia* (quantum ad habitum) *non est simpliciter prima virtutum nec ordine temporis, nec ordine naturæ: quia secundum ordinem naturæ simpliciter præcedunt ipsam virtutes theologicæ: sed quantum ad aliquid est prima inter ceteras virtutes ordine temporis, quantum ad eius actum, qui primus occurrit in iustificatione impii* &c. Igitur iuxta S.

Tho-

Thomam actus virtutis pœnitentiæ, prout est motus liberi arbitrii, conceptus *ex amore Dei* contra peccatum, præcedit ordine temporis ceteras virtutes, quæ in iustificatione infunduntur. Ceterum si contritio vehementissima, & summopere incensa sit, tum actus, & habitus simul sunt tempore, ut alibi explicatum est. Tandem opus iustificationis duplici modo spectari potest. Primo, dum peccator laborat, conatur, & laboriosis operibus ad illud se se disponit. Secundo in ipso puncto & articulo in quo perficitur. In hoc secundo statu & articulo, in quo iustificatio perficitur, *actus, & habitus caritatis simul sunt tempore*. At sub priori consideratione actus pœnitentiæ ex amore Dei conceptæ *ordine temporis*, nedum naturæ, præcedit gratiam, & caritatem habitualem. Et idem evenit in attritione servili, quæ iuxta adversarios coexistit sacramento, & gratiæ habituali pro illo articulo temporis in quo fit iustificatio; licet prius existat respectu temporis quo peccator se ad sacramentum disponit.

XI. Plura huc in confirmationem doctrinæ Tridentini, eiusdem Catechismi, & S. Thomæ adferre testimonia possem tum ex Scripturis, tum ex Patribus, præsertim Augustino. Sed brevitatis caussa nunc illa omitto. Auctoritatem Augustini laudavit Angelicus, qui suam doctrinam ex Patribus, & Scripturis hausit: Præterquamquod sermo hoc de argumento infra redibit, & alia obiecta diluam. Sat nunc mihi est demonstrasse, falso præiudicio adversarios occupari, dum pro certo supponunt, nullam caritatem actualem præcedere iustificationem posse.

CAPUT VI.

PRAEIUDICIUM QUARTUM,

quo præventi attritionis servilis patroni, credunt sententiam, exigentem ad sacramentum pœnitentiæ contritionem ex caritate incboata conceptam, severum Rigorismum *redolere: e contrario putant attritionis servilis opinionem suavem benignitatem spirare. Hoc PRAEIUDICIUM cum evangelicæ legis spiritu bostiliter pugnat.*

I. Quartum & ultimum præiudicium labefactandum, est *Rigorismus*, quem affingere adversarii sententiæ nostræ pertentant. In veteri testamento, inquiunt, sola contritio remittendis culpis sufficiebat. Christus Dominus instituit pro peccatorum remissione sacramentum confessionis in nova lege. Si simul contritio, ex amore Dei super omnia dilecti concepta, esset necessaria, Christus non

le:

levigasset, sed aggravasset Christianorum iugum. Hoc autem dici nequit; cum ipse testetur: *Iugum meum suave est, & onus meum leve*. Sententia igitur propugnans huiusce amoris necessitatem trucem præfert severitatem, & Lutheranismi, Calvinismi, Baianismi, & Iansenismi fuligine tincta est.

II. Non auderem tantum mihi opponere paradoxon, nisi propriis Auctorum verbis supra descripsissem. Penitus quippe atque penitus prima novi fœderis fundamenta & capita prima effodit & subvertit. Prima enim & splendidissima prærogativa quæ novum a veteri fœdere distinguit, est spiritus amoris; ut S. Paulus clamat ad *Rom.* VIII. inquiens: *Non enim accepistis spiritum servitutis ITERUM in TIMORE, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater*. Clamant uno ore Patres divinæ dilectionis suavi unctione Christi iugum levigari. *Verum est quod ipse dixit*: Iugum meum suave est. *Quidquid enim durum est in præceptis, ut sit lene, caritas facit*: inquit Augustinus *in Ioan. tract.* XIII. Iterum idem S. Pater in *epist. ad Rom.* inquit: *Evidentissime duorum testamentorum distincta sunt tempora: illud enim ad timorem pertinet, novum autem ad caritatem*. S. Thomas in *cap.* IV. *Matth.* ait: *Vetus erat lex timoris, nova vero amoris*: & rursus 2. 2. *quæst.* CVIII. *art.* 1. *ad* 3. subdit: *Qui ex amore bonum operantur, proprie ad Evangelium pertinent .... Qui vero ex amore non moventur ad bonum, sed ex timore, etsi numero sint de Ecclesia, non tamen merito*. Et hic est omnium Patrum sermo. Omnium ergo Patrum doctrinæ adversatur recensita Casuistarum doctrina. Durum est confessionis auricularis iugum; sed caritas facit ut leve sit & suave. Ineptirem ipse, si fusius hoc ostenderem. In Iudæorum sortem miseram, & ad gravissimum synagogæ iugum Christianos reiiciunt illi qui solo spiritu timoris eosdem dirigere contendunt.

III. Qui descriptum præiudicium obtrudunt, legis mosaicæ onera ignorant. Et ne præstitutos limites transiliam, an eos latet quæ offerre Iudæi pro peccatorum expiatione cogebantur? Quid quod vel ipsi quoddam pœnitentiæ sacramentum habebant, ut *III. Part. quæst.* LXXXVI. *art.* 6. S. Thomas docet. *Sciendum tamen, quod etiam in veteri lege, & in lege naturæ erat aliqualiter sacramentum pœnitentiæ, ut supra dictum est*. Porro supra *quæst.* LXXXIV. *art.* 7. hæc habet ad 2. *Dicendum, quod ea quæ sunt iuris naturalis, diversimode determinationem accipiunt in veteri, & in nova lege, secundum quod congruit imperfectioni veteris legis, & perfectioni novæ legis. Unde & pœnitentia in veteri lege aliquam determinationem habuit, quantum quidem ad dolorem, ut esset magis in corde quam in exterioribus signis, secundum illud Ioel.* II. Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra: *quantum autem ad remedium doloris quærendum, ut aliquo modo ministris Dei peccata sua confiterentur, ad minus in generali. Unde Dominus Levit.* V. *dicit*: Anima, si peccaverit per ignorantiam, offeret arietem immaculatum de gregibus Sacerdoti, iuxta mensuram,

ram, æstimationemque peccati: qui orabit pro eo, quia nesciens fecerit; & dimittetur ei. *In hoc enim ipso quod oblationem faciebat aliquis pro peccato suo, quodammodo suum peccatum Sacerdoti confitebatur. Et secundum hoc dicitur Proverb.* XXVIII. Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur. *Nondum autem erat instituta potestas clavium, quæ a passione Christi derivatur; & per consequens nondum erat institutum quod aliquis doleret de peccato cum proposito subiiciendi se per confessionem, & satisfactionem clavibus Ecclesiæ sub spe consequendæ veniæ virtute passionis Christi.*

IV. Si pro quolibet ignorantiæ peccato *arietem*, & pro malitiæ cognitæ flagitio *bovem* offerre nunc deberent Sacerdoti, cui confitentur, Christiani, quot arietes, quot boves essent emendi? Iugum ne suavius istuc quam iugum amore prosequendi Deum? Sed iam video lectorem commotum iri, si longius produxero huius inauditi paradoxi deformitatem.

V. Ut vero experientia ipsa evincam, quam longe a veritate aberrent adversarii, dum Rigorismi notam impingere sententiæ nostræ non dubitant, percontor ab eis. Obstringit ne Christianos omnes caritatis primum altissimumque mandatum? Quidquid olim dixerint Casuistæ plures, nunc Ecclesiæ definitione constat, non in articulo mortis, non singulis quinquenniis modo, sed frequentius ad Deum amandum, & quidem amore caritatis, urgeri Christianos omnes. Quæro iterum. Quoties in annum obligabunt ad huius præcepti observationem fideles? Singulis mensibus? Oh! iugum exasperans. Quoties ergo? Quater, bis, semel? Minus non credo.

VI. Hoc posito, Christianos tribuo in classes tres. In prima colloco iustos, qui a peccatis mortiferis alieni, evangelicæ perfectioni operam navant sedulam. Omnes isti ad sacramentum pœnitentiæ frequenter accedunt. Et si aliquando in peccatum eos labi contingat, ferventem contritionem concipere student & adlaborant. In secunda eos constituo qui aut singulis mensibus, aut sex, vel quater in annum ad confessionis sacramentum accedunt. Hi quoque præceptum caritatis saltem confessionis tempore implebunt. Ad ultimam tandem classem eos reiicio qui aut semel in annum, aut post quinquennium, vel decennium, aut ultra confitentur. Cedo. Aut isti sincere convertuntur ad Deum, aut secus? Si secundum; cessat omnis quæstio. Si primum; nonne a præcepti caritatis observantia ordiri suam conversionem debent? An dicturus eris, sacramentum confessionis aboleviffe primum evangelicæ legis mandatum? Absit. An repones, peracta confessione, tunc eos impleturos caritatis mandatum? Esto. Sed præteritas omissiones huius præcepti compensare primum omnium astringuntur. Siquidem impii, qui reconciliari Deo cupiunt, ignorant, aut sciunt se diligendi Deum lege obstringi. Si hanc legem ignorant; Athei, non Christiani sunt. Si eam callent, & statim illam implere negligant; dispositi ne ad iustificationem iudicandi sunt?

VII.

VII. Aerem verberas, & extra chorum cantas. Disparata hæc sunt, & dissita. Quid præceptum caritatis cum sacramento pœnitentiæ confundis? Quod caritatis mandatum implere Christiani debeant, *per accidens*, non *per se* ad sacramentum pœnitentiæ attinet. Nunc sermo est de dispositione per se necessaria ad pœnitentiæ sacramentum. Audio. Eiusmodi distinctiones *per accidens*, & *per se* minuunt ne iugum ferendum? Nostra in præsens quæstio est, num sententia quæ obligat peccatores ad caritatis præceptum implendum, *Rigorismum* oleat, seu iugum evangelicum aggravet. Nam si mihi concedis reipsa peccatores ab huius præcepti observatione suam ordiri debere conversionem, hoc pacto ratiocinor. Sententia postulans in conversione peccatoris amorem Dei super omnia, nihil imponit quod præstare aliunde Christiani non debeant. Igitur, ad praxim quod attinet, hoc divini amoris & contritionis iugum, quod nimis durum reputant Casuistæ iuniores, ferte reipsa Christiani debent. Quod vero aut per se, aut per accidens cervices iugo subdere debeant, nec minuit, nec auget aut severitatem, aut ponderis gravitatem. Distinctiones istæ in mente sistunt, nec quidquam præsidii afferunt illis qui reipsa ferre pondus & iugum debent.

VIII. Heinc apparere incipit quam sit absonum & monstrosum præiudicium illud quo adversarii obducti sententiæ attritionis initialis *Rigorismi*, & *Iansenismi* notam inurere minime reformidant. Moralistarum, & recentiorum Theologorum plures mirum in modum falluntur, dum *Iansenismum*, & *Rigorismum* inconsiderate obtrudunt, & tragicum bellum nolentes fovent in Ecclesia. Iansenistæ defendunt necessitatem amoris ad sacramentum. Ergo negandum. Iansenistæ defendunt primum caritatis mandatum frequenter obligare. Ergo negandum. Iansenistæ defendunt præceptum contritionis. Ergo reddunt iugum Christi durius iugo Hebræorum. Quid heinc? Iansenistæ scandalum ex doctrinis laxis patiuntur, & inde magis obfirmantur in suis erroribus. Iansenistarum errores strenue refellendi sunt. Sed, ut victoria de illis obtineatur, purganda a laxis opinationibus Moralis evangelica est. Ideo ne plures sententiæ quæ sanam Moralem promovent, negandæ sunt, vel Iansenismi accusandæ, quia Iansenistæ illas defendunt? Neganda ergo mysteria Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ &c. quia Iansenistæ illa credunt. Vellem ut tandem aliquando nonnulli perciperent cladem quam inferunt Ecclesiæ ex eo quod saniori Morali teterrimam Iansenismi notam affingant. Verum hæc obiter, & plura suo tempore.

IX. Ut tandem excitentur, utriusque sententiæ prospectum nativis coloribus depingamus: &, ubi sit aut Laxismus monstrosus, aut Rigorismus truculentus, videamus. Legis evangelicæ spiritus dilectio Dei est. Hæc est plenitudo legis. Hoc primum & maximum mandatum. Unica post naufragium tabula pœnitentia, quæ contritio cordis dicitur, quovis tempore necessaria necessitate medii, &

præ-

præcepti. Duo hæc præcepta, ut minimum femel, bis, ter quotannis obftringunt peccatorem. Sed, ut fortius argumentum urgeam, mitto nunc inquirere, femel ne in annum obligent. Certum eft illa obligare & extra articulum mortis, & intra quinquennium. Finge mandata indefinita effe quantum ad temporis obligationem. De fide tamen eft hæc præcepta obligare. Quæro nunc: quæ, amabo te, opportuniora tempora hæc duo implendi mandata quam illa in quibus fymbola & fanctiffimæ paffionis Chrifti pignora accipere, & infiniti beneficii fanguinis in cruce effufi participes fieri peccatores debent? Amore profequi Deum peccatores, & conteri ob admiffa poft facrum lavacrum fcelera devincti funt. Ergo tum faltem implere hæc graviffima mandata tenentur, cum ad Deum reverti, & eidem reconciliari deliberant, & maximum iuftificationis beneficium fufcipere confidunt. Ubi vel umbra *Rigorifmi*, fi pro difpofitione ad facramentum id exigimus quod etiam aliis titulis Deo rependere impii debent? Tempera nunc tibi a fpeculationibus, quod hæc difparata fint, & unum per accidens, alterum vero fe habeat per fe. Mitte nunc difputationis gratia has diftinctiunculas, & meditare id quod reipfa præftare & opere implere impii debent. Et nifi communi fenfu deftitutus fis, ipfe fateberis, nihil nos in praxi exigere quod Chrifti iugum aggravet, quod feveritatem redoleat. Concludes, *Rigorifmum*, & *Ianfenifmum*, quem impingere huic fententiæ audaciores quidam Cafuiftæ non dubitant, meram effe chimæram chimærarum, & calumniam putidiffimam.

X. Oculos nunc converte in opinionem attritionis formidolofæ, cuius patroni hæc propugnant. Peccatores plurium annorum intervallo in omnium flagitiorum fentina fefe volutarunt, in Deum odio perpetuo furentes, illumque facrilego ore blafphemantes. Cafu audiunt Concionatorem ex una parte gehennæ fornacem defcribentem, flammarum crudeliffimam vim, fulphuris fœtorem, tenebrarum caliginem, & tremendiffimam fuppliciorum perpetuitatem; ex altera immenfas æternæ felicitatis delicias, gaudia, & delectationes æternum duraturas. Timore tanti fupplicii a Deo infligendi perciti, & fpe confequendæ beatitudinis allecti dolent de peccato, quod & felicitatis defcriptæ privationem, & gehennæ fupplicium inducat; nulla dilectione Deum profequuntur; nullam ob offenfam illius infinitæ bonitati irrogatam difplicentiam concipiunt. Accedunt ad facramentum, abfolvuntur attriti, iufti evadunt, & Dei amici, quin ullum amicitiæ actum, quo inveteratum contra Deum odium retractent, elicuerint. Iftius fententiæ aliqui defendunt in mortis tantum articulo peccatores ad contritionis actum obftringi; alii vel in hoc articulo negant. Extra hunc articulum communius illos a contritionis obligatione abfolvunt.

XI. Quifque nunc hanc fecundam cum prima fententiam conferat: quifque in utramque iudicium ferat. Quo prima divinæ caritatis legi propinquior eft, & ab omni

omni rigoris umbra remotior; eo hæc secunda laxior, & servitutis spiritui, antiquæ legis proprio, vicinior apparet, si vis argumentationis spectetur. Utramque tamen ego ab omni censura iuxta Alexandrinum decretum nunc immunem relinquo; & quid iuxta Innocentii XI. decretum dicendum de utraque sit, infra expendam. Satis in præsentia mihi est priorem sententiam a tetra *Rigorismi*, & *Iansenismi* nota obiter vindicasse.

XII. Ceterum missis dissidiis, quæ hanc gravissimam caussam propius spectant; quod reipsa in praxi contingit, indicabo. Peccatores communiter a pœnarum timore, & amissione æternæ felicitatis principia suæ conversionis repetunt. Verum, ut mea minima præfert opinio, nemo impiorum in praxi vere ad Deum convertitur, quin reipsa Deum amet, quin reipsa doleat ob offensam Deo suo optimo, clementissimo, amabilissimo parenti illatam. Omnes Catholici, dum primis *christianæ doctrinæ* rudimentis a pueritia imbuuntur, & formulam perfectæ contritionis addiscunt; & dum gratia divina præventi ad Deum post commissa scelera redire statuunt, pro virili ferventem concipere adnituntur contritionem: & qui revera convertuntur, & iustificantur, reipsa dolent, quia infinitam Dei bonitatem offenderunt. Et quamvis hæc cordium secreta nos lateant; tamen, quantum ex coniecturis, & effectibus sinceræ conversionis argumentari licet, nulla sincera & vera peccatoris conversio, & iustificatio actuali Dei amore vacua est. Et si omnes peccatores reipsa conversi, & iustificati interrogentur, an revera, dum primum conversi sunt, curaverint dolere ob offensam Deo optimo illatam, eumque amore prosequi studuerint, omnes uno ore adfirmabunt. Quare prolixæ disputationes pro atritione servili, peccatorum socordiæ, & conversionibus languidis, & minus sinceris fucandis, ut ego quidem arbitror, deservire videntur. Confessiones recidivorum, consuetudinariorum magna in parte sacrilegæ sunt, ut suo loco ostendam. Isti terrore gehennæ concussi, & desiderio æternæ beatitudinis aliquando excitati accedunt ad confessionem, absolvuntur, relabuntur; iterum confitentur, & iterum relabuntur; & in perpetuo confessionum, & scelerum circulo vitam agunt. Isti sane solo timore gehennæ, sola attritione servili opus maximum iustificationis ordiuntur; sed in exordio sistunt, & ultra non pergunt: ideo raro sincere convertuntur. Huc recidunt omnes hac de caussa disputationes.

CAPUT VII

De attritionis servilis insufficientia ad sacramentum pœnitentiæ rite suscipiendum.

CONvulsis, & penitus labefactatis *quatuor præiudiciis*, quæ percipiendæ veritati aditum præcludebant, ipsam nunc caussam ingredimur. Hoc enim pacto spero fore ut lectores ad argumentorum, quæ & pro insufficientia attritionis, & pro imperfectæ caritatis actualis necessitate adducturus sum, efficacitatem, & veritatem assequendam aptiores facti sint. Ut vero maiori qua valeo perspicuitate caussam hanc discutiam, eam in partes tribuo.

§. I.

Nonnulla de pœnarum timore, & attritionis servilis honestate explicantur.

I. TImor triplex. Naturalis, quo quis, natura duce, mala temporalia reformidat. Mundanus, quo quis hominum respectu a malo abstinet, aut malum perpetrat; magisque æstimat commodum, aut incommodum temporale, quam reformidet Dei offensionem. Tertius timor divinus appellatur, qui Deum respicit. *Timete eum qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam:* Matth. x.

II. Timor Dei duplex, servilis, & castus. Servilis servorum est, dum quis non iustitiæ amore, sed gehennæ metu a peccato abstinet. Castus Deum, ut supremum Dominum, reveretur; & ne ei displiceat, a peccato se coercet. Timor iste duplex. Initialis, qui est timor culpæ cum formidine pœnæ coniunctus. Initialis dicitur, quia eorum proprius est qui in via Dei ambulare incipiunt. Filialis culpam respicit absque pœnæ timore. Igitur timor initialis ille est quo quis ad Deum convertitur, eique adhæret propter timorem tum pœnæ, tum culpæ. Timor filialis ille est quo quis ad Deum convertitur non pœnæ timore, sed ex amore iustitiæ & caritatis, revereturque Deum amantissimum patrem offendere. Ita S. Thomas 2. 2. *quæst.* xix. *art.* 2. docet. *Si ergo aliquis convertitur ad Deum, & ei inhæreat propter timorem pœnæ, erit timor servilis. Si autem propter timorem culpæ, erit timor filialis: nam filiorum est timere offensam patris. Si autem propter utrumque, erit timor initialis, qui est medius inter utrumque timorem.* Sed apprime adnotanda Angelici verba, quæ præmittit. *De timore nunc agimus, secun-*

cundum quod per ipsum ALIQUO MODO ad Deum convertimur; ideſt, timor aliquo modo admodum imperfecto ad noſtram converſionem diſponit.

III. Timor naturalis malitiam, aut bonitatem recipit vel a pravo, vel a bono voluntatis affectu. Timor mundanus ſuapte natura malus eſt, cum bono, aut malo temporali Dei offenſam præponat. Timor caſtus, ſive initialis, ſive filialis, ſanctus eſt. *Timor Domini ſanctus permanens in ſæculum ſæculi*: Pſalm. XVIII. *Timete Dominum omnes Sancti eius.*

IV. In timore ſervili duo diſtinguenda. Timor ipſe, & eius ſervilitas. Timor pœnæ bonus eſt. Formidare quippe pœnam, cuius contrarium bonum eſt, honeſtatem, & bonitatem præfert. Servilitas mala eſt; cum ſit affectus peccati in animo latitans, quo, niſi pœna immineret, peccatum eligeretur. Heinc duplex timor ſervilis diſtingui ſolet: unus qui dicitur abſolute ſervilis; alter qui nuncupatur ſerviliter ſervilis: iſte malus eſt, ille bonus.

V. Quæſt. unic. *An attritio ex gehennæ, & pœnarum metu concepta bona & utilis ſit ad iuſtificationem?* Reſp. Reſponſio adfirmativa fidei eſt, definita in Concilio Tridentino *ſeſſ.* VI. *can.* VIII. & iterum *ſeſſ.* XIV. *cap.* V. adverſus Lutherum. *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores peiores facere; anathema ſit.* Lege *can.* V. *ſeſſ.* XIV. Innumera ſunt tum Scripturarum, tum Patrum teſtimonia quæ hanc veritatem confirmant. Eccl. I. *Corona ſapientiæ timor Domini.* Prov. I. *Timor Domini principium ſapientiæ.* Pſalm. CXVIII. *Confige timore tuo carnes meas.* Matth. X. *Timete eum qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam.*

VI. Tertullianus *Lib. de cultu fem. cap.* II. inquit: *Timor fundamentum ſalutis eſt; præſumptio impedimentum timoris.*

VII. S. Auguſtinus *ſerm.* XVIII. *de verbis Apoſt.* hæc docet. *Modo, cum dicis mihi gehennam, timeo; ardere timeo; in æternum puniri timeo. Quid dicturus ſum? Male times? Vane times? Non audeo, quemadmodum ipſe Dominus ablato timore, ſubiecit timorem & dixit:* Timete eum qui habet poteſtatem & animam, & corpus mittere in gehennam ignis: ita dico vobis, hunc timete. *Cum ergo Dominus timorem incuſſerit . . . dicturus ego ſum, Male times? Iſta non dicam. Plane time, nihil melius times, nihil eſt quod magis timere debeas. Sed interrogo te. Si te non videret Deus, quando facis, nec quiſquam te vinceret in iudicio illius, faceres? Tu te vide . . . Inſpice te ipſum. Faceres? Si faceres; ergo pœnam times, caſtitatem nondum amas, caritatem nondum habes. Serviliter times, formido mali in te eſt, nondum dilectio boni.*

VIII. Aliorum Patrum teſtimonia ſileo, cum veritas explorata & manifeſta ſit. Attritio ex metu gehennæ concepta, tria includit, voluntatem fugiendi pœ-

 nam,

nam, peccati detestationem, quæ medium est ad pœnam vitandam, & ordinationem huiusce medii ad finem obtinendum, peccati scilicet fugam. Quid hic mali occurrit? An inferni pœna mala non est, & odio digna? Ergo honestum est, & utile eam formidare, & odio prosequi. Peccati detestationem quis inficiabitur bonam esse? Denique ordinatio fugæ peccati ad vitandam pœnam seipsa honestatem prodit.

IX. Tandem attritio, concepta ex gehennæ timore, fide præcedente, supernaturalis est, cum paret locum caritati, ut S.August. *tract.* IX. *in I. Epist. Ioan.* docet. *Timor locum præparat caritati. Timor ideo intrat, ut caritatem introducat: & si nullus est timor, non est qua intret caritas.* Hæc repetit sexcentis in locis Augustinus. Quare merito Alexander VIII. has duas sequentes propositiones 14. & 15. confixit. 14. *Timor gehennæ non est supernaturalis.* 15. *Attritio quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se; non est bonus motus, & supernaturalis.* Argumenta Lutheri utpote futilia prætereo.

§. II.

Formidolosa attritio, & solo gehennæ & pœnarum metu concepta, impar est reconciliando peccatori Deo in sacramento pœnitentiæ, quia non excludit voluntatem peccandi.

I. PRimum omnium doctrina præmittenda, quæ duo comprehendit. I. Quid significet exclusio voluntatis peccandi. II. Quod licet timor non excludat omnem voluntatem peccandi, non propterea malus est, sed bonus. Et hæc quæ dicturus sum, apprime memoriæ sunt commendanda.

II. Et ad primum quod attinet, excludere voluntatem peccandi duplici modo intelligi potest. Primo *negative*, quæ exclusio haberi potest per somnium, per vehementem distractionem. Secundo *positive*; quod tum fit, cum in voluntate sunt alii affectus directe contrarii, quique directe pugnant cum affectibus peccati: puta affectus erga Deum super omnia dilectum pugnat cum quocumque affectu peccati: idcirco dicitur, illum excludere positive istum. Porro hanc positivam exclusionem peccati in sacramento pœnitentiæ necessariam esse, adfirmare omnes tenentur, ut Doctor eximius P. Suarez *Tom. IV. in III. Part. disput.* XX. *num.* 6. docet. *Concilium Tridentinum expresse requirit attritionem quæ voluntatem peccandi excludat: non negative tantum per solam cessationem a tali voluntate: hoc enim modo quælibet cogitatio alterius rei voluntatem peccandi excludit; sed positi-*

ſitive per formalem, aut virtualem repugnantiam, veramque mutationem voluntatis diſſentientis peccato, & conſentientis gratiæ Dei.

III. Ut dixi, hæc poſitiva expulſio fieri nequaquam poteſt, niſi inter excluſum & incluſum ſit inſociabilis pugna, & directa oppoſitio. Inter timorem autem, & peccatum abſolute, & ſecundum ſe, ſeu prout eſt offenſa Dei, ſpectatum, & timorem pœnarum, quæ peccato debentur, non eſt directa oppoſitio. Timor enim directe pœnas reſpicit, a iuſto iudice ſtatutas, quaſque ut timeamus, & Evangelium, & ratio ipſa ſuadet. Timor iſte contumaciam coercet animi tormenta ſpernentis; & huic contumaciæ directe opponitur: iunctus fidei, & ſpei longe diſtat ab infidelitate, & deſperatione; & ad conſiderandam divinam miſericordiam, reverendamque iuſtitiam timentem convertit. Quæ omnia honeſta & bona ſunt. Verum timor iſte non opponitur peccato abſolute, & ſecundum ſe ſpectato, quatenus eſt offenſa Dei. Quapropter nequit excludere poſitive peccatum iſtud, cui directe non opponitur. Hoc vero non eſt vitium timoris, quia officium iſtud ad timorem non attinet. Cuiuſcumque enim virtutis & doni vis limitata eſt, & ſphæra definita. Fides excludit infidelitatem, ſpes deſperationem. At neque fides intemperantiam, neque ſpes iniuſtitiam, aut incontinentiam convellit. Et ſæpe accidit ut & qui credit, ſit iniuſtus, & qui ſperat, ſit incontinens, intemperans &c. Propterea ne ſpes, fides aliquid vitii continent, quia intemperantiam, iniuſtitiam, incontinentiam non excludunt? Minime gentium: quia cum iis oppoſitionem non habent; ſed veræ virtutes ſunt, quia eliciunt actus credendi, & ſperandi, excluduntque infidelitatem, & deſperationem, cui opponuntur. Similiter timor bonus eſt, & perutilis, quia pœnas a iudice ſtatutas reformidat, & coercet impii contumaciam, cui opponitur: excludit etiam aliquam, ſed non omnem voluntatem peccandi: quia non reſpicit peccatum abſolute in ſe: cum hoc enim directe non pugnat, ut explicatum eſt. Nec propterea aliquid vitii contrahit, quia non producit totum illum effectum qui eſt ſupra eiuſdem vires & facultatem, ut dictum eſt de aliis virtutibus. His delibatis, ad argumenta explicanda contra inſufficientiam attritionis formidoloſæ pergo.

§. III.

Auctoritate Sancti Auguſtini *evincitur, attritionem formidoloſam non excludere voluntatem peccandi.*

I. Sanctus Auguſtinus *ſerm.* XV. *de verb. Apoſt. cap.* VI. hæc habet. *Qui timore pœnæ non concupiſcit, puto quia concupiſcit. Terrore ingenti armorum,*

atque telorum, & circumdantis forsitan multitudinis, vel obviam euntis, etiam LEO revocatur a præda, & tamen LEO venit, LEO redit: prædam non rapuit, non malitiam posuit. Si talis es, adhuc iustitia est: qua iustitia tibi consulis ne torquearis. Quid magnum est pœnam timere? Quis enim non timet? Quis latro, quis sceleratus, quis nefarius? Sed hoc interest inter timorem tuum, timoremque latronis, quod latro timet leges hominum; tu autem leges eius times, eius pœnam times quem fallere non potes. Nam si fallere posses, quid non fecisses? Ergo & concupiscentiam tuam malam non timor tollit, sed timor premit. Ad ovile venit lupus; latratu canum, & clamore pastorum ab ovili reversus est lupus: ipse tamen semper est lupus. Qui timore, inquit Augustinus, non concupiscit, reipsa concupiscit. *Leo metu venit, leo redit.* Prædam non rapuit, *non malitiam posuit.* Semper est lupus prædæ avidus, semper latro. Similis autem leoni, latroni, & lupo est, Augustino teste, voluntas non peccandi formidine pœnæ.

II. In *Psal.* CXVIII. *conc.* XI. hæc habet. *Qui timore pœnæ, non amore iustitiæ opus legis facit, profecto invitus facit. Quod autem invitus facit, si posset fieri, mallet utique non iuberi: ac per hoc legis quam vellet non esse, non est amicus, sed potius inimicus; nec mundatur opere qui immundus est cogitatione, & voluntate.*

III. Rursus epist. CXLIV. *Inaniter putat victorem se esse peccati qui pœnæ timore non peccat: quia etsi non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis. Et quis coram Deo innocens invenitur qui vult fieri quod vetatur, si subtrahas quod timetur? Ac per hoc in ipsa voluntate reus est qui vult facere quod non licet fieri; sed ideo non facit, quia impune non potest fieri . . . Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere. Ille autem peccare metuit qui peccatum ipsum, sicut gehennas, odit . . . Tantum porro quisque peccatum odit, quantum iustitiam diligit: quod non poterit lege terrente per litteram, sed spiritu sanante per gratiam.*

IV. Iterum *Lib. de nat. & grat. cap.* LV. hæc habet. *Sub lege est qui timore supplicii, quod lex minatur, non amore iustitiæ se sentit abstinere ab opere peccati: nondum liber, nec ALIENUS A VOLUNTATE peccandi. In ipsa enim voluntate reus est, qua mallet, si fieri posset, non esse quod timeat, ut libere faciat quod occulte desiderat.*

V. Tandem *Lib. III. contr. duas epist. Pelag. ad Bonifac. cap.* IV. hæc docet. *Illi etiam, quicumque ibi* (in veteri testamento) *erant, sola quæ ibi Deus pollicetur, terrena promissa sectantes, & quid pro novo testamento ea ipsa significent ignorantes, eorum adipiscendorum amore, & amittendorum timore Dei præcepta servabant; immo non servabant, sed sibi servare videbantur. Neque enim fides in eis PER DILECTIONEM operabatur, sed terrena cupiditas, metusque carnalis.*

Sic

Sic autem qui præcepta facit, proculdubio invitus facit, ac per hoc in ANIMO NON FACIT. Mavult enim omnino non facere, si secundum ea quæ cupit, & metuit, permittatur impune facere; ac per hoc in ipsa voluntate intus est reus, ubi ipse qui præcipit, inspicit Deus. Innumera alia Augustini loca transmitto, ubi hanc doctrinam repetit.

VI. Adeo decretoria hæc sunt, ut nullum in adversariorum libris probabile responsum legerim. P. Francolinus, qui ceteris Casuistis fusius hoc argumentum tractat, eo se recipit, ut frequenter afferat, loca Augustini esse *benigne interpretanda*. Quoniam, nisi benigna & liberalis interpretatio accedat, doctrina Augustini erronea est, non ne? Immensam verborum farraginem congerit, ut laudata testimonia implicet; sed nihil vel verisimile opponit. Alii cavillantur, Augustinum loqui de timore inflicto ab homine, non a Deo: quæ interpretatio seipsa corruit. Communior responsio est, S. Doctorem loqui de timore remisso & inefficaci, secus de intenso & efficaci. Hæc responsio ceteris solidior non est. Naturam & vim timoris cuiuscumque gradus & intensionis dispicit & expendit Augustinus. *Timor iste, quo non amatur iustitia, sed timetur pœna, servilis est, & ideo non crucifigit carnem* &c. inquit Doctor sanctus. Serio ponderentur adducta testimonia, & continuo evanescunt commenta omnia.

§. IV.

Ex auctoritate S. Thomæ *ostenditur formidolosam attritionem non excludere omnem voluntatem peccandi.*

I. Continuo post S. Augustinum adduco S. Thomam, qui Augustinus contractus est, quique doctrinam Augustini ita præcise, & enucleate exponit, ut nulla eludi tergiversatione queat.

II. Hanc regulam ceu inconcussam 1. 2. *quæst.* VI. *art.* 6. statuit. *Quæ ex metu aguntur, mixta sunt ex voluntario & involuntario. Id enim quod per metum agitur, in se consideratum, non est voluntarium; sed fit voluntarium in casu, scilicet ad vitandum malum quod timetur.*

III. Item ibidem *art.* 7. *ad* 2. subdit. *Dicendum, quod in eo qui per metum aliquid agit, manet repugnantia voluntatis ad id quod agitur, secundum quod in se consideratur . . . & ideo quod per metum agitur, quodammodo est involuntarium . . . Timidus agit contra id quod etiam nunc secundum se vult.*

IV. Rursus ibidem *quæst.* CVII. *art.* 1. *ad* 2. hæc docet. *Lex vetus dicitur cohibere manum, non animum: quia qui timore pœnæ ab aliquo peccato abstinet, non simpliciter eius voluntas a peccato recedit, sicut recedit voluntas eius qui amore iu-*

iustitia abstinet a peccato : & propter hoc LEX NOVA, QUAE EST LEX AMORIS, dicitur animum cohibere.

V. Tandem 2. 2. *quaest.* XIX. *art.* 9. haec habet. *Timor servilis non est numerandus inter septem dona Spiritus sancti, licet sit a Spiritu sancto: quia, ut Augustinus dicit in Lib. de nat. & grat. cap.* LVII. *potest habere annexam voluntatem peccandi. Dona autem Spiritus sancti non possunt esse cum voluntate peccandi, quia non sunt sine caritate.*

VI. Michael Poli in suo *opusc. Lib. II. cap.* IV. *num.* 4. testimonium truncatum S. Thomae ex *art.* 7. *cit. quaest.* XIX. rescribere non dubitavit, & eiusmodi est. *Timor servilis est, sicut principium extra disponens ad sapientiam, inquantum aliquis timore poenae discedit a peccato.* Discedere autem a peccato non potest, subdit ille, qui voluntatem peccandi retinet. Hospitem, & omnino peregrinum in doctrina S. Thomae se perhibet Auctor iste, dum talia obtrudit. Timor servilis est principium recessus a peccato; sed ab eo, inquit Angelicus, *non simpliciter recedit*, ut patet ex eius testimonio *num.* 4. laudato. S. Thomas ex instituto probat, timorem non excludere voluntatem peccandi. Haec omnia silet citatus Auctor: & pauca verba detruncata exscribit, ut imperitis fucum faciat. Laudat similiter *cap.* V. testimonium *Contensonii* ex *Lib. VI. diss.* I. *corol.* 12. ubi obiter Contensonius de timore servili quamdam speculationem ingerit, quamque penitus reiicit *Lib. XI. part.* III. *diss. unic. cap.* II. ubi attritionis servilis opinionem labefactat. Sed haec omnia dissimulat D. Poli, qui lacinias disparatas infarcit, ut perdoctam, eleganterque scriptam dissertationem *Cl. Francesconi* aliquo modo implicare valeat. Sed haec per transennam.

VII. Plures alios Patres, & plura rationum momenta, quae evincunt metum non posse natura sua excludere omnem voluntatis affectum erga creaturam, ad quam conversus peccator est, & inducere plenam conversionem ad Deum, expendam *cap. seq.*

§. V.

Diluuntur obiecta adversariorum.

I. Opponunt 1. Concilium Tridentinum *sess.* XIV. *cap.* IV. & *can.* V. damnat omnes qui asserunt, attritionem esse *extortam*, *coactam*, *non liberam*, *non voluntariam*. Si attritio ex metu concepta adiunctam haberet voluntatem peccandi, faceret hominem hypocritam, & magis peccatorem. Haec scilicet erat doctrina Lutheri, ut constat ex Leonis X. Bulla *assert.* 6. ubi haec habentur. *Contritio quae paratur per discussionem, & collectionem peccatorum, qua quis recogitat*

tat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum gravitatem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & acquisitionem æternæ damnationis, hæc contritio facit hypocritam, immo magis peccatorem. Plura similia habet in *serm. de pœnit.* Resp. Ex iis quæ *cap.* 1. dicta sunt, evanescit obiectio facta. Scopus laudati Tridentini decreti & canonis eo unice pertinet, ut Lutheri errores damnet, non ut Catholicorum quæstiones dirimat, ut omnes eiusdem Concilii docti Interpretes, & Historici testantur. Damnabat Lutherus omnem dolorem pœnarum metu conceptum; & eam solam quæ caritate excitatur, & perficitur; admittebat contritionem. Concilium ergo definivit, timorem gehennæ bonum esse & honestum, pœnitentiæ initium, atque ad caritatem viam parare. Adversarii partium studio adducti, Catholicorum doctrinæ invidiam vel nolentes creant, & Lutheranorum caussam extollunt. Pugnat Lutherus pro contritione caritate perfecta. An damnandus Lutherus, quod caritatem in peccatoris conversione requirat? Nemo id dixerit. Sed illum anathemate Ecclesia perculit, quod blateraret contritionem quæ a timore gehennæ orsa sua capit, esse vitiosam, hominemque magis peccatorem efficere. Casuistæ hæc duo involvunt & confundunt: idcirco Lutheranorum caussam meliorem nescientes efficiunt. Nam ex ea parte qua Lutherus pro caritate pugnat, quis non videt illius caussam speciosam esse, & Evangelio consentaneam? Secernant ergo in hæresiarcha Luthero errorem a veritate. Damnent Lutherum, effutientem pœnitentiam timore conceptam vitiosam esse; at illum non damnent, dum caritatem commendat. Dolor igitur ex timore gehennæ conceptus, liber, voluntarius, honestus, bonus, supernaturalis, & perutilis ad pœnitentiam est. Hæc est veritas catholica contra novatores propugnanda. Ergo dolor iste, omni caritate absente: omnem voluntatem peccandi excludit? Ergo sufficiens est ad veram pœnitentiam? Hæc consequentia materia est disputationis nostræ. Illam nos negamus, eam adversarii propugnant.

II. Opponunt 2. Aut attritio ex solo metu concepta sufficiens est, aut mala est. Ideo enim iuxta vos non sufficit, quia voluntatem peccandi penitus non excludit. Sed quod voluntatem peccandi non excludit, malum est. Ergo attritio hæc aut voluntatem peccandi excludit, aut vitio laborat.

III. Resp. Tota argutatio isthæc sophistica est. Antecedens falsum: secunda propositio secundi syllogismi similiter falsa est. Alioquin omnes aliæ virtutes a contritione vitio inquinatæ forent. Sciant adversarii, aliud esse carere perfectione aliqua, aliud vitio infici. Nonne & ipsi fatentur, primordia rerum tum naturalium, tum supernaturalium imperfecta esse? Ideo ne mala, & vitiosa? Attritio ex solo metu concepta voluntatem peccandi aggreditur, & oppugnare incipit: idcirco bona, honesta, & utilis, quia disponit ad plenam victoriam. Adver-

versarii falluntur, & fallunt, quod opus iustificationis ad metaphysicas regulas revocent; cum sit totum quoddam morale ex actibus constans, ut Angelicus *III. Part. quaest.* lxxxv. *art.* 5. docet. *Sextus*, inquit, *actus est motus timoris filialis, quo propter reverentiam Dei aliquis emendam Deo voluntarius offert. Sic igitur patet quod actus poenitentiae a timore servili procedit sicut a PRIMO motu affectus ad hoc ordinato; a timore autem filiali, sicut ab immediato, & proximo principio*. Quid? Quia primus imperfectus actus non producit effectum proprium ultimi perfecti actus, ideo vitiosus erit? Neque fides, neque spes sola sine dolore ad reconciliationem sufficiunt. Ergo vitiosae? Quia puer non praestat viri officia, quia aurora non dispellit tenebras, sicut Sol, idcirco vitio sordent? Quam sit vana obiectio facta, nemo non videt.

IV. Opponunt 3. Concilium Tridentinum *sess.* xiv. *cap.* iv. inquit: *Illam vero contritionem imperfectam* &c. *si voluntatem peccandi excludat cum spe veniae, declarat non solum non facere hominem hypocritam* &c. Si omnis vera attritio voluntatem peccandi excluderet, superflua foret illa particula conditionalis, *Si voluntatem* &c. Si nulla vera attritio voluntatem peccandi excluderet, similiter chimaerica esset illa adiecta particula. Heinc colligunt Salmanticenses Scholastici *disput.* vii. *dub.* 1. *§.* 3. *num.* 23. attritionem inefficacem esse partem sacramenti poenitentiae: quam opinionem penitus falsam repute. Verum hoc extra caussam nostram est. Itaque

V. Resp. Multi respondent, Concilium ibi loqui de attritione non solo metu concepta, sed de attritione mixta ex metu & amore; atque adeo excludere voluntatem peccandi, si amor adsit; secus, si absit. Ut saepius diximus, Tridentinum in hoc decreto novatorum dumtaxat errores damnat, & honestatem, ac utilitatem attritionis servilis adversus eosdem definit, intactis Catholicorum opinionibus. Attritio autem servilis mala esse potest, quia includere voluntatem peccandi valet, ut si ei adsit voluntas conditionata violandi legem, si impune liceret: vel si concipiatur ex metu, quo poena formidetur tamquam principale malum, & oppositum bono proprio, quod tamquam ultimus finis diligatur. Fuse explicat hanc doctrinam S. Thomas 2. 2. *quaest.* xix. *art.* 4. & 6. ubi ait, quod eiusmodi metus servilis malus est, & *caritati contrariatur*. Qui timor vocari solet *serviliter servilis*. En caussam cur Concilium adiecit praefatam clausulam. Datur timor servilis malus, nempe cum includit affectum conditionatum peccandi. Ut bonus sit, honestus, & ad poenitentiam disponat, excludere hunc affectum actualem conditionatum debet; quae exclusio vocatur negativa. Idcirco Concilium, definiens honestatem, & utilitatem attritionis formidolosae, adiecit clausulam, *Si voluntatem peccandi excludat*; alioqui attritio servilis vitiosa esset. Heinc patet, quam futilis & vana sit obiectio. Nam certum est, Concilium

in

in illo decreto damnare errores novatorum, contendentium, attritionem metu conceptam esse vitiosam. Esset autem vitiosa, si voluntatem peccandi includeret. Quamobrem Concilium adiecit præfatam particulam. Quid heinc? Propterea ne attritio ex solo metu gehennæ excludit absolute & simpliciter ab ipso peccatore attrito habitualem affectum in peccatum? Tendit utique & hæc attritio ad excludendam ab ipso animo attrito voluntatem peccandi; sed eam absolute, & quantum sat est ad veram conversionem, non excludit. Hanc doctrinam defendunt adversarii ipsi, præsertim Salmanticenses cum pluribus aliis *loc. cit.* ubi fuse ostendere conantur, attritionem inefficacem esse partem sacramenti pœnitentiæ: quæ attritio inefficax non excludit omnem voluntatem peccandi, ut ipsi fatentur. Nec propterea inferunt, talem attritionem esse vitiosam; immo defendunt partem esse sacramenti. *Dantur itaque*, inquiunt, *iuxta Concilium tres species, aut quasi species doloris de peccato commisso* &c. . . . *Tertia imperfectissima, quæ non excludit voluntatem peccandi ob inefficaciam doloris . . . Et hæc ultima est quam vocamus attritionem inefficacem*. Lege plura apud eosdem, qui fuso calamo propugnant hanc attritionem inefficacem esse partem sacramenti pœnitentiæ. Tantum abest ut sit vitiosa.

VI. Opponunt 4. SS. Patres, & divinæ Scriptutæ commendant gehennæ timorem, tamquam frenum, quo homo continet se a peccatis: idque perspicue docet Synodus Tridentina sess. VI. can. VIII. *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse* &c. *anathema sit*.

VII. Resp. Gehennæ metus tum in Scripturis, tum a Pattibus commendatur; quia inde initium ducit impiorum iustificatio, quia introducendæ caritati locum parat, & iuxta propriam virtutem ac vim a peccato reprimit tum interno, tum externo, excluditque negative voluntatem peccandi. At cum metus iste non spectet peccatum secundum se, & ut est offensa Dei, ideo efficere nequit ut impius peccatum absolute & secundum se aversetur. Disponit tamen & præparat animum, ut inquit Concilium Tridentinum *sess.* VI. *cap.* VI. quatenus peccatores hoc timore concussi, *ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tamquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod ac detestationem* &c. Omnes isti gradus iustificationis habendi præ oculis semper sunt, ut cuique virtuti, & dispositioni suus tribuatur effectus. Inquit Eccles. I. *Timor Domini expellit peccatum:* expellit utique, sed media caritate, cui locum parat. Quemadmodum dicimur *iustificari per fidem*, quia, inquit Tridentinum sess. VI. cap. VIII. *est salutis humanæ initium*. Similiter timor expellit peccatum, quia talis expulsionis initium est.

Hac

Hac doctrina explicantur cetera alia testimonia quae ex Scripturis, & Patribus adduci valent.

VIII. Opponunt 5. Timor gehennae vehemens & intensus id omne excludit quod est aeterno supplicio dignum. Sed voluntas peccandi, sicut & peccatum ipsum, est aeterno supplicio digna. Ergo timor servilis vehemens & intensus absolute & positive eam omnem excludit. Resp. Timor servilis intensus & vehemens excludit voluntatem peccandi, & omne id quod est aeterno supplicio dignum, quantum potest, concedo; ultra suas vires & sphaeram, nego. Nulla caussa, ut toties diximus, praestat plusquam potest, neque confinia suae virtutis transilire valet. Porro voluntatis correctio superat timoris servilis potestatem. Quoniam timor iste non opponitur peccato absolute considerato. Voluntas autem peccandi expelli nequit, nisi ab actu contrario. Mala voluntas amore illicito & carnali prosequitur creaturam. Ergo, ut desinat esse mala, & revocetur ab hac carnali voluptate, & bona esse incipiat, amor caelestis & divinus directe oppositus necessarius est, ut inquit S. Augustinus in Enchirid. cap. XVII. *Regnat enim carnalis cupiditas, ubi non est Dei caritas.*

IX. Opponunt 6. Patrum plures, ut Clemens Alexandrinus, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Hieronymus, Bernardus, & alii, tres salvandorum status distinguunt. Primum servorum, qui timore poenae coercentur: secundum mercenariorum, qui spe praemiorum alliciuntur: tertium filiorum, qui solo Dei amore flagrant. Resp. Tres istos status Patres distinguunt, non quod servi, aut mercenarii caritate careant; sed quod alii prae aliis ferventiori caritate ardeant. Alii plus indigent, alii minus gehennae suppliciis incitari, urgeri, & acui.

X. Opponunt 7. S. Augustinus *Lib. de catechiz. rudib. cap.* XVII. haec scribit. *Qui autem propter beatitudinem sempiternam, & perpetuam requiem, quae post hanc vitam Sanctis futura promittitur, vult fieri Christianus, ut non eat in ignem aeternum cum diabolo, sed intret in regnum aeternum cum Christo, vere ipse est Christianus cautus in omni tentatione, ne prosperis rebus corrumpatur, & ne frangatur adversis, & in abundantibus fortis, & patiens: qui etiam proficiendo perveniet ad talem animum, ut plus amet Deum quam timeat gehennam, ut (etiam si dicat illi Deus: Utere deliciis carnalibus sempiternis, & quantum potes, pecca: nec morieris, nec in gehennam mitteris, sed tantummodo mecum non eris) exhorrescat, & omnino non peccet, non iam ut in illud quod timebat, non incidat; sed ne illum quem sic amat, offendat, in quo uno est requies.* Quis, rogo, locus clarior? inquit P. Francolinus *Lib. II. cap.* III. *num.* 2.

XI. Resp. Qui non humana aliqua ratione, vel respectu, sed ut gehennam declinent, & caelestem beatitudinem sibi comparent, relicta infidelitate, religionem amplectuntur christianam, vere laudandi sunt, vere sunt Christiani in prae-

pa-

paratione, qua disponuntur, ut eo perveniant, quo *plus ament Deum quam timeant gehennam*. Usquedum enim plus timent gehennam quam Deum ament, numquid vere Christiani sunt? Si P. Francolinus, & ceteri adversarii in fonte suo testimonium legissent, illud opponere forsitan ausi non essent. Præmittit enim ibidem initio cap. XVII. *Sunt enim qui propterea volunt esse Christiani, ut aut promereantur homines, a quibus temporalia commoda expectant, aut quia offendere nolunt quos timent . . . . Sunt etiam alii, meliore quidem spe, sed tamen non minore periculo, qui iam Deum timent, & non irrident christianum nomen, nec simulato corde intrant in Ecclesiam Dei; sed in ista vita expectant felicitatem, ut feliciores sint in rebus terrenis quam illi qui non colunt Deum*. Tandem subdit ea quæ adversarii opponunt. *Qui autem propter beatitudinem* &c. Evidens est, hic S. Doctorem sermonem habere de rationum momentis, quibus Ethnici ducti amplectuntur religionem christianam. Et reiectis illis qui ob temporalia commoda, mundanosque respectus christianæ religioni nomen dare volunt, eos exaltat qui ob gehennam declinandam, & beatitudinem sempiternam obtinendam Christi Ecclesiam ingrediuntur. Quoniam isti vere sunt Christiani, quia vero fine ducuntur ad christianam religionem amplectendam. Vere Christiani dicuntur etiam illi qui Christi fidem profitentur, licet per peccatum ab eodem se separent. Comparate itaque ad alios qui simulato animo accedunt, veros Christianos appellat S. Doctor illos qui spe beatitudinis accedunt ad baptismum. At nec verbum habet Augustinus, quo indicet, solam spem beatitudinis, & timorem gehennæ, sublata Dei dilectione, sat esse ad baptismum suscipiendum. Porro sexcentis in locis Augustinus perspicue docet, inculcat, exaggerat necessitatem caritatis. In hoc ipso, quod opponitur, testimonio eamdem dilectionem insinuat. Quid quod in hoc ipso adducto testimonio, sophistice ab adversariis implicato, & truncato, amoris necessitatem prodit? Quid enim præferunt hæc verba: *Proficiendo perveniet ad talem animum, ut PLUS amet Deum quam timeat gehennam*? Qui plus nunc amat quam antea, non initium, sed incrementum amoris denotat. Tandem non ex uno truncato testimonio, sed ex integro illo pro rudibus catechizandis libro colligenda ea sunt quæ S. Doctor asserit necessaria ad suscipiendum baptismum. Legatur *cap.* III. & IV. eiusdem libri, ubi in duobus præceptis caritatis contineri universam legem habetur, & XXI. & XXVII. altius Dei dilectionem inculcat. Si plura cupis, lege P. Le Druin, & le Drou, qui fusius hoc testimonium exponunt, & adversarios redarguunt, quod non bona fide illud obtrudant.

XII. Opponunt 8. Tempore Alexandri VII. idest circa medietatem elapsi sæculi communior erat sententia attritionis servilis, ut ipse Pontifex in decreto suo testatur. Ergo hæc sententia præferenda.

XIII. Resp. Si consequentia hæc consisteret, innumeræ laxæ opiniones amplecten-

ctendæ forent, quæ olim apud Probabiliſtas Caſuiſtas communiores erant. Iam ſupra palam feci, duas iſtas opiniones Probabiliſmi, & formidoloſæ attritionis, veluti confœderatas ſorores duas, in eadem civitate Salmantina ortas, pari trepido paſſu primum prodiiſſe, poſt regiones plurimas & regna penetraſſe, deinde decreviſſe, & tandem fere ambas defeciſſe. Formidoloſæ attritionis opinatio *videbatur*, inquit ſummus Pontifex, *communior*, penes quos? Penes Scholaſticos, quemadmodum penes Scholaſticos communiores, ſi multitudinem ſpectes, fuerunt opiniones plures poſtea damnatæ. Verum contraria doctrina ſemper communiſſima fuit, nedum communior, in Eccleſia: cum opinio formidoloſæ attritionis nata ſit Salmanticæ declinante ſæculo XVI.

XIV. Tandem lubet adiicere quod animadvertunt viri præſtantes. Martinus Navarrus in Manuali *cap.* XXVI. *num.* 289. hæc ſcribit. *Non videtur una opinio appellanda communis ad effectum præiudicandi alteri, eo ſolo quod plures eam ſequantur, tamquam oves aliæ alias quæ præcedunt, ſine iudicio ſequentes, velut aves quæ unam volantem aliæ omnes ſequuntur .... Communiorem enim ad hoc exiſtimarem illam quam ſex vel ſeptem Auctores claſſici, rem ex profeſſo tractantes, aſſererent, quam probatam a* 50. *ſola fere auctoritate priorum ductis. Opinio enim communis, non ex numero opinantium, ſed ex pondere auctoris fit*. In cauſſa noſtra ita eveniſſe experimento manifeſto compertum eſt. Unus & alter quadraginta circiter annis poſt Concilium Tridentinum evulgare cœpit, opinionem ſervilis contritionis definitam eſſe in Concilio Tridentino. Ceteri plurimi clamare cœperunt: *Ita Concilium Tridentinum*. Lege centum Caſuiſtas, qui tamquam dogma definitum in Concilio hanc opinionem divendunt. Verſa hodie alea eſt. Poſt editam hiſtoriam Cardinalis Pallavicini, & poſt maturum examen decreti Tridentini, quod opponebatur, adeo comperta res evaſit, Concilium nihil definiiſſe, immo nec favere præfatæ opinioni, quod vel ipſi adverſariorum doctiores, ut *Honoratus Turnely quæſt.* V. *art.* 2. nunc fateantur, Concilium abſtinuiſſe ab hac opinione dirimenda. Tandem alteram cauſſam doctiſſimus Morinus *Lib. VIII. cap.* IV. *num.* 3. aſſignat. *Homines enim ut plurimum in cauſſa relaxationis diſciplinæ & ſeveritatis morum minuendæ ita comparati ſunt, ut, qua data porta, ſtatim ruant.*

CA-

C A P U T VIII.

De necessitate amoris initialis, seu caritatis incboatæ, quæ requiritur ad sacramentum pœnitentiæ rite suscipiendum cum sufficienti dolore.

I. LAbefactatis præiudiciis, & reiecta opinione attritionis formidolosæ, illud nunc superest ut necessitatem amoris inchoatæ caritatis demonstremus. Quod ut felicius præstem, illud est præmonendum, duos dumtaxat amores a Theologis distingui, unum amicitiæ, alterum concupiscentiæ. Recentiores vi argumentorum pressi negare amplius amoris necessitatem non audent. Pugnabant olim pro solo gehennæ timore; sicut etiam inferioris subsellii Casuistæ dolorem ex mero & solo pœnarum metu conceptum sufficere ad pœnitentiæ sacramentum defendunt.

II. Verum in præsentia acutis argumentorum stimulis agitati, ultra pergere, & aliquantulum proficere coacti sunt plurimi partium studio minus præventi. Admittunt tandem alii aperte, alii subobscure, & dubitanter aliquam Dei dilectionem, sed alterius virtutis a caritate. Vident ex una parte, adeo comperta esse Scripturarum, Patrum, & Conciliorum testimonia, quæ Dei dilectionem iubent, ut nullo modo ea eludere valeant, nisi confiteantur aliquam Dei dilectionem requiri ad veram peccatoris conversionem. Ex alio capite præiudicio detinentur illo quo existimant quamlibet caritatem etiam actualem, & inchoatam iustificationem inducere. Unde inferunt frustrari clavium potestatem, & sacramentum pœnitentiæ non esse amplius sacramentum mortuorum primam gratiam producens. Hoc præiudicium unica illis ratio est cur veræ caritatis cuiusque necessitatem inficientur. Idcirco operæ pretium duxi hoc præiudicium convellere, antequam caussam ipsam ingrederer. Amor igitur quem ad veram peccatoris reconciliationem cum Deo necessarium demonstraturus sum, est amor veræ caritatis, non habitualis, non actualis perfectæ & vehementis, sed inchoatæ & remissæ, quæ non differt a caritate habituali & actuali perfecta nisi secundum statum, & gradum; ut conceptis verbis S. Thomas docet, & infra clarius & urgentius patefaciam.

§. I.

§. I.

Testimoniis Scripturæ divinæ probatur initialis amoris necessitas in peccatoris conversione.

I. Divina testimonia alia evincunt divini amoris absolutam necessitatem; alia eumdem amorem præcipiunt in reconciliatione peccatoris cum Deo; alia, ut opera nostra æterno præmio digna efficiantur. Hoc servato ordine, illa producam.

II. Deuteronom. VI. *Audi Israel: Dominus Deus noster Dominus unus est. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua: eruntque verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis: & meditaberis in eis sedens in domo tua, ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens: & ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque & movebuntur inter oculos tuos; scribesque ea in limine & ostiis domus tuæ.* Quid produnt hæc verba? Amorem moraliter, & quoad fert humana conditio, continuum, indeficientem, constantem, qui oblivionem non patitur, interruptionem positivam deliberatam non sustinet. Idcirco vult inscribi in limine & ostiis domorum nostrarum. *Quid? Rigorismum ne, Tutiorismum* ne redolent hæc divina verba? Quis hodie tanta emphasi illa inculcare auderet, nisi a Deo prolata essent, absque censura? Sed progrediamur. Christus Dominus Matth. XXII. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum.*

III. In conversione peccatoris necessarium divinum amorem sequentia testimonia probant. Deuter. cap. IV. *Cum quæsieris . . . . Dominum Deum tuum, invenies eum; si tamen in toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ.* Item I. Reg. VII. *Si in toto corde vestro revertimini ad Deum . . . . servite ei soli, & eruet vos.* Iterum III. Reg. VIII. *Si reversi fuerint ad te in universo corde suo, & tota anima sua . . . propitiaberis populo tuo, qui peccavit tibi.* Rursus II. Paralipom. XXX. *Dominus bonus propitiabitur cunctis qui in toto corde requirunt Dominum.* Tandem missis pluribus aliis Ioel. II. *Convertimini ad me in toto corde vestro. Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.*

IV. Reponent adversarii, hæc ad veterem legem attinere, quando institutum non erat sacramentum pœnitentiæ. Verum hoc nimium inane commentum contemni, non confutari debet. Quovis enim tempore contritionem necessariam fuisse, & esse, Concilium Tridentinum definit, eiusque Catechismus docet *Part. V. cap. V. num. 37.* confessionem *perficere contritionem*. Et Christus Dominus Matth. X.

Qui

Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus &c. S. Paulus I. Cor. XVI. *Si quis non amat Dominum Iesum Christum, sit anathema*. Luculentius S. Paulus *II. Cor.* VII. pœnitentiæ sinceræ & veræ prærogativas explicat his verbis: *Nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam: contristati enim estis SECUNDUM DEUM, ut in nullo detrimentum patiamini in nobis: Quæ enim SECUNDUM DEUM tristitia est, pœnitentiam in salutem STABILEM operatur*. Qui solo timore gehennæ tristatur, non secundum Deum, sed potius secundum seipsum tristatur.

§. II.

Necessitas amoris initialis evincitur ex Tridentino.

I. SUpra probatum est, Concilium Tridentinum *sess.* XIV. *cap.* IV. nullo modo favere opinioni formidolosæ attritionis: quoniam decretum illud ad damnandos novatorum errores conditum fuit. In præsentia, eo decreto relicto, illa decreta expendenda sunt quæ absolute explicant dispositiones necessarias in peccatore iustificando.

II. Porro *sess.* VI. *cap.* VI. hæc habentur. *Disponuntur autem ad ipsam iustitiam; dum excitati divina gratia & adiuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitus revelata, & promissa sunt: atque illud in primis, a Deo iustificari impium per gratiam eius, & redemptionem, quæ est in Christo Iesu, & dum peccatores se esse intelligentes, a divinæ iustitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propitium fore, ILLUMQUE TAMQUAM OMNIS IUSTITIÆ FONTEM DILIGERE INCIPIUNT, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod ac detestationem, hoc est per eam pœnitentiam quam ANTE baptismum AGI OPORTET*.

III. Cardinalis Pallavicinus *Lib. VIII. Hist. Trident. cap.* XIII. & XIV. expendit laudatum decretum, & *cap.* XIII. ad illa verba, *Illumque tamquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt*, narrat adiecta fuisse hæc verba, quia Archiepiscopus Turritanus, Claudius S. I. Lipomanus Veronensis Adiutor, & Pius Franciscanorum Præses admonuere, ut *aliquis CARITATIS actus insereretur*. Et *cap.* XIV. narrat, quod cum aliqui animadvertissent *sess. cap.* VI. recenseri caritatem inter dispositiones quæ *præparant animum ad iustitiam suscipiendam*, & postea *cap.* VII. eamdem statui veluti ipsius *iustitiæ formam*, responderunt, inquit, *decreti formatores in primo loco* (nempe cap. VI.) *sermonem esse de quodam ACTU CARITATIS; at in secundo* (nempe cap. VII.) *significari habitum*. Tanto itaque Historico teste, nomine

ne dilectionis Concilium intellexit caritatem, & quidem initialem, qua iustificandi Deum diligere incipiunt.

IV. Subdit Purpuratus Historicus eodem *Lib. VIII. & cap.* XIII. Concilio visum fuisse *cum fide, & spe iungere aliquem dilectionis actum : quia si pœnitentia tota esset ex timore, sine amore iustitiæ, & dolor esset propter timorem tantum, & non propter Dei offensam, infructuosa esset.*

§. III.

Francolini, Honorati Turnely, & *aliorum responsa refelluntur, atque auctoritate Catechismi Tridentini, & S. Thomæ veritas confirmatur.*

I. PLura excogitarunt interpretamenta adversarii ad obscurandum rescriptum decretum. P. Francolinus plura exhibet responsa *Lib. I. cap.* VI. Primo refert responsa illorum (quos inter est P. Gonet *disp.* VII. *art.* 2. 3. §. 5. *num.* 64.) qui aiunt, Tridentinum agere de dispositione, non ad baptismum, sed ad iustificationem extra baptismum. Quod responsum directe pugnat cum decreto, in quo dicitur, *Per eam pœnitentiam quam ANTE baptismum agi oportet*. Refert aliam responsionem, qua conceditur Tridentinum agere de dispositione præcedente baptismum; sed addunt, Concilium recensere *omnes illos actus, non quia necessarii sint, sed quia regulariter loquendo semper habentur*. Regulariter ergo semper habentur? At non sunt necessarii. Quis hoc revelavit? Concilium ergo non de dispositionibus necessariis, sed arbitrariis agit? Vin' lepidiora, ne dicam crassiora, commenta? Hac admissa cavillandi libertate, actum de omnibus decretis vel luculentissimis est. Etiam hoc responsum, non secus ac primum, seipso corruit. Tertia interpretatio, quæ videtur communior, est, nomine *dilectionis* Concilium non intelligere amorem caritatis, sed concupiscentiæ, vel gratuitum quemdam amorem, qui non sit super omnia.

II. Hæc tertia non est duabus præcedentibus felicior. Amor concupiscentiæ non consequitur, sed antecedit spem. Quia amamus aliquid nobis bonum, movemur ad illud sperandum. Et hæc est doctrina communis Theologorum, eamque doctiores ex adversariis probant. P. Suarez *III. Part. disp.* IV. *sec.* 8. ait : *Diligere Deum, ut omnis iustitiæ fontem, non est diligere amore concupiscentiæ, sed est diligere Deum ut auctorem gratiæ, & omnium supernaturalium bonorum, quomodo caritas diligit ipsum, etiamsi propter seipsum maxime diligat* : & paullo infra : *Nec vero dicit Concilium, hunc amorem pertinere ad spem, sed potius præsupponere spem, & post conceptam spem, per eum erigi hominem, & quasi sublevari ad diligendum Deum uti-*

utique propter seipsum. Nam amor concupiscentiæ non sequitur proprie ex spe, sed ad illam potius supponitur. Idem docet Tannerus *Tom. IV. disp.* VI. *quæst.* 2. *dub.* 4. *num.* 74. ubi hæc habet. *Certum est sermonem esse de amore CARITATIS, tum quia constat S. Thomam, cuius vestigia sequi voluit Concilium, de hoc amore locutum, ut superius dictum: tum quia amor concupiscentiæ erga Deum natura sua prior est spe, non posterior: qui proinde ex spe non oritur, sed spem antecedit. Eademque est COMMUNIS MENS & sententia Doctorum.*

III. Omnes tum Philosophi, tum Theologi docent obiectum spei esse bonum arduum possibile haberi per auxilium Dei. Quamobrem spes non ad concupiscibilem, sed ad irascibilem appetitum attinet: irascibilis enim in ardua fertur.

IV. P. Francolinus *loc. cit. num.* 6. post tria relata responsa, hæc scribit. *Hæ tres sententiæ, & præsertim secunda, & tertia, sunt valde probabiles: quæ vero ex ipsis sit vera, incertum est. Illud est certum sine sufficienti fundamento asseri, requiri a Concilio . . . . dilectionem potius caritatis quam concupiscentiæ.* Certum primum est, duas ut minus esse falsas. Nec enim plus una vera esse potest. Sed omnes tres falsas esse ex Concilii verbis compertum est. Spes quippe haberi nequit, nisi amor concupiscentiæ præcedat, ut omnes docent. Concilium post spem requirit dilectionem. Ergo dilectio ista ad spem informem revocari nequit: alioquin Concilium, quod omnia verba ad vivum resecavit, superflue addidisset, *illumque tamquam iustitiæ fontem diligere incipiunt.* Nisi communi sensui renuntietur, hæc verba post spei virtutem adiecta, ad spem revocari nequeunt.

V. Præfata tria responsa nec ipsi P. Francolino satisfaciunt: idcirco commentum excogitavit sane, ut mitissime dicam, inauditum & arbitrarium. Inquit num. 7. *Est certum quod ibi Patres non damnant doctrinam S. Thomæ . . . . D. autem Thomas, sequentibus Thomistis, pluries docuerat non prærequiri caritatem, seu contritionem ad baptismum ab adulto susceptum. Ergo* &c.

VI. Si levis aliqua controversia tractaretur, utcumque tolerari similia paradoxa possent; at cum de materia sacramentorum, de æterna Christianorum salute disputetur, necessitas subducendi imperitos a deceptionis periculo urget nos ut tam inane commentum explodamus. Non modo certum est Patres Tridentinos non damnasse S. Thomæ doctrinam; quæ certitudo Francolini testimonio non eget: sed certum est *Summam* S. Thomæ in illo Concilio post divinas Scripturas, præcedentia Concilia, & SS. PP. & summo in pretio habitam, & in gravioribus controversiis consultam, & (quod rem conficit) laudatum decretum formatum a Concilio fuisse ex doctrina S. Thomæ, ut testatur Dominicus Soto, qui Concilio interfuit in *IV. dist.* XIV. *quæst.* 11. *art.* 5. inquiens: *Quare eadem Synodus illic cap.* VI. *ordinem hunc sex nostrarum actionum ex hoc loco S. Thomæ desumpsit, ubi contra Lutheranos, dicentes sola nos fide iustificari, decrevit potius PROXIMAM dispositionem*

nem esse motum CARITATIS, & pœnitentiæ. Legatur S. Thomas *III. Part. quæst.* lxxxv. *art.* 5. & cum iis quæ ibidem docet, Tridentinum decretum conferatur: & tunc constabit omnia ad unguem sibi respondere. Ibi autem Angelicus docet dilectionem esse *motum caritatis, quo peccatum displicet secundum seipsum, & non iam propter supplicia*. Heinc colligat Lector, quæ fides habenda P. Francolino in hac controversia sit. Decreta Tridentini formata esse ex doctrina S. Thomæ, non modo Dominicus Soto Doctor domesticus, sed Cl. Bossuetus, cuius verba infra dabo, patefacit. Quod Victoria, Dominicus Soto, & alii ex ambiguo textu S. Thomæ in Sententiariis, quem supra exposui, doceant ad baptismum non requiri contritionem putatam, bene vero ad pœnitentiam, perperam & per summam vim obtruditur a laudato Auctore. Nimium prolixus forem, si omnia eiusdem interpretamenta refellere vellem.

VII. Honoratus Turnely, præstantissimus alioquin Theologus, hanc controversiam versat eadem fere methodo ac illam de gratia. Ita utramque sententiam attritionis servilis, & initialis versat, ut conciliare illas simul vellet. Ita pugnat pro attritione servili, ut simul illam perimat. Ut fucum faciat imperitis, pro thesi constituit *quæst.* v. *art.* 3. *concl.* 2. quod *attritio aliquem saltem inchoatum & initialem Dei amorem includere debeat*. Et ut id evincat, ea Scripturarum testimonia profert quæ Deum *ex toto corde & ex tota anima diligendum* demonstrant. Quæ loca aut præceptum caritatis evincunt; aut nulla sunt in Scriptura sancta testimonia quæ tale præceptum nobis declarent. Quæ ex Clero Gallicano, & ex Augustino allegat, penitus illius opinionem convellunt, ut infra ostendam. Recedere vult *D. Turnely* a ceteris attritionis formidolosæ patronis, quasi istorum aliqui negarent amorem spei, seu amorem quem spes præsupponit. Sed reipsa puram putamque illorum opinionem defendit, quam alioquin afflictam agnoscit; eamque alicuius amoris, quem modo spei, modo gratuitum, seu verius innominatum, vocat, fuco delinire curat.

VIII. Fatendum tamen, *D. Honoratum Turnely*, sicuti eruditione & doctrina ceteris communiter recentioribus attritionis servilis patronis præstat, ita præiudiciis minus obnoxium esse. Testatur ille *loc. cit. art.* 2. Concilium Tridentinum *sess.* XIV. nihil definivisse in hac controversia, sive pro attritione servili, sive pro opposita. Quæ tanti Theologi confessio destruit *certitudinem illam moralem*, quam ex Tridentino hactenus iactarunt adversarii.

IX. Exscribendum tandem est responsum quo D. Turnely eludere conatur Tridentinum decretum a nobis adductum. Hæc itaque *loc. cit. art. 3. ad obiect. contr.* 2. *concl. pag. mihi* 158. scribit. *Fatemur Concilium præter fidem, & spem exigere dilectionem Dei; sed qualis illa sit, non aperte explicat. Quia generali potius voce dilectionis usi sunt Patres, non caritatis, non amoris super omnia, ne rem dirimerent*

con-

controversam. Hanc equidem dilectionem DISTINGUUNT a spe. At quis certo asserere potest, an eam distinguant vel tamquam REM A RE, vel tantum ut effectum a caussa, partem a toto, proprietatem a natura?

X. Si præstantissimus Doctor Sorbonicus ad tales angustias se redactum cognovit, ut recensitas, pace tanti viri dixerim, nugas, & verborum cavillationes excogitare coactus fuerit, quisque iudicet quam luculentum sit Tridentinum decretum. Fatetur D. Turnely, Concilium *dilectionem* a spe distinguere. Bene habet. Sed Theologi hactenus simul, & Philosophi duos tantum agnoverunt amores; *concupiscentiæ*, & *amicitiæ*, seu *benevolentiæ* & *caritatis*. Dilectio afferta a Tridentino est distincta a spei amore, qui est concupiscentiæ. Ergo est dilectio amicitiæ, seu cariratis. At quis certo asserere potest, inquit Cl. Turnelius, Concilium eam distinxisse *vel tamquam rem a re, vel tantum ut effectum a causa, partem a toto?* Illud certo scire possumus, hæc lepida commenta illorum Patrum mentem non occupasse. Distinguit Concilium Tridentinum, consitente Doctore Sorbonico, dilectionem Dei ab amore spei. Quid ultra quæris? Quod postea Concilium distinguat hanc dilectionem a spe vel tamquam rem a re, vel tamquam partem a toto, sunt speculationes quæ elapso sæculo fuissent deliciæ plurium Scholasticorum, verum hac ætate nostra eruditis Theologis fastidium ingerunt. Ineptirem ipse, si in eiusmodi chimæris convellendis diutius immorarer. Ipse P. Suarez, ut vidimus, fatetur Concilium loqui de amore caritatis: idque *loc. cit.* paullo post repetit, ubi interpretatur *can.* III. *sess.* VI. inquiens: *Interrogo, an in hac definitione loquatur Concilium de dilectione caritatis? Existimo CERTE neminem negaturum.* Quare luculentum est, Doctorem eximium propugnare, Concilium loqui de dilectione non concupiscentiæ, sed caritatis. Nec est quod reponas, P. Suarez loqui de dilectione perfectæ caritatis: quoniam nomine perfectæ caritatis non aliud intelligit, nisi veram caritatem oppositam sive amori concupiscentiæ, sive cuicumque dilectioni, quæ vera caritas non sit; minime vero intelligit caritatem incensam & perfectam quantum ad gradum, statum, & intensionem. Responsionum quas adversarii comminiscuntur, manifesta imbecillitas ostendit, Tridentinum decretum adeo evidenter favere nostræ sententiæ, ut nulla solida interpretatione exponi valeat.

XI. Roboratur amplius doctrina tradita aliis verbis, quæ *loc. cit.* addunt Tridentini Patres. *Denique dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam, & servare divina mandata.* Deinde allegant in confirmationem testimonium *Matth. cap. ult.* ubi dicitur: *Euntes docete &c. docentes servare omnia quæcumque mandavi vobis.* Necessario itaque requiritur, inquit Concilium, non vacillans, & inconstans, ut Francolinus contendit, sed firmum ac constans propositum servandi *omnia* mandata, quæcumque Christus imposuit. Maximum au-

tem mandatorum Christi est praeceptum caritatis, quo Deum ex toto corde diligimus. Ergo quicumque iustificari vult, firmiter intendat oportet observationem & executionem caritatis, qua Deus super omnia, & propter se amatur. Haec autem sincera & constans deliberatio amandi Deum, intelligi sine amore Dei nequit; immo fructus est divini amoris. Ergo in hoc proposito firmo, & stabili servandi *omnia* mandata, & in primis caritatis, necessario aliquod amoris caritatis inchoatae initium includitur.

XII. Pergunt ulterius Tridentini Patres *cap.* VII. eiusdem *sess.* VI. ubi haec docent. *Hanc dispositionem, seu praeparationem iustificatio ipsa consequitur, quae non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae, & donorum, unde homo ex iniusto fit iustus, & ex inimico amicus.* Genuina iustificationis imago hic describitur. Iustificatio non in sola peccatorum remissione sita est; sed insuper necessaria est *renovatio interioris hominis.* Qua autem ratione haec peragitur renovatio? *Per voluntariam susceptionem gratiae.* Voluntas in hoc gravissimo iustificationis opere non mortua est, sed vivens, & libere suscipiens gratiam tum remittentem peccata, tum interiorem vitam renovantem. Haec verba, *per voluntariam susceptionem gratiae*, significant liberam, atque activam consensionem voluntatis, ut Catholici omnes docent adversus novatores. Quid produnt posteriora verba, *& donorum, unde homo ex iniusto fit iustus, ex inimico amicus?* Respondeant nunc omnes Attritionarii. Duo hostes transire ne ex inimicitia in sinceram & mutuam amicitiam valent, nisi ambo reciproco amicitiae amore sese prosequantur? Concilium Tridentinum definit, peccatorem fieri *ex iniusto iustum, ex inimico amicum.* Addit in hanc amicitiam libere hominem iustificandum consentire. Quid est amicitia Deum inter & nos? Caritas, respondent Theologi omnes. Consentit ergo voluntas libere in hanc mutuam Deum inter & nos caritatem. Quid est voluntaria & libera consensio in caritatem, nisi actus caritatis? Concipi ne haec in mutuam caritatem libera consensio absque caritate potest? Ipsa ergo consensio in mutuam amicitiam est amicitia incipiens, est caritas inchoata. Adeo haec luculenta sunt & obvia, ut solum illud chimaericum praeiudicium, a quibusdam Scholasticis invectum, quod quaelibet caritas iustificet, in discrimen adducere illa valeat.

XIII. Cavillabuntur ne, haec intelligenda esse de prioritate naturae, non temporis, de consensione comitante, vel consequente iustificationem? Verum has distinctiunculas huic caussae aptatas ceu vanissimas labefactant ipsa Concilii verba, quae exprimunt consensionem liberam in futuram iustificationem. Sed ad pleniorem confutationem rescribo verba cap. V. sess. eiusdem. *Ipsius iustificationis exordium in adultis a Deo per Christum Iesum, praeveniente gratia, sumendum esse, hoc est ab eius vocatione, qua, nullis eorum existentibus meritis, vocantur, ut qui per*

per peccata a Deo aversi erant, per eius excitantem, & adiuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ libere assentiendo & cooperando disponantur; ita ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam abiicere potest; neque tamen sine gratia Dei movere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate possit. Libere homo se movet, disponit, & præparat ad suam futuram iustificationem, eidem libere assentitur, eam respuere valet, eidem cooperari debet. Deo itaque vocanti *ad gratiam*, *ad iustitiam*, *ad amicitiam* libero motu sese præparat: Spiritui sancto ad caritatem moventi, & excitanti voluntaria, liberrimaque electione consentit. Huic sancto Spiritui infusuro caritatem occurrit, cooperatur, atque præparatur, ut invitantem & offerentem acceptet & complectatur: quæ præstari absque aliqua incipiente & proficiente dilectione nullo modo possunt, ut omnibus compertum est.

XIV. Tandem Concilium *can.* XIII. *sess. eiusdem* hæc definit. *Si quis dixerit; sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur; anathema sit*. Tota Concilii doctrina sub unico prospectu in hoc canone proponitur. Distincto ordine recensentur primum fides, post spes, tertio caritas, qua, ut dictum in decreto erat, *incipimus Deum diligere ut omnis iustitiæ fontem*. Ergo præter amorem spei, qui spem antecedit, requirit Concilium *incipientem caritatem*, qua Deum diligere incipimus *ut iustitiæ fontem*. Clariora hæc sunt quam eludi ulla probabilistica cavillatione valeant. De his fusius infra, ubi imaginem iustificationis christianæ depingam. Sapientissimus Bossuetus *de doctr. Concil. Trid. circa dilect. part.* I. *num.* 14. testatur, *hanc doctrinam ex S. THOMA depromptam esse, immo ex eius verbis pene contextam*.

XV. Reponent ne iterum, hanc Tridentini doctrinam pro baptismo, non pro pœnitentiæ sacramento suscipiendo esse traditam? Quid? Minus ne ex parte pœnitentis requiritur dispositionis in pœnitentiæ, quam in baptismi sacramento rite suscipiendo? Immo, quanto enormius est peccatum post baptismum commissum, tanto maior necessaria est in pœnitente dispositio. Primus baptismus, inquit *Ven. Bellarminus*, est aquæ frigidæ; at secundus pœnitentiæ est laboriosus, & aquæ ferventis, atque excoquentis pellem. Cedo. Cur excludenda est a sacramento pœnitentiæ caritas incipiens? Quia pœnitentia est sacramentum mortuorum. Recte & bene. Numquid baptismus est sacramentum vivorum? Quam iuste clamat doctissimus Bossuetus *loc. cit. pag.* 32. his verbis. *Quare hæc opinionum ludibria procul a scholæ gravitate, & auctoritate amandari deceret; ac revera certum est responsionem hanc, ne quid dicam gravius, haberi improbabilem, ac temerariam*.

XVI. Catechismus Tridentinus *Part. II. cap.* V. *§.* 9. eamdem Tridentini, & S.

Thomæ doctrinam perspicue exponit. *Docendum est etiam, quibus GRADIBUS ad hanc divinam virtutem liceat ascendere. Primum itaque Dei misericordia nos prævenit, cordaque nostra ad se convertit . . . Deinde hoc lumine illustrati, per fidem ad Deum animo tendimus . . . Præterea motus timoris consequitur, & suppliciorum acerbitate proposita animus a peccatis revocatur . . . Huc deinde accedit spes impetrandæ a Deo misericordiæ, qua erecti, vitam, & mores emendare constituimus. Postremo CARITATE CORDA NOSTRA ACCENDUNTUR, ex qua liberalis ille timor probis & ingenuis filiis dignus oritur: atque ita unum illud veriti, ne qua in re Dei maiestatem lædamus, peccandi consuetudinem omnino deserimus. Hisce igitur quasi GRADIBUS ad hanc præstantissimam pœnitentiæ virtutem pervenitur*. En quam perspicue doctrina Tridentini exponatur ab eiusdem Catechismo. Eamque prius tradiderat S. Thomas, ut fusius mox demonstrabo.

§. IV.

Necessitas amoris initialis; seu caritatis imperfectæ in conversione pœnitentis ex S. Augustino, *aliisque Patribus ostenditur.*

I. Sanctus Augustinus *Lib. de fide, & bonis operibus* perspicue docet necessitatem amoris in catechumeno baptizando. Siquidem *cap.* x. hæc scribit. *Quid quod etiam duo illa præcepta, in quibus Dominus ait, totam legem, Prophetasque pendere, huic suæ opinioni suffragari arbitrantur? & sic ea commemorant, ut quoniam primum præceptum dictum est*, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo *&c. secundum autem simile huic*, diliges proximum tuum tamquam teipsum; *primum pertinere dicant ad baptizandum, ubi dilectio Dei præcipitur; secundum autem ad baptizatos, ubi videntur esse mores conversationis humanæ: sic obliti quod scriptum est:* Si fratrem, quem vides, non diligis; Deum, quem non vides, quomodo diligere poteris? *Et illud in eadem epistola Ioannis:* Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo. *Quo autem pertinent omnia flagitia morum malorum nisi ad mundi huius dilectionem? Ac per hoc illud primum præceptum, quod ad baptizandos pertinere arbitrantur, sine bonis moribus observari nullo pacto potest. Nolo pluribus immorari.* Tempore itaque S. Augustini extra controversiam positum erat urgeri catechumenos baptizandos ad Dei dilectionem præmittendam. Solum disputabatur, num ad ambo præcepta implenda obstringerentur: quod adfirmat, & evincit Augustinus. Quæ luculentiora fiunt; si quæ *cap.* VI. docet, considerentur. *Quid autem*, inquit, *aliud agit totum tempus quo catechumenorum locum tenent, nisi ut audiant quæ fides, & QUALIS VI-*

VITA debeat esse Christianis, ut cum seipsos probaverint, tunc de mensa Domini manducent, & de calice bibant? Idest, antequam sacris undis abluantur, ut evidens est ex iis quæ adiicit S. Doctor, & fatentur eruditi omnes. Caritate igitur succensi accedere ad baptismum debebant catechumeni. Nemo per tot sæcula opposuit quod hodie continenter obtruditur, baptismum nempe vivorum sacramentum evadere, si baptizandi caritate dispositi ad sacramentum accedant. Legantur ea quæ S. Doctor *cap.* IX. scribit de Eunucho baptizato a Philippo, ub fusius hanc doctrinam exponit.

II. Rursus *epist.* CXLV. ad Anastasium. *Inaniter putat victorem se esse peccati qui pœnæ timore non peccat: quia etsi non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis . . . Inimicus ergo iustitiæ est qui pœnæ timore non peccat; amicus autem erit, si eius amore non peccet: tunc enim vere timebit peccare: nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere: ille autem peccare metuit qui peccatum ipsum, sicut gehennam, odit.* Item *tract.* V. in Ioannem. *Filii Dei discernuntur sola dilectione, & caritate a filiis diaboli.* Denuo in *expositione* Epistolæ ad Galatas: *Non auferuntur peccata, nisi gratia fidei, quæ per dilectionem operatur.* Sexcenta alia S. Doctoris testimonia rescribere possem, quæ prætereo.

III. S. Ioannes Chrysostomus *hom.* IV. *ad Cor.* inquit: *Cum peccaveris, ingemisce, non quod pœnas daturus sis, nihil enim hoc est; sed quia Dominum tuum tam benignum, tam te amantem, tam denique tuæ salutis cupidum offenderis, ut Filium quoque suum tradiderit.*

IV. S. Isidorus Hispalensis Lib. II. Sent. cap. XXI. *Qui sola pœna supplicii in se vitia reprimit, quamvis non expleat opus peccati, vivit tamen in eo voluntas peccandi; doletque sibi esse illicitum quod lex prohibere dignoscitur. Ille ergo mercedem boni operis percipit qui amando iustitiam facit, non is qui eam solo metu pœnarum custodit.*

V. S. Bernardus *tract. de diligendo Deo cap.* XII. hæc habet. *Est qui confitetur Domino, quoniam potens est; est & qui confitetur Domino, quoniam sibi bonus est; & item qui confitetur, quoniam simpliciter bonus est. Primus servus est, & timet sibi; secundus mercenarius est, & cupit sibi; tertius filius est, & defert Patri. Itaque & qui timet, & qui cupit, utrique pro se agunt: sola, quæ in filio est, caritas non quærit quæ sua sunt. Quamobrem puto de illa dictum:* Lex Domini immaculata convertens animas: *quod sola videlicet sit quæ ab amore sui & mundi avertere possit animam, & in Deum dirigere: nec timor quippe, nec amor privatus convertunt animam: mutant interdum vultum, vel actum, affectum numquam. Facit quidem nonnumquam & servus opus Dei; sed quia non sponte, in sua adhuc duritia permanere cognoscitur: facit & mercenarius; sed quia non gra-*

tis,

tis, propria trahi cupiditate convincitur . . . Sit itaque servo sua lex timor ipse; quo constringitur; sit mercenario sua cupiditas, qua & ipse arctatur, quando ab ipsa tentatur, abstractus, & illectus: sed harum nulla aut sine macula est, aut animas convertere potest: caritas vero convertit animas, quas facit & voluntarias. Tertullianum, Basilium, Ambrosium, Nazianzenum, Hieronymum, Gregorium, & ceteros brevitatis studio omitto.

§. V.

Necessitas caritatis imperfectae ad sacramentum poenitentiae rite suscipiendum ex S. Thoma.

I. PAuca ex multis quae Angelicus Doctor de poenitentia differit, promo. Et principio produco testimonium, quo eius universalis & perpetua doctrina magis confirmatur, nempe dolorem ex timore conceptum *simpliciter* non excludere voluntatem peccandi; sed ad hunc effectum necessarium esse amorem iustitiae. Haec enim 1. 2. *quaest.* cvii. *art.* 1. *ad* 2. docet. *Lex vetus dicitur cohibere manum, non animum; quia qui TIMORE POENAE ab aliquo peccato abstinet; NON SIMPLICITER eius voluntas a peccato recedit, SICUT recedit voluntas eius qui AMORE IUSTITIAE abstinet a peccato: & propter hoc lex nova, quae est lex amoris, dicitur animum cohibere*. Lex nova lex est amoris seu caritatis. Qui timore poenae abstinet a peccato, utique aliquo modo voluntatem peccandi excludit, sed non *simpliciter*: & omnino hac unica voce elidit Angelicus omnia sophismata. Timor iste bonus est, supernaturalis est, praestat id quod potest; sed eius vis excludere *simpliciter*, idest omnem voluntatem peccandi nequit. Hunc effectum solus producere amor iustitiae valet. Pergit Lib. IV. contra Gentes cap. lxxii. *Primum quod in poenitentia requiritur, est ordinatio mentis, ut scilicet mens convertatur ad Deum, & avertatur a peccato, dolens de commisso, & proponens non committendum, quod est de ratione contritionis. Haec vero mentis reordinatio sine gratia esse non potest: nam mens nostra debite ad Deum converti non potest sine CARITATE*.

II. In disputatis de veritate *quaest.* vii. *art.* 11. *ad* 3. ait: *Eiusdem autem rationis est quod voluntas feratur in appetitum contrarii, & in detestationem alterius. Nullus autem habens usum liberi arbitrii potest inchoare novam vitam, quae est per gratiae infusionem, nisi AMET, & appetat gratiae bonum: & ideo oportet ut detestetur omne malum repugnans*.

III. Commentario in *IV. Sent. dist.* xx. *quaest.* 1. *art.* 1. *quaestiunc.* 1. *ad* 1. inquit: *Antiochus veniam consecutus fuisset, si vere poenituisset: sed non habuit veram poe-*

pœnitentiam, quia non ex AMORE iustitiæ de peccatis commissis dolebat, sed timore pœnæ quam expectabat, vel dolore pœnæ quam sustinebat. Et hoc etiam multis in fine pœnitentibus contingit; quia non est facile ut affectus quem homo toto tempore vitæ suæ inclinavit in aliquid, subito ad contrarium retrahatur.

IV. In *III. Part. quæst.* lxxxiv. *art.* 10. disputat, *utrum sacramentum pœnitentiæ possit iterari*; ubi confutat errorem illorum qui credebant caritatem semel habitam non posse amitti: quam hæresim renovarunt Calvinistæ. Hæc autem ibidem scribit. *Cum enim ad VERAM pœnitentiam CARITAS requiratur, sine qua non delentur peccata* &c. Ibi de sacramento pœnitentiæ S. Thomam loqui constat ex titulo articuli, & ex arg. 1. *Videtur quod sacramentum pœnitentiæ non debeat iterari. Dicit enim Apostolus*: Impossibile est eos qui semel &c. Ad sacramentum igitur rite suscipiendum caritas requiritur.

V. Luculentissima est doctrina quam tradit *III. Part. quæst.* lxxxv. *art.* 5. ubi inquirit, *utrum principium pœnitentiæ sit ex timore*. Respondet vero his verbis; *Primum principium est Dei operatio convertentis cor, secundum illud Thren. ult.* Converte nos Domine ad te, & convertemur; *secundus actus est motus fidei: tertius est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum a peccatis retrahitur: quartus actus est motus spei, quo quis sub spe veniæ consequendæ assumit propositum emendandi: quintus actus est MOTUS CARITATIS, quo alicui peccatum displicet SECUNDUM SE IPSUM, & non iam PROPTER SUPPLICIA: sextus actus est motus timoris filialis, quo propter reverentiam Dei aliquis emendam Deo voluntarius offert. Sic igitur patet quod actus pœnitentiæ a timore servili procedit sicut a primo motu affectus ad hoc ordinato; a timore autem filiali sicut ab immediato & proximo principio.* Hanc doctrinam repetit in Suppl. quæst. III. art. 1. ad 4. *Malitia autem in culpa mortali mensuratur ex eo in quem peccatur, inquantum est ei indigna; & ex eo qui peccat, inquantum est ei nociva. Et quia homo debet magis Deum quam seipsum diligere; ideo plus debet odire culpam, inquantum est offensa Dei, quam inquantum est nociva sibi.* Qui Deum diligit amore caritatis, detestatur peccatum ut est offensa Dei; quemadmodum fatentur omnes. Ex amore autem concupiscentiæ oritur odium in peccatum, ut est nocivum sibi.

VI. Hæc est splendidissima christianæ pœnitentiæ pictura, quam distinctis, & vividis coloribus delineavit S. Thomas: ad cuius exemplar Concilium Tridentinum *sess.* VI. formavit VI. decretum, teste Dominico SOTO, cuius testimonio respondet facti veritas, cum doctrina sit prorsus eadem, eamque exposuit eiusdem Concilii Catechismus. Verum præter P. Soto attestationem lubet in medium adducere testimonium nulli exceptioni obnoxium sapientissimi BOSSUETI, qui *de doctr. Concil. Trident. circa dilect. pag.* 90. hæc scribit. *Non ergo immerito diximus*

mus tantam esse sacrosanctæ Synodi Tridentinæ cum Sancto THOMA doctrinæ consensionem, ut ex hac illa quodammodo contexta esse videatur. Nec est quod vitilitigatores aures obtundant, hic sermonem esse de pœnitentia extra sacramentum: Nam iam supra ostendimus, Concilium loqui de pœnitentia quæ præcedere sacramentum debet. Sed pudere Casuistas deberet talia obtrudere. Numquid sacramentum institutum est a Christo Domino, ut sinceram & nativam pœnitentiæ ideam, & ordinem conversionis creaturæ ad Creatorem turbet & pervertat? Sacramentum confessionis, inquit Catechismus Tridentinus, *perficit contritionem*, & pœnitentiam.

VII. Evidentius hanc suam doctrinam confirmat Angelicus *art. 6.* proxime sequenti, in quo eam pœnitentiam quam *art. 5.* a nobis hic rescriptam explicuerat, iterum confirmat, ut patet in argumento prolusorio, *Sed contra*, ubi hæc habet. *Sed contra est quod pœnitentia procedit ex fide, spe, & caritate, ut iam dictum est*. Et in margine notatur *art. 5.* Porro *art. 6.* hæc scribit. *Dicendum est; quod actus quidam laudabiles etiam tempore præcedere possunt actum, & habitum pœnitentiæ; sicut actus fidei, & spei informium, & actus timoris servilis. Actus autem & habitus caritatis simul sunt tempore cum actu & habitu pœnitentiæ, & cum habitibus aliarum virtutum. Nam, sicut in secunda parte* (quæst. cxiii.) *habitum est, in iustificatione impii simul est motus liberi arbitrii in Deum, qui est actus fidei per caritatem formatus, & motus liberi arbitrii in peccatum, qui est actus pœnitentiæ. Horum tamen duorum actuum primus naturaliter præcedit secundum. Nam actus virtutis pœnitentiæ est contra peccatum EX AMORE DEI*. Hic autem actus *ordine temporis* præcedit infusionem gratiæ sanctificantis, seu habitualis, ut manifestum faciunt quæ sequuntur. *Sic igitur pœnitentia* (quantum ad habitum) *non est simpliciter prima virtutum nec ordine temporis, nec ordine naturæ: quia secundum ordinem naturæ simpliciter præcedunt ipsam virtutes theologicæ: sed quantum ad aliquid est PRIMA inter ceteras virtutes ORDINE TEMPORIS, QUANTUM AD EIUS ACTUM, qui primus occurrit in iustificatione impii, sed ordine naturæ videntur esse aliæ virtutes priores*.

VIII. Perspicua hæc sunt & manifesta. Actus virtutis pœnitentiæ, *quæ contra peccatum ex AMORE DEI* proficiscitur, præcedunt *ordine temporis ceteras virtutes*, atque adeo gratiam habitualem cum virtutibus connexam. Cum hac quippe gratia virtutes infunduntur. Distinguendi itaque semper sunt actus qui disponunt ad virtutes & habitus, ab iisdem virtutibus, & habitibus. Nec est quod Sophistæ opponant ea quæ in rescripta doctrina Angelicus habet: *Actus autem & habitus caritatis simul sunt tempore cum actu & habitu pœnitentiæ, & aliarum virtutum*. Quandoquidem hæc referuntur ad momentum temporis in quo fit iustificatio, ut ex ipso textu patet, & ex 1. 2. *quæst.* cxiii. *art.* 8. quem locum

cum ibi citat Angelicus. Porro ibi *art.* 8. inquit: *Prædicta quatuor, quæ requiruntur ad iustificationem impii* (nempe gratiæ infusio, actus fidei, motus liberi arbitrii in peccatum, & culpæ remissio) *tempore quidem sunt simul, quia iustificatio impii NON EST SUCCESSIVA*. Distinguenda igitur est iustificatio ipsa, in qua gratia habitualis infunditur, ab actibus quibus se impius disponit, & præparat ad eamdem iustificationem. Quam doctrinam vel ipsi adversarii admittunt, cum & ipsi doceant attritionem servilem tempore præcedere iustificationem, quatenus impium disponit; & postea sacramento & gratiæ habituali coexistit pro illo temporis momento quo fit iustificatio.

IX. Totam doctrinam luculentius declarat Angelicus eadem 1. 2. *quæst.* CXIII. *art.* 10. ut alias vidimus, ubi hæc docet. *Est iste COMMUNIS ET CONSUETUS cursus iustificationis, ut, Deo movente interius animam, homo convertatur in Deum, primo quidem conversione imperfecta, ut postmodum ad perfectam deveniat. Quia CARITAS INCHOATA MERETUR AUGERI, UT AUCTA MEREATUR PERFICI, sicut Augustinus dicit. QUANDOQUE vero tam vehementer Deus animam movet, ut STATIM quamdam perfectionem iustitiæ assequatur, sicut fuit in conversione Pauli* &c.

X. Hanc ipsam doctrinam præmiserat *ibidem art.* 5. *ad* 1. inquiens: *Ergo dicendum, quod ad eamdem virtutem pertinet prosequi unum oppositorum, & refugere aliud: & ideo sicut ad caritatem pertinet diligere Deum, ITA ETIAM DETESTARI PECCATA, per quæ anima separatur a Deo.*

XI. Rursus ibidem *art.* 7. *ad* 2. subdit: *Liberum arbitrium potest simul in duo moveri, secundum quod unum ordinatur ad aliud. Motus autem liberi arbitrii in peccatum ordinatur ad MOTUM LIBERI ARBITRII IN DEUM. Propter hoc enim homo detestatur peccatum, QUIA EST CONTRA DEUM, cui vult adhærere*, per dilectionem scilicet: *ideo liberum arbitrium in iustificatione impii SIMUL DETESTATUR PECCATUM, ET CONVERTIT SE IN DEUM: SICUT ETIAM CORPUS SIMUL RECEDENDO AB UNO LOCO ACCEDIT AD ALIUM.*

XII. Hæc angelica doctrina luculentissimam reddit sententiam nostram penitus, penitusque oppositam opinionem labefactat. Cedo. Nonne adversarii postulant pro sufficienti dispositione ad sacramentum ut pœnitens excludat *omnem voluntatem peccandi*? Hoc de fide est definitum in Scripturis, & Tridentino. Recedit igitur peccator iustificandus a termino *a quo*, & *simul*, inquit S. Thomas, accedit ad terminum *ad quem*. Quisnam iste terminus ad quem? Bonum proprium? Propria beatitudo? Nugæ & cavillationes. Terminus iste Deus est, tamquam ultimus finis, inquit cum Scriptura sancta Angelicus, qui duos solos amores distinguit, concupiscentiæ, & amicitiæ. Amor spei seu concupiscentiæ non respicit Deum tamquam ultimum finem propter se. *Ad eamdem* autem *virtutem pertinet*, inquit S. Do-

S. Doctor, *prosequi unum oppositorum, & refugere aliud. Et ideo sicut ad caritatem pertinet diligere Deum; ita etiam detestari peccata, per quæ anima separatur a Deo.* Verum de hoc plura infra, ubi propriis adversariorum principiis illorum sententiam profligabo.

XIII. Aut Concilio Tridentino, SS. Thomæ, & Augustino, & Catechismo Concilii Tridentini nuntium remittant; aut huic doctrinæ fasces tandem submittant, victasque manus dent necessum est adversarii. Duplicem hic Angelicus cum Augustino distinguit conversionem: alteram *communem* & *consuetam*; alteram perraram & perdifficilem. Illa ab imperfecta ad perfectam caritatem gradum facit; hæc instantanea veluti est, cum scilicet *tam vehementer Deus animam movet, ut statim quamdam perfectionem iustitiæ assequatur*. Totidem fere verbis hanc doctrinam tradit Catechismus Tridentinus *Part. II. cap. v. §. 36.* ubi hæc habentur. *Ut enim concedamus contritione perfecta peccata deleri, quis ignorat illam adeo vehementem, acrem, & incensam esse oportere &c? At quoniam PAUCI admodum ad hunc GRADUM pervenirent, fiebat etiam ut a PAUCISSIMIS hac via peccatorum venia speranda esset. Quare necesse fuit ut clementissimus Dominus* instituerет confessionis sacramentum, quod perficeret contritionem, caritatemque imperfectam & remissam, atque adeo iustificante minorem; ut concludit idem Catechismus *§. 37.*

XIV. Cum hæc tam splendida, tam luculenta & peremptoria sint; vix ferri patienter adversariorum vana & intempestiva sophismata possunt; præsertim dum obtrudunt S. Thomæ textulum aliquem truncatum, & in falsissimum sensum detortum: puta, cum obiiciunt, quod *minima caritas deleat peccatum*, ubi, ut alias ostensum est, & infra evidentius explicabitur, Angelicus loquitur de *caritate habituali*. Consule quæ diximus supra *cap. v. §. 2. & 3.* & tum colliges, partium studium eo abripere homines, ut ipsum Solem meridianum non videant.

§. VI.

Rationibus theologicis, ex divinis Scripturis, Patribus, & præcipue ex S. Thoma haustis, evincitur necessitas amoris Dei initialis super omnia dilecti ad sacramentum pœnitentiæ rite suscipiendum.

I. ET ut initium capiamus a rationibus ex Scripturis sanctis derivatis, primum maximumque mandatum dilectionem Dei super omnia imponit. Hoc præceptum, si verba divina spectentur, moralem continuationem, quoad fert humana imbecillitas, iubet. At ne nos Rigorismi arguant adversarii, sæpius in vitæ cursu, ne dicam in annos singulos, obligat. Porro nullum tempus, nulla circum-

cumſtantia aſſignari umquam poteſt in qua præceptum iſtud magis urgeat, quam ubi, & quando agitur de recuperanda per pœnitentiam gratia, & amicitia Dei. Quandoquidem ideo peccator Dei inimicitiam in ſe concitavit, quia peccavit: & ideo peccavit, quia Deum non amavit. Ergo tum potiſſimum amore proſequi Deum urgetur, cum dolet de perpetrato peccato, ſeu dolet ob amicitiam Dei amiſſam, eamque redintegrare toto virium conatu ſtudet. Qui hæc inficiantur, non Scripturis ſanctis modo, verum etiam ipſi communi ſenſui repugnant.

II. Quoniam vero plures recentiores Probabiliſtæ, ut vidimus *Tom. I. in Decal.* hoc primum maximumque mandatum ab imis ſuffodiunt, operæ pretium eſt diſtinctius eiuſdem neceſſariam obſervationem demonſtrare, præſertim dum pœnitens hoc ſacramentum ſuſcepturus accedit. Propoſitum omnia mandata ſervandi requirunt Scripturæ, & Tridentinum. Porro præceptum primum, maximumque caritatis, omnium mandatorum ſummam complectitur. Ergo iſtius ſummi præcepti obſervantia potiſſimum neceſſaria eſt, cum ſuſcipitur ſacramentum. Sufficit; inquiunt adverſarii, *confuſe*. & *implicite* velle ſervare mandata omnia. Numquid neceſſaria eſt expreſſa & diſtincta de ſingulis præceptis cogitatio, cum ſacramentum ſuſcipitur? Sane, ſpectata humanæ naturæ infirmitate, ſæpe nec poſſibile eſt, nec neceſſarium de ſingulis cogitare mandatis. At ecce, exclamant Patres omnes, præſertim Chryſoſtomus, cuius teſtimonia *Tom. II. Appar.* refero, infinitam clementiam Dei, qui omnium præceptorum ſummam in hoc primo mandato complexus eſt. Quamvis ergo ſemper nec poſſimus, nec debeamus cogitare de ſingulis; numquid nec de hoc ſupremo mandato expreſſe cogitandum eſt vel illo ipſo tempore quo iuſtificandi ad Deum accedimus? An non fatentur vel ipſi adverſarii, cogitanda ſaltem eſſe illa præcepta adverſus quæ peccatum eſt? At nemo peccat, niſi quia non dilexit. Nec ſufficit aut ſemel in vita, aut ſingulis quinquenniis tantum diligere; ſed frequentiſſimus eius uſus ſit oportet, ut ex Scriptura ſancta oſtenſum eſt. Quare ex iſtius mandati neglectu principium peccandi S. Auguſtinus in *Epiſ. I. Ioan.* repetit. *Per hanc dilectionem peccata ſolvuntur. Hæc ſi non teneatur, & grave peccatum eſt, & radix omnium peccatorum.* Ergo, ut fiat compenſatio, & reſarciatur læſum ius, neceſſe eſt ut propoſitum affectivæ exercendæ dilectionis excitetur. Sed, ut preſſius urgeam adverſarios, cedo: dum iuſtus in peccatum labitur, eximitur ne ab obligatione Deum diligendi? Ais. Quo iure? Quo titulo? Numquid quia peccavit? Numquid quia Chriſtianus non eſt? Quia creatura Dei eſſe deſiit? Abſit. Dilectionis ergo mandato ſupremo obnoxius eſt. Cum autem primum hoc mandatum ſemper urgeat, licet non pro ſemper; cur tempus illud excipis quo ad pœnitentiæ ſacramentum accedit? Quid reponis? Non poteſt, cum ſit peccatis irretitus? At clamat Concilium Tridentinum cum univerſa Patrum traditione: *Deus iubendo monet, & facere quod poſſis, & petere*

quod

quod non possis, & adiuvat ut possis : sess. VI. cap. XI. Non potest? Numquid metum gehennæ seipso excitare potest? Numquid ad hunc metum provehendus non est speciali Spiritus sancti impulsu & motu? Numquid ille divinus Spiritus qui ad timorem movet, ad amorem non accendit? Numquid intus corda non ciet? An si resistat Spiritui sancto ad timorem excitanti, non peccat? Et non peccabit, si resistat Spiritui sancto ad amorem cienti? Numquid repones, ideo te non obligare pœnitentem ad amorem, ne citius quam oporteat, & ante actu susceptum sacramentum iustificetur? Sed hoc responsum nimis absurdum est, infra profligandum. Exulent ergo vana commenta, & pœnitens aut amet, aut amorem petat, & petendo amare incipiat, ut Concilium definivit. Diligere incipit qui desiderat, qui nititur ut dilectionem habeat. Hæc incipiens dilectio *præparat*, *disponit* tantum ad iustificationem.

III. Sed, missa subtili disputandi ratione, veritatem exemplo & rationi, & sensui quam maxime consentaneo illustremus. Audi filium prodigum patrem alloquentem. Doleo pater, & quam valeo, vehementer doleo, quod peccaverim. Ante actæ flagitiosæ & sceleratæ vitæ veniam enixe rogo, efflagitoque. Ingentis hereditatis tuæ adeundæ amore deflagro, firmamque concipio spem eamdem assequendi. Sed quia toties peccavi contra mandata tua, vehementer timeo ne illam sim amissurus: & ob hunc timorem subeundi tam grave damnum vehementer me pœnitet peccasse. Scias tamen velim, mi pater, quod intus in corde meo latitat, non amor erga te, erga bonitatem tuam, cuius nec levem, inchoatamque scintillam experior; sed solus timor damni sustinendi, sola spes opulenti patrimonii obtinendi unica mihi est ad te redeundi caussa. Non te amo amantem; sed te timeo pœnas & supplicia minitantem. Non amo bonitatem tuam erga me profusissimam; sed reformido exheredationem meam mihi perniciosissimam. Hanc hereditatem concupisco: & ex hoc concupiscentiæ amore erga divitias tuas, spes in me consurgit easdem assequendi. Ama ergo pater filium te non amantem, sed pertimescentem. Ah fili nequam, & indignissime! Siccine patrem alloqueris? Apage in malam crucem. Ah clementissime pater! Tempera, quæso, parumper indignationem tuam. Si meus te sermo concitavit, caussam cur ita locutus fuerim, audire, supplex deprecor, efflagitoque, ne dedigneris. Theologi illi, magistri illi quos timer, o pater, pro conscientiæ meæ regimine mihi assignasti, hanc me docuere doctrinam. Isti præfatum sermonem altius animo meo imprimere conati sunt. Isti, isti, inquam, mihi suasere, haudquaquam necesse esse ut in hac mea pœnitentia, & reconciliatione te vel inchoatæ caritatis, & initialis amicitiæ dilectione prosequar; sed sufficere ut ob cladium, pœnarumque metum de peccatis meis doleam, amoreque concupiscentiæ erga infinitam hereditatem tuam mihi obveniendam ardeam. Hanc ser-

servilem doctrinam, o pater, egomet, vel ipso lumine quo me tu magna clementia perfudisti, ut falsam communique sensui adversantem reputabam. Quid? ipse dicebam. Inimicus, offensorque evasi amantissimi patris mei: & novum amicitiæ fœdus cum eodem instaurabo, quin illum sincera caritate, suavique benevolentia redamem? Quid? Ille me caritate impense diligit: & ego ipsum, ob hereditatem possidendam, dumtaxat concupiscam? Dum talia effari audierunt Theologi tui, continuo vociferantes, me tetrici rigoris, stultitiæque insimularunt, & velut hæreticæ sententiæ fautorem redarguerunt: quarum vocum strepitu perterrefactus, illorum tandem placitis auscultavi. Adiecerunt illi solummodo, ne illos gravare, ut mihi caveam, videar, postquam in ius hereditatis capiendæ restitutus, & plene, media absolutione, tecum reconciliatus fuero, me postea mortis tempore, singulisque quinquenniis, bienniisve semel saltem te caritatis amore prosequi debere. Illos ergo, pater optime, redargue, increpa, in illos, non in me, animadvertito. Hæc est autem viva imago peccatoris qui solo gehennæ timore, & spe beatitudinis æternæ obtinendæ, & dolore amittendæ concussus ad Deum redit, ut cum eodem reconcilietur, omni amore vel initiali erga illius bonitatem sublato. *Ex inimico amicus fieri vult*: & amare amicum Patrem non studet, non curat, non nititur?

IV. Utique filius prodigus famis angustia, & siliquarum nausea excitatus ad patrem redire statuit. A tam remota caussa illius conversionis principium manavit; at statim ultra progressus exclamavit: *Pater, peccavi in cælum, & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus*. Quin suæ conversionis initio sic se allocuturum Patrem decrevit. *Dicam ei: Pater* &c. *Peccavi in cælum*, idest in *Deum*; similiter *coram te*, idest *contra te*. Porro Deus per Prophetam Malach. 1. inquit: *Si ergo pater vester sum, ubi est amor meus?* Amore igitur erga Deum, patremque suum succensus prodigus doluit de offensa eidem irrogata, stolamque primam obtinuit a clementissimo patre.

V. *Secunda ratio* ex Scripturis repetita eiusmodi est. Ad veram pœnitentiam necesse est ut peccator toto corde ad Deum convertatur. *Si peccaverint tibi*, inquit Salomon, *& reversi fuerint in toto corde suo, & in tota anima sua . . . propitiaberis* &c. Quomodo autem revertitur toto corde qui Deum non amat, si pes cordis amor est? Qui fieri potest ut toto corde ad Deum revertatur qui non modo Deum non amat, sed nec *incipit* illius bonitatem diligere; qui nec amore initiali, & inchoato in illum fertur?

VI. *Tertia ratio potissima* ex S. Thoma proponitur *III. Part. quæst.* lxxxvi. *art.* 2. ubi sic disserat. *Offensa peccati mortalis procedit ex hoc quod voluntas hominis est aversa a Deo per conversionem ad aliquod bonum commutabile. Unde requiritur ad remissionem divinæ offensæ quod voluntas hominis sic immutetur, ut convertatur ad Deum cum detestatione conversionis prædictæ, & proposito emendæ: quod pertinet ad ratio-*

nem pœnitentiæ, secundum quod est virtus. Et ideo impossibile est quod peccatum alicui remittatur sine pœnitentia, secundum quod est virtus. SACRAMENTUM autem pœnitentiæ, sicut supra dictum est (quæst. lxxxiv. art. 3.) *PERFICITUR per officium Sacerdotis ligantis, & solventis.*

VII. Vita cordis amor, ut commune fert axioma. Amore peccator ad bonum commutabile, seu ad creaturam convertitur, & a Deo recedit . Hæc aversio a Deo, & conversio ad creaturam per solam aversionem a creatura, & conversionem ad Deum auferri potest. Siquidem amor erga creaturam auferri nequit, nisi per oppositum amorem erga Creatorem. Quoniam si amoris gradibus cor humanum volvitur, & inflectitur ; si per amorem erga bona creata a Deo recedit : ergo per amorem directe oppositum regredi ad Deum debet . Amori autem erga bona creata solus amor erga Deum opponitur. Si quodlibet contrarium contrario sotollitur, necessario sequitur vitiosum amorem versus bona creata auferri per solum amorem erga bonum increatum, nempe Deum, posse. Hæc est ineluctabilis ratio S. Thomæ, qui *loc. cit. art. 3.* confirmat hanc suam doctrinam, inquiens, necesse esse ut peccatum displiceat, *quia est contra Deum SUPER OMNIA DILECTUM, quod requiritur ad rationem VERAE pœnitentiæ* : quæ verba refugium ad amorem spei, ad quem se recipere adversarii solent, omnino præcludunt.

VIII. *Quarta ratio*. Adultus, cum primum moraliter rationis usum assequitur , Deum amore prosequi, omnia sua in ipsum dirigere, eique ut ultimo fini se subiicere, & ab eodem vitæ suæ rationalis primordia capere astringitur ; ut omnes fatentur Thomistæ, & doctiores Theologi. Quanto igitur fortiori vinculo peccator, dum post patrata flagitia novam instituere vitam deliberat, amore in Deum se convertere tenetur? Quid? Puer baptizatus adultus, nullo inquinatus peccato, in Deum se amore referre tenetur : & peccator, qui propria voluntate rationem ultimi finis a Deo abstulit, eumque odio insectatus peccando est , & creaturis , suisque appetitionibus postposuit, se in illius restituere amicitiam potest , quin illum amare incipiat? Puer adultus, non quia peccavit, sed ne peccet , amare Deum obstringitur : & homo impius scelestusque, ut flagitiorum vulnera sanet , ut quod Deo per amorem perversum surripuit, restituat, liber ab omni dilectione Dei erit? Qui extra Thomistarum castra militant, se expedire ab hac argumentatione valent, suppositionem negantes. At nulla Theologo Thomistæ heinc evadendi latebra patet, nec rima ulla .

IX. *Quinta ratio*. Christianus qui a statu gratiæ in peccatum mortale prolabitur, divinæ amicitiæ iura violat, primumque caritatis mandatum infringit. Et si diu in peccato persistat, depravatisque scelerum habitibus irretiatur , sæpius hoc caritatis mandatum conculcat contemnitque. Hoc quippe præceptum, ut alias demonstratum est, peculiares amoris actus imperat. Quo posito, sic argumentor .

Qui

Qui odio ardet adversus proximum, absolutionis capax non est, nisi, odio posito, erga proximum amorem concipiat. Qui ebrietati, luxuriæ, iniustitiæ obnoxii sunt, ad absolutionem recipiendam dispositi non reputantur, nisi per contrarios actus erga temperantiam, iustitiam, & castitatem ferantur. Et absolutioni suscipiendæ idonei iudicantur qui caritatis amore Deum offensum placare toto corde non student? Clarius expono rationis huiusce vim. Accedit ad Confessarium Petrus, qui plurium annorum spatio Paulum repetitis iniuriis, contumeliis, damnisque exagitavit. Formali, & expresso odio illum non est insectatus; sed ea omnia peregit quæ magnopere displicere Paulo certo sciebat, prævidebatque illum summopere offendendum, tristitia & mærore conficiendum. Quid tum Confessarius? Clamabit continuo: *Vade prius reconciliari fratri tuo*. Severe inquiret, num sincero amore illum prosequatur, eiusque amicitiam redintegrare studuerit, antequam eum absolvat. Accedit Sempronius, qui reciprocam cum Deo amicitiam scelerate infregit. Longo intervallo ea scelera patravit quæ Deo summopere displicere certissime sciebat. Sæpe insonare a Concionatoribus audivit, Christianos mortaliter peccantes *rursus crucifigere Filium Dei*. In hac Dei inimicitia diu perstitit; sed timore inferni, & dolore amissæ æternæ beatitudinis dolet se peccasse. Quid tum Confessarius? Non inquiret, num Deum offensum amet? num inveteratam cum Deo inimicitiam amore depellere, & fracta amicitiæ iura reparare dilectione sincera saltem initiali & imperfecta, quoad potest, studeat? Omnia hæc dissimulabit, & alto premet silentio Confessarius? Quid? Petrus amare Paulum offensum tenetur, ut cum illo reconciliationem, novumque amicitiæ fœdus ineat: & Sempronius læsæ infinitæ maiestatis reus, qui Filio Dei mortem rursus intentare, eumque rursus toties affectu iniquo crucifigere, quoties mortaliter peccavit, ausus est, reconciliationem cum eodem denuo inibit, quin ipsum sincere amare incipiat, quin alto dolore pœniteat ob offensam infinitæ illius bonitati irrogatam? Sempronius ex inimico fieri amicus Dei poterit sine amicitiæ amore? Solo amore concupiscentiæ, solo timore gehennæ divinum illud amicitiæ & benevolentiæ fœdus redintegrabit? Vulgare illud axioma, *Si vis amari, ama*, respectu divinæ amicitiæ locum non habebit? Deus testatur: *Diligentes me diligo*. Cor est quod a nobis Deus postulat. *Fili præbe mihi cor tuum*. Quomodo autem offerri Deo cor istud valet, nisi amicitiæ, & benevolentiæ amore? Usquedum cor istud concupiscit, aut pavet, non tam Deum quam se amat: sibi cavere, non Deo placere studet. Si populi silvestres, & barbari a sophistarum præiudiciis vacui audirent, Theologos reperiri qui propugnant renovari inter Deum offensum, & hominem offensorem amicitiam posse, quin homo pro viribus prosequi amore Deum obstingatur: an non commoverentur? an immane paradoxon istud non reputarent bono communique sensui repugnans? Verum habet, inquies, dum hæc amicitia iniri extra sa-

 cra-

cramentum debet, fecus cum facramento: quoniam Chriftus Iefus facramentum pœnitentiæ inftituendo abolevit mandatum primum caritatis, ne iugum aggravaret. Tam abfurdum commentum fupra reieci, & penitus labefactavi.

X. Confirmo argumentationem factam; fed veniam prius peto aliqua repetendi quæ iam dicta funt. In graviffima controverfia vix & repetitiones, & prolixitates vitari queunt. Qui voluntatem deliberatam & conftantem non habent omnia mandata fervandi, & præcipue primum, difpofiti fatis non funt ad facramenti effectum. Sed nemo mandata fervare fine caritate initiali valet. Ergo hac deftitutus indifpofitus ad facramentum eft. Prima propofitio certa eft. Abfolveres ne pœnitentem qui fuit impudicus, ebrius, iniuftus, infenfus proximo, qui aperte fateretur fe non amare fobrietatem, caftitatem, iuftitiam, caritatem erga proximum: qui effutiret grave effe iugum harum virtutum amorem; tametfi fponderet fe præfata crimina non patraturum ob timorem gehennæ? Dici ne bona voluntas poteft quæ difpofita non eft ad amanda iufta, honefta, & quæ funt Deo, & proximo grata? Qui folo timore pœnarum, & remunerationis fpe fe cohibet a vitiis, his virtutibus contrariis, amat ne virtutes ipfas? Si ais, licet falfo, habeo intentum. Si negas, confequenter fateris hunc bonam non habere voluntatem. Laudabilis eft eiufmodi timor, honefta & bona talis fpes; & ambo difponunt ad maiora. Sed agere ultra propriam virtutem nequeunt. Succedat ergo amor neceffe eft, ut virtutes ipfas amet, & voluntatis propenfione erga vitia pulfa, illam ad iuftificationem difponat. Quapropter Tridentini Patres præter timorem, & fpem amori concupifcentiæ nixam, adiecerunt: *Incipiunt Deum diligere tamquam OMNIS iuftitiæ fontem*. Deum utique diligendum Patres iubent, ut mifericordem, ad parcendum pronum, ad curanda animæ vulnera potentem, ad remunerandum liberalem, & æternæ felicitatis difpenfatorem: fub his enim refpectibus quilibet Chriftianorum nequiffimus fide catholica illuftratus diligit amore concupifcentiæ æternam beatitudinem in Dei poffeffione fitam. Quis eorum qui credunt, non exoptat Deum poffidere poft mortem? Sed fpes hæc informis eft, quæ, licet bona fit, & fupernaturalis, revocare peccatorem ab affectu fuarum voluptatum, illumque in Deum convertere nequit. Verum folus amor erga Deum, *omnis iuftitiæ fontem*, peccatorem avellit ab affectu carnali, & convertit in Deum. Cur, quæfo, iubent Patres diligendum effe Deum tamquam *OMNIS iuftitiæ fontem*, nifi ut dilectio Dei amorem ad omnes virtutes, ad omnem iuftitiam, honeftatem, fapientiam, & veritatem in pœnitente accendat? Voluntas quippe eft quæ amat iuftitiam, caftitatem, & proximum, & Deum. Si has virtutes faftidit, non bona & difpofita ad facramentum, fed perverfa remanet. Neque dicas, vi facramenti infundendas effe eiufmodi virtutes. Quoniam, ut infundantur, præcedere difpofitiones debent in eodem genere, & fpecie virtutum; ut alias dictum, & dicendum fæpius eft.

XI.

XI. Heinc necessario consequitur, adversam opinionem pro servili attritione pugnantem penitus evacuare caritatis evangelicæ legem, primumque mandatum. Si enim absque caritate imperfecta, & incipiente obtineri iustificatio impii potest; salutem quoque æternam absque actuali dilectione consequi Christiani iustificati poterunt. Salus enim æterna denegari homini gratia habituali sanctificante ornato, lege ordinaria spectata, a Deo nequit. Gratia enim sanctificans germen gloriæ est, constituens filios Dei adoptivos homines iustificatos. Porro *si filii, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi*. Hæc absurda & monstra aut deglutiant, aut propriam opinionem improbent necessum est. Inveteratus peccator, qui toto vitæ suæ tempore numquam Deum amavit, sed omnium scelerum iniquitate pollutus, timore gehennæ exagitatus, & spe beatitudinis succensus, flagitia sua confitetur, absolutionem omnium scelerum obtinet, nullo elicito caritatis actu. Sed repentina morte percussus, e vivis decedit, iustificatus absolutione sacramentali. Quo iste perget? In cælum? Inane ergo est, & superfluum primum maximumque caritatis præceptum, quod continenter ante oculos haberi, & in limine domorum inscribi Deus iubet? Si reponas non fore salvandum ob dilectionis omissionem; alterutrum concedere debes: aut hominem iustificatum gratia sanctificante excludendum a regno Dei; aut defectu caritatis non esse iustificatum. Si primum ais; ordinem a divina providentia præstitutum pervertis, & conturbas: si secundum affirmas; improbas opinionem tuam. Verum, quod absurdum & horrendum commentum videtur, ultro admittunt adversariorum plures, qui asserere minime dubitant, præceptum contritionis in lege evangelica obsolevisse, minimeque obligare vel in ipso mortis articulo respectu illorum qui eo tempore confitentur. Ad hoc inauditæ laxitatis extremum novus opinandi modus illos detrusit.

XII. Missis pluribus aliis rationum momentis, ex Patrum doctrina manantibus, paucis rem concludo. Peccator non est ad sacramentum satis dispositus, nisi efficax, & firmum propositum habeat omnia divina mandata servandi. Nec sufficit simplex *velleitas*, & languida voluntas, quæ reipsa non vult, sed vellet. Hoc fateri omnes debent. Atqui voluntas efficax servandi omnia Dei mandata necessario includit propositum servandi primum, & universæ legis caput, præceptum scilicet caritatis. Implicat autem in terminis, ut aiunt, consilium efficax & deliberatum Dei diligendi sine amore Dei. Quid enim est velle sincere, & efficaciter Deum diligere, nisi reipsa Deum amore prosequi? Quamobrem sapienter Augustinus *tract.* lxxiv. *in Ioan.* docet. *Quomodo ergo Dominus dicit*: Si diligitis me, mandata mea servate: & ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis: *cum hoc dicat de Spiritu sancto, quem nisi habeamus, nec Deum diligere possumus, nec eius mandata servare? Quomodo diligimus, ut eum accipiamus, quem nisi habea-*

mus, diligere non valemus? Aut quomodo mandata servabimus, ut eum accipiamus quem nisi habeamus, mandata servare non possumus? . . . Restat ut intelligamus Spiritum sanctum habere qui diligit, & habendo mereri ut plus habendo plus diligat. Qui igitur Deum diligit, Spiritum sanctum moventem, & auxiliantem habet. Propositum enim diligendi Dei sine auxilio Dei haberi nequit. Præparatus animus Spiritu sancto intus movente, hac dilectione imperfecta & inchoata, suscepto sacramento diffunditur cum gratia sanctificante caritatis habitus per Spiritum sanctum tunc inhabitantem, & tum in dilectione magis magisque proficiet.

§. VII.

Auctoritate Theologorum, & celeberrimarum Universitatum necessitas dilectionis divinæ ad sacramentum pœnitentiæ rite suscipiendum confirmatur.

I. AUctorum, quos recensurus hic sum, plurimos in fonte legi, alios apud præclaros Theologos laudatos inveni. Nulla vel levis suspicio mihi occurrit minus sincere laudatos esse quos non legi. Ut ordinem aliquem servem; primum eos commemorabo qui Concilium Tridentinum præcessere, deinde posteriores. Et ut brevitati consulam, & tædium declinem, loca librorum, in quibus hanc doctrinam docent, scribere omittam.

II. Ante Concilium Tridentinum *Ricardus Victorinus, Hugo Victorinus, Robertus Pullus, Hugo Lotbariensis, Magister Sententiarum, Bandinus, Cæsarius Heisterbacensis, Guillelmus Altissidoriensis, Guillelmus Parisiensis, B. Albertus Magnus, Alexander Alensis, S. Bonaventura, S. Raymundus a Pennafort, Vincentius Bellovacensis, Robertus de Sorbona, S. Thomas Aquinas, Ioannes Bromiardus, Okamus, Ioannes Bacbo, Thomas Argentinensis, Marsilius ab Inghen, Ioannes Gerson, Ioannes Nyder, S. Bernardinus Senensis, Guillelmus Vorillonius, S. Antoninus, Gabriel Biel, Carlerius, Tarvisinus, Ioannes Maior, Pepinus, Ferrariensis, Caietanus, Adrianus VI., Celaia, Petrus Sutor, Verratus, Guillaudus, Spineus, Ekius, Ioannes Doventria, Vivaldus, Liber Ritualis Condomensis Ecclesiæ, Concilium Senonense, Albertus Pigbius, Synodus Pictaviensis, Academia Lovaniensis, Concilium Moguntiacum, Ioannes Beetz, Godeschalcus Rosemundus, Driedo, Alphonsus Virvesius, Latomus, Chrysostomus Iavellus.*

III. Ne quisquam suspicari de istorum Auctorum doctrina possit, legatur Carolus Vitasse *Tom. V. de pœnit.* ubi non modo libros, & loca, sed prolixa istorum Theologorum testimonia exscribit, quæ brevitatis studio prætereo.

IV. Theologi post Concilium Tridentinum, quorum plures Episcopi fuere eiusdem

dem Concilii Assessores, *Salvator Alepius*, *Lipomanus*, *Ioannes AEmilianus*, *Cornelius Mussus*, *Fredericus Nausea*, *Franciscus Ricardotus*, *Franciscus Sonius*, *Martinus Rithovius*, *Iansenius Gandavensis*, *Ioannes Antonius Pantusa*, *Nicolaus Pollevæus*, *Hieronymus Burgensis*, *Iacobus Naclantus*, *Gaspar Cassalius*, *Guillelmus Cassadorus*, *Ferdinandus Vellosillus*, *Leonardus Marinus*, *AEgidius Fuscararius*, *Melchior Avosmedianus*. Hi omnes fuerunt Episcopi Concilii Tridentini, qui pro dilectione Dei necessaria in peccatoris conversione cum sacramento pœnitentiæ steterunt, & scripserunt. Illorum testimonia referunt Launonius, Carolus ab Assumptione, Farvacquesius, Vitasse, Henricus a S. Ignatio, & alii.

V. Theologi, quorum plurimi eidem Concilio interfuere, *Didacus Lainez*, *Petrus Soto*, *Dominicus Soto*, *Gentianus Hervetus*, *Iacobus Payva*, *Alphonsus Salmeron*; *Ruardus Tapperus*, *Ioannes Viguerius*, *Thomas Herentalinus*, *Conradus Elingius*, *Ioseph Lansbergius*, *Ioannes Medina*, *Gabriel Putherbæus*, *Ioannes Bunderius*, *Franciscus Picardus*, *Edmundus Augerius*, *AEgidius Tapiarius*, *Adrianus Hecquetius*, *Georgius Bustius*, *Gabriel Prateolus*, *Martinus ab Eisengrein*, *Petrus Emotta*, *Petrus Divollus*, *Franciscus Samarinus*, *Martinus Navarrus*, *Iosephus Angles*, *Philippus Faber*, *Didacus Stella*, *Petrus Possaniensis*, *Antonius Hiquæus*, *Ioannes Pontius*, *Ioannes Lensæus*, *Ioannes Molanus*, *Thomas Stapletonius*, *Vitus Miletus*, *Chrystophorus Silvestranus*, *Ioannes Paulus Palanmelitarum*, *Hieronymus Torres*, *Iacobus de Graffiis*, *Iacobus Gualterius*, *Ioannes Macherentinus*, *Bernardus Rosignolus*, *Adrianus Mangotius*, *Ludovicus Carbo*.

VI. Omnes fere isti scripserunt a celebratione Concilii Tridentini usque ad 1600. circiter. Heinc intelliges, iure Doctorem eximium P. Franciscum Suarez testatum esse, ut supra adductis eiusdem verbis ostendi, opinionem de sufficientia attritionis servilis nec esse *valde antiquam*, *nec multum communem*. Quod idcirco repeto, ut memoriæ tuæ altius hæreat, nullam in hac controversia fidem adhibendam esse nuperis Casuistis illis qui, quo imperitiores, eo liberius evulgant, opinionem attritionis formidolosæ post Tridentinum semper fuisse moraliter certam & communem. Ex Suarez, & Vasquez eximiis Theologis opinio hæc magnam acquisivit auctoritatem, & dominari in scholis cœpit usque ad publicationem *Historiæ Cardinalis Pallavicini*. Quæ sane historia mortifere vulneravit præfatam opinionem, quæ semper ab illo tempore declinavit, & in dies ad suum occasum tendit.

VII. Sed persequamur censum Auctorum qui ad hæc usque tempora scripserunt. *Archangelus Rubeus*, *Auctor Gemmæ Evangelicæ*, *Paulus Comitolus*, *Iacobus Iansonius*, *Innocentius Cibo Ghisi*, *Ludovicus Chlovæus*, *Gregorius de Valentia*, *Guillelmus Estius*, *Ludovicus Blosius*, *Petrus Binsfeldius*, *Valerius Reginaldus*, *Ioannes a Iesu Maria*, *Gaugericus Hispanus*, *Matthæus Bevvelet*, *Franciscus*

Sylvius, *Hugo Matthoud*. Istorum testimonia rescribunt Henricus a S. Ignatio, & Carolus Vitasse.

VIII. Ultima aetate contra attritionem formidolosam scripserunt sequentes. *Bonus Merbesius*, *Zacharias Pasqualigus*, *Marcus Vidal*, *Hugo Quarreus*, *Antonius Caignet*, *Ioannes Le Ieiune*, *Biroat*, *Franciscus Tolosanus*, *Iulianus Hineusve*, *Ioannes Cabassutius*, *Christianus Lupus*, *Carolus ab Assumptione*, *Alexander VVite*, *Laurentius Neessen*, *Ioannes Launoius*, *Franciscus Gennet*, *Vincentius Contensonius*, *Franciscus Farvacquesius*, *Macharius Avermans*, *Albericus Kerkovius*, *Nicolaus de la Verdure*, *Fredericus Gavardi*, *Leo*, *Florentius de Cocq.*, *Iacobus Bondortius*, *Gaspar Iuveninus*, *Leonardus Vanroy*, *Aurelius Piette*, *Bouchatus*, *Natalis ab Alexandro*, *Le Druin*, *Ludovicus Habert*, *Henricus a S. Ignatio*, *Carolus Vitasse*, *Petrus Lambertus Le Drou*, *Thomas Milante*, *Laurentius Berti*, *Petrus Ballarinus*, *Bartholomaeus Francesconi*.

IX. Hi maiori ex parte integras dissertationes, omni argumentorum genere refertas, adversus formidolosam attritionem edidere, & ex instituto controversiam versarunt.

X. Animadvertendum, eorum quos recensui *num.* 2. 4. *&* 5. aliquos requirere contritionem perfectam, aliquos alios contritionem saltem putatam. Sylvium se retractasse aliqui contendunt. Sed res tanti momenti non est, ut severiorem postulet discussionem. Illud unum certum est, omnes quos laudavi, opinionem attritionis ex solo metu gehennae conceptam reiicere tamquam insufficientem ad sacramentum poenitentiae rite suscipiendum.

XI. Praeter omnes hactenus laudatos, lubet recensere aliquos celeberrimos Cardinales, quorum chorum ducit *S. Carolus Borromaeus*, qui in *Instr. de sacram. poenit.* haec praescribit. *Antequam Confessarius . . . . absolutionem tribuat poenitenti, videbit an PROPTER DEUM veram peccatorum suorum contritionem habeat . . . Quod si talem contritionem illum non habere intellexerit, illius desiderio accendere conabitur, hoc admonens, PROPTER DEUM ipsum usque adeo quantum potest, eum peccata dolere oportere*. Vide Henricum a S. Ignatio num. 1766.

XII. Cardinalis Sarnanus in Summ. Theolog. pag. 152. *Poenitentiam certam non facit nisi odium peccati, & AMOR DEI, inquit Augustinus*. Cardinalis Toleti verba supra rescripsi.

XIII. Cardinalis PALLAVICINUS in epistola ad Pastores Gandenses. *Equidem in hac quaestione, super qua compellare me vobis placet, an ad gratiam iustificationis assequendam in sacramento poenitentiae aliquis actus CARITATIS erga Deum, non quidem perfectus, sed imperfectus, & per se ad iustificationem insufficiens sit necessarius. Adfirmanti sententiae SEMPER adhaesi, eamque in Academia Romana Societatis Iesu publice docui, adeoque in quodam traditae a me doctrinae de*

de pœnitentia Breviario typis evulgavi. Quam opinionem aliqui ex eadem Societate præceptores amplexi erant, & ANTE, & post ME alius aliusque Theologiæ præceptor in eodem Gymnasio propugnavit. Porro, si dixero solum Cardinalem *Pallavicinum* præstare in hac præsertim controversia centum Casuistis, sapientum iudicio a veritate non aberrabo. Quoniam ipse Acta Concilii Tridentini legit, & iussu summi Pontificis Alexandri VII. historiam illam celebrem scripsit.

XIV. Cardinalis Le Camus in constitutionibus synodalibus tit. VI. art. 6. & epistola pastorali præfixa Tom. IV. Theol. Mor. Genneti.

XV. Cardinalis BONA de principio vitæ christianæ *Part. I. §.* XIX. *& Part. II. §.* XXXVIII.

XVI. Cardinalis LAUREA *Tom. IV. disput.* XVII. docet: *Inter ceteras dispositiones, requisitas ad gratiam iustificationis, præ ceteris est dilectio Dei.*

XVII. Cardinalis AGUIRIUS *dissert.* VIII. *in can.* XII. Concilii Toletani III.

XVIII. Cardinalis DENHOFFIUS Episcopus Cæsenatensis in Instruct. pastorali an. 1669. *§. 3.* hæc docet. *Dolor contritionis, qui pœnitentibus est necessarius, duabus conditionibus constare debet. Prima est, ut adsit aliquis actus amoris Dei; quod sane perpensis accurate rationum momentis est probabilius. Hic autem amor quemlibet alium vitiosum perversumque rerum creatarum amorem pondere suo excedat necesse est; ita ut peccator amore, ut vocant, appretiativo, Deum amet super omnes res quæ mortiferi criminis reum fecerunt, aut facere possunt. Hunc amorem huiusmodi esse debere demonstrat omnimoda necessitas expellendi e pectore iam memoratum amorem rerum caducarum, in quo proprie consistit peccatum letale: is enim amor emigrare non potest, nisi contrario expellatur, scilicet AMORE DEI, qui ob id debet esse PRAEDOMINANS: nam aliter quidem non vincet vitiosum rei periturae amorem. Neque obiici potest, quod omnis actus amoris Dei super omnia sufficiat ad iustificationem, atque adeo peccator semper futurus sit iustificatus ante absolutionem. Quoniam isthæc PRAEROGATIVA CONCEDITUR DUMTAXAT AMORI DEI PERFECTO, NON AUTEM IMPERFECTO, qualem hic flagitamus: quæ perfectio non ex sola causa movente, sed ex intensione actus habetur, ut ANTIQUI THEOLOGI COMMUNITER adfirmant, qui explicando discrimen contritionis perfectæ, & imperfectæ, hanc luci exorienti comparant, illam vero iam exortæ, & clare relucenti. Unde patet eos existimare utramque esse eiusdem generis, nec aliter differre quam sicut PLUS ET MINUS. Agnoscit etiam CATECHISMUS decreto Concilii Tridentini in lucem editus, intensionem illam necessariam in dolore contritionis, ut sit ad peccata mortifera extra sacramentum pœnitentiæ excludenda idoneus: vultque ut ad hunc effectum iam in gradu eminenti sit constitutus.*

XIX. Cardinalis BELLARMINUS *Lib. II.* de arte moriendi *cap.* VI. inquit:

Ad

Ad sacramentum pœnitentiæ rite suscipiendum . . . hoc requiro , ut ex toto corde displiceat tibi quod in Deum peccaveris . . . idque . . . AMORE DEI. Plura ex eodem referunt Auctores sententiæ nostræ. Unum ego transcribo ex *Lib. II. de pœnit. cap.* XIV. ubi ait : *Catechumeni , & pœnitentes , si Christum super omnia diligunt , ac vera Dei caritate flagrant , iam apud Deum remissionem consecuti sunt ; ad cuius remissionis sacramentum pie , religioseque anhelant . Si autem per INCHOATAM DILECTIONEM DEI (ut Concilium Tridentinum loquitur sess.* VI *cap.* VI. *) paullatim disponuntur ad gratiam , non habent illi quidem remissionem peccatorum , sed neque ex eorum numero habendi sunt quos Apostolus execratur : ille siquidem eis tantum anathema dicit qui Christum NEQUE PERFECTE , NEQUE IMPERFECTE DILIGUNT* . Quis dixerit Apostolum non loqui de caritatis amore ? Porro hanc caritatem Bellarminus distinguit in perfectam , & imperfectam .

XX. P. Balthasar Francolinus *Lib. II. cap.* VI. *§.* II. *num.* 14. hæc scribit.

Francolinus .

„ Bellarminus , qui scripsit de pœnit. „ an. 1583. Lib. II. cap. XVIII. TRA- „ CTAT EXPRESSE hanc quæstionem „ his terminis. An attritio, sive imper- „ fecta contritio , quam certum est sine „ sacramento non sufficere ad iustifica- „ tionem , sufficiat cum sacramento : „ cum autem loqui de attritione con- „ cepta non ex caritate , patet non so- „ lum quia nomine attritionis tunc o- „ mnes id significabant , sed etiam quia „ loquitur de ea *quam certum est sine* „ *sacramento non sufficere* , quæ per i- „ psum, qui late docet omnem carita- „ tem expellere peccatum , non est ea „ quæ concipitur ex caritate . Proposi- „ tæ autem quæstioni respondet, *NUL-* „ *LO MODO NEGARI POSSE , quin* „ *sola non sufficiat , ut in Concilio Triden-* „ *tino sess.* XIV. *cap.* IV. *declaratum est* .

„ Re-

Bellarminus

Lib. II. de pœnit. cap. XVIII.

Titulus capitis hic est. *Solvuntur obiectiones. Lutherus* &c. integrum illud caput insumit in diluendis Lutheri obiectis. Sub finem capitis hæc adiicit.

Una quidem adhuc quæstio tractari POTUISSET . (N. B.) *an videlicet attritio , sive imperfecta contritio, quam certum est sine sacramento non sufficere ad iustificationem , sufficiat cum sacramento, ita ut pœnitens ex attrito virtute absolutionis fiat contritus, & iustificetur. LUTHERUS enim id aliquando negavit , ut perspicuum est ex eius responsione ad dialogum Sylvestri Prieratis , ubi de conclusione sexta loquens* : Error est , *inquit* , quod attritus fiat contritus virtute clavium . *Ceterum DISCIPULI, qui contritionem in terroribus constituunt , & soli fidei ex verbo absolutionis conceptæ , quæ terrores illos consequitur , iustificationem ad-*

scri-

„ Responderet ne tantus Doctor, tam „ moderatus in ferendo iudicio, hoc „ modo: Declaratum est: idque tam „ perspicue, ut nec ab hæreticis, quos „ ibi alloquitur, negari possit, nisi vi- „ disset a Catholicis id non negari, & „ communiter doceri? " *scribunt*, *NULLO MODO NEGARE POSSUNT*, *quin attritio & sola non sufficiat, & cum absolutione sufficiat*; *ut in Concilio Tridentino sess.* XIV. *cap.* IV. *declaratum est*.

XXI. Non eo hæc rescripsi, ut ex hoc laudato testimonio in meas partes trahere doctissimum Cardinalem velim. Quorsum ergo? ut pateat, quam sincere & germane a P. Francolino testimonium Bellarmini citetur. Francolinus asserit, Bellarminum *expresse hanc quæstionem tractare*. Et Cardinalis Bellarminus dicit: *Hæc quæstio tractari potuisset*, & occasione respondendi Luthero obiter & per transennam sola laudata verba, quibus suo capiti finem imponit, de hac controversia habet. P. Francolinus litteris grandioribus narrat, Bellarminum absolute definire, NULLO MODO NEGARI POSSE. Bellarminus e contrario suam assertionem restringit ad discipulos Lutheri. *Ceterum discipuli* (Lutheri) *NULLO MODO NEGARE POSSUNT*. Tandem P. Francolinus, ut securius fucum imperitis facere possit, pro certo statuit, Bellarminum non loqui de attritione concepta ex caritate imperfecta: & Bellarminus perspicue distinguit caritatem perfectam ab imperfecta; & hanc reperiri ait in catechumeno accedente ad baptismum, antequam iustificationem obtineat, ut evidenter constat ex testimonio Bellarmini a me supra *num.* 19. rescripto. Si enim Bellarmino de attritione ex solo pœnarum timore concepta sermo esset, & assereret Concilium Tridentinum declarasse, hanc attritionem sufficere, sane errasset; cum omnes docti cum Cardinali Pallavicino hodie fateantur, ab hac quæstione Concilium abstinuisse in illa *sess.* XIV. *cap.* IV. Sed Bellarminus, ut manifeste patet ex adducto textu, loquitur de attritione ex caritate imperfecta concepta. Iudicium lector proferat.

XXII. Cardinalis Monilianus DEOLERA in compend. theologic. qq. Cardinalis RICHELIUS in *Catechismo* suo docent, attritionem formidolosam non sufficere cum sacramento ad obtinendam iustificationem. Innumeros Archiepiscopos, & Episcopos recensere possem, qui hanc eamdem doctrinam docent; sed, ne prolixior sim, eos prætereo.

XXIII. Doctissimus Episcopus BOSSUETUS, postquam integro *opusc. de Doct. Conc. Trid. circa dilect.* demonstravit sententiam nostram, sic concludit. *Hæc nos secuti doctissimos, ac maximos in Italia, in Gallia, aliisque provinciis Episcopos, fratribus & compresbyteris nostris Ecclesiarum rectoribus, aliisque ibidem verbum, & sacramenta administrantibus, episcopalis responsi loco, in manus docenda & u-*

ten-

tenda tradimus: his ab universa fraternitate obediri oportere mandamus. An unus BOSSUETUS e cathedra episcopali loquens non præstat mille Dianis, Sporeriis, VVigandis, La Croixiis, Tamburinis, Vivis, & his similibus?

XXIV. Referre quoque possem plurimas catecheses ab Ecclesiis & Episcopis Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, Germaniæ, Poloniæ, Belgii, in quibus formidolosæ attritionis insufficientia declaratur. Sed hæc quoque omnia silentio premo, & duarum Universitatum testimonia prodo.

DECLARATIO CLERI GALLICANI.

Primum damnat an. 1700. hanc propositionem. *Attritio ex gehennæ metu sufficit etiam sine ulla Dei dilectione, sine ullo ad Deum respectu: quia talis honesta, & supernaturalis est.* Hanc propositionem hac percussit censura. *Hæc propositio, qua a dispositionibus necessariis ad absolutionem excluditur quilibet ad Deum offensum respectus, temeraria est, scandalosa, & in hæresim inducit.*

XXV. Honoratus Turnely hanc solam censuram rescribit *quæst. v. art. 2.* suoque arbitrio interpretatur. Ea vero quæ sequuntur, omnino prætermittit. Hanc vero Clerus ille celeberrimus explicationem adiicit.

XXVI. *Post absolutas propositionum censuras, supersunt quædam pro rei gravitate enucleatius exponenda, & ab ipsis principiis in apertam lucem deducenda.*

Et quidem de dilectione Dei, sicut ad sacramentum pœnitentiæ, quæ est laboriosus baptismus, requisita, ne necessariam doctrinam omittamus, hæc duo in primis ex sacrosancta Synodo Tridentina monenda & docenda esse duximus.

Primum, ne quis putet in utroque sacramento requiri, ut præviam contritionem, eam quæ sit caritate perfecta, antequam actu suscipiatur, hominemque Deo reconciliet; alterum, ne quis putet in utroque sacramento securum se esse, si præter fidei, & spei actus non incipiat diligere Deum tamquam omnis iustitiæ fontem.

Neque vero satis adimpleri potest utrique sacramento necessarium vitæ novæ inchoandæ, ac servandi mandata divina propositum, si pœnitens PRIMI AC MAXIMI MANDATI, quo Deus toto corde diligatur, nullam curam gerat; nec sit saltem animo ita præparato, ut ad illud exequendum, divina opitulante gratia, se se excitet, ac provocet.

Placet etiam caveri a sacramenti pœnitentiæ administris, ne in hoc pœnitentiæ sacramento, aliisque sacramentis conferendis sequantur OPINIONEM PROBABILEM de valore sacramenti, reiecta tutiore; neve pœnitentes ipsorum fidei animam suam committentes, admonere cessent, ut in pœnitendo INCHOATAE SALTEM DILECTIONIS DEI incant viam, quæ sola secura sit: graviter peccaturi in hoc salutis discrimine ex eo solo quod CERTIS INCERTA PRAEPONANT.

XXVII.

XXVII. Insuper sacra Parisiensis Facultas, ne quis cavillari posset, non ad caritatem, sed ad spem attinere requisitam in sacramento pœnitentiæ dilectionem, declaravit sequentem doctrinam a Patribus acceptam esse, fuisque tradendam anno MDCCXVI. die XXIII. Iulii.

XXVIII. *Timorem gehennæ, etiam supernaturalem, quamvis sit bonus, & utilis; non excludere affectum peccandi, nec sufficere in adultis ad iustificationem, etiam in sacramento baptismi, & pœnitentiæ obtinendum; sed præter hunc timorem, actusque fidei, & spei, requiri amorem Dei, quo Deum, tamquam omnis iustitiæ fontem, ut docet Concilium Tridentinum, diligere incipiamus. Hunc amorem ferri in Deum, declarat sacra Parisiensis Universitas, tum ut in se summe bonus est, tum ut est summum bonum nostrum: quæ duo complectitur CARITAS inter virtutes theologicas tertia: HOC SOLO AMORE converti voluntatem in Deum, & averti a creatura: amorem Dei super omnia, qui CARITATIS INCHOATAE saltem actus sit, necessarium esse, ut ab adultis obtineatur remissio peccatorum in sacramentis baptismi, & pœnitentiæ.*

XXIX. Plures propositiones hoc ipso an. 1716. die 23. Iulii excerptas ex libris *M. Le Roux* de attritione servili, eadem sacra Facultas Parisiensis censuris confixit. Eas exhibet Carolus Vittasse sub finem *Tom. V.* & alibi illas transcribam.

XXX. Subiicio articulos Universitatis Lovaniensis, quos an. 1677. nomine eiusdem Universitatis Franciscus Van-Vianen, Christianus Lupus, Martinus Steyaert, & Lambertus Le-Drou Romæ supremo S. Officii tribunali examinandos detulere; ut testatur Le-Drou *diss.* IV. *cap.* I. Sunt autem sequentes.

1. *Servilis gehennarum metus nequaquam in sua substantia malus est, sed bonus & utilis. Attamen ipsi soli insistens attritio etiam cum sacramento non sufficit ad iustificationem: quia ad accipiendam hanc gratiam oportet credere, sperare, ac Deum propter se diligere.*

2. *Vera attritio debet esse dolor animi, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero, excludens voluntatem peccandi; attamen non debet includere perfectam caritatem, quæ hominem Deo reconciliet, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur.*

3. *Nihilominus esse debet, licet imperfecta, tamen VERA DEI CARITAS; qua pœnitens Dominum Deum tamquam omnis iustitiæ fontem diligat, ideoque peccata sua detestetur, & oderit. Eam aliqui appellant CARITATEM AFFECTU SUPER OMNIA.* Caritas perfecta non affectu modo, sed etiam effectu est super omnia, ut supra ex S. Thoma demonstravi. Præfati tres articuli Romæ discussi, ab omni censura immunes iudicati fuere.

CAPUT IX.

Diversi contrariæ sententiæ opinandi modi. Nonnullæ difficultates, & obiecta resolvuntur.

I. Quamquam formidolosæ attritionis origo supra patefacta sit; iuvat nihilominus duo præcipua illius capita in memoriam revocare. Novatores potestatem clavium negarunt. Hanc hæresim damnavit Concilium Tridentinum, definivitque dogma fidei esse, Sacerdotes Domini vere remittere peccata; & pœnitentiæ sacramentum iustificare pœnitentem dispositum, primamque gratiam sanctificantem producere. Propugnanda itaque veritas hæc catholica contra novatores.

II. Baius in aliud extremum lapsus est. Ita exaltavit clavium potestatem, ut caritatis virtutem enervaverit: docuit quippe caritatem perfectam sociari cum peccato posse.

III. Studium hos duos evitandi scopulos peperit attritionem servilem, cuiusque caritatis vacuam. Hac via defenditur, inquiunt, perspicue contra novatores sacramenti pœnitentiæ efficacitas, & virtus remittendi peccata, & producendi primam gratiam. Declinatur quoque error Baianus confœderationis perfectæ caritatis cum peccato. Plures, immo communiter adversæ sententiæ patroni, ut longius ab his duobus erroribus recedant, ita acriter propugnant attritionem formidolosam ex solo gehennæ metu conceptam satis esse ad sacramentum, ut nullius amoris vel initialis expressam faciant mentionem. Hæc sola *amoris* vox illorum plurium aures lædit in hac caussa, reformidantes ne Baianismus, & Iansenismus latenter serpat, & ad animarum perniciem grassetur. Reipsa tamen quemlibet amorem initialem nec negant, nec negare ullo modo possunt; cum necessariam fidem, & spem, quæ necessario amorem præsupponit, ad iustificationem requirant. Sed amorem hunc plurimi nec nominant quidem, veriti ne in syrtim Baianismi & Iansenismi incidant. Idcirco attritionem ex solo pœnarum timore conceptam acriter propugnarunt.

IV. Alii eiusdem sententiæ patroni ex diuturna disputatione, & longo utriusque partis litterario bello experrectiores facti, intellexere, salva fide amorem aliquem negari non posse. Quare, ut opinioni servilis attritionis aliquid invidiæ demerent, eam tandem sub amoris aspectu in publicum apparere curarunt. Varias huiusce amoris species invexere. Alii volunt simplicem complacentiam, sive amorem inefficacem sufficere. Sunt qui contendunt, quemlibet supernaturalis virtutis actum pro initiali amore habendum esse. Communis est illorum opinio qui de-

defendunt, amorem spei, seu concupiscentiæ, quo Deus amatur, non quatenus est bonus in se, sed quatenus est bonus nobis, satis esse ad obtinendam in sacramento iustificationem. Ex iis quæ hactenus dicta sunt, omnes istæ opiniones evanescunt. Tamen maioris claritatis gratia, pauca adiicere operæ pretium duco.

§. I.

Sententia quæ, exclusa caritate incboata, defendit sufficere amorem concupiscentiæ ad iustificationem in sacramento pœnitentiæ obtinendam, evacuat præceptum caritatis. Honorati Turnely doctrina refellitur. Plura absurda eam consequuntur. Vera caritatis notio adversus Quietistas.

I. NOnnulla præmitto, quæ viam ad ea quæ dicturus sum, sternunt. Communis est tum Philosophorum, tum Theologorum sententia, duplicem reperiri amorem, unum concupiscentiæ, alterum amicitiæ, seu benevolentiæ. Ille amat bonum sibi; hic bonum in se amore prosequitur. Divisionem hanc tradit S. Thomas 1. 2. *quæst.* XXVI. *art.* 4. inquiens: *Motus amoris in duo tendit; scilicet in bonum quod quis vult alicui, vel sibi, vel alii; & in illud cui vult bonum. Ad illud ergo bonum quod quis vult alteri, babetur amor concupiscentiæ; ad illud autem cui aliquis vult bonum, babetur amor amicitiæ . . . Id quod amatur amore amicitiæ, simpliciter & per se amatur; quod autem amatur amore concupiscentiæ, non simpliciter, & secundum se amatur, sed amatur alteri . . . & per consequens amor quo amatur aliquid, ut ei sit bonum, est amor simpliciter; amor autem quo amatur aliquid, ut sit bonum alterius, est amor secundum quid.*

II. Deum inter, & hominem amor amicitiæ ardet, media caritate, ut S. Thomas 2. 2. *quæst.* XXIII. *art.* 1. docet. *Cum sit aliqua communicatio bominis ad Deum, secundum quod nobis suam beatitudinem communicat, super banc communicationem oportet aliquam amicitiam fundari . . . Amor autem super banc communicationem fundatus, est caritas. Unde manifestum est quod caritas amicitia quædam est bominis ad Deum.*

III. Mutua inter homines amicitia non continuo ac initur, fervet, nec repente firmitatem, statumque constantem assequitur; sed gradatim suam acquirit perfectionem. Porro ordo qui communiter in virtutibus acquisitis comparandis servatur, idem in virtutibus infusis relucet; ut alias dictum est, & nunc in memoriam revocamus. Actus imperfecti fidei fidem perfectam antecedunt; actus spei

lan-

languidi ad spem robustam, & constantem; & actus remissi caritatis imperfectæ ad caritatem perfectam, & ardentem viam parant. Sola ne caritas, illico ac nascitur, confestim provecta & perfecta resplendet? Sola ne caritatis virtus antecedentes sui generis seu speciei dispositiones reiicit? Adversarii, si hoc asserant, prima & Philosophiæ, & Theologiæ principia evertunt. Porro sicut actus imperfecti fidei ad fidem, & non ad spem; & actus imperfecti spei ad spem, & non ad fidem; & actus imperfecti iustitiæ ad iustitiam, & non ad castitatem directe ducunt; & sicut actus imperfecti amoris concupiscentiæ ad amorem concupiscentiæ, & non ad amorem amicitiæ: ita imperfecti actus amicitiæ, seu caritatis ad perfectiorem caritatem directe, & immediate disponunt. Doctrina hæc in omnibus virtutibus tum acquisitis, tum infusis communis & certa est. Unam excipiunt adversarii caritatem. Cur? Ut suam propugnent opinionem. Negant caritati quod potiori iure caritati convenit. Omnium virtutum præstantissimam esse caritatem, Scripturæ sanctæ docent. Quo autem excellentior virtus est, tametsi infusa, eo maiorem requirit præparationem & dispositionem per analogiam ad virtutes acquisitas. Quare iure Pàtres, præsertim Augustinus, & Thomas, inculcant, a caritate inchoata & imperfecta ad provectam perfectamque fieri transitum. Hinc colliges obvium sensum illius axiomatis, *Ex attrito fit contritus*; idest, attritus dolore, qui ex caritate imperfecta prodiit, fit contritus suscepto sacramento, in quo caritas perfecta infunditur. Duæ istæ caritates gradu & statu, non natura differunt. Idcirco transitus iste optime intelligitur. Adversarii naturæ ordinem invertunt, & conturbant: ex concupiscentia oriri amicitiam ipsi volunt. Differre specie propugnant attritionem, & contritionem: quia illam ex amore concupiscentiæ, hanc ex amore amicitiæ manare fatentur. Ergo iuxta ipsos hoc axioma, *Ex attrito fit contritus*, hunc prodit sensum: amor concupiscentiæ parit amorem amicitiæ: una species alteram generat, iustitia castitatem parit, & paupertas liberalitatem. Quod si hoc & in naturalibus, & in virtutibus acquisitis rerum ordinem invertit; idem, proportione servata, in virtutibus infusis evenire censendum est.

IV. Theologi nostri amorem initialem erga Deum ab ipso caritatis nascentis primordio, quemadmodum medium diem ab auroræ exorientis crepusculo repetunt. Et sicut dies plena a die nascente specie non differt; ita eadem est caritatis initialis, proficientis, & provectæ natura: quia idem omnino est utriusque obiectum, nempe Deus appretiative supra omnia propter se dilectus. At quomodo, inquies, fieri potest ut hic amor sit appretiative summus, unaque initialis? Ecce. Amor iste Deum spectat. Deus natura sua non amari modo, sed amari etiam super omnia debet. Amor itaque qui Deum propter se dilectum spectat, obiective summus sit oportet: quia obiectum natura sua summe & super omnia di-

diligi postulat. Si enim summus obiective non esset, Deum summe diligendum non respiceret: consequenter non magis Dei amor initialis dici posset quam tenebræ appellari lucis primordia valeant. Initialis autem & gradu remissus est ex imbecillitate voluntatis. Et hanc doctrinam communi Theologorum consensu respectu omnium aliarum virtutum confirmavi supra *cap. v. §. 1.* Vide ibidem dicta. His præmissis, ad id quod proposui, accedo.

V. D. Honoratus *Turnely*, inter adversæ sententiæ patronos Theologus præstantissimus, *quæst. v. art. 3.* advertit, id quod iam innui, Theologos pugnantes pro attritione servili non potuisse excludere amorem concupiscentiæ; cum Tridentinum apertissime definiat, dolorem attritionis iunctum esse debere cum *spe veniæ*. Idque verum habet. At non minus verum est, ingentem Casuistarum multitudinem amorem hunc alto obvolvere silentio, attritionemque ex *solo timore gehennæ & pœnarum* unice inculcare. Unde necessario consequitur, hanc magnam Auctorum multitudinem male infeliciterque suam orasse caussam; atque adeo omnes istos nullius auctoritatis esse in hac controversia. Quod idcirco commemoro, ne adversarii in multitudine Casuistarum glorientur, & ex hac multitudine commentitiam moralem certitudinem suæ opinationi asciscant, ut incaute, & contra ius faciunt.

VI. Præfatus Honoratus Turnely *loc. cit. concl.* 1. suscipit demonstrandum, *attritionem aliquem saltem inchoatum, & initialem amorem Dei includere debere, quo nempe pœnitens diligere incipiat Deum tamquam fontem totius iustitiæ*. Hanc suam thesim evincit his sanctarum Scripturarum oraculis. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua*: Matth. xxii. *Qui non diligit, manet in morte*: Ioan. iii. *Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema*. Plura alia istiusmodi testimonia adducit.

VII. Deinde *concl.* 2. hanc thesim probandam suscipit. *Sufficit ad iustificationem in sacramento pœnitentiæ obtinendam amor qui dicitur SPEI, quo Deus diligitur, quia bonus nobis, nostra beatitudo, finis ultimus*. Hanc suam thesim certam esse asserit ex testimoniis allatis conclusione antecedenti.

VIII. Acutiores ex una parte, & cautiores fuerunt Theologi quorum meminit ipse Turnely, dum profundo silentio amoris necessitatem ad iustificationem in sacramento obtinendam obvolverunt. Præsensere ipsi, testimonia allata a *Turnelio* evidenter imponere caritatis amorem. Idcirco, ne proprio mucrone se iugularent, eiusmodi testimonia Scripturarum non produxerunt ad ostendendam necessitatem amoris. Et dum a Theologis nostris præfata testimonia opponebantur, responderunt, intelligenda illa esse, quando iustificari peccator debet extra sacramentum. Præceptum enim, argutantur illi, caritatis, quod allatis testimoniis exprimitur, nullam habet cum sacramento pœnitentiæ connexionem. Urgebant illa

illa testimonia Hebræos, inquiunt, quando institutum non erat pœnitentiæ sacramentum. Si enim, concludunt illi, in nova lege necessarius esset ad iustificationem in sacramento obtinendam amor Dei, Christus Dominus non *levigasset* iugum suum, sed gravissimo confessionis mandato aggravasset; essentque Christiani peioris conditionis quam Iudæi ipsi. Hoc est istorum Theologorum sistema, falsum utique; sed tamen ad eludendam argumentationem, ex adductis testimoniis erutam, subtiliter excogitatum.

IX. Sed, clamat Turnely, argutatio istorum Theologorum evidenter falsa est, & Concilio Tridentino apertissime repugnat. Quoniam Tridentinum, postquam recensuit actus fidei, & spei, addit, *Deumque tamquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt*. Post hæc verba sic ait *loc. cit. concl.* 1. pag. mihi 130. Cl. Turnelius. *En amor initialis, seu incboatus, & imperfectus, quem Synodus requirit ad iustificationem perinde ac actus fidei, ac spei, quos necessario præreqiri nemo negaverit*. Ergo toto cælo aberrant illi qui amorem Dei initialem necessarium ad obtinendam in sacramento iustificationem negant. Concedo, inquiet, consequentiam, eamque ineluctabilem assero. Ergo universa illa numerosa Casuistarum acies, quæ docet, attritionem solo gehennæ timore conceptam sufficere ad iustificationem in sacramento assequendam, prostrata, ipso perdocto Honorato *Turnely* teste, iacet.

X. Sub examen nunc veniat Turnely doctrina. Hanc assero caritatis primum gravissimumque mandatum penitus evacuare, atque de medio tollere; & *D. Turnely*, cupientem vitare plurium Casuistarum Scyllam, incidisse in Charybdim. Quandoquidem, si Scripturarum testimonia, quæ ex ipso *num. 6.* rescripsi, non continent caritatis mandatum, provoco ut alia divina oracula afferat quæ hoc primum gravissimumque veræ caritatis mandatum contineant, & præcipiant. Si hoc oraculum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, & alia similia quæ affert *Turnely*, caritatem veram non præcipiunt; nullum est in universa sacra Scriptura testimonium quo caritatis mandatum probetur. Et hæc assertio ineluctabilis est.

XI. Non adeo retuso ingenio perdoctus Turnely fuit, ut non prævideret hoc immane absurdum. Idcirco illud declinare studuit his verbis, quæ rescribo, ne quis suspicari, me eidem vel tantillum imponere, valeat. Sic ergo respondet.
„ Scio equidem hæc Scripturæ testimonia, si ad litteram urgeantur, non *imper-*
„ *fectum modo, sed etiam perfectum*, ac veræ caritatis amorem Dei, & conver-
„ sionem peccatoris extra sacramentum exprimere. Verum *illa cum aliqua re-*
„ *strictione, & accommodate ad efficaciam sacramenti pœnitentiæ debent exponi*;
„ ita ut contritio perfecta ex AMORE PERFECTO necessaria sit ad gratiam
„ iustificationis extra sacramentum obtinendam; imperfecta vero EX AMORE

„ DEI

„ DEI NON ITA PERFECTO sufficiat cum sacramento, quod instituit Christus „ in subsidium infirmitatis humanæ. "

XII. Doctrinam hanc admitto ut veram; sed aio, eamdem penitus penitusque evertere systema Turnely, eiusque sententiam funditus labefactare.

XIII. Aut D. Turnely nomine *amoris imperfecti*, quem præcipi laudatis testimoniis fatetur, intelligit amorem inchoatæ & imperfectæ caritatis, aut amorem concupiscentiæ castæ, qui est fundamentum spei. Si primum; victas manus dat, & nostram sententiam propugnat. Si secundum; prorsus evacuat caritatis mandatum, eludit manifesta divina oracula, & omnia principia in hac caussa certissima conturbat, atque pervertit. Probo.

XIV. Fidei dogma est, præfata oracula, *Diliges Dominum Deum* &c. amorem veræ caritatis præcipere. Ergo aut imperfectum, aut perfectum. Non perfectum, ut vult *Turnely*: ergo imperfectum. Nulla hic ad evadendum latebra. Aut negandum, laudata Scripturarum testimonia præcipere amorem veræ caritatis; aut concedendum, ea præcipere actum veræ caritatis perfectæ, vel imperfectæ. Non primum: ergo secundum. Eluctari heinc nullo modo valet.

XV. Alia via hanc doctrinam, quam *Turnely*, & alii iuniores formidolosæ attritionis patroni sequuntur, falsissimam evinco. Sicut tres sunt virtutes theologicæ; ita tria de singulis virtutibus præcepta, & quidem distincta, dantur, quæ distinctos actus præscribunt. Multa sunt Scripturarum testimonia, quæ spei expresse & directe officia imponunt. *Inclinavi cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem*: Psalm. CXVIII. *Quærite primum regnum Dei*: Matth. VI. *Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me*: Psalm. IV. & plura alia obvia sunt, quæ prætereo.

XVI. Concedo, immo iterum iterumque assero, illo ipso mandato, *Diliges Dominum Deum* &c. spei præceptum includi. Si enim tuus est Deus, ut a te possidendum diligere debes. Ideo in iusto spes a caritate inseparabilis est. Sed tum caritatis natura spem formatam antecedit. Quo in casu, si adversarii contendunt in laudatis testimoniis præcipi amorem spei, fateantur oportet, cum primis præcipi caritatis amorem, qui spem formatam præcedit, ut omnes fatentur. Sed de hoc paullo infra contra Quietistas.

XVII. Turnelius, & ceteri adversarii non loquuntur de amore spei formatæ caritate, sed de amore spei informis. Nunc ab ipsis percontor. Quid est iste amor spei? Ut iam ex S. Thoma, & omnibus tum Theologis, tum Philosophis dictum est, duo dumtaxat amores reperiuntur, concupiscentiæ, & amicitiæ. Amor concupiscentiæ spem præcedit. Lubet transcribere doctrinam S. Thomæ ex *quæst.* XXVIII. *de verit. in disput.* ubi pluribus articulis dispositiones exponit quæ iustificationem præcedunt. Porro *art.* 4. hæc docet. *Requiritur ergo quod non so-*

lum intellectus convertatur in Deum (per fidem) *sed affectus. Primus autem motus affectus in aliquid est motus amoris . . . Qui quidem motus in desiderio includitur, sicut causa in effectu. Desideratur enim aliquid quasi amatum. Ipsa vero spes desiderium quoddam importat cum quadam animi erectione, quasi in quoddam arduum tendens. Sicuti ergo simul est motus cognitionis cum motu amoris; ita motus amoris cum motu spei, vel desiderii. Sicut enim apprehensum movet amorem; ita AMOR MOVET DESIDERIUM, SEU SPEM.* Primum ergo fides illuminat intellectum impii. Hæc excitat amorem castæ concupiscentiæ. Hic amor movet ad desiderium seu spem. Doctrinam istam, ut supra ex Suarez, & Tannero adnotavi, Theologorum nemo hactenus negavit, aut negare iure valet, nisi omnia istius controversiæ principia conturbet.

XVIII. Edisserat nunc *D. Turnely*, & ceteri adversarii omnes, quid sit iste amor initialis spei, quem obtrudunt. Spes non est amor, immo ad appetitum non concupiscibilem, sed irascibilem attinet; ut omnes fatentur cum S. Thoma, qui 1. 2. *quæst.* xl. *art.* 1. inquit: *Et per hoc differt spes a desiderio, vel cupiditate, quæ est de bono futuro absolute, unde pertinet ad concupiscibilem, SPES AUTEM AD IRASCIBILEM . . . Ergo patet quod spes differt a desiderio, sicut differunt passiones irascibilis a passionibus concupiscibilis. Et propter hoc spes PRAESUPPONIT DESIDERIUM; sicut & omnes passiones irascibilis præsupponunt passiones concupiscibilis, ut supra dictum est* (quæst. xxv. art. 1.) ubi reipsa ostendit, passionem concupiscibilis antecedere passionem irascibilis, additque; *Spes enim supra desiderium addit quemdam conatum, & quamdam elevationem animi ad consequendum bonum arduum.*

XIX. Nonne heinc evidens est, *Turnelium*, ceterosque adversarios, obtrudentes amorem spei pro dispositione ad sacramentum pœnitentiæ, falli, & fallere, & fucum manifestum facere imperitis? Spes quippe motus est appetitus irascibilis, seu conatus & animi erectio, qua homo sperans ardua aggreditur. Spes igitur ipsa amor non est; sed & amorem concupiscentiæ, & desiderium præsupponit. Quare sapienter Augustinus in *Enchirid. cap.* VIII. inquit: *Spes sine amore esse non potest.* Nec enim animus conari, in arduum ferri, devincere obstacula, illudque aggredi posset, nisi amor concupiscentiæ erga illud bonum, impelleret animum ad talem conatum & impetum.

XX. Pervertunt itaque adversarii omnia huiusce caussæ principia, dum pro dispositione ad sacramentum pœnitentiæ spei amorem obtrudunt. Nam amor spei necessarius est ad ipsam spem, quæ sine præcedente amore concupiscentiæ concipi nullo modo potest. Dum ergo dicunt, necessarium esse ad iustificationem amorem spei, non aliud inferunt, nisi spem, sicuti & fidem, præcedere iustificationem debere; quod nemo Catholicorum negare potest. Nec adversarii advertunt, in quæ se absurda coniiciant.

XXI.

XXI. Accedit quod *D. Honoratus Turnely* ſua interpretatione deſcripta non modo caritatis, ſed ſpei quoque præceptum abrogat evacuatque. In his teſtimoniis, *Diliges Dominum Deum tuum* &c. *Qui non diligit* &c. amorem imperfectum efficacitati ſacramenti accommodatum præſcribi, aſſerit ille. Quem amorem initialem, ſeu imperfectum, non caritatis, ſed ſpei eſſe contendit, Porro, ut diximus, S. Thomas, cui ſubſcribunt ceteri Theologi, docet, ſpem eſſe motum animi efficacem & prævalidum. Ergo & deſiderium, ſive amor concupiſcentiæ, cui ſpes hæret, & quem præſupponit, efficax & ardens ſit neceſſum eſt. Alioquin, ſi amor concupiſcentiæ, qui veluti fundamentum ſpei præcedit, initialis, & languidus eſt, ſpes quoque, quæ ſuccedit, languida & inefficax erit. Præterea *D. Turnelius* docet, amorem præſcriptum in laudatis teſtimoniis eſſe initialem & imperfectum, non caritatis, ſed ſpei. Ergo amor iſte initialis & imperfectus ad amorem perfectum ſpei, non ad amorem caritatis perfectæ viam directe parat. Nam ſicut actus imperfectus iuſtitiæ, non ad actum perfectum caſtitatis, ſed ad actum perfectum iuſtitiæ immediate & directe diſponit; licet una virtus indirecte plus minuſve iuxta maiorem aut minorem connexionem diſponat ad alteram: ita amor imperfectus & initialis concupiſcentiæ ſpem præcedens, ad actum perfectum amoris concupiſcentiæ, qui dicitur amor ſpei, quia ſpes eidem hæret, illumque præſupponit, viam parat. Numquid initium amoris concupiſcentiæ eſt initium amoris amicitiæ? Numquid initium iuſtitiæ eſt initium caſtitatis? Fateor, intimam eſſe ſpem inter & caritatem coniunctionem, & quidem talem, ut in iuſto una ab altera non ſeparetur. Nihilominus duæ theologicæ virtutes ſunt ſpecie diverſæ, quæ ſub diverſa formali ratione eumdem Deum reſpiciunt; & una ſine altera in peccatore reperitur. Et in præſens notiones utriuſque virtutis expendimus. Licet igitur omnes tres virtutes theologicæ Deum reſpiciant, fides ſub ratione veri, ſpes ſub ratione boni ardui, ſibique futuri, & caritas ſub ratione boni propter ſe dilecti, habeantque reciprocam confœderationem; tamen duæ primæ conſiſtere ſeparatæ ſine tertia in peccatore valent. Debent ergo habere ea omnia quæ neceſſaria ſunt ad propriam ſpeciem; & initium unius virtutis directe & proxime ad perfectionem eiuſdem, non alterius virtutis diſponit, ut toties dictum eſt.

XXII. Tandem *D. Turnely* cum ſuis aſſeclis manifeſte pervertit ſenſum Concilii Tridentini, ut evidenter iam ſupra oſtenſum eſt, & obiter nunc revocamus in memoriam: in cauſſa enim graviſſima alicui repetitioni & prolixitati danda venia eſt. Concilium *cit. ſeſſ.* VI. *cap.* VI. inquit: *Diſponuntur autem ad ipſam iuſtitiam . . . fidem ex auditu concipientes . . . In ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi per Chriſtum propitium fore*, En totum officium ſpei pleniſſime explicatum. Quid ſuccedit? *Illumque tamquam omnis iuſtitiæ fontem diligere incipiunt*: ideſt, iuxta

iuxta adversarios, *sperare incipiunt*, *confidere incipiunt*, *Deum desiderare*, *Deum concupiscere sibi incipiunt*. Repetit ergo sacrosanctum Concilium superflua verborum farragine in hoc ultimo membro quod perspicue in priori explicuerat. An ista non sunt luculentissima paradoxa? An hæc non sunt chimærica interpretamenta? An hoc non est deridendum hæreticis propinare sacrosancti Concilii Tridentini decretum? Quid quod Concilium hanc eamdem suam doctrinam repetit, & fortius confirmat, eamque in *canonem* redigit? Etenim *can.* III. inquit: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem CREDERE, SPERARE, DILIGERE, AUT POENITERE POSSE, SICUT OPORTET, ut ei iustificationis gratia conferatur; anathema sit*. Adeo luculentus est canon iste & decretorius, ut ad eiusdem conspectum corruant, atque in fumum abeant omnia adversariorum commenta. Hominem *credere*, *sperare*, *& diligere*. *Tò diligere* quid significat? *Sperare*, seu amorem spei, inquiunt adversarii. Peregregie. Quid significat *tò credere?* Fidem theologicam. Quid est actus fidei theologicæ? Est assensus supernaturalis firmus & certus omnem excludens dubitationem, datus rebus a Deo revelatis propter Dei revelantis auctoritatem. Concilium ergo in hoc verbo *credere* includit ea omnia quæ necessaria sunt ad verum formalem assensum fidei theologicæ. Perge porro. Quid perhibet *tò sperare?* Spem virtutem theologicam. Quid est spes theologica? Est virtus supernaturalis, qua voluntas sperat æternam beatitudinem Dei auxilio obtinendam. Porro, ut vidimus ex Angelico supra *num.* 14. sicut bonum apprehensum per fidem excitat amorem concupiscentiæ; ita *amor movet spem*, & hoc præcedente amore animus erigitur ad arduum consequendum Dei auxilio nixus. Quemadmodum itaque Concilium in verbo *credere* comprehendit ea omnia quæ requiruntur ad actum fidei theologicæ; ita in verbo *sperare* includit quæ necessaria sunt ad actum spei theologicæ. Ut autem quis speret, primum præcedat fides oportet, quam consequitur amor concupiscentiæ, qui amor movet ad spem. Ergo Concilium in verbo *sperare* includit amorem concupiscentiæ necessarium ad spem. Dum itaque Concilium post *credere*, & *sperare* adiicit *DILIGERE*, hæc dilectio non ad spem, sed ad caritatem attinet. Ergo adversarii, negantes dilectionem caritatis necessario requiri ad iustificationem consequendam, pervertunt, eludunt, conturbant & decretum, & canonem Concilii Tridentini, theologicarum virtutum naturas, & notiones adulterant, confundunt, & prima istius caussæ principia suffodiunt. Concilium post duas virtutes theologicas adiungit tertiam, nomine *dilectionis* expressam, quia caritas, amor, dilectio, benevolentia, amicitia est: & adversarii ad hanc caritatis, seu dilectionis vocem commoventur, clamant, eam reformidant, illam ad peccatorem iustificandum necessariam nolunt.

XXIII.

XXIII. Quo severius expendo adversariorum doctrinam, eo illam deprehendo Scripturarum, Patrum, Conciliorum canonibus, & ipsi communi sensui repugnantiorem. Nobiscum illi fatentur, dolori ad iustificationem in sacramento pœnitentiæ obtinendam necessario coniungendos esse fidei & spei motus. Deinde caritatem, quæ est trium virtutum maxima, excludunt? Iustificatio impii est maximum opus Dei, inquit S. Thomas: & in tantæ molis negotio caritas habere nullas partes debet? Sola caritate de peccatis dolemus propter Deum offensum: caritas est quæ operit multitudinem peccatorum: caritas, quæ ceterarum virtutum forma est, & sine qua nulla vera & perfecta virtus consistere valet: caritas, sine qua martyrium ipsum, teste Paulo Apostolo *I. Cor.* XIII. prodesse ad salutem non potest: caritas, quæ sola directe cum mundi & creaturarum amore pugnat: caritas, sine qua debite animus noster, ut inquit Angelicus, converti nequit: caritas hæc, inquam, a summo gravissimoque iustificationis nostræ negotio reiicienda est tamquam non necessaria? Hoccine christianæ Philosophiæ rectum ratiocinium?

XXIV. Plura in confirmationem eorum quæ dixi, ex Cardinali Pallavicino referre possem, quæ rem conficiunt, confirmantque prostratam omnino esse adversariorum caussam. Pauca obiter indico. Eminentissimus Historicus *Lib. VIII. cap.* XIII. inter alia plura hæc scribit. „ Quod attinet ad id quod dicitur de di-
„ lectione Dei (cap. VI. sess. VI.) advertendum est, per tenorem decreti prius
„ delineati nullam fieri dilectionis mentionem; sed Salvatorem Alipium Archi-
„ episcopum Turritanum, Claudium Saium Societatis Iesu, Lipomanum Vero-
„ nensis adiutorem, & Pium Franciscanorum Præsidem admonuisse, ut aliquis
„ *caritatis actus insereretur*; cumque id ad omnium Patrum iudicium relatum
„ fuerit cum aliis præcipuis notis, ut indicavimus, viginti tres ex ipsis diserte
„ comprobasse, adeoque INSERTUM DECRETO, sed postea aliis haud proba-
„ tum, verum a Theologis strenue propugnatum, & per hæc verba retentum.
„ *Non est sermo eo loco de HABITU CARITATIS; sed cum in particula quæ lo-*
„ *quitur de pœnitentia, nulla fiat mentio AMORIS, visum est cum FIDE, ET SPE*
„ *IUNGERE ALIQUEM DILECTIONIS ACTUM: quia si pœnitentia tota esset*
„ *ex timore sine amore iustitiæ, & dolor esset propter pœnam tantum, non pro-*
„ *pter DEI OFFENSAM, infructuosa esset.* Deinde ad *cap.* VII. eiusdem sess. subdit *cap.* XIV. Purpuratus Historicus, quod *quibusdam pariter animadverten-*
„ *tibus caritatem superiori capite* (sexto) *memoratam recenseri sub illius ini-*
„ *tium inter ea quæ præparant animum ad iustitiam suscipiendam; postea ve-*
„ *ro tamquam ipsius iustitiæ formam poni: responderunt decreti formatores, in*
„ *primo loco* (nempe cap. VI. sess. VI.) *sermonem esse de QUODAM ACTU*
„ *CARITATIS, cum insit aliqua dilectio in homine, non quidem obtinente,*

„ *sed exoptante iustitiam . At in secundo* (idest cap. VII. eiusdem sess.) *SIGNI-*
„ *FICARI HABITUM CARITATIS.*

XXV. Prætereo plura alia brevitatis studio . Heinc colligant, & aliquo sensu tangantur (utinam ad resipiscentiam , & veritatis cognitionem) adversarii illi qui negant in antiquis Theologis reperiri distinctionem caritatis perfectæ, & imperfectæ, iustificantis, & non iustificantis. Quid frequentius in Augustino , Thoma, atque adeo in gravioribus Theologis , quam caritas inchoata , provecta, & magna ? Sed mittamus Auctores , quibus familiare est in fide Casuistarum scribere, eorumque cogitationes transcribere .

XXVI. Notionem, & prærogativas evangelicæ caritatis paucis adversus Quietistas perstringo . Vita cordis amor, & Christianorum perfectio cariras est. Quo ardentior est caritatis amor, eo sanctiores hominum mores sunt . Amoris obiectum bonum, non quodcumque, sed possidendum a nobis . Bonum quod nullam ad nos relationem prodit , invidiam sæpe , non amorem excitat . Præclare 2. 2. *quæst.* XXVI. *art.* 13. *ad* 3. docet S. Thomas . *Unicuique erit Deus tota ratio diligendi , eo quod Deus est totum hominis bonum . Dato enim per impossibile quod Deus non esset hominis bonum, non esset ei ratio diligendi* . Deus principium , & finis est omnium creaturarum, quæ, dum a Deo recedunt , veluti lineæ a centro, per abrupta divagantur . Tanta est humani cordis amplitudo , ut explere eam & saturare solum infinita bonitas , quæ Deus est, queat . *Cur ergo* (inquit Angelicus opusc. LXI.) *per multa vagaris homuncio ? Ama bonum in quo sunt omnia bona , & sufficit* . Caritatis amor benevolentia est , qua , ait Angelicus in III. dist. XXIX. quæst. I. art. 3. *si posset Deo aliquid crescere , homo ex caritate plura faceret ad augendam Dei beatitudinem quam suam* . Non modo caritatis amor benevolentia , sed perfecta quoque amicitia est . *Amicorum omnia sunt communia* : quæ communicatio caritati potissimum convenit . *Deus caritas est , & qui manet in caritate , in Deo manet , & Deus in eo* : Ioan. Epist. I. cap. IV. Quemadmodum Deus in ordine naturæ bonorum naturalium distributione, ita in altiori gratiæ ordine, donorum supernaturalium effusione, & tandem in Empyreo intima unione beatis spiritibus seipsum communicat.

XXVII. Caritas ergo amorem , amicitiam, & benevolentiam præfert. Notiones istas Theologi sigillatim considerant, & aliquando unam susius altera exponunt. Dum amicitiæ ideam depingunt , solam infinitam Dei bonitatem amandam propter seipsam , absque ullo respectu ad commodum & utilitatem amantis asserunt . Quando vero amoris indolem delineant, animadvertunt, voluntatem humanam in Deum tamquam in summum bonum suum ita ferri , ut nisi Deus summum bonum hominis esset, rationem in Deo homo non inveniret qua illum amare posset; ut ex S. Thoma iam indicavi.

XXVIII.

XXVIII. Error Quietistarum in hoc situs est, quod has duas notiones, relationesque in caritate separent, veluti mutuo pugnantes. Commenti sunt, amorem quem *purum* vocant, omnem respectum & ordinem ad amantis felicitatem & commodum excludere; &, ut *interessatum*, amorem hunc & imperfectione mixtum improbant. Sed hoc manifestum delirium, & dementiam innumeri, & praeclari Theologi patefecerunt. Quoniam licet praefatae notiones mente nostra distinguantur, ita tamen connexae sunt atque coniunctae, ut a caritate inseparabiles sint; immo reciptoca societate, mutuoque fervore se se fovent, & alunt. Siquidem quo ferventiore amore homo prosequitur infinitam Dei bonitatem, eo ardentius fertur in eiusdem possessionem. Spes sine caritate in peccatoribus reperiri valet, vocaturque spes informis, Deumque, ut sibi bonum tantum, spectat: caritas tamen sine spe consistere nequit, sed eam inseparabilem habet, eam animat; quemadmodum ceteras virtutes omnes dirigit, erigit, roboratque. *Caritas* (inquit S. Thomas in III. dist. xxix. quaest. 1. art. 4.) *non solum non excludit* (respectum ad beatitudinem) *sed etiam facit habere oculum ad beatitudinem*. Distinguenda igitur est spes informis peccatoris, quae in solo concupiscentiae amore fundatur, a spe iusti, quae amore amicitiae ardet, resplendet, & sub reginae caritatis imperio, & consilio in ultimo felicitatis aeternae centro conquiescere suspirat. Delirium est Quietistarum, desiderium & spem beatitudinis, divini amoris puritatem inficere & inquinare. Caritas regina est virtutum omnium, quae ab eadem splendorem recipiunt, & perfectionem. Sub eiusdem regimine diriguntur, & cum inter ceteras spes sit ei propinquior, haec potissimum ab illa inflammatur ad Dei possessionem comparandam. Plura dicenda occurrerent contra monstrosum Quietistarum commentum; sed transilirem instituti mei confinia.

§. II.

Diluuntur adversariorum obiecta.

I. ARgumenta omnia adversariorum ab auctoritate Concilii Tridentini; ab efficacia timoris servilis iam supra diluta sunt: nec opus est ut iterum eadem ad incudem revocemus. Sunt enim penitus contrita: & hodie vel ipsi inter adversarios doctiores, tandem evidentia facti convicti, sincere fatentur, Concilium Tridentinum nihil definiisse in favorem attritionis formidolosae.

II. OBIECTIO CELEBRIS, ET fere UNICA, quae ab adversariis proponitur; contraria Scripturis, Concilio Tridentino, eiusdem Concilii Catechismo, Patribus, gravioribus Theologis, ipsique communi sensui ostenditur. Haec omnia ex iis quae dicta

dicta sunt, manifeste patent; tamen, ut summi momenti veritas magis resplendeat, operæ pretium existimo, denuo principium, cui unice adversarii suam fidunt caussam, falsitatis manifestæ revincere.

III. Hoc itaque pacto argumentantur adversarii. Dolor qui requiritur ad sacramentum pœnitentiæ, disponere, non destruere sacramenti efficaciam debet. Sed dolor contritionis, caritate etiam imperfecta formatæ, destruit sacramenti pœnitentiæ efficaciam. Ergo esse non potest ad hoc sacramentum dispositio. Probo minorem. Dolor contritionis seipso delet omnia peccata: ergo destruit efficaciam sacramenti. Probatur antecedens. Contritio ex amore ultimi finis super omnia, & propter se dilecti pugnat cum omni, & quolibet peccato. Hanc propositionem adversarii, præsertim Salmanticenses Scholastici *Tom. XII. tract.* XXIV. *disp.* VII. *dub.* I. *§.* 2. *num.* 11. tamquam principium extra disputationis aleam positum intrepide obtrudunt. Consequentiam vero sic evincunt. Ad essentiam sacramenti pœnitentiæ attinet quod sin minus actu, saltem potestate valeat producere gratiam & iustificationem. Quod probant auctoritate Concilii Tridentini *sess.* VII. ubi hæc habentur. *Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre; anathema sit.* Confirmatur, inquiunt. Hoc sacramentum institutum est per modum medicinæ contra morbum peccati: est enim sacramentum mortuorum, quod resuscitat pœnitentem a morte peccati ad vitam gratiæ. Hoc est argumentum, quod adversarii magni faciunt, & cui suam fidunt caussam; illudque prolixa verborum copia urgent Salmanticenses laudati maiori quo valent scholastico acumine.

IV. Nihil magis formidolosæ attritionis opinionem falsam patefacit quam argumentationis factæ imbecillitas. Antequam eidem recta occurram, pauca præfari mihi liceat. Nolunt ergo adversarii, caritatem ad iustificationem obtinendam necessariam esse: quia caritas quæcumque, etiam imperfecta, nimium est operatrix, & actuosa. Suspecta ergo caritas in hoc negotio ideo est, quia timetur ne opus istud acceleret, & sacramentum pœnitentiæ in nihilum redigat? Non modo igitur peccatores hortandi non sunt ad Deum, dum confiteri scelera sua volunt, amandum; sed moneri e contrario magis debent, ut quam strenue valent, sibi ab amando propter seipsum Deo caveant, ne dum suæ saluti consulere securius volunt, sacramentum Christi in nihilum redigant? O inauditum argumentandi genus, ne dicam monstrosum paradoxon! Quid, inquient, Declamatorem agis? Consulimus contritionem, etiam perfectissimam, nedum perfectam; sed illius necessitatem inficiamur. Consulitis ergo ut Christi sacramentum destruatur? Falleris. Dum necessitatem caritatis negamus, sacramenti efficaciam defendimus: sat enim est ut sacramentum natura sua aptum sit iustificare impium; licet illum reipsa non iustificet, dum caritatis efficacitate iustificatum invenit. Recte, & belle. At

omnes

omnes & catecheses, & christianæ doctrinæ, & Concionatores, & Confessarii hortantur impios ut ferventiorem quam possunt contritionem, & caritatem concipiant. Hortantur ergo ut ad exterminandum Christi sacramentum conspirent. Finge, votis & adhortationibus Confessariorum respondere eventum, nempe impios reipsa omnes caritate saltem imperfecta, antequam confiteantur, ardere. Actum tum est de Christi sacramento: in nihilum tum occidit. Consequentia falsa est: quia etiam tum sacramentum est aptum producere gratiam sanctificantem; tametsi non producat, non defectu sui, sed ob caritatis efficaciam prævenientem. Huc ergo tandem se recipiunt, ut dignitatem, & efficaciam sacramenti in sola potestate, & aptitudine ad remittenda peccata constituant. Hæc ne doctrina in tuto collocat adversus novatores clavium potestatem? Hæc ne responsio impedit ne ad extirpandam vim, & efficacitatem sacramenti pœnitentiæ conspirent & catecheses, & doctrinæ christianæ, & Dei ministri, dum inflammare ad Deum amandum student pœnitentes, antequam confiteantur? Nec est quod reponas, optandum etiam esse ut pœnitentes perfectissima contritione ferveant, quæ iuxta nos quoque seipsa iustificat; nec propterea sacramenti destructio desideratur. Vanissima est argutatio isthæc contra sententiam nostram. Quoniam numquam nobis tantum venit in mentem commentum, quod Dei caritas etiam ardentissima Christi sacramento venefica sit, illudque destruat. Nos clavium potestatem perficere contritionem asserimus, quia est materia sacramenti, & absolutionis. Extra sacramentum vero, si perfecta sit, & vehementissima, iustificare illam dicimus impium voto sacramenti adiecto. Hac via nos dignitatem, excellentiam, & efficacitatem sacramenti propugnamus, ut mox clarius explicabo. Adversariis autem relinquimus novum illud, & antiquitati sacræ inauditum paradoxon, quod amor Dei evertat, ac destruat Christi sacramentum.

V. Edisserant nobis eruditi adversarii, an per XIII. sæcula in aliquo sanctorum Patrum repererint hanc doctrinam, qua asserunt contritionem evertere, & destruere sacramentum pœnitentiæ. Nonne istiusmodi doctrinæ novitas eiusdem falsitatem evincit? His paucis prælibatis obiectioni directe occurro, illamque nullo negotio diluo.

VI. Dico igitur, dolorem requisitum ad sacramentum debere ad illud disponere, minime vero illud destruere. Non modo nego, dolorem ex amore Dei initiali, seu ex caritate imperfecta conceptum gratiam habitualem & iustificationem ante sacramentum producere; sed miror etiam ab adversariis id opponi quasi ut principium certum; cum sit purum putumque commentum scholasticum hac ultima ætate invectum, commentum universæ antiquitati incognitum, Concilio Tridentino, eiusdem Catechismo, & omnium Patrum doctrinæ adversum. Dico itaque, sacramentum pœnitentiæ esse sacramentum mortuorum, & per modum me-

medicinæ purgantis ac sanantis institutum esse. Dico, producere primam gratiam habitualem vivificantem, quæ diffunditur per Spiritum inhabitantem illis qui habent gratiam actualem seu vivificantem illam initialem quæ excitatur per Spiritum sanctum moventem : sine qua gratia, & initiali amore nemo potest credere, sperare, & diligere, pœnitentiam agere, sicut oportet ad hoc ut iustificationis gratiam consequatur. Quid hiscere adversarii valent?

VII. Obiiciunt 2. seu sub alio aspectu præfatum argumentum opponunt. Sacræ Litteræ caritati absolute acceptæ, nulla facta caritatem prævalidam inter & remissam, perfectam & imperfectam distinctione, iustificationem tribuunt. Nam *Prov.* VIII. dicitur : *Ego diligentes me diligo*. Item Ioan. XIV. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo : & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum*. Rursus Rom. XIII. *Plenitudo legis est dilectio*. Iterum Ioan. I. cap. IV. *Omnis qui diligit ex Deo natus est*. Tandem I. Petri cap. IV. *Caritas operit multitudinem peccatorum*. Adducere etiam in confirmationem solent aliqua truncata Patrum testimonia, quæ supra iam interpretati sumus.

VIII. Resp. Ut non minus istius quam prioris argutationis falsitas pateat, in memoriam reduco quod supra latius iudicavi, nempe S. Raymundum, S. Bonaventuram, Innocentium III. Rupertum, Tostatum, aliosque plurimos, quorum testimonia referunt Launoius, Morinus, Le Drou, Vitasses, & alii, propugnasse necessitatem perfectæ contritionis ad sacramentum pœnitentiæ rite suscipiendum, quorum sententia nec ab Ecclesia umquam fuit proscripta, nec in Concilio Tridentino discussa, aliqua censura notata fuit, ut testantur eiusdem Concilii Theologi, præsertim Andreas Vega *Lib. XIII. cap.* XXXIII. Plura adduci solent in huius doctrinæ defensionem & confirmationem argumenta, quæ prætereo. Quæ ideo in mentem revoco, ut heinc adversarii colligant, quam infirma sit illorum argumentatio, quæ neque præfatam opinionem profligat. Ceterum falsam eiusmodi opinionem, ut alias dixi, cum communi hodie Theologorum consensu iudico.

IX. Ad obiectionem respondeo, divinæ Scripturæ testimonia iuxta traditionis, & SS. Patrum regulas intelligenda, & exponenda esse. Ut autem pateat obiectionis infirmitas, expende hæc alia divinæ Scripturæ testimonia. Paulus *Epist. ad Rom. cap.* III. inquit : *Arbitramur hominem iustificari per fidem*. Item cap. VIII. *Spe salvi facti sumus*. Rursus Eccl. I. *Timor Domini expellit peccatum*. Insuper Ioan. VI. *Qui credit in me, vitam æternam habebit*. Nulla in his testimoniis fidei actualis vel habitualis, informis aut formatæ mentio. Nulla timoris servilis, aut filialis, nulla spei actus, vel habitus distinctio. Quid heinc adversarii colligent? Numquid dicturi sunt, omnem timorem etiam servilem expellere peccatum? Omnem fidem, omnem spem actualem informem, imperfectam, impium iustificare? Absit. Cur? Quia aliis Scripturæ, & traditionis documentis constat præter fidem,

fidem, spem, vel timorem, alia requiri ad iustificationem obtinendam. Similiter dicimus, caritatem habitualem, aut actualem perfectam vehementemque iustificare; actualem vero imperfectam non iustificationem inducere, sed ad iustificationem cum sacramento obtinendam disponere. Quid habent quod reponant? Praeterquam quod in adducto testimonio ex Proverbiis sermo est de sapientia, quam oscitantes & inertes non indipiscuntur; sed illi dumtaxat qui eius amore & desiderio flagrant. Ioannes *cap.* XIV. iustis in dilectione perseverantibus aeternae gloriae praemium promittit, ut ex integro textu constat. Paulus *ad Rom.* III. ad caritatem referenda omnia legis praecepta docet. Petrus, & Ioannes in laudatis epistolis ad proximi amorem inflammant: quia caritas filiorum Dei praerogativa & nota est. Et qui diligunt, habent in se vitam & spiritum Dei, inhabitantem quidem, si caritate habituali, aut actuali incensa & perfecta ornati sint; moventem vero, si actu imperfecto & initiali ament. Sunt enim, ut fusius supra dictum est, in iustitia, & in vita spirituali secernendi motus, gradus, actus, qui auxilio gratiae actualis, & Spiritu sancto movente excitantur, quibusque homo sese ad gratiam habitualem disponit, a forma iustitiae, quae per gratiam habitualem, & Spiritum sanctum inhabitantem infunditur. Datur in vita spirituali; & in maximo iustificationis opere initium, progressus, magnitudo, & perfectio, iustitia inchoata, provecta, magna, & perfecta, ut Augustinus *Lib. de nat. & grat. cap. ult.* inquit: *Caritas incohata, incohata iustitia est: caritas provecta, provecta iustitia est: caritas magna, magna iustitia est: caritas perfecta, perfecta iustitia est.* Quare iure proscriptae fuere Baianae propositiones 62. & 63. quod negarent huius duplicis iustitiae, & duplicis vivificationis distinctionem: & ceterae aliae, quas supra transcripsi, quia non distinguebant caritatem initialem ab habituali, perfectam ab imperfecta. Verum de hoc plusquam satis.

X. Opponunt 3. S. Thomas *III. Part. quaest.* LXX. *art.* 4. haec docet. *Minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiae, & vitare omne peccatum mortale, quod committitur in transgressione mandatorum legis: MINIMA ENIM CARITAS plus diligit Deum quam cupiditas millia auri & argenti.*

XI. Resp. Hoc testimonium aut crassa oscitantia, aut non bona fide obtruditur. In laudata quaestione, & quidem integra, de circumcisione, quae baptismum portendebat, sermonem Angelicus habet. *Art. 4. & ult.* inquirit, *utrum circumcisio conferret gratiam iustificantem.* Porro, ut adversarii, qui transcriptum testimonium obtrudunt, aliquo pudore suffundantur, integram illius articuli corporis doctrinam transcribo. *Dicendum, quod ab omnibus communiter ponitur, quod in circumcisione peccatum originale remittebatur. Quidam tamen dixerunt, quod non conferebatur gratia. sed solum auferebatur peccatum.... Sed hoc non potest esse: quia culpa non remittitur nisi per gratiam, secundum illud Rom.* III. Iustificati gratis per gratiam &c.

Et

Et ideo alii dixerunt, quod per circumcisionem conferebatur gratia, quantum ad effectus remotivos culpæ, sed non quantum ad effectus positivos: ne cogerentur dicere, quod gratia in circumcisione collata sufficiebat ad implendum mandata legis, & ita superfluus fuerit adventus Christi. Sed hæc etiam positio stare non potest. Primo quidem quia per circumcisionem dabatur pueris facultas suo tempore perveniendi ad gloriam, quæ est ultimus effectus positivus gratiæ. Secundo quia priores sunt naturaliter secundum ordinem causæ formalis effectus positivi quam privativi; licet secundum ordinem causæ materialis sit e converso: forma enim non excludit privationem, nisi informando subiectum.

Et ideo alii dixerunt, quod in circumcisione conferebatur gratia, etiam quantum ad aliquem effectum positivum, qui est facere dignum vita æterna, sed non quantum ad omnes effectus: quia non sufficiebat reprimere concupiscentiam fomitis, nec etiam ad implendum mandata legis: quod etiam aliquando mihi visum est. (IV. dist. 1. quæst. 11. art. 4. quæstiunc. 3.

Sed diligenter consideranti apparet, hoc non esse verum: quia minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, & evitare omne peccatum mortale, quod committitur in transgressione mandatorum legis. Minima enim caritas plus diligit Deum quam cupiditas millia auri, & argenti.

Et ideo dicendum est, quod in circumcisione conferebatur gratia quantum ad omnes gratiæ effectus; aliter tamen quam in baptismo. Nam in baptismo confertur gratia in virtute ipsius baptismi, quam habet, inquantum est instrumentum passionis Christi iam perfectæ; in circumcisione autem conferebatur gratia, non in virtute circumcisionis, sed ex virtute fidei passionis Christi, cuius signum erat circumcisio: ita scilicet quod homo, qui accipiebat circumcisionem, profitebatur se suscipere talem fidem, vel adultus pro se, vel alius pro parvulis. Unde & Apostolus dicit Rom. iv. quod Abraham accepit signum circumcisionis signaculum iustitiæ fidei: *quia scilicet iustitia erat ex fide significata, non ex circumsione iustificante* (al. significante.) *Et quia baptismus operatur instrumentaliter in virtute passionis Christi, non autem circumcisio; ideo baptismus imprimit characterem incorporantem hominem Christo, & copiosiorem gratiam confert quam circumcisio: maior enim est effectus rei iam præsentis quam spei.*

XII. Nonne exploratum compertumque est, S. Thomam hic loqui de gratia sanctificante quæ in baptismo infunditur, atque adeo de caritate habituali? Cur adversarii ex recitati articuli corpore detruncarunt pauca adducta verba? Quia nihil melius in universis S. Thomæ operibus repererunt, quo fucum facere imperitis possent. S. Thomas de iustificatione 1. 2. *quæst.* cxiii. decem articulis, & *III. Part. a quæst.* lxxxiv. usque ad finem de sacramento, & de virtute pœnitentiæ sermonem habet: omnes quæ fere excogitari possunt difficultates perspicue discutit. Et adversarii ex tanta articulorum multitudine nec unicum textum, qui diffi-

difficultatem ingerat, opponere hactenus valuerunt? Ut vero intelligant suam de formidolosa attritione opinionem hostiliter pugnare cum doctrina S. Thomæ, lubet illorum oppositionem potissimam ipsius S. Thomæ verbis referre.

XIII. S. Thomas *III. Part. quæst.* lxxxiv. *art.* 5. quærit, *utrum hoc sacramentum* pœnitentiæ *sit de necessitate salutis*: & sibi hoc argumentum secundo loco opponit. *Præterea Proverb.* x. *dicitur*: Universa delicta operit CARITAS: *& infra cap.* xv. Per misericordiam, & fidem purgantur peccata. *Ergo habendo CARITATEM, & fidem, & misericordiam potest quisque salutem consequi etiam sine pœnitentiæ SACRAMENTO.* En ipsissimum adversariorum argumentum, quo enecatum atque destructum probant ipsi pœnitentiæ sacramentum. Audiamus nunc S. Thomæ responsum.

XIV. *Ad secundum dicendum, quod ex quo aliquis peccatum incurrit, CARITAS, fides, & misericordia NON liberant hominem a peccato sine pœnitentia. Requirit enim CARITAS quod homo DOLEAT DE OFFENSA IN AMICUM COMMISSA, & quod amico studeat satisfacere. Requirit etiam ipsa fides ut per virtutem passionis Christi, quæ in SACRAMENTIS Ecclesiæ operatur, QUÆRAT IUSTIFICARI A PECCATIS. Requirit etiam ipsa misericordia ordinata ut homo subveniat pœnitendo suæ miseriæ, quam per peccatum incurrit, secundum illud Proverb.* xiv. Miseros facit populos peccatum. *Unde Eccli.* xxx. *dicitur*: „ Miserere animæ tuæ „ placens Deo." Quid ad hæc mutire adversarii audent? En ipsorum unicum principium penitus convulsum ab ipso S. Thoma, cuius perpetua doctrina est, actus cuiuscumque virtutis sive acquisitæ, sive infusæ præcedere ipsum habitum. *Nihil probibet* (inquit 2. 2. quæst. cxiii. art. 1. ad 3.) *aliquos multa in bonos usus expendere, & habitum liberalitatis non habere; sicut & aliarum virtutum opera faciunt homines, antequam habitum virtutis habeant.* Consule quæ dicta sunt supra *cap.* v. *§.* 3.

XV. Verum, ut luculentius adhuc eluceat, quam sit ineptum sophisma quod obtrudunt, prolixitati veniam lector dabit, si illud denuo ex doctrina S. Thomæ refellam. Quærit Angelicus eadem *III. Part. quæst.* lxxxvi. *art.* 6. utrum remissio culpæ sit effectus virtutis pœnitentiæ, quæ virtus ex amore Dei proficiscitur, ut perpetuo Angelicus docet. Respondet autem hoc pacto. *Dicendum, quod pœnitentia est virtus, secundum quod est principium quorumdam actuum humanorum. Actus autem humani, qui sunt ex parte peccatoris, materialiter se habent in sacramento pœnitentiæ. Omne autem sacramentum producit effectum suum non solum virtute formæ, sed etiam virtute materiæ. Ex utroque enim est unum sacramentum ..... Unde sicut remissio culpæ fit in baptismo non solum virtute formæ, sed etiam virtute materiæ, scilicet aquæ, principalius tamen virtute formæ, ex qua & ipsa aqua virtutem recipit; ita etiam remissio culpæ est effectus pœnitentiæ, principalius quidem ex* vir-

virtute clavium, quas habent ministri, ex quorum parte accipitur id quod est formale in hoc sacramento . . . . secundario autem ex vi actuum poenitentis pertinentium ad virtutem poenitentiae; tamen prout hi actus aliqualiter ordinantur ad claves Ecclesiae: Et sic patet quod remissio culpae est effectus poenitentiae secundum quod est virtus, principalius tamen secundum quod est sacramentum.

XVI. Ecce quam perspicue S. Thomas praefocavit omnes adversariorum obiectiunculas. Contritio se habet tamquam materia in sacramento poenitentiae, sicut aqua in sacramento baptismi. Porro sicut forma principalius concurrit ad productionem primae gratiae baptismalis; ita absolutio Sacerdotis principalius efficit iustificationem peccatoris, perficitque ipsam contritionem, quae se habet ut materia istius sacramenti. Tantum ergo abest, contritionem praeiudicium inferre efficacitati sacramenti, ut sine illa consistere sacramentum non valeat; quemadmodum sine aqua perfici baptisma nequit. Compara simul omnia quae in hac dissertatione ex S. Thoma adduxi; & tum evidenter colliges, Thomistarum neminem posse formidolosae attritionis opinionem defendere, nisi nuntium S. Thomae doctrinae remittat.

XVII. Obiiciunt 4. Salmanticenses Scholastici *tract.* XXIV. *disp.* VII. *dub.* I. *§.* 2. *num.* 12. & cum iisdem adversarii ceteri. Inquirimus, an illi duo amores, perfectus, & imperfectus, sint eiusdem, an diversae speciei? Si secundum, inquiunt, vicimus. Nec enim dubitamus posse dari in peccatore aliquem de peccatis dolorem, ortum ex divinae bonitatis, misericordiae, & providentiae erga nos consideratione. Sed talis dolor attritionis metas non excedit. Si primum; redit absurdum quod iam obiectum est, nempe gratiam sanctificantem sociari cum peccato. Quod hac ratione theologica evincunt. Talis amor, cum sit caritatis, hominem a peccato avertit, & convertit in Deum ultimum finem. Hoc enim proprium est sanctificantis gratiae & caritatis. Conversio autem ad ultimum finem componi nequit cum aversione ab ultimo fine. Repugnat quippe hominem actu habere duos ultimos fines. Haec tandem est ultima anchora, cui suam alligant sententiam.

XVIII. Resp. Perspicue respondemus, opinionem illorum qui amorem initialem necessarium ad sacramentum poenitentiae negant esse caritatis, sed alterius virtutis, aut esse quemdam affectum languidum inefficacem, conceptum ex consideratione divinae misericordiae, inter vana commenta amandandam esse. Clare ergo & rotunde dicimus, amorem praefatum esse verae caritatis, quae Deum spectat propter se dilectum. Absque ambiguitate affirmamus, hanc caritatem inchoatam & imperfectam, non natura, non specie, sed gradu dumtaxat & intensione differre. Dicimus hanc caritatem actualem imperfectam avertere hominem a peccato, & convertere hominem in Deum, tamquam in ultimum finem propter se dilectum, *affective*, non *effective*: quae distinctio ab ipso S. Thoma traditur.

XIX.

XIX. Quid produnt hæ voces, *affective*, & *effective* ? Vocabula hæc inventa sunt ad veritatem implicandam, suntque mera effugia ad argumenti vim declinandam. Ita ne vero? Obiectio facta, est merum commentum Scholasticorum plurium arbitrio partum, omni Scripturarum, & antiquitatis fundamento destitutum. Distinctio data est ipsius S. Thomæ, ut ex adductis supra testimoniis constat, estque perspicua & obvia, cuius significatus clarus est & præcisus. Ecce caritas hæc actualis imperfecta excludit omnem affectum peccandi; idcirco dicitur *affectiva*: non abolet peccati maculam; & ideo non dicitur *effectiva*. Convertit impium in Deum *affectu*: quia, cum excludat omnem affectum peccandi propter Deum super omnia dilectum, necessario convertit hominem in Deum tamquam in ultimum finem. Verum quia imperfecta, non efficit culpæ remissionem; & ideo non dicitur *effectiva*. Quid hic implicati, & involuti? Immo quid non perspicuum & pervium? Cedo: nonne attritio formidolosa excludere debet *omnem voluntatem peccandi*, ut sit ad sacramentum sufficiens dispositio? Dubio procul. Excludit omnem affectum erga peccatum?. Ergo necessario consequitur, finem ultimum peccatoris non esse amplius peccatum. Si enim excludit omnem affectum erga peccatum; profecto peccatum non potest esse ultimus finis hominis sic attriti. En quomodo ipsa attritio affective avertit hominem a peccato, admissa nunc disputandi gratia hypothesi, quod attritio ex solo timore concepta excludat omnem voluntatem peccandi: id enim nos manifestis rationibus demonstravimus falsum. Sed adversarii acriter defendunt, vanis quidem ratiunculis, attritionem servilem omnem voluntatem peccandi excludere, ne directe Concilio Tridentino bellum intentent. In eo enim dicitur: *Si voluntatem peccandi excludat*. Hæc igitur formidolosa attritio, excludens omnem affectum peccandi, avertit *affective* hominem attritum a peccato, atque adeo *affective* convertit in Deum. Neque enim homo attritus duos ultimos fines habere actualiter potest, ut ipsi iure & vere clamant inclamantque adversus nos. Quid ad hæc? Negabunt ne attritionem servilem excludere omnem voluntatem peccandi? Absit. Funditus everterent proprium sistema. Ergo peccatum, seu bonum proprium non est finis ultimus hominis attriti. Ergo tunc ultimus finis hominis attriti est Deus. Et ecce quomodo attritio servilis convertit hominem attritum in Deum tamquam in ultimum finem *affective*, quatenus excludit omnem affectum erga creaturam; non autem *effective* in Deum convertit, quia non efficit iustificationem.

XX. Falleris, reponunt acuti adversarii. Attritio expellit utique omnem voluntatem peccandi; at non propterea convertit attritum in Deum; cum non sit dolor ille propter Deum offensum, & super omnia dilectum. Ergo Deum tamquam *omnis iustitiæ fontem diligere non incipiunt*, ut diligendum definit Tridentinum. Sed persequamur sophisticas istorum speculationes. Quis ergo finis ultimus

talis hominis attriti? Non peccatum, seu creatura. Ergo Deus. An pro aliquo temporis momento sine aliquo ultimo fine suspensus attritus homo hærebit? Dum homo attritus recedit a peccato, tamquam a termino a quo, ad quem terminum accedit? Neque enim relinqui *terminus a quo* valet sine acquisitione *termini ad quem*, ut omnes Philosophi fatentur. Edisserant ergo nobis adversarii, quis sit hic *terminus ad quem* convertitur homo attritus? Non est Deus: non est creatura, seu peccatum. Quis ergo? Bonum proprium honestum ut in Deum referendum. Papæ? Audistin' sublimem & solidam Theologiam? Avertitur homo a peccato, & convertitur in bonum proprium, seu in honestatem illius virtutis cui opponitur peccatum. Quam sint lepida commenta isthæc, ex Scriptura luculenter patet. *Convertimini ad ME, ait Dominus exercituum, & convertar ad vos, dicit Dominus*; Zach. I. Item Eccli. XVII. *Convertere ad Dominum, & relinque peccata*. Homines attritione formidolosa correpti relinquunt peccata, excludunt omnem peccandi affectum; at in Deum non se convertunt. O inauditum argumentandi genus! Convertentur, inquies, per sacramentum. Vanissima est, & Scripturæ divinæ repugnans cavillatio. Nam Deus per sacramentum infundendo gratiam habitualem per Spiritum sanctum inhabitantem convertitur ad hominem. Sed iuxta Scripturam sanctam conversio hominis ad Deum præcedere conversionem Dei ad hominem debet. Fateor, præceptum referendi omnia opera nostra in Deum adfirmans esse, & non pro semper urgere, satisque interdum esse operari propter honestatem virtutis, quæ suapte natura in Deum tendit; ut fuse explicui *Tom. I. Lib. I. diss.* IV. *cap.* XIII. At in præsens sermo est de peccatore, qui avertere se a peccato, & in Deum se convertere positive tenetur. Porro cum excludere positive debet homo iste iustificandus affectum erga bonum proprium, ad quod per aversionem a Deo conversus fuerat, consequitur, ut si affectum erga bonum proprium suum ultimum finem expellere velit, debeat necessario se in Deum tamquam in finem ultimum oppositum convertere; cum nequeat vel habere duos ultimos fines actuales, vel aliquo temporis intervallo absque aliquo fine ultimo *actualiter finalizante* hærere suspensus. Sed quo me abripi patior ad insectandas omnes nugas & tricas quas excogitare homines solent ad veritatem implicandam obscurandamque? Hæc redundantiæ gratia dixi, ut patefacerem, ad quas angustias, & sophismata se recipere adversarii debeant; simulque evincerem argumentum de duobus ultimis finibus, quod contra nos obtrudunt, esse ineptissimum sophisma. Siquidem & ipsi propugnare astringuntur, hominem attritum aversum actualiter a peccato esse, & conversum in Deum, quem iuxta Tridentinum incipiat diligere *tamquam omnis iustitiæ fontem*. Quare reipsa Honoratus Turnely, præstantissimus inter adversarios Theologus, *loc. cit. concl.* 2. hominem attritum asserit diligere Deum ut finem ultimum, & ut beatitudinem, & mercedem æter

ternam per amorem ſpei, ſeu caſtæ concupiſcentiæ. Verum ex alio principio hoc Turnelianum commentum profligavi: quia etiam peccator, immo & Iudæus, poteſt diligere Deum ut beatitudinem ſuam, ut mercedem ſuam. Quæ omnia repeto, ut magis conſtet, adverſarios & mutuo inter ſemetipſos pugnare, & ad principia vel evidenter falſa, vel incerta, & ambigua graviſſimum hoc Theologiæ punctum revocare. Regredior in ſemitam.

XXI. Ultro igitur denuo fatemur, amorem initialem, & caritatem inchoatam, neceſſariam ad ſacramentum, eſſe actum veræ caritatis, eiuſdemque naturæ & ſpeciei cum caritate perfecta, idemque ſpecifice obiectum ſpectare; ſolumque differre ex parte voluntatis, ſeu ex graduum, & intenſionis diverſitate. Ergo actus huiuſce caritatis imperfectæ expellit maculam peccati, iuſtificatque impium? Conſequentiam hanc, ut manifeſte falſam & vaniſſimam, reiicimus. Et ut eiuſdem falſitas magis pateat, univerſæ doctrinæ ſpecimen ſub una oculorum acie perſtringo his paucis propoſitionibus.

XXII. PROPOSITIO PRIMA. *Homo attritus, ut ſit ſufficienter diſpoſitus ad ſacramentum pœnitentiæ, excludat neceſſum eſt omnem affectum prædominantem erga peccatum, omnem prævalentem voluntatem peccandi*. Hæc prima propoſitio certa & inconcuſſa eſt apud utriuſque partis Theologos.

XXIII. SECUNDA PROPOSITIO. *Solus amor contrarius prædominans, & prævalidus excludere poteſt affectum prævalidum, & prædominantem erga peccatum, ſive bonum proprium*. Hæc quoque ſecunda propoſitio, niſi primis communis ſenſus ſcintillis renuntietur, certa eſſe debet. Ceterum, ſi cavillari illam adverſarii velint, nihil moramur; cum modo non illorum tricas repellamus, ſed ideam doctrinæ noſtræ delineemus.

XXIV. TERTIA PROPOSITIO. *Amor prædominans, qui excludit, atque exterminat omnem amorem vitioſum prædominantem erga bonum proprium, ſeu peccatum, eſt amor caritatis ſaltem inchoatæ, quæ avertit hominem a creatura, & convertit in Deum, quem diligere incipit tamquam omnis iuſtitiæ fontem, ſuumque ultimum finem.*

XXV. Super hac ſola tertia propoſitione diſputari nos inter & adverſarios poteſt. Illi enim contendunt amorem ſpei, ſeu concupiſcentiæ caſtæ excludere omnem affectum prævalidum & dominantem erga bonum proprium, ſeu peccatum, & convertere hominem attritum in Deum tamquam ultimum finem. Nos e contrario aſſerimus, hanc doctrinam eſſe vanum omnino commentum, &, niſi me omnia fallunt, invictis argumentis demonſtravimus, ſolum amorem veræ caritatis parere hos duos effectus poſſe, nempe excluſionem affectus dominantis erga peccatum, & converſionem in Deum tamquam in ultimum finem.

XXVI. Porro, ut manu veluti tangas, quam ſit ſententia noſtra adverſario-

N ij rum

rum opinatione superior, hæc expendito. Concedunt ipsi, saltem doctiores, & concedere coguntur omnes, hos duos effectus, nempe exclusionem omnis voluntatis peccandi, & conversionem in Deum diligendum tamquam omnis iustitiæ fontem, necessarios omnino esse pro sufficienti dispositione ad sacramentum pœnitentiæ. Ultro quoque concedunt, amorem caritatis inchoatæ hos duos effectus certissime parere. Hæc duo extra controversiam posita sunt.

XXVII. Quid ergo obmurmurant? Quorsum contradicunt? Quid clamitant? Quoniam, inquiunt, caritas hæc, tametsi inchoata, non modo parit præfatos duos effectus, sed ultra insuper pergit, utpote nimium actuosa & operatrix: evertit sacramentum Christi, seipsa attritum hominem iustificat, atque adeo superfluum efficit pœnitentiæ sacramentum. Caritas enim sive perfecta, sive imperfecta, cum ex eodem *formali*, *& specifico motivo* concipiatur, atque Deum propter se super omnia dilectum respiciat, eiusdem naturæ & efficacitatis est. Caritas perfecta iustificat: ergo & imperfecta.

XXVIII. Verum commentum istud, quod Scholastici nonnulli medium circiter sæculum post Tridentinum, ceu fere *canonem*, invexerunt in scholas, nos evidenter supra reiecimus; & iterum, qua facilitate ipsi illud opponunt, eadem nos illud tamquam arbitrarium, directe, & evidentissime oppositum Tridentino Concilio, SS. Patrum, præsertim Augustini, & Thomæ, doctrinæ, vi iusti ratiocinii, ut nobis videtur, & salvo semper meliori iudicio, evidentis, reiicimus, & improbamus.

XXIX. Ut itaque multa in pauca contraham, dico, caritatem actualem imperfectam tollere affectum peccandi; cum repugnet actum amoris Dei & actum peccandi societatem contrahere, simulque permanere. Nego vero hunc Dei amorem inchoatæ caritatis tollere maculam & reatum peccati: idque supra ostensum est Scripturarum, Patrum, Augustini, Thomæ, Theologorum, & Catechismi Tridentini auctoritate. Neque enim rationibus metaphysicis, sed indicatis auctoritatibus effectus iste demonstrari potest. Firmiter ergo inhærendum est Concilii Tridentini doctrinæ fusius per eiusdem Catechismum explicatæ, ubi patenter asseritur, contritionem ita perfectam & incensam, ut maculam peccati deleat, & iustificationem inducat, in *paucissimis* contingere: idcirco clementissimus Christus Dominus pœnitentiæ sacramentum instituit, quod hanc contritionem, quæ eiusdem materia est, perficiat, & sic faciliorem efficiat salutis viam. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*. Paucissimi sine sacramento ita vehementer, & ferventer convertuntur, ut extra sacramentum Deus convertatur ad illos. Quapropter hoc sacramentum instituit, ut facilius hæc mutua societas, hoc suavissimum reciprocæ amicitiæ fœdus ineatur, & firmetur. Hæc omnia obvia, perspicua, & Conciliorum, Patrum, ac graviorum Theologorum doctrinæ consentanea apprime videntur.

§. III.

§. III.

Obiecta ex Appendice ad Concilium Romanum, & ex opere Sapientissimi Pontificis BENEDICTI XIV. *inscripto*, De Synodo diœcesana, *repetita diluuntur: & ex iisdem improbatur praxis attritionis servilis.*

I. IN Appendice ad Concilium Romanum adiectæ sunt instructiones non conciliares, in quibus *Part. III.* hæc habentur. *Il sentimento oggi COMUNE è, che il dolore, o contrizione PERFETTA è buona, ma non necessaria per la confessione: bastando il dolore imperfetto, cioè l'attrizione, o pura già spiegata di sopra, o al più quella che è congiunta con qualche principio di AMOR BENEVOLO VERSO DIO, il che rimane finora indeciso dalla Santa Sede.*

II. Sapientissimus Pontifex BENEDICTUS XIV. feliciter regnans in suo opere inscripto *De Synodo diœcesana Lib. VII. cap.* XIII. selecta eruditione more suo recenset istius controversiæ dissidia. Et principio *num. 6.* hæc docet. *Quamvis ante Tridentinum COMMUNITER Theologi docuerint, ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ obtinendam satis esse contritionem imperfectam, quam iam tum attritionem nuncupabant, attritionis tamen nomine NUMQUAM dolorem intellexerunt de peccatis, aliunde excitatum, quam ex MOTIVO CARITATIS, seu omnino seiunctum ab aliquo saltem remisso, tenui, debili, seu initiali amore benevolo Dei.*

III. Communis ergo Theologorum sententia ante Tridentinum propugnabat necessitatem amoris caritatis saltem inchoatæ ad iustificationem in sacramento obtinendam. Subdit autem Pontifex, Franciscum Victoriam, & Dominicum SOTO omnium primos docuisse attritionem servilem sufficere, dummodo hæc a pœnitente reputetur contritio; deinde Canum hanc opinionem extendisse ad attritionem servilem etiam sic cognitam. Hæc Cani sententia scholas omnes pervasit, & magni nominis patronos invenit, præsertim Suarez, & Vasquez. *Verum qui inter istos doctiores, & sapientiores habentur, pavidi quodammodo & meticulosi, ac magna cum cautela illi RECENTI opinioni subscripserunt, quam ipsemet Canus nonnisi DUBITANTER astruxerat*, inquit Pontifex sanctissimus, qui allegat testimonia eiusdem Cani, Suarez, Gamachæi, Comitoli, qui clamant: *Tene certum, dimitte incertum.* Tandem post plura concludit Pontifex summus num. 9. *Adhuc quippe sub iudice lis est.*

IV. Ex his duobus documentis sic argumentantur adversarii. Sententia attritionis servilis non improbatur a duobus Pontificibus BENEDICTO XIII. & XIV. Ergo

Ergo licite defendi potest. Ergo æque probabilis est, immo communior quam opposita. Si communior, si probabilior, ergo præferri debet contrariæ.

V. Resp. Nego & pernego consequentiam. Duo laudata documenta simul cum decreto Alexandrino ab imis suffodiunt unicum attritionis servilis fundamentum. Evinco. Docent adversarii, attritionis servilis opinionem esse damnatam, si sit tantum probabilis, probabilior, & probabilissima. Idcirco constituunt esse *certam*, *indubitatam*, & *tutam*. Illorum verba infra adducam. Sed laudati Pontifices docent, non esse certam, indubitatam, & tutam, sed *litem sub iudice pendere*. Ergo huius opinionis praxis improbata manet. Probo consequentiam. Ven. Innocentius XI. definivit ex sententiis controversis tutiorem esse eligendam, dum de sacramentorum valore agitur. Alterutrum ergo fateantur adversarii necessum est, aut BENEDICTOS XIII. & XIV. sapientissimos Pontifices abrogasse, delevisse, & penitus de medio sustulisse decretum Innocentii XI. aut illorum opinionis praxim manere improbatam. Primum dicere nequeunt: ergo secundum. Miror, acutos eruditosque adversarios non advertere, citata duo documenta, quæ nimis incaute obtrudunt, illorum iugulum directe petere. Ipsi, ut suam opinionem subducant damnationi *1. prop. Innocentii XI.* in libris casuistis intrepide docent, opinionem attritionis servilis esse certam, indubitatam, tutamque. Laudati Pontifices testantur controversiam hanc sub iudice pendere. Ergo hanc adversariorum securam, indubitatam, & tutam certitudinem, ut vanum, arbitrarium, & ineptum commentum reiiciunt. Verum de hoc fusius *cap. sequent.* ubi adversarios ad extremas ultimasque redigam angustias, a quibus numquam eluctari poterunt, nisi velint aut decretum Innocentianum, aut praxim attritionis servilis reiicere.

VI. Obiiciunt aliud levioris momenti sophisma, nempe ingentem multitudinem Theologorum qui defendunt attritionis servilis sufficientiam. Tandem sententia contraria attritioni formidolosæ altrix pavoris est, & rigorismi, anxietatem inducit, & conscientias torquet.

VII. Resp. Hæc omnia non modo diluta, sed contrita penitus ex iis quæ dixi, sunt. Si, præcisa ingenti quidem Casuistarum, qui, ut dicunt Navarrus, & Laymanus, alios velut oves & aves sequuntur, multitudine, comparatio fiat inter utriusque partis Theologos, qui ex instituto controversiam tractarunt, fidenter affero, & graviores, & numerosiores a nobis stare. Ad id quod addunt, sententiam nostram, quæ suavissimam cum Deo amicitiam & benevolentiam promovet, angores, pavorem, & severitatem invehere, nihil reponimus præter id quod supra dictum est. Truculenta ne est divinæ bonitatis meditatio, & de illius offensione contritio? Dulcescit vero gehennæ pavor, & tremendæ fornacis horror? Sed in eiusmodi nugis repellendis diutius tempus terere non lubet.

C A-

C A P U T X.

Sententia formidolosæ attritionis in prop. 1. a Ven. INNOCENTIO XI. *proscripta, evidenti ratiocinio contenta evincitur.*

I. HOC postremo loco usum & praxim sententiæ attritionis servilis penitus profligandam suscipimus. Alexander VII. an. 1667. prohibuit alterutram sententiam censura aliqua notari, *donec ab hac S. Sede fuerit ALIQUID hac in re definitum*. Videndum igitur in præsentia est, num S. Sedes ALIQUID hac in re definierit. Quod expressam definitionem non ediderit super hac controversia, fatemur omnes, & factum evidens est. At dispiciendum superest, utrum ALIQUID a S. Sede emanaverit, unde evidenti ratiocinio inferri possit, sententiam attritionis servilis penitus profligatam a S. Sede fuisse. Adfirmo ego cum ceteris sententiæ nostræ patronis, & hoc pacto evinco.

§. I.

PROPOSITIO DAMNATA.

Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis, aut episcopalis.

II. OMnia responsa sedulo & diligenter legi, quibus adversarii ab hac damnata thesi suam eripere opinionem de formidolosa attritione conantur. Et, nisi me amor fallat, nihil ne apparens quidem, nedum probabile, offendi, quod ab Innocentiano decreto eximat attritionem formidolosam. Et ut lectores iudicium ferre valeant, omnia adversariorum effugia sincere enarrabo. P. Ricardus Arsdekin *Tom. II. part.* 11. *tract.* 1. *cap.* 111. *quæst.* XXI. *§.* 2. *pag.* 158. quem refert Archipresbyter Halæ Michael Poli in suo *opuscul. pag.* 77. hæc scribit. *Aio* (inquit Arsdekinus) *præcipue inquirendum, non quid TUTIUS, sed quid VERIUS. Displicet hoc? Rationem cape.* Non displicet, sed placet summopere; dummodo ratio prodatur quam capere valeam. *Nota igitur bene* (pergit Arsdekinus)

kinus) *utinam satis, breviusculam, clarissimamque verbuli nostri rationem. Si inquirendo attingat Theologus quid sit obiective verius, hoc ipso attinget quid sit tutius; non tamen e contra, ex eo quod aliquid sciatur esse tutius, inde constat esse verius.* Admitto breviusculam verbuli rationem, quæ funditus evertit Probabilismum. Nam obiective & directe saltem verior non est Probabilismus, sed falsior: ergo reiiciendus. Falleris, reponit Arsdekin, qui sic persequitur. *Retinenda est igitur firmiter prædicta annotatio in pluribus horum temporum controversiis de attritione in sacramento, de absolutione differenda, de usu probabilitatis, & aliis, in quibus pro vulgari argumento ista securitatis species assumitur.* Huc ergo recidit breviuscula verbuli ratio, ut *specie securitatis* Probabilismus, attritio servilis, & aliæ huius temporis controversiæ vestitæ incedant? Doctrina hæc *Arsdekini* applicata administrationi sacramentorum continetur, nisi fallor, in propositione damnata. Nam sermo est de doctrinis quæ hoc tempore in utramque partem disputantur, quarum neutra est tuta. Doctrina enim tuta extra disputationis aleam constituta est. De attritione servili acris controversia fervet. Porro dum agitur de valore sacramentorum, ex doctrinis controversis, non quæ verior, sed quæ tutior est, eligi debet. Ergo doctrina *Arsdekini*, sicut & *Michaelis Poli*, & ceterorum, continetur vi ratiocinii evidentis in propositione damnata. Sed hæc generatim & velitationis gratia. Præcipua & singularia responsa exhibenda sunt.

§. II.

Sub examen inducitur responsum P. Claudii La-Croix, *&* P. Martini Esparza, *atque refellitur.*

I. Sinceritate summa responsa omnia transcribo Theologorum, qui pro servili attritione pugnant. P. Claudius La-Croix *Lib. VI. part. II. de contr. num.* 874. hæc scribit. „ Consideratis omnibus quæ hactenus attuli, sententia tenens *at-* „ *tritionem ALIQUAM* sufficere cum sacramento, videtur mihi esse practice cer- „ ta. *Quod confirmo inde*, quia si non esset practice certa, sed tantum *probabi-* „ *lior, aut etiam probabilissima*, contineretur damnatione I. prop. per Innoc. XI. „ *Non est illicitum in sacramentis* &c. Atqui hac damnatione non continetur. „ Nam Martinus DE ESPARZA unus ex Theologis Romanis, qui iussu Innoc. „ XI. cum aliis Consultoribus interfuit examini prop. damnatarum Romæ 6. A- „ prilis 1680. in Belgium scripsit in hæc verba. *Nulla quisquam sollicitudine* „ *CONCUTI debet circa sufficientiam attritionis in confessione propter prohibitio-* „ *nem I. prop. ex 65. Ea propositio fuit reprobata propter suam illimitatam am-* „ *pli-*

„ *plitudinem, & universalitatem, cum INDISTINCTIONE SPECULATIVE tantum probabilis a probabili etiam PRACTICE, & RURSUM probabilis utcumque a moraliter certa, aut etiam plusquam moraliter certa. Sententia autem de sufficientia attritionis est practice probabilis, & moraliter certa, atque, ut ego puto, plus etiam quam moraliter certa. Accedit apud censores praedictarum propositionum actum fuisse in terminis propriis de sufficientia attritionis, atque ex consensu omnium qui aderamus, sententiam communem mansisse incolumem*. Hactenus P. La-Croix, qui nec verbum aliud addit, quo in tuto collocet afflictam opinionem suam.

II. Habes ex P. *Martino Esparza* mirificam, & praecisam methodum in proscribendis thesibus. Nisi Romanae Sedis decreta omnes distinctiunculas, quas ex universo Probabilismi armamentario humana mens excogitare valet, contineant, superflua omnino sunt, & in nihilum penitus occidunt. Propositio damnata in decreto est *cum indistinctione speculative & practice probabilis*. Quid heinc? Quid? Nihil in illa propositione damnatum est. Cur? quia est *cum indistinctione probabilis speculativi & practici*. Immo quia caret hac distinctione, damnata est. Ergo propterea nihil damnatum est. Quia, adiecta distinctione, iuxta P. Esparza propositio immunis a censura est. Nam ideo per ipsum damnata fuit, quia est *cum hac indistinctione* Probabilismi speculativi, & practici. Quisque ergo iuxta PP. Esparza, & La Croix eludere confixam propositionem poterit dicendo, damnatum in hac propositione usum *Probabilismi speculativi*, non usum *Probabilismi practici*. Immo reipsa P. *Esparza* penitus eludit, & prorsus frustraneam reddit propositionis damnationem. Dicat nobis P. *Esparza*, & cum ipso P. *La Croix*, quid damnatum est in hac propositione? Usus probabilitatis speculativae, inquis. At est falsitas facti manifestissima, cum Auctores praefatae propositionis requirant non modo in sacramentis administrandis, sed pro qualibet honesta operatione elicienda usum probabilitatis practicae, ut constat ex eorum libris. Quid quod P. *La Croix*, & P. *Esparza* mutuis antilogiis semetipsos penitus iugulant? P. La-Croix ait patenter: Sententia nostra, si esset *tantum probabilior, aut etiam probabilissima, contineretur damnatione 1. prop. per Innoc. XI.* Haec La-Croixius. Contra P. Esparza in testimonio producto ab ipso La-Croixio asserit propositionem esse damnatam, quia est *cum indistinctione speculative tantum probabilis a probabili etiam practice*. Contra clamat La-Croix. Damnata dicenda foret, etiamsi *probabilior*, etiamsi *probabilissima*, nedum practice probabilis esset. Non puto in universo Probabilismo inveniri posse distinctiunculam aptam ad conciliandas eiusmodi contradictiones, & verborum praelia. Facti quoque falsitas manifesta est, quod adiicit P. Esparza, damnatam esse propositionem *propter suam illimitatam amplitudinem, & universalitatem*. Qua bona fide dici hoc potest,

eſt, ſi propoſitio limitatiſſima eſt? Certe in propoſitione ſunt clauſulæ iſtæ reſtringentes. *Niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantum utendum non eſt in collatione baptiſmi, ordinis ſacerdotalis, aut epiſcopalis*. Legatur Sanchez *Lib. I. cap.* IX. *num.* 33. & alii Auctores damnatæ theſis, in quibus limitata, & reſtricta eſt.

III. Quid quod vel ex ipſo teſtimonio P. Eſparzæ, docti Belgæ damnatam tenebant in præfata theſi opinionem attritionis formidoloſæ? Inquit enim P. Eſparza: *Nulla quiſquam ſollicitudine CONCUTI debet circa ſufficientiam attritionis in confeſſione propter prohibitionem 1. propoſ. ex 65.* Plura notatu digna in his paucis verbis occurrunt: quæ ut percipias, revocandum in memoriam eſt id quod ſupra narravi ex P. Francolino. Ardebat in Belgio bellum litterarium ſuper hac controverſia inter *P. Maximilianum Le Dent* S. I. & *P. Franciſcum Farvacqueſium* Auguſtinianum, qui teſte Francolino cruenta vulnera ſuſceperat ab acuto calamo P. Maximiliani *Le Dent*. Verum continuo ac prodiit opus immortale Hiſtoriæ Cardinalis Pallavicini, P. Franciſcus *Farvacqueſius* publicis typis cudi fecit quædam folia continentia ea omnia quæ ex actis Concilii Tridentini narrantur a Pallavicino contra opinionem formidoloſæ attritionis. Quæ folia volare curavit *Farvacqueſius* per univerſum Belgium. Epocha hæc poſterior Alexandrino decreto eſt. Et heinc iacere cœpit opinio propugnata a *P. Le Dent*. Poſt prodiit decretum Ven. Innocentii XI. quod novum, & quidem mortiferum vulnus inflixit eidem opinioni. Docti Belgæ ſpectantes attritionem formidoloſam tot confixam undiqueverſum vulneribus, *concuti*, deſpondere animos, affligi, confundi cœperunt. Ut propriæ mœſtitiæ & anxietudini aliquo modo conſulerent, continuo epiſtolas dederunt ad P. Eſparza percelebrem Probabiliſtam. Quodnam iſtarum epiſtolarum teſtimonium perhibes? Quodnam? Numquid P. Eſparza Romæ degens perſpectam habere *concuſſionem* Belgarum poterat, niſi per litteras, aut nuntios? Numquid ſponte ſcripſit P. Eſparza, ne concuterentur Belgæ, niſi concuſſos prius agnoviſſet? Itaque, ut illos erigeret afflictos, & conſolaretur mœſtos, epiſtolam dedit ſcribens: *Nulla quiſquam ſollicitudine concuti debet propter prohibitionem* &c. Prohibitio ergo pontificia *concuſſerat* Belgas. Quos? Numquid hanc epiſtolam dedit P. Eſparza ad Auguſtinianos? P. La Croix narrat, P. Eſparza *ſcripſiſſe in Belgium*. Numquid ad provinciam ipſam Belgii P. Eſparza ſcripſit? Omnes adfirmabunt, P. Eſparza ſuam epiſtolam *conſolatoriam* ſcripſiſſe ad defenſores opinionis afflictæ. Debuiſſet P. La-Croix pateſacere perſonam ad quam data epiſtola illa fuit. Nullus dubito quin P. La-Croix numquam publicaſſet hanc epiſtolam, ſi eam ſeverius & cautius expendiſſet. Sed anguſtia preſſus, ut ſuæ ſententiæ conſuleret, novum eidem vulnus inflixit. Quandoquidem, ſi animo *concuſſi* Belgæ erant ob damnationem præfatæ theſis, evidens eſt Belgas

gas ratum habuisse, in eadem thesi *concussam* fuisse sententiam attritionis servilis. Et si Belgæ concussi non fuissent, P. Esparza dehortatus eos non fuisset ne concuterentur. Hæc omnia scribere coactus sum, ut viam mihi pararem ad propugnandum Sedis Apostolicæ decretum, & convellendum commentum, quo ipsum illudere pertentavit P. La Croix. Paucis nunc rem perstringo.

IV. Luculentum est in præfata thesi damnatum esse usum Probabilismi sive speculativi, sive practici in administratione sacramentorum, quando agitur de eorumdem valore. Quoniam vero *P. Esparza* fuit acerrimus Probabilismi defensor, qui censuram celebrem scripsit adversus Reverendissimi P. Tyrsi GONZALEZ opus; ideo, ut & suo Probabilismo, & attritioni formidolosæ caveret, præfatum commentum *Probabilismi speculativi*, & *practici* excogitavit.

V. Quid quod hac libertate admissa detorquendi decreta pontificia in sensa quæ propriis opinionibus favent, ex privatorum hominum relationibus, actum de omnibus Romanæ Sedis decretis est? Si, ut narrat P. Esparza, Consultoribus persuasum erat, attritionem servilem non esse in thesi contentam; cur non curarunt ut aliqua declaratio adiiceretur; cum thesis iuxta obvium sensum ita clare includat attritionem servilem ex decreto Alexandrino sola probabilitate fultam, ut *concusserit* Doctores Belgas eiusdem patronos? Quid? Romana Sedes universæ Ecclesiæ sua proponit decreta, quæ perspicue veritatem retinendam, & falsitatem cavendam declarant: & homines privati scribere ad provincias audent, non esse iuxta obvium sensum intelligenda, ut concussos erigant, afflictosque consolentur? Sic scriptum fuit de constitutionibus Sixtinis, Pianis, Clementinis, aliisque plurimis, quas infra de confessione epistolari indicabo. Thesis damnata iuxta obvium sensum licitum usum probabilitatis practicæ defendebat. Quia, ut dixi, omnes Probabilistæ ad quamlibet actionem honestam hic & nunc peragendam, nedum in sacramentis perficiendis, probabilitatem practicam, dictamen practicum postularunt. Decretum autem pontificium exterminatum a re sacramentaria definivit Probabilismum sive practicum, sive speculativum; & tutiorem sententiam adhibendam imperat. Mera itaque commenta sunt quæ narrat P. Esparza, ut aliquo linimento consulat afflictioni Belgarum.

VI. Unum ex hac tota narratione summopere meditandum colligo. Illud autem est concussio & afflictio Belgarum ob publicationem decreti Innocentii XI. Quid? Affligimur, concutimur, dum prodeunt a Romana Sede oracula, quæ aberrationes nostras patefaciunt, quæ lucem veritatis ad fugandas mentis nostræ tenebras nobis afferunt? Quod nobis displiceat, quod concutiamur, quia erravimus, hoc bonum est, si fateamur aberrationes nostras, illasque improbemus. Tunc enim Paulus exultans scribit: *Gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pænitentiam: contristati enim estis secundum Deum*: II. Cor. VII.

Ve-

Verum quod contristemur, quod animo angamur, quia patefactus error noster est, quia veritatis lux apparuit, quod diverticula quaeramus, & commenta captemus, quibus pontificia decreta ab obvio sensu veritatem pandente detorqueamus ad opinationes nostras defendendas, quas damnatas nollemus, tunc tristitia nostra mundana est. *Saeculi autem tristitia* (subdit ibidem Paulus) *mortem operatur*. Dum haec scribo, audio prodiisse scriptum contra decretum quo Romana Sedes proscripsit Bibliothecam Iansenistarum editam a P. De Colonia. Novum obedientiae, & obsequii erga S. Sedem. Novum aedificationis monumentum exhibitum Iansenistis.

VII. Adversariorum aliquis forte dicturus erit, me nimium profligasse, & sub vario aspectu hoc P. La-Croix responsum exagitasse. Sed recogitare lector debet, num animadversiones a me factae necessario ex documentis allatis a P. La-Croix, & P. Esparza proficiscantur. Recogitet, num solidae, num efficaces ad repellenda vana commenta, & propugnandum Romanae Sedis decretum sint. Si eiusmodi fuerint, ut mihi videtur, animadversiones meae, nihil curo adversariorum dicteria, scommata, & censuras. Quia qui iudicat, Dominus est: & si propter hoc persecutionem patiemur, inquit piissimus Iesuita P. Michael Elizalde, beati erimus. Volui omni ex parte labefactare responsum unicum, quo in tuto collocare P. La-Croix sententiam suam studuit: quia patefacta talis responsi falsitate, necessario corruit illius sententia. Nihil dico de illa amplitudine, qua asserit, *attritionem aliquam* sufficere ad sacramentum: nam aliqua attritio inefficax est, & secundum omnes Theologos insufficiens ad sacramentum; ut supra ex Salmanticensibus adnotavi. Haec omnia illustrare debuisset novissimus *Anonymus*, qui *supplementum* edidit ad opus istius percelebris Casuistae. Sed de hoc loco suo erit sermo.

VIII. Quamvis P. La-Croix nec verbum aliud addat, quo decretum pontificium felicius interpretetur; lubet tamen aliam eiusdem doctrinam rescribere, quae omnia a me dicta luculentius confirmat. Haec ergo eodem *num.* 874. scribit. „ Quamvis concederemus sententiam adversariorum (N. B.) esse probabilem, tamen non esset obligatio sequendi eam sententiam, per quam administratio, vel susceptio sacramenti sit obnoxia nimiis scrupulis, & difficultatibus: „ *atqui per sententiam adversariorum administratio, & susceptio sacramenti poenitentiae sit obnoxia nimiis scrupulis, & difficultatibus.* " Ecce. Licet Romana Sedes praecipiat ut inter opiniones probabiles, non probabilior, sed tutior in administrandis sacramentis adhibeatur; hoc intelligendum est, inquit P. La-Croix, quando administratio sacramenti, vel susceptio non est obnoxia scrupulis, & difficultatibus. Atqui omnis doctrina tutior, quae ab amore mundi, ab affectu illecebrarum seiungit, obnoxia est scrupulis & difficultatibus. Ergo hac P. La-Croix do-

doctrina sane mirifica eludi possunt, ut mihi apparet, & Romanæ Sedis decreta, tametsi luculentissima, & leges omnes quæ humanas appetitiones coercent. Nam de omnibus decretis, maxime si adversentur opinionibus domesticis, dici poterit, quod ex eorum observantia oriantur scrupuli, & angustiæ. Verum enimvero sententia quæ postulat amorem Dei initialem, doloremque conceptum ob offensam Deo summo bono irrogatam, scrupulorum laqueis iugulat, & difficultatum torsionibus lacerat fidelium conscientias? Tam crudelis est Dei amor, ut hæc pariat tormenta? Aliam commentationem adiicit ibidem Auctor iste, quam mox reiiciemus.

§. III.

PP. Cardenas, Viva, & aliorum omnium adversariorum commune responsum ad decretum INNOCENTII XI. expenditur. Certitudo moralis attritionis servilis est facti falsitas evidentissima, quam retractare tenentur adversarii, ne lectores decipiantur.

I. IN ipso præloquio ad hanc dissertationem præmonui, me immunem ab omni censura velle opinionem attritionis formidolosæ, quia sic iubet decretum Alexandri VII. *donec a S. Sede fuerit ALIQUID definitum*. Nos autem contendimus *re' aliquid definitum* a S. Sede emanasse contra opinionem attritionis servilis. Nihil igitur in decretum Alexandrinum delinquimus; sed eidem paremus, dum evidenti ratiocinio demonstrare conamur, Innocentium XI. *aliquid* definiisse contra attritionem servilem. Præterea ibidem animadverti, aliud esse asserere opinionem aliquam esse falsam, & improbabilem; aliud longe diversum esse, si asseramus aliquam rationem, quam eiusdem patroni adducunt ad illam opinionem propugnandam, esse inane commentum. Hoc secundum in præsentia demonstrandum suscipio, nempe certitudinem moralem, quam adversarii suæ tribuunt opinioni, esse, ut infirmitati meæ videtur, manifestissimam facti falsitatem. Sapientum iudicio subiicio examinanda quæ distinctis conclusionibus dicturus sum.

§. IV.

§. IV.

CONCLUSIO PRIMA.

Adversarii, ut suam servilis attritionis opinionem liberent a censura decreti Innocentiani, aiunt esse moraliter certam, & oppositam improbabilem. Hæc autem CERTITUDO MORALIS, elidens probabilitatem oppositæ sententiæ, est evidentissima facti falsitas.

I. UT ea maiori quæ desiderari in controversia morali evidentia potest demonstrem conclusionem propositam, distinctis propositionibus illam expono.

II. PRIMA PROPOSITIO. *Adversarii adfirmant, sententiam attritionis servilis ita esse moraliter certam, ut contraria non sit probabilis, immo sit omnino improbabilis.* Quamvis factum istud tam evidens sit, quam manifesta sunt adversariorum volumina; tamen pauca ex præcipuis Auctoribus testimonia transcribo.

III. P. Dominicus Viva in Cur. quæst. 111. art. 2. num. 7. *Asserere, attritionem non esse sufficientem &c. Hæc opinio post Trident. tamquam improbabilis reiicitur communissime . . . Post Trident. omnem probabilitatem amisit.* Rursus in *trutina* in prop. 14. Alexandri VIII. *Prohibitio autem illa Alex. VII. ne alterutra ex iis opinionibus censuretur, non infert utramque opinionem esse probabilem.* Iterum in *prop.* 1. Innocentii XI. num. 21. *Opinionem de sufficientia attritionis, tum ad valorem, tum ad fructum sacramenti, non esse mere probabilem, AUT PROBABILISSIMAM, sed practice & moraliter CERTAM, ut hic supponimus ex fuse dicendis &c.*

IV. P. Cardenas in *Cris. disput.* 11. *cap.* VI. *art.* 2. *quæst.* 1. *num.* 61. inquit: *Dicendum tamen est, eam sententiam affirmativam de sufficientia attritionis non subiacere huic damnationi. Ratio est, quia decretum loquitur de MERE PROBABILIBUS: hæc autem doctrina non est MERE PROBABILIS, sed OMNINO CERTA, ET INDUBITABILIS propter definitionem Concilii Tridentini.*

V. P. Claudius La-Croix *Lib. VI. part.* 11. *num.* 873. quærit, an sententia tenens attritionem (ex timore gehennæ) sufficere cum sacramento, sit practice certa. Respondet. „ Amicus, Esparza vocant indubitatam, Arsdekin dicit videri ita securam, ut amplius de ea prudenter dubitari non possit. Tanner. Conin. vocant satis certam. Præpos. Prado, Salas, Viva . . . moraliter certam. Suar.

„ Less.

„ Leff. Rayn. Ferand, Diana, Martinon, Perez Midoz. Caftropal. Dicaftil. Il-
„ fung. abfolute certam. Card. de Lugo, Sporer, Bofco communem, & certam.
„ Filliuc. Orpega Henrix, Francol. certam in praxi. Fr. Lugo, Gonet, Mald.
„ Le Dent tutam in praxi. Averfa tutam poft Tridentinum. Gormaz practice
„ & indubie certam. Eftrix, & Cardenas certam, & omnino tutam. Leander,
„ Paulus de Palatio, Seraphinus a Conceptione vocant certiffimam. Bonæ fpei,
„ & Arriaga dicunt videri *fibi effe fere de fide*. Moya dicit *effe veritatem inter*
„ *fidei dogmata numerandam*. Addit hoc *certa fide* effe tenendum. Stoz vocat *ex*
„ *fide catholica certam* &c. "

VI. Concludit poftea P. La-Croix *num.* 874. ut vidimus *§.* 2. Si hæc fententia *non effet practice certa, fed tantum probabilior, aut etiam probabiliffima, contineretur in damnatione* 1. *prop. per Innoc. XI.*

VII. De prima igitur propofitione nullus remanet ambigendi locus: & poffem tot laudare teftimonia, quot funt Cafuiftæ qui fcripferunt poft publicatum decretum Ven. Innocentii XI.

VIII. SECUNDA PROPOSITIO. *Hæc moralis certitudo, quæ conftituit opinionem formidolofæ attritionis non modo communiorem, non modo probabiliorem, non modo probabiliffimam, fed omnino certam & tutam, ita ut oppofita non fit vere probabilis: eiufmodi, inquam, certitudo eft facti falfitas manifeftiffima, commentum imaginarium, &, ut lectorum aures excitem, eft* chimæra chimærarum, *ut de fimili opinione inquit P. Michael Elizalde*. Ex hac iactata morali certitudine decipiuntur imperiti lectores, qui credunt citatos Auctores non poffe divendere opinionem quæ fit dumtaxat probabilis, tamquam extra controverfiæ aleam pofitam, & omnino certam, & tutam. Et heinc quæ abfurda, quæ mala!

IX. Evinco hanc fecundam *propofitionem*. Primi Auctores fufficientiæ attritionis fervilis, Cano, Soto, Medina, Lopez, Vafquez, Suarez, Platelius, & ceteri doctiores eiufdem fententiæ patroni teftati funt non effe certam, fed dubiam, & incertam. Illorum teftimonia fupra produxi.

X. Centum & plures Theologi ex univerfo orbe catholico, & infignium Univerfitatum, quos fupra recenfui, permultis omiffis, doctiffimi Cardinales Denoffus, Aguirius, Le Camus, Monilianus, Noallius, & plures Archiepifcopi, & Epifcopi, quos inter doctiffimus BOSSUETUS; celebriores Univerfitates, Parifienfis, Lovanienfis; omnes fere Theologi Auguftinianæ Religionis, doctiffimi Patres Ciftercienfes ROMAE in Collegio S. Crucis in Hierufalem; eruditiffimi Scholarum piarum præceptores, Romæ in Collegio Nazareno, accuratiffima difcuffione præmiffa, opinione attritionis formidolofæ reiecta, propugnant attritionem initialem, ut teftatur præftantiffimus Theologus Laurentius Berti Auguftinianus *Lib. XXXIV. cap.* v. ubi etiam laudat præclariffimos Inftitutores Seminariorum Italiæ, Veronen-

nensis præsertim, & Patavini. Quid de Theologis *Ord. Præd.* dicam ? Doctiores ; quos ego agnosco, omnes sententiam hanc nostram propugnant. Præter illos qui typis sua opera evulgarunt, in MSS. hanc sententiam docent. Quid, si celeberrimi BENEDICTINI ORDINIS doctissimos Theologos recensere vellem ? Plurimos ipse agnosco, quibuscum etiam necessitudo mihi intercedit, qui acriter, mordicusque hanc propugnant doctrinam. Sed unum pro mille laudare sufficiat sapientissimum Cardinalem AGUIRE.

XI. Tota hæc numerosissima insignium Theologorum, Cardinalium, Archiepiscoporum, Episcoporum, Universitatum multitudo satis non est ad constituendam sententiam vere probabilem ? Catechismus Concilii Tridentini, qui conceptis verbis nostram docet sententiam, nec frustulum probabilitatis præbet ? Probabilistæ docent, aut unum Theologum doctissimum, aut quatuor, vel sex doctos efficere opinionem probabilem. Et celebriores Universitates, & Conventus Cleri Gallicani, & centeni Theologi, & sapientissimi Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi e cathedra loquentes, & integris dissertationibus pro sententia nostra pugnantes, nec micam probabilitatis suppeditant ? Eccur ? Quia non sunt Probabilistæ. Illa sola magna nomina, quæ mox supra *num.* 5. recensui ex P. La-Croix, constituunt opiniones probabiles, etiamsi numerum quinarium non excedant ? Hoc eruditissimo sæculo tam monstrosa paradoxa evulgant Probabilistæ ? Quid, si conferrem Casuistas, qui numerosum censum conflant Auctorum pugnantium pro attritione servili, cum Theologis sententiæ nostræ ? Quid, si laxas & damnatas propositiones, quas permulti illorum docent, cum sana Ethice istorum compararem ? Et illi tantæ sunt auctoritatis, ut cum aliis asseclis elidant, destruant omnem probabilitatem sententiæ quam propugnamus ?

XII. Quid plura ? Ideo Auctores, præsertim Probabilistæ, defendunt, sententiam attritionis servilis esse moraliter certam, elidentem contrariæ sententiæ probabilitatem, quia in Concilio Tridentino definita est. Atqui post evulgatam Historiam Cardinalis Pallavicini ipsi Theologi præstantiores qui defendunt attritionem servilem, ingenue fatentur, nihil Concilium de tali opinione statuisse ; ut ex Honorato Turnely vidimus. Accedit, adversarios, qui laudatam certitudinem adscribunt suæ sententiæ, defendere attritionem servilem, ut vocant, puram, seu ex *solo timore gehennæ* conceptam. Atqui hodie ipsi Theologi præstantiores, qui ab attritione excludunt caritatem inchoatam, requirunt præter timorem amorem concupiscentiæ, quo Deus diligatur tamquam ultimus finis ; & ut falsam reiiciunt sententiam attritionis mere formidolosæ, quam ut certam, ut tutam, ut indubitatam defendunt Casuistæ minus docti, quorum plurimi ut aves alias sequuntur aves, inquiunt Navarrus, & Layman.

XIII. Tandem Alexander VII. decrevit, hanc controversiam in utramque partem

tem disputari posse censuris sublatis. P. Dominicus Viva *in trut. in propos.* 14. Alexandri VIII. *num.* 31. respondet. *Prohibitio autem illa Alex. VII. ne alterutra ex iis opinionibus censuretur, non infert utramque sententiam esse probabilem, cum huiusmodi PROHIBITIONES SAEPE FIANT IN BONUM PACIS*. Hæc typis evulgant: & postea lamentantur, cum dicimus Casuistarum plures vanis commentis eludere pontificia decreta quæ illis non arrident? Quo loco habenda sit hæc P. Viva assertio, sapientum esto iudicium.

XIV. Post Alexandri VII. decretum, quo cavetur ne alterutra opinio censura notetur, donec *aliquid* a S. Sede definitum fuerit, post duodecim circiter annos Ven. Innocentius XI. definivit, ex opinionibus controversis *tutiorem* in perficiendis sacramentis amplectendam esse: & continuo opinio attritionis servilis, quæ prius confinia probabilitatis non egrediebatur, evasit certa, indubitata tuta.

XV. TERTIA PROPOSITIO. *Ergo luce meridiana evidentius est certitudinem moralem tutam, indubitatam, descriptam in prima propositione, esse falsissimam, commentum vanum, chimæram chimærarum, iniuriosam decretis pontificiis, Universitatibus, Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, gravioribus Theologis, perniciosam imperitis lectoribus, qui ex tali iactata certitudine decipiuntur. Ergo hæc moralis certitudo elidens probabilitatem oppositæ sententiæ, retractanda, abolenda, exterminanda omnino est*. Ita vi ratiocinii, ex duabus propositionibus evidenter deduci, imbecillitati meæ videtur, salvo semper meliori iudicio, & obsequio erga adversarios.

§. V.

SECUNDA CONCLUSIO.

Tam evidens est opinionem formidolosæ attritionis contineri in 1. propos. Innocentii XI. quam evidens est unicam rationem, qua adversarii conantur eam ab illa damnatione eripere, esse manifeste falsam, & arbitrarium commentum.

I. PRIMA PROPOSITIO. Unica, & sola ratio quam adversarii post medium & amplius sæculum excogitarunt ad liberandam opinionem attritionis servilis a censura damnationis 1. *propos.* decreti Innocentiani, est *certitudo moralis* practica, tuta, & indubitata eiusdem opinionis. Si opinio attritionis formidolosæ

esset tantum probabilis, vel probabilior, aut probabilissima, fatentibus adversariis, hæc eorum opinio esset damnata in *1. prop. decreti Innocentii XI.*

II. SECUNDA PROPOSITIO. Atqui veritas facti luculentissima, manifestissima universo litterario orbi est, *talem certitudinem moralem*, elidentem probabilitatem contrariæ opinionis, esse merum somnium, purum putumque commentum.

III. TERTIA PROPOSITIO. Ergo tam evidens est opinionem attritionis formidolosæ contineri in *prima propositione damnata ab Innocentio XI.* quam evidens compertumque est certitudinem moralem tutam & indubitatam, quam eiusdem opinionis iactant adversarii, esse apertissimam facti falsitatem, arbitrarium commentum, & inauditum paradoxon.

§. VI.

ANIMADVERSIO

in gradum probabilitatis attritionis formidolosæ. Cl. BOSSUETI *monitum.*

I. Disputationis gratia, & ut adversarios ad angustias redigerem, concedere volui, opinionem attritionis servilis esse probabilem, probabiliorem etiam. Nam, ipsis fatentibus, etiamsi esset probabilissima, contineretur in damnata *1. prop.* Innocentii XI.

II. In præsentia addo, opinionem attritionis formidolosæ *hodie* esse minus communem, minusque probabilem; & sententiam nostram esse communiorem, esse probabiliorem, sive rationum momenta, sive graviorum Theologorum suffragia spectentur. Opinio attritionis servilis, ut iam supra dixi, pari passu cum sua sorore opinione Probabilismi processit. Tempore Alexandri VII. ambæ communiores inter Scholasticos: quoniam Theologi propugnatores ambarum sororum, probabilitatis, & formidolosæ attritionis, potentiores, & numerosiores erant Theologis qui cum Farvacquesio contra ambas sorores pugnabant. Verum post plura eiusdem Pontificis decreta ambæ sorores vulnera gravissima, & post decreta Innocentii XI. ictum mortiferum passæ sunt. Circiter illud tempus sacra Theologia a plurium Scholasticorum nimiis speculationibus expurgata, & ad avitam suam maiestatem, ad Scripturarum sanctarum, ad Conciliorum, ad Patrum præceptiones revocata fuit: & tum ex celebrioribus Universitatibus novæ opiniones, præsertim de Probabilismo, & de attritione servili, exulare cœperunt. Anno 1700. universus florentissimus & celeberrimus Clerus Gallicanus, in comitiis solemnibus coa-

coactus, Probabilismum exterminavit ab universo regno, & attritioni servili bellum indixit : & tandem anno 1716. attritionem initialem, seu caritate imperfecta conceptam, confirmavit.

III. Heinc, quemadmodum *hodie* docti & sapientiores Theologi, a scholarum & factionum præiudiciis vacui, Probabilismum, qui circiter medietatem elapsi sæculi dominabatur in scholis, improbant, exagitant, profligant; ita non minori studio, & zelo formidolosæ attritionis opinionem improbare, refellere, & labefactare toto virium conatu adlaborant. Factum publicum narro, & orbi manifestum.

IV. Non modo ergo communior, probabilior, vel probabilissima non est attritionis servilis opinatio; sed e contrario minus communis, minus probabilis una cum sua sorore opinione de Probabilismo est.

V. MONITUM doctissimi Episcopi Meldensis Iacobi BOSSUETI altius impressum omnium animis esse debet. Cum videret celeberrimus Episcopus, gradus episcopalis decus & ornamentum, inter Casuistas latius manare attritionis servilis opinationem, eam invictis argumentis, e Tridentino Concilio haustis, penitus protrivit, e sua diœcesi exterminavit, atque apostolico zelo succensus alios Episcopos contra eamdem animavit. Illius verba, quæ zelum episcopalem produnt, ex *cit. opusc. de doctr. Conc. Trident. circa dilect. pag.* 114. *& seqq.* transcribo.

„ Ne ergo nos moveant communiores hodie, si forte, opiniones, cum etiam liceat „ oculis intueri, glifscente licentia, *quot prava quotidie communiora fiant:* quæ qui„ dem nobis, quasi maioris numeri auctoritate deterritis, dissimulanda non sunt; „ *immo* vero, quo magis *invalescunt, eo validius confutanda*. Ipsa certe minoris „ probabilitatis assertio *tam nova* est, ut, ultro confitentibus illius auctoribus, „ vix demum anteacto sæculo in *hac temporum fæce natam esse constet* : antiquio„ ribus, ac sanctis Scholasticis, Thomæ, Bonaventuræ, Antonino, ceterisque pla„ ne ignotam, & inauditam. An ergo eo quod *pronis in laxiora, ac paradoxa a*„ *nimis* communior videatur : an, inquam, propterea *eam invalescere sinant Epi*„ *scopi*; non autem omni ope propulsandam, & profligandam curent? *Ita de ex*„ *clusa incipientis dilectionis necessitate dicendum*. Neque enim tanta in re homi„ num opinionibus, sed Ecclesiæ fide regi iubemur. Nec si vel maxime fel. m. „ Alex. VII. decreto validissimo, notaque, & ab omnibus acceptissima Sedis A„ postolicæ auctoritate prolato vetuisset ne illam sententiam ulla theologica cen„ sura prohibeamus; ideo nos tantam veritatem, tam clare, tam perspicue, a sa„ cro-sancta Tridentina Synodo declaratam tacere debemus : *immo vero, quo a* „ *pluribus impugnatur, tanto magis modeste quidem, ac pacifice, sed interim magno* „ *animo asserenda est*; ut adversarii Concilii Tridentini si non theologica qualifi„ catione, veridica tamen assertione dicantur.

„ *Nec fas est Episcopos, tanto accepto deposito, iudicare secundum aliorum com-*

„ *muniorem, licet forte, opinionem, quod nihil aliud esset quam ut illis auctoribus per* „ *inanem probabilitatis speciem falsa securitas induceretur, & contra Domini interdi-* „ *ctum traditiones ac mandata hominum invalescere sinerentur.*

„ Liceat & illud reverenter addere, utcumque Alexander VII. ab inferendis „ neganti sententiæ censuris propter bonum pacis continendos existimarit Epi- „ scopos, certe *noluisse eam opinionem a successorum quoque suorum Innocentii XI.* „ *& Alexandri VIII. decretis ac notis præstare salvam: in quas incidisse, dum a-* „ *mandi obligationem generatim solvunt, dumque in sacramentorum materia probabi-* „ *lem tantum, non autem tutam sequuntur sententiam, supra demonstravimus.*

VI. Hæc meditentur illi qui mundano respectu, & politicis rationibus ducti; Christi Evangelium erubescunt, erubescendi sane a Christo judice in die Domini. Non modo sententia formidolosa continetur in *prop.* I. Innocentii XI. verum etiam in v. in VI. & in VII. eiusdem Pontificis, & in aliis Alexandri VII. & VIII. Si enim neque tum obligat cum ad sacramenta accedimus, primum caritatis mandatum; quandonam urgebit? Verum de hoc supra actum est. Non vos ergo moveat, o Confessarii, multitudo Casuistarum, quos non posuit Deus regere Ecclesiam suam, sed Episcopos. Episcopos igitur audite: Concilium Tridentinum, & eiusdem Catechismum, in quo toto nec verbulum unicum de attritionis servilis sufficientia reperitur, serio legitote. Quanti sit facienda plurium Casuistarum auctoritas, ex hac *certitudine morali*, ex hac *tutitate & securitate*, quam contra integras Universitates, contra sapientiores Episcopos, contra integrum Clerum Gallicanum asciscere suæ opinationi non dubitant, evidenter colligite. Enimvero si hac in controversia, in qua, si falsa sit illorum opinatio, actum est de Christianorum salute, non verentur obtrudere, tamquam certum, tutum, & securum, beneficio unius distinctiunculæ Probabilismi speculativi & practici, quod est in controversia, quodque a sapientioribus improbatur; ipsi iudicium pronunciate, quanto maiori ausu non venditabunt ceu probabiles opiniones quæ forte nulla vera probabilitate præditæ sunt?

§. VII.

§. VII.

Percelebres Theologi Salmanticenses improbant, ut imaginariam, certitudinem moralem hactenus confutatam. Nova interpretatio, quam doctissimi isti Theologi excogitarunt, ut a censura damnationis liberarent attritionis formidolosæ opinionem, sub examen inducitur, & ut inauditum PARADOXON reiicitur.

I. NUmquam nimis, quod numquam satis. Tam momentosa est quæstio ista, tam gravissima sunt consectaria quæ heinc proficiscuntur, ut nulla prolixitas vitiosa videri debeat. Ea maiori qua potui diligentia evolvi celebriores Theologos, patronos attritionis servilis, ut ea omnia expenderem quæ ipsi adducunt in præsidium suæ opinionis. Celeberrimi Theologi Carmelitæ Excalceati Cursum Theologiæ scholasticæ ediderunt, quem ego magni facio: nihil elaboratius, solidius, doctiusque in hoc genere, ut mea minima præfert opinio, hactenus in lucem prodiit. Et quamvis nonnullas interdum illorum opiniones refello, non propterea minus suspicio tam insignium Theologorum auctoritatem.

II. Porro præclari isti Theologi *Tom. XII. Part. II. tract.* XXIV. *disp.* VII. *dub.* I. *§. 6. a num.* 51. sibi opponunt *thesim* I. ab Innocentio XI. proscriptam, & continuo referunt ea omnia quæ ceteri Theologi excogitarunt hactenus, ut attritionis formidolosæ opinionem a damnationis censura subducerent. Et quoniam res summi momenti est, illorum verba dabo.

III. „ Nec satisfacit (inquiunt) si cum Cardenas in Crisi theolog. . . respon„ deatur, doctrinam de sufficientia attritionis cum sacramento esse omnino *cer„ tam, & indubitatam* propter definitionem *Concil. Tridentini*, atque adeo non „ contineri intra lineam præcise probabilitatis, *quæ sola cadit sub decreto Innocen„ tii XI.* &c.

IV. „ Hæc, inquam, responsio non satisfacit, *nec sustineri potest*: defert enim „ assertioni nostræ omnimodam certitudinem, fundatam in definitione Concilii Tri„ dentini: quæ, si adesset, omnem de hac re inter Catholicos disceptationem „ extingueret. *Sed fallitur ille Auctor* . . . . Et mirum plane foret, si res, *ut „ Cardenas* vult, se habet, tot viros Catholicos in hanc definitionem impegisse, „ atque graviter errasse. Philaletus *loc. cit.* refert *centum Auctores*, productis no„ minibus, contrariam nobis sententiam instituentes. Et quidquid sit de hoc, as„ sertionem non esse definitam in Concilio Tridentino CONSTAT SATIS EVI-

„ DENTER ex decreto citato Alexandri VII. . . . Perpendatur in primis, quod „ noſtram ſententiam vocat *communiorem*, non certam, non *abſolute INTER* „ *FIDELES communem*. Quin immo additum eſt ly HODIE, quaſi denotans *non* „ *ſemper fuiſſe communiorem*. Communior autem ſententia *non tollit quod* ſibi op- „ poſita ſit COMMUNIS, & probabilis. Sed, quod caput eſt, Pontifex prohibet „ cenſuras in unam & alteram partem, *donec*, inquit, *ab hac S. Sede fuerit ali-* „ *quid hac in re definitum*; palam ſupponens NIHIL hactenus definitum eſſe ab „ Eccleſia çirca iſtam controverſiam. "

V. En novam ineluctabilem confirmationem commentitiæ & prorſus chimæricæ *certitudinis indubitatæ*, quam ex definitione Concilii Tridentini iactant fere omnes patroni formidoloſæ attritionis. Rationum momenta quæ nos adduximus, & quæ Salmanticenſes hic indicant, ſunt lucnlenta, nullique cavillationi obnoxia. Accedit nunc auctoritas Salmanticenſium, ſane magni momenti, cum ſit contra propriam ipſorum cauſſam.

VI. Doctiſſimi iſti Theologi, atque in ſcholaſtico certamine acutiſſimi mordicus propugnant attritionem ſervilem. Tamen veritatis evidentia victi, tria ingenue confitentur. Primum, Concilium Tridentinum *nihil* de hac controverſia definiiſſe. Alterum, certitudinem moralem indubitatam, quam ſuæ ſententiæ tribuunt adverſarii, eſſe imaginarium commentum, & patentem falſitatem. Tertium, quod licet in decreto Alexandrino dicatur: *Quæ HODIE inter Scholaſticos communior VIDETUR*: tamen non infertur, fuiſſe abſolute communem inter fideles: neque impeditur quominus oppoſita ſit *communis, & probabilis*. Immo inferri poſſe videtur ex illo ipſo decreto, hanc ſententiam contrariam attritioni formidoloſæ ante *τὸ HODIE* fuiſſe communiorem, quod aliunde veriſſimum eſt.

VII. Heinc argumentor. Si iſti Theologi, qui toto virium conatu propugnant opinionem formidoloſæ attritionis, aliquid veriſimilitudinis deprehendiſſent in præfato recentiorum reſponſo, nonne illud adoptaſſent? Hoc ſolum reſponſum unicum remedium eſſet, quo liberari a damnatione poſſet ſervilis attritionis opinio, ut mox videbimus. Illud ut chimæricum improbant Salmanticenſes Theologi: illud imaginarium, & evidenter falſum evincunt adducta argumenta. Ergo tum rationum, tum auctoritatis invictiſſimis momentis conſtat certitudinem indubitatam, quam adverſarii iactant, eſſe purum putumque effugium, & meram cavillationem excogitatam neceſſitate urgente defendendæ opinionis ſemel ardenti partium ſtudio adoptatæ, & publico ac famoſo in certamine propugnatæ.

VIII. Alterum reſponſum magis ineptum & falſum, excogitatum ad liberandam opinionem attritionis ſervilis a damnatione contenta in dicta 1. *prop.* referunt ibidem *num.* 52. Salmanticenſes his verbis. „ Nec iterum ſatisfacit, ſi cum „ quibuſdam iunioribus reſpondeatur, *decretum Innocentii XI.* in hac parte non

„ ur-

„ urgere, quia solum reprobat, quod *in sacramentis conferendis* liceat sequi opi„ nionem probabilem, relicta tutiori; sed non dixit *in recipiendis*. Cum autem „ conferre sacramenta pertineat ad solos ministros; solum convincitur ex prædi„ cto decreto, quod ministri tantum obligentur sequi in sua administratione tu„ tiorem partem, non autem eos qui sacramenta suscipiunt. Et aliunde, cum in „ sacramento pœnitentiæ dolor ex parte suscipientis se teneat, consequens vide„ tur hunc non obligari ad securiorem dolorem.

IX. „ Hæc, inquam, responsio minime satisfacit, quippe quæ est MERA FU„ GA SPECULATIVA, menti Pontificis in illa propositione *repugnans*." Pluribus argumentis evincunt perdocti viri istius responsi futilitatem: & postea sic concludunt. „ Confessarius non potest absolvere pœnitentem, nisi moraliter cer„ tus sit de sufficientia dispositionis, quam pro suscipiendo sacramento habet: & „ nec licite, nec valide confert absolutionem, si sciat esse indispositum. Cum „ ergo tutior, ac omnino tuta dispositio ex parte pœnitentis sit *dolor ex amore*, „ e contra vero *attritio* sit solum dispositio probabilis, ut argumentum opponit, „ sequitur pœnitentem, illo *amore omisso*, non accedere recte dispositum: siqui„ dem se exponit periculo frustrandi sacramentum, cuius valor non tantum a „ ministro, sed etiam a susci piente dependet. *Perseverat itaque in suo robore ob„ iecta difficultas*."

X. Subdunt postea continuo, quæ sequuntur. „ Et ea quidem prolixa & mole„ sta nimis aliquando visa fuit (præfata difficultas) propter *interminabiles ac re„ flexas* hoc tempore comparationes inter propositiones *probabiles*, *probabiliores*, „ *certo probabiles*, *certas*, *tutas*, *tutiores* &c. Sed quod ad præsentem controver„ siam attinet, facillimo negotio evacuatur: quia Pontifex non prohibet quod „ *in scribendo sequamur sententias probabiles* ... Hoc enim iudicium ita scribentium „ est speculativum, relinquens locum ut in praxi sequatur quis quod tutius sibi „ apparuerit. Quare ad argumentum respondetur, concedendas præmissas primi „ syllogismi."

XI. Quæ autem sunt istæ præmissæ? Ecce. „ Ubi agitur de valore sacramen„ torum, tenemur sequi sententiam tutiorem iuxta decretum &c. Sed agimus de „ valore sacramenti pœnitentiæ. Ergo &c. Atqui sententia negans sufficere pu„ ram attritionem, & affirmans requiri aliquem amorem Dei super omnia, est „ tutior comparative ad aliam defendentem puram attritionem sufficere .... „ Ergo &c."

XII. Respondent itaque, „ negando consequentiam, quæ ex illis (præmissis) „ non colligitur. *Nam maior refertur ad praxim, & usum sacramentorum; conse„ quentia vero ad speculationem scribentium, & iudicium inter sententias, abstrahendo „ ab earum usu: unde nihil in vi formæ concludit ille discursus*."

XIII. Rescribere volui propria illorum verba, ne suspicari quisquam possit aliquid per exaggerationem a me proferri. Brevissima decisio Salmanticensium haec est. Damnatus a S. Sede est usus & praxis attritionis servilis : quia cum sit opinio tantum probabilis, & minus tuta, ex pontificio decreto tenemur sequi in practica administratione sacramentorum contrariam sententiam tutiorem. At non damnavit Pontifex quod in scholis possit praefata opinio attritionis formidolosae defendi *speculative, abstrahendo ab eiusdem usu*. Hoc est illorum responsum, quod ego non improbarem, si volumina in quibus eiusmodi speculationes scribuntur, sisterent intra Lyceorum confinia. Huc tamen veluti ad unicum asylum sese receperunt acuti doctique Theologi. Sed utinam hic pedem fixissent. At dati responsi illos poenituit, & inauditum paradoxon excogitarunt, quod oculis nunc subiicio.

§. VIII.

Ultimum responsum Salmanticensium. Utraque opinio attritionis servilis, & attritionis initialis probabilis. Sed opinio attritionis pure formidolosae est TUTIOR : ideo praeferenda alteri oppositae. Peregrinum paradoxon exponitur, & refellitur.

I. NON pauci in palaestra scholastica diu belligerantes, & manus cum adversariis frequenter in publicis certaminibus conferentes, talem ex eiusmodi conflictibus & pugnis litterariis comparare sibi fortitudinem, robur, & ausum solent, ut nullum reformident adversarium. Sunt veluti invictae Romanae legiones, quarum animis insculptum erat, numquam hosti terga dare. Similiter isti obarmati longissimis distinctionum catapultis, inquit Melchior Cano, aggrediuntur, & repellunt vel invictissimos hostes. Ne plus iusto te admiratione defixum teneam, accipe cito insignium virorum inventum novum propriis ipsorum verbis, quod ibidem continuo exhibent *num.* 53.

II. „ Ut autem non videamur difficultatem *fugere*, AUT (N.B.) TIMERE vel „ in his quae ad praxim spectant (& forte lector desiderabit) respondetur admit„ tendo totum primum syllogismum, & negando absolute minorem subsumptam. „ *Nostra namque sententia non solum est probabilior, & communior* ; SED ETIAM „ TUTIOR *quam contraria : atque ideo non solum speculative, sed etiam practice,* „ *& iuxta decretum SS. Innocentii XI. modis omnibus praeferenda.*

III. Ab epocha Scholasticorum simile commentum non est auditum. Parcant mihi doctissimi viri, si in caussa gravissima, summoque negotio libere quod sen-

tio, ad tantæ veritatis, quæ in manibus est, præsidium pronuntiavero. Ante oculos mihi sunt præclara Salmanticensium merita: illos ut splendorem & ornamentum Thomisticæ Scholæ veneror: eorumdem in Theologia conatus, acumen, & profunditatem suspicio. Verum quia quo maior est illorum auctoritas, eo facilius illis hac in caussa aberrantibus adhærere imperiti possunt; idcirco gravis corrigendi eorumdem erratum necessitas urget. Ad rem.

IV. Opinio ergo attritionis ex solo gehennæ timore conceptæ TUTIOR EST opinione attritionis conceptæ ex amore Dei? Vel ipse P. Dominicus Viva clamat in *trut. in prop.* 15. Alexand. VIII. *num.* 35. *Nemo unus est qui dissentiat*, attritionem ex amore Dei conceptam esse *tutiorem*. Qua ergo ratione ducti Salmanticenses Theologi tantum commenti sunt paradoxon? En illorum rationes propriis ipsorum verbis transcriptas, ne quidquam ipsis imponere videar.

V. „ Unum ex duobus contradictoriis ab illis (Auctoribus attritionis ex Dei a„ more conceptæ) necessario concedendum est . . . nempe vel amorem caritatis „ Dei super omnia, coniungi cum peccato mortali ante susceptionem in re sacra„ menti pœnitentiæ, ut ita salvent tale sacramentum efficere in pœnitente pri„ mam iustificationis gratiam: vel prædictum caritatis amorem non cohærere „ cum statu peccati mortalis, sed illum saltem indirecte per modum dispositionis „ contrariæ expellere ante susceptum in re sacramentum: quippe inter expelle„ re & non expellere peccatum non datur medium, cum contradictorie oppo„ nantur. Quare in quodcumque latus se vertant, unam ex prædictis viis arri„ pere debent, *& ad eam sunt compellendi. Quamlibet vero eligant, terribiles ipsis* „ *imminent hæresum, & errorum scopuli, atque voragines, ita ut non tam possint* „ *incedere, quam ruere.*"

VI. Nos labantes, & ruentes erigit, ac sustinet Melchior Canus *Lib.IX. cap.* v. inquiens. *Hoc vero sæculo fuisse etiam in Academiis multos qui omnem ferme Theologiæ disputationem sophisticis, ineptisque rationibus transegerint, utinam ipsi non fuissemus experti. Egit autem diabolus, quod sine lacrymis non queo dicere, ut quo tempore adversum ingruentes ex Germania hæreses oportebat Scholæ Theologos optimis esse armis instructos, eo nulla prorsus haberent, nisi arundines longas, arma videlicet levia puerorum. Ita irrisi sunt a plerisque, ac merito irrisi, quoniam veræ Theologiæ solidam effigiem nullam tenebant, umbris utebantur, easque ipsas utinam sequerentur.* Hæc pauca interserere placuit, ut intelligant adversarii, nos puerorum crepitacula non formidare, nostraque in statione firmos esse, quin vel tantillum animos remiserimus; sed risu potius similia excipimus. Videamus nunc hæresum monstra, quæ nobis obiectant.

VII. „ Nam si eligant (persequuntur illi) primam, nempe amorem caritatis „ coniungi cum statu peccati mortalis, coincidunt cum doctrina Michaelis Baii

„ .... Si

„ . . . . Si autem eligant secundam viam, in non minora discrimina se coniiciunt. Nam consequenter asserere debent . . . . sacramentum pœnitentiæ numquam conferre primam gratiam &c."

VIII. Hæ sunt hæresum syrtes quas obtrudunt. Arrige nunc aures, ut videas consequentiam quam eliciunt *num.* 54. „ Illa sententia circa requisita ad valorem „ huius sacramenti TUTIOR, AC TUTISSIMA reputanda est quæ salvat salvanda ex necessitate fidei . . . Constat autem sententiam asserentem, pro sacramento pœnitentiæ sufficere solam attritionem (ex timore gehennæ conceptam) ita omnia salvare . . . . Altera autem sententia, quæ requirit contritionem, sive amorem caritatis, hæc omnia turbat . . . . *Ergo prima sententia* (attritionis servilis) *est LONGE TUTIOR quam secunda* : & nullum debet timere in sua praxi (quæ est inter fideles communis) imminens periculum, cum procedat iuxta notissima fidei principia : e contra vero secunda sententia vix cum eis conciliari valet, vix purgari ab erroribus Michaelis Baii, & aliis condemnatis in Concilio Tridentino . . . . *Ergo nostra sententia* (attritionis servilis) *TUTIOR INCOMPARABILITER EST quam contraria* : præsertim cum ista non faveat ipsi pœnitentiæ sacramento, sed potius fideles ab eius frequenti usu deterreat; cum alios pro eo suscipiendo dispositos non admittat quam ex amore Dei contritos.... *Qua itaque ratione diceretur TUTIOR in praxi, QUAE TAM APERTE SACRAMENTI PRAXIM OPPUGNAT ?*

§. IX.

Quam horrenda absurda sint quæ necessario doctrinam Salmanticensium consequuntur.

I. PRIMUM ABSURDUM. Principio hæc doctrina est contra OMNES Theologos catholicos, nemine excepto. Nemo unus hactenus dixit, opinionem attritionis formidolosæ esse TUTIOREM opposita, quæ postulat attritionem ex amore caritatis inchoatæ conceptam.

II. SECUNDUM ABSURDUM. Incendio tradendæ sunt omnes *Doctrinæ christianæ*, seu catecheses, quibus imbuuntur fideles in fidei articulis : nam in omnibus communiter formula actus contritionis perfectæ, nedum imperfectæ, descripta est; & ad eam exercendam, præsertim in sacramentorum frequentia, accendere fideles student.

III. TERTIUM ABSURDUM. Hæc doctrina Christi regnum, caritate partum, caritate erectum, caritate perfectum, funditus evertit; cum ab eiusdem caritatis exercitio Christianos avertat & absterreat. Si enim actum caritatis Christiani

ſtiani non eliciunt, dum ſacramentum pœnitentiæ ſuſcipiunt; quandonam illum exercebunt? Si dum reconciliationem cum Deo inire ſtudent, Deum non amant; quandonam illum amore proſequentur?

IV. QUARTUM ABSURDUM. Omnes communiter Theologi catholici docent, ſaltem in articulo mortis neceſſarium eſſe actum contritionis ex amore Dei. Omnes communiter docent, ut minus, tunc urgere caritatis præceptum: & id definitum ab Eccleſia eſt. Quia in illo tremendo extremæ luctæ momento, quod tutius eſt, exequi debemus. Si INCOMPARABILITER TUTIOR eſt attritio concepta ex ſolo timore gehennæ, quam contritio concepta ex amore Dei, ex caritate Dei; huic attritioni formidoloſæ *incomparabiliter tutiori* adhærendum firmiter erit, tamquam tabulæ incomparabilitet ſecuriori & tutiori, reiecta caritate, quæ deſtruit ſacramentum Chriſti, quæ Baianos facit Chriſtianos. En in quæ abſurda monſtroſa, & errorum portenta coniiciat invectum a Salmanticenſibus paradoxon.

V. Nec eſt quod opponas, aliud eſſe conſtituere præceptum neceſſariæ caritatis ſaltem inchoatæ; aliud longe diverſum illam ſuadere per modum conſilii, ad ſacramentum ſuſcipiendum. Omnes, inquiunt, illam ſuademus; ſed illius neceſſitatem negamus. Argutatio hæc prorſus vana & inepta eſt. Si caritas quæcumque, etiam imperfecta, natura ſua excludit peccatum, ſive aſſeratur neceſſaria neceſſitate medii & præcepti, ſive ſuadeatur per modum conſilii; non propterea ſuam vim amittit, aut fortius acquirit robur: quandoquidem caritas a Deo, non a Theologorum diſputationibus, ſuam vim & energiam arceſſit. Ergo, ſive aſſeratur neceſſaria, ſive conſulatur ut quid melius, ſemper elidit ſacramenti efficaciam, ſemper evertit, & deſtruit ſacramentum Chriſti. Numquam igitur licitum erit Chriſtianos pœnitentes ad divinam caritatem inflammare, dum confitentur, ut ſarta tecta cuſtodiatur ſacramenti integritas, & efficacitas, ne ſacramentum ſuperfluum efficiatur. Quocumque ſe rotent adverſarii, in laqueos incidunt, a quibus numquam ſe expedient, niſi ſervilis attritionis opinionem reiiciant.

VI. Sed quid ego diutius immoror in deſcribendis abſurdis ſane monſtroſis quæ recenſitum paradoxon neceſſario conſequuntur? Ipſa doctrina ſeipſa, eloquentius quocumque facundo oratore, ſuum patefacit horrorem, & formidanda conſectaria. Seipſa bellum indicit Scripturis ſanctis, Patribus, Conciliis, præſertim Tridentino, eiuſque Catechiſmo; ut evidenter demonſtratum eſt.

VII. Argutationes vaniſſimas, quas Salmanticenſes obtrudunt, tamquam hæreſum monſtra, iam ſupra reiecimus, ut inepta puerorum terriculamenta. Et primum mirari ſatis non ſubit, perdoctos viros ignorare, nullam hactenus cenſuram inuſtam eſſe illi ſententiæ, in Concilio Tridentino diſcuſſæ, quæ requirit contritionem perfectam pro diſpoſitione proxima ad ſacramentum pœnitentiæ. Si hoc ipſos

ipsos non latuisset; ausi profecto non essent obiicere sophisticam illam cavillationem contra sententiam attritionis ex imperfecto amore Dei conceptae. Hoc vanissimo sophismate decepti, inauditum *Tutiorismum* affinxerunt opinioni formidolosae attritionis. Paucis in memoriam revoco doctrinam ipsorum Salmanticensium, quam in hac eadem controversia tradunt *§. 1. num.8.* videlicet, dari attritionem supernaturalem duplicem eiusdem omnino naturae ex parte obiecti formalis, & specifici; quarum altera sit efficax ad producendum effectum, altera ex infirmitate voluntatis sit inefficax ad eum effectum: licet ambae attingant idem omnino specifice obiectum formale, ut supra fuse explicui, transcribendo ipsorum verba. Similiter nos dicimus, duplicem praeter habitualem dari caritatem actualem. Altera est imperfecta & inchoata, quae peccatum non excludit, sed disponit proxime ad expulsionem eius per sacramentum poenitentiae efficiendam. Hanc attritionem sive contritionem ex Dei initiali amore eum peccato expellendo per sacramentum coniungimus; quemadmodum adversarii attritionem supernaturalem ex mero timore gehennae conceptam simul eum peccato sociant; cum hoc tamen discrimine, quod hanc insufficientem, illam sufficientem propugnamus. Altera est perfecta, vehemens, succensa, quae excludit peccatum. *At, quoniam PAUCI admodum* (inquit Catechismus Tridentinus) *ad hunc gradum pervenirent, fiebat etiam ut a PAUCISSIMIS hac via peccatorum venia speranda esset. Quare necesse fuit ut clementissimus Dominus faciliori ratione communi hominum saluti consuleret: quod quidem admirabili consilio effecit, cum CLAVES regni caelestis Ecclesiae tradidit.* Haec non est speculatio scholastica, sed est doctrina Catechismi Tridentini & Romani, & universae Ecclesiae, inquit *BOSSUETUS*. Provoco adversarios, ut in universo hoc Catechismo, in quo 79. *§§.*, ut alias dixi, exponitur doctrina necessaria pro praxi sacramenti poenitentiae, inveniant unicum textum, in quo vel mentio fiat attritionis ex gehennae timore conceptae. Catechismus iste Tridentini Concilii doctrinam de poenitentia fuso calamo exponit. Parochos, & fideles docet partes sacramenti poenitentiae. Attritione servili alto pressa silentio, ut dixi alias, & dicendum saepius est, solam contritionem nominat: alteram vehementem & incensam seipsa iustificantem, quae in *paucissimis* reperitur; alteram imperfectam, quam sacramentum perficit, tamquam eiusdem sacramenti materiam. Quod ibidem refricant docti Salmanticenses, *unum hominem non posse secundum suavem & praesentem providentiam habere duos ultimos fines*, adfirmamus & nos: & dicimus peccatorem qui suae iustificationi inhiat, *voluntatem peccandi excludere*, ut Tridentinum docet. Ergo haec voluntas aversa a peccato est conversa in Deum per eiusdem amorem initialem: quae conversio est proxima & sufficiens dispositio, ut Deus convertatur ad hominem, eumque per sacramentum iustificet. Tota haec doctrina, hausta ex Scripturis sanctis, est Concilii Tridentini, eiusdem Catechismi,

mi, ſanctorum Patrum, præſertim Auguſtini & Thomæ, graviorumque Theologorum auctoritate firmata.

VIII. Num. 55. ſibi opponunt Salmanticenſes, omnes adfirmare, attritionem initialem ſufficere; de ſervili vero in utramque partem diſputari. Ergo tutior illa quam hæc. Reſpondent diſtinguendo conſequens. Illa eſt tutior *extenſive*, concedunt; *intenſive*, negant. Prolixa verborum farragine explicant hanc diſtinctionem. Paucis ego rem exhibeo. Dicunt, attritionem initialem tutiorem eſſe *extenſive*, *ampliative*, ideſt ex *ſupererogatione*; ſecus *intenſive*, nempe ex neceſſitate. Diſtinguunt *tutum*, & *tutius*, ſed obſcura valde, & implicata oratione, ut ſuum paradoxon obtegant. Confundunt propoſitionem *tutiorem* cum propoſitione *veriore*.

IX. Paucis aberrationem detego, & quæ illuſtrandæ veritati, ac præſenti doctrinæ conferunt, explico. Aliqua propoſitio eſt *tutior*, ut iſta: Contritio perfecta requiritur pro diſpoſitione ad ſacramentum: ſed eius oppoſita: Contritio perfecta non requiritur pro diſpoſitione ad ſacramentum: eſt *verior*. Datur doctrina tuta, & doctrina tutior. Tutior eſt profeſſio clauſtralis quam laicalis: ſed hæc tuta eſt; & nemo ex neceſſitate ad illam ſuſcipiendam aſtringitur. *Tutior* diſpoſitio eſt ad ſacramentum contritio perfecta. *Tuta* diſpoſitio eſt ad ſacramentum contritio ex caritate imperfecta concepta. Quando una doctrina eſt *tuta*, nemo tenetur ad tutiorem. Heinc quia doctrina quæ docet attritionem ex caritate inchoata conceptam ſufficere, eſt tuta, nemo tenetur amplecti tutiorem de contritione perfecta.

X. Totum ergo negotium eo recidit, ut explicetur, quid ſit propoſitio tuta. Ea vero eſt quam communiter omnes Doctores catholici adfirmant eſſe talem. Omnes Doctores catholici hodie adfirmant, attritionem caritate imperfecta formatam ſufficere pro diſpoſitione ad ſacramentum: idcirco & eſt doctrina tuta, & non tenemur amplecti tutiorem de contritione perfecta: quia in præſentia Theologorum nemo docet illam eſſe neceſſariam. Quando autem ſit comparatio inter *tutam*, & *tutiorem* doctrinam, nemo aſtringitur ad *tutiorem*, relicta *tuta*. Illa autem propoſitio non eſt tuta de qua gravis eſt inter Theologos catholicos controverſia in utramque partem.

XI. Summus itaque Pontifex Innocentius XI. in ſuo decreto non iubet ut ex doctrinis tutis ſequamur tutiorem: & hoc convenit apud omnes. Quid ergo? Iubet ut ex doctrinis de quibus Theologi catholici in utramque partem probabiliter diſputant, illam amplectamur quæ eſt tutior: & de hoc quoque nullum diſſidium. De attritione ſervili diſputant Theologi, & quidem tum numero plurimi, tum doctrina illuſtres, in utramque partem: idcirco ſententia de attritione ſervili non eſt tuta, ſed ad ſummum probabilis; &, ſi vis etiam diſputationis gratia, pro-

probabilior, & probabilissima. Nihilominus ex decreto Innocentii XI. amplectenda est opposita, quæ tutior est.

XII. Ex his omnibus luculentius constat, quam inauditum, quam absonum, & unanimi Catholicorum consensui repugnans sit Salmanticensium *paradoxon*. Nec unum ipsi Theologum citant qui tale somniaverit, aut probaverit commentum. Mirabuntur lectores omnes, Theologos adeo acutos, & doctos, quales meo iudicio sunt Salmanticenses, tam peregrinam & falsam parere, ac propugnare speculationem potuisse. Sed contingit interdum ut quo homines acutiores sunt, si errent, fidentius & turpius errent. Viderunt acuti Salmanticenses, responsa hactenus a Theologis inventa ad liberandam opinionem attritionis formidolosæ a damnatione 1. *prop.* Innocentii XI. esse evidenter falsa, vana, & chimærica. Ex alia parte illi hanc opinionem propugnandam adoptaverant. Quamobrem, ut susceptum onus sustinerent, & oppignoratam suam in hac caussa doctrinam quoquo modo a censura liberarent, ex universo scholasticæ subtilitatis armamentario commentum hactenus omnibus incognitum in lucem eduxerunt.

§. X.

CONCLUSIO.

Adversariorum dissidio, & confessione opinio attritionis formidolosæ continetur in 1. prop. Innocentii XI. Aut ergo suam retractent opinionem adversarii: aut eam liberent aliqua solida ratione a dicta damnatione. Vindicatur Sac. Congregatio Concilii Tridentini contra assertionem P. Claudii La-Croix.

I. TRia hactenus excogitata commenta sunt, quibus a censura damnationis liberetur opinio formidolosæ attritionis.

II. Primum est certitudo moralis & indubitata, elidens oppositæ sententiæ veram probabilitatem. Hæc indubitata moralis certitudo est commentitia, & penitus chimærica; ut testantur illi ipsi Theologi qui opinionem attritionis servilis excogitarunt primi. Quid quod non antiqui modo, sed recentium adversariorum doctiores Salmanticenses, & alii testantur, & probant, hanc certitudinem moralem esse manifestum paradoxon Probabilismo partum. Ergo hoc ex capite certitudinis moralis indubitatæ opinio attritionis formidolosæ continetur in damnatione 1. *prop.* Innocentii XI.

III. Secundum commentum, quo præfatam opinionem a damnatione liberare stu-

ſtuduerunt, hoc eſt. Propoſitio comprehendit ſolos miniſtros *conferentes ſacramentum*, non fideles ſacramentum *recipientes*. Reſpondent Salmanticenſes ipſi, hanc eſſe *fugam ſpeculativam repugnantem Pontificis decreto*. Aberratio adeo craſſa eſt, ut contemni, non refutari debeat.

IV. Commentum tertium, in præſidium attritionis ſervilis excogitatum a Theologis Salmanticenſibus, eſt, quod hæc opinio ſit tutior oppoſita. Verum hic eſt error manifeſtus contra omnes Theologos catholicos. *Nemo unus*, inquit P. Viva, & teſtimonium hoc verum eſt, hactenus negavit tutius & conſultius eſſe concipere attritionem ex amore Dei.

V. CONSECTARIUM. Adverſariorum igitur diſſidio, & confeſſione illorum opinio eſt damnata. Quoniam, ut demonſtratum ſupra eſt, ſi opinio attritionis formidoloſæ ſit tantum probabilis, vel probabilior, vel probabiliſſima, eſt damnata, fatentibus omnibus adverſariis, qui, ut a damnatione illam ſubducant, aiunt eſſe moraliter certam, indubitatam, & tantum non dogma fidei. At hæc indubitata certitudo, ut probavi, & facti falſitas evidentiſſima, eſt chimæra apertiſſima; quemadmodum fatentur vel ipſi adverſarii *Salmanticenſes*, & quotquot præiudiciorum vacui bono ſunt præditi ſenſu. Hoc idem adfirmant omnes illi Theologi qui ſecundum commentum excogitarunt, nempe 1. propoſitionem Innocentii XI. intelligendam eſſe de miniſtris *conferentibus*, non de fidelibus *recipientibus* ſacramentum. Quod commentum reſpuunt omnes Theologi propugnatores *certitudinis moralis chimæricæ*.

VI. Ambo hæc duo commenta improbant Theologi Salmanticenſes, aientes utramque opinionem eſſe tantum probabilem, ſed hanc de attritione ſervili eſſe *tutiorem*: quod interpretamentum omnes ad unum Theologi catholici execrantur ut manifeſtum errorem.

VII. Ergo adverſarii ipſi, non ſecus ac ædificatores Babelicæ turris, propriam ſententiam lacerant, deſtruunt, damnant. Nam, dum unus trullam exhibet, alter cœmentum porrigit: illi iactant eſſe certam & indubitatam; iſti pernegant hanc certitudinem, & defendunt ſolam probabilitatem, ſed tutiorem: alii erroris evidentis damnant hoc *tutioris* commentum: alii denique fatentur hanc opinionem nec eſſe certam, nec tutiorem; ſed non propterea comprehendi in 1. *prop.* Innocentii XI. quia hæc propoſitio damnata reſtringitur ad miniſtros *conferentes*, non extenditur ad Chriſtianos *recipientes* ſacramentum. Sed hanc eſſe *fugam ſpeculativam*, & craſſam cogitatiunculam, ceteri adverſariorum teſtantur. Ergo conſequentia ineluctabili concluditur, ipſo adverſariorum diſſidio, & confeſſione opinionem formidoloſæ attritionis contineri in 1. *prop. damn.* per Innocentium XI.

VIII. Ad hæc omnia adde argumentationes a nobis factas, & noſtrorum Theologorum auctoritatem, ut pleniſſimam illius quod propoſui, evidentiam habeas.

IX.

IX. Alterutrum ergo adversarii præstare coguntur. Aut solidam, certam, & perspicuam præbere interpretationem, qua ostendant suam opinionem non contineri in 1. *prop.* Innocentii XI. aut eam publice retractare. Nulla hic ad evadendum latebra. Responsa hactenus data, sunt ipsorum contrariis attestationibus commentitia, falsa, chimærica. Ergo aut novum solidum responsum, aut retractatio.

X. P. Claudius La-Croix *Lib. VI. part. 11. num.* 859. hæc scribit. „ Si sententia „ nostra esset falsa, Pontifices, & Cardinales *Concilii Tridentini* Interpretes, cum „ sciant nos PRAECIPUE NITI *Tridentino*, declararent oppositum *pro officio* „ *suo*, & cavendo damno animarum : sed non declarant &c. "

XI. Eo ergo se nunc recipiunt, ut dicant, suam sententiam *permitti* publice doceri? Ubi nunc est illa iactata certitudo indubitata? Ubinam modo est illa Tridentini Concilii definitio ita aperta, ut nostra sententia *amiserit omnem probabilitatem?* Sententia attritionis formidolosæ nititur *præcipue Tridentino?* Ergo præcipue falsa est. Quoniam omnes nunc eruditi fatentur, nihil de sufficientia attritionis formidolosæ statuisse Concilium.

XII. Ad rem. Pontifices, & Cardinales Concilii Tridentini Interpretes peculiari & expressa damnatione non confixerunt opinationem attritionis formidolosæ, quia eiusmodi prohibitiones non multiplicant absque necessitate. Sciunt ipsi *Ven. Innocentium XI.* præcepisse ut ex doctrinis inter Theologos catholicos probabiliter in utramque partem controversis tutiorem sequamur. Hoc pontificium decretum abundantissime fidelium conscientiis consulit, & regulam certam, tutam, securamque præscribit; cui si Theologi debita obedientia, & simplicitate a studio partium libera hæreant, tute ipsi incedunt, & secure fideles dirigunt in via mandatorum Dei. Hæc est ratio cur Cardinales Concilii Tridentini Interpretes novas non emittant censuras, & declarationes.

XIII. Inclamat ibidem P. La-Croix *num.* 858. „ Non est credibile quod Spiritus „ tus sanctus, qui regit Ecclesiam, permissurus fuisset praxim sententiæ nostræ, „ si falsa esset, cum damno tot animarum prævalere; maxime cum sententia „ nostra toties fuerit a *Rigoristis* S. Sedi exhibita cum potentissimis instantiis, ut „ damnaretur; & tamen Pontifices numquam reprobarunt : speciatim Alex. VII. „ & Innoc. XI. *alioqui prompti* ad damnandas propositiones periculosas. "

XIV. Displicet forte illa SS. Pontificum *promptitudo?* Respondeo, Spiritum sanctum, qui regit, æternumque reget Ecclesiam, illuminasse Ven. Innocentium XI. ut præciperet amplectendam esse *tutiorem doctrinam* in sacramentorum administratione. Et hac via providit fidelibus qui in simplicitate cordis ambulant, qui decreta pontificia iuxta obvium germanumque sensum, missis cavillatoriis distinctiunculis, obsequenti animo suscipiunt. Quid, si hic recenserem constitutiones

nes

nes Pianas, Sixtinas, Innocentianas, Clementinas adversus usuras, adversus superstitiosos ritus, adversus ieiuniorum laxitates, captiosis commentis delusas? Quot vanis distinctiunculis, quot fucatis artificiis ipsas propositiones damnatas ab Alexandro VII. & Innocentio XI. a damnationis censuris subducere non tentarunt Casuistæ nonnulli?

XV. Verum, ut extranea mittamus, ob oculos revocentur futilissimæ speculationes, invectæ ad implicandam hanc 1. *prop.* Innocentii XI. Quam sint chimærica & ridicularia quæ expendimus commenta, satis superque ostensum est. Ne ergo imperiti lectores decipiantur in lectione eorum quæ bona fide, & pia intentione scripsit *P. La-Croix*, animadvertant, Romanam Ecclesiam sanctissimas præscripsisse regulas, certissimas, & tutissimas pro certa sacramentorum administratione. Et ut adversariorum plures aliquo afficiantur sensu, cedo: nonne Romana Sedes imperat ut *tutiores doctrinas* in controversiis de sacramentorum valida administratione sequamur? Quid autem? Erumpunt in medium longis distinctionum arundinibus stipati Casuistæ plures, inclamantes: Regula tradita ab Ecclesia est cum *indistinctione probabilis tantum speculative, a probabili tantum practice*: & rursus *probabilis utcumque a probabili moraliter certo*. Insuper nulla facta est hactenus a Romana Sede distinctio inter *probabile directum, & probabile reflexum: inter propositionem probabiliter probabilem, & certo probabilem: inter probabilitatem tenuem, & probabilitatem magnam: inter opinionem probabilem, probabiliorem, probabilissimam, tutam, minus tutam, tutiorem, tutissimam: inter probabile remotum, radicale, proximum, immediatum* &c.

XVI. Quia Romana Sedes ad suum supremum tribunal has nugas & quisquilias serio expendendas non traduxit; quia suos sapientes seniores non occupavit in harum distinctiuncularum examine; quia sua anathemata non intorsit contra eiusmodi umbratica commenta: ideone providentia summa non consuluit fidelium saluti? Si omnia plurium Casuistarum arbitraria inventa prohibere Romana Sedes deberet, sufficiens pro congruo illorum examine tempus non haberet; etiamsi cetera alia negotia gravissima negligeret, & huc suas curas, & apostolicam sollicitudinem omnem intenderet.

XVII. Romana itaque Sedes commenta a non paucis iunioribus inventa non profligavit. Præterea nullam *peculiarem definitionem* edidit, qua expresse alterutram sententiam sigillatim aut damnaret, aut probaret. Idcirco dictum est in Appendice adiecta ad Concilium Romanum, nihil a S. Sede hac super re definitum esse. Quia nihil reipsa expressum & singulare prodiit. Quid inde? Propterea ne corruit decretum Innocentii XI. præcipiens ut in re sacramentaria sequamur sententiam tutiorem? Quamvis ergo non sit expressa & peculiaris definitio Ecclesiæ, damnans opinionem attritionis formidolosæ; tamen si evidentissimo ratiocinio de-

monstramus, & demonstratum est, ut mea minima præfert opinio, talem sententiam contineri in damnatione dictæ 1. *prop.* iure inferimus improbandam esse. Caveant ergo lectores sophismata quorumdam Casuistarum inclamantium, hanc, vel illam propositionem non esse ab Ecclesia damnatam. Unde inferunt esse & licitam, & tutam. Quod supra *num.* 13. retuli ex P. La-Croix, nempe Alexandrum VII. & Innocentium XI. *alioqui promptos ad damnandas propositiones*, non proscripsisse hanc de servili attritione, ex quo infert eam esse tutam, est vanum sophisma, quod profligavit ipse summus Pontifex Innocentius XI. inquiens in suo decreto: *Non intendens tamen Sanctitas sua per hoc decretum alias propositiones in ipso non expressas, & Sanctitati suæ quomodolibet, & ex quacumque parte exhibitas, vel exhibendas ullatenus approbare.* Falsum itaque est ratiocinium P. La-Croix. Hæc opinio fuit exhibita Pontifici summo *cum potentissimis instantiis*; & tamen non est prohibita. Ergo vera? Ergo tuta? Ergo secure possumus illam sequi? Consectaria falsa sunt, nisi aliunde rationes adducantur quibus sententiæ veritas probetur.

XVIII. Tandem, ut omnia adversariorum super hoc puncto sophismata evanescant, summa & divina Ecclesiæ providentia in custodiendo evangelico grege ab erroribus, & in præscribendis tutis securisque pro eiusdem regimine regulis altius spectanda, & consideranda est. Innumeræ sunt opiniones quæ in utramque partem disputantur circa validam sacramentorum administrationem. Si Ecclesia singulas has opiniones dispicere, & in singulas censuras intorquere voluisset; ingens conflasset volumen, & longissima temporis intervalla necessaria fuissent. Quid egit Romana Sedes, ut & dignitati sacramentorum, & fidelium saluti consuleret? Hac sola brevi & perspicua regula: *In conferendis sacramentis, relicta opinione probabili de eorum valore, tutior præferatur:* hac, inquam, brevissima, perspicua, & obvia regula non unam, sed sexcentas damnavit propositiones, omnes nempe illas quæ in utramque partem inter Theologos probabiliter disputantur, & non sunt tutiores, dum agitur de valore sacramentorum. Aut hoc concedere omnes debent; aut frustraneum omnino efficiunt decretum pontificium. Duæ sunt opiniones de attritione necessaria ad sacramentum: altera, quæ requirit aliquem amorem Dei propter se dilecti; altera, quæ postulat dolorem ex solo gehennæ metu conceptum. Ergo illa quæ ex his duabus opinionibus probabiliter controversis est tutior, probatur; & quæ est minus tuta, proscribitur. Nihil hactenus quod vel levem probabilitatis speciem præferat, excogitarunt adversarii, ut suam opinionem ab hac 1. *prop.* damnatione subducerent: & nihil umquam in posterum, ut ego quidem arbitror, producent, quo eluctari hinc valeant.

CAPUT XI.

Brevissima universæ dissertationis anacephaleosis. Una ex radicibus, cur permulti Christiani sacrilege confiteantur, est defectus veri doloris de perpetrato peccato. Monita ad Confessarios.

I. ATtritionis servilis sufficientis ad sacramentum pœnitentiæ opinionem ortam vidimus in Universitate Salmantina una cum sorore altera opinione Probabilismi circiter idem tempus. Utriusque nativitatem & infantiam trepido, & incerto passu processisse contemplati sumus. Canus, Vega, Medina, Lopez, Soto, & ceteri attritionis parentes testati sunt illam incertam esse, atque *dimittendum incertum, tenendumque certum*; ut omnia iura clamant.

II. Quadraginta circiter annos ambæ sorores dominium apud Scholasticos amplificarunt; sed post medium proxime præteritum sæculum ambæ, altera in Galliis, altera in Belgio, mortifera vulnera passæ sunt. Cardinalis Pallavicini Historia publici iuris facta, & emanato decreto Ven. Innocentii XI. extremam cladem sustinuerunt. Hac tandem ætate, quemadmodum Probabilismus, ita opinio formidolosæ attritionis communiter doctioribus Theologis displicet. Primum opinio hæc a se stare Concilium Tridentinum non modo contendebat, sed secure jactabat: & hoc falso præsidio munita, seu huic falso supposito nixa, scholas plures occupavit. In præsens vel ipsi adversariorum experrectiores, evidentia facti convicti, nihil definiisse in favorem præfatæ opinionis Tridentinum confitentur. Si, fatentibus doctioribus adversariis, commentitium est primum, & fere unicum fundamentum cui opinio innitebatur; corruat & ipsa necesse est.

III. Alterum præfatæ opinationis principium est insociabile cuiuscumque caritatis, & peccati regnum. Nullam vel minimam actualem caritatem in peccatore iustificando reperiri posse clamant: quia qualibet caritas, licet actualis, & remissa, seipsa peccatum expellit, & iustificationem producit. Convertit enim peccatorem in Deum ultimum finem. Si autem conversus in ultimum finem est, ergo iustificatus; cum duos ultimos fines habere homo non possit. Hoc vanissimum sophisma, tamquam *canonem*, obtrudunt inter plures Scholasticos constitutum. Hinc inferunt, necessitatem caritatis ad iustificationem destruere Christi sacramentum, & clavium potestatem de medio tollere.

IV. Per tredecim Ecclesiæ sæculorum intervallum similis argutandi forma inaudita fuit. Si id quod sentio sincere proferre debeo, neminem puto qui serio & Scripturas sanctas, & Patres, & Concilia super hoc argumento legerit præ-

iudiciorum vacuus, repertum iri qui talem argutandi formam audire possit, quin commoveatur. Quid? Regnum Christi regnum est caritatis. Christus, Apostoli, Sancti omnes suadent, inculcant caritatem: ad hunc amoris ignem accendendum totam divinam eloquentiam exerunt: & simul pœnitentiam suadent, iubent, & urgent. Duo ne contradictoria Christus, & Evangelistæ præcipiunt? Pugnantia ne Christus, & Apostoli imperant? Caritas est quæ novum a veteri testamento distinguit, ut omnes Patres eum ipso Christo Iesu testantur. Timor character erat veteris, amor prærogativa est novi fœderis. Hoc caritatis primum potissimumque mandatum frequenter urgere Christianos ad caritatis officia in Deum & proximum, fides docet. Porro quodnam tempus ad id magis aptum & opportunum, quam cum homo ex inimico Dei amicus fieri, quam cum pignora passionis Christi, & maximum reconciliationis ac iustificationis beneficium suscipere debet? Peior, inquiunt adversarii, Christianorum quam Iudæorum conditio foret; si præter confessionis auricularis, onus quoque caritatis Christus imposuisset. Audiri ne hæc, & typis prodita legi absque horrore valent? Hæc paradoxorum portenta excogitari oportebat, ut attritionis formidolosæ opinio prævaleret apud vulgus. Prima christianæ religionis fundamenta suffodienda erant, ut scholastica speculatio, nempe hominem conversum in Deum tamquam in ultimum finem propter se dilectum, eo ipso, absque sacramento pœnitentiæ esse iustificatum; consisteret: quam speculationem invictissimis argumentis falsam esse, vanam, & repugnantem evidenter Scripturis, & universæ antiquitati, ostensum hactenus est. Nec sæpius dicta, sunt denuo repetenda.

§. I.

MONITUM I.

Cur Christiani hodierni tam cito relabantur in peccata, eorumque confessiones plurimæ sacrilegæ sint.

I. ID potissimum in caussa est cur tot Christiani in perpetuo vitiorum circulo sordescant, quod solo fornacis gehennalis horrore perterrefacti, & spe acquirendæ æternæ felicitatis allecti, sed virtutis, atque divinæ bonitatis amore prorsus arescentes, ad sacramentum accedunt. Gehennæ pœnarumque timor honestus, bonus, & supernaturalis est: conceptus ab anima, fidei lumine perfusa; præparat caritati locum, si ultra peccator progrediatur, Deumque fontem omnis iustitiæ diligere incipiat. Ceterum, si in mero timore sistat amittendæ hereditatis æternæ, & perpetua subeundi tormenta, caret principio penitus excludente pec-

peccati affectum. Timor extra propriam sphæram transilire, aut ultra suæ indolis vim agere minime valet. Suapte indole cito transit, cum sit naturæ, cui horrenda & formidanda obiicit, adversus. Elapsa gehennæ, & tormentorum teterrima imagine, amor voluptatis intus latitans, & ad tempus quodammodo coercitus, foras erumpir, suumque exercet imperium. Obvia in ipsa humana societate occurrunt exempla. Mercator qui solo timore amittendæ famæ iustitiam exercet; uxor quæ sola mariti formidine fidem thori servat; servus qui solius pœnæ metu a furto abstinet, & ceteri similes frequentissime in sua relabuntur vitia. E contrario mercatores qui iustitiæ, uxores quæ castitatis, servi qui fidelitatis, & ceteri omnes qui virtutis amore succensi sunt, perquam raro iniusti, adulteri, infideles, mendaces evadunt. Veritas hæc affulsit Ethnicis ipsis, quorum innumera proferre testimonia possem. Unum ceteroquin obvium ex Horatio *Lib. I. epist.* XVI. subiicio.

Oderunt peccare boni virtutis amore.
Tu nihil admittes in te formidine pœnæ.
Sit spes fallendi, miscebis sacra profanis.

II. Impiorum nemo est qui gehennam non perhorrescat, qui alteram vitam beatam non speret. Ut internos morsus, & latratus conscientiæ quadantenus supprimant semel, ter, vel etiam quater quotannis ad sacramenta accedunt, non virtutis amore, sed formidine pœnæ. Idcirco, paucis elapsis diebus, ad vomitum redeunt, & in consueto vitiorum cœno volutantur. Hoc solum argumentum, ab ipsa quotidiana, manifesta, & obvia experientia arcessitum, sat esse deberet ad evincendam amoris Dei & virtutis necessitatem. Amor voluptatis, divitiarum, bonorum, illecebrarum nos a Deo avertit; & amor oppositarum virtutum ad Deum nos convertit, ut Augustinus *epist.* CXIV. inquit. *Quemadmodum ad peccandum nullus nos cogebat timor, sed ipsius libido voluptasque peccandi; sic ad iuste vivendum non nos supplicii metus urgeat, sed ducat delectatio, caritasque iustitiæ.* Cur peccatores vitiorum luto fixi hærent, nisi quia impurissimo illecebrarum amore ardent? Cur iusti constantes in via mandatorum Dei ambulant, nisi quia iustitiæ amor in cordibus eorum dominatur? *Tantum quisque peccatum odit* (inquit Augustinus epist. CXLIX.) *quantum iustitiam diligit. Inimicus ergo iustitiæ est qui pœnæ timore non peccat: amicus autem erit, si eius amore non peccat.* Omne odium in amore fundatur. Ergo odium peccati proficisci ex iustitiæ amore debet: quia, ut S. Augustinus *Lib. II. contra adversar. leg. cap.* VII. scribit, *desiderium peccandi non extinguitur nisi contrario desiderio recte faciendi, ubi fides per dilectionem operatur.* Hæc est omnium Patrum doctrina, manifesta experientia confirmata. Lubet adiicere auctoritatem Cl. BOSSUETI, qui *cit. opusc. pag.* 44. hæc scribit. *At revera si quis attendat tot post pœnitentiam lapsus, facile depre-*

bendet horum esse fontem, quod de Deo diligendo nec in frequentanda pœnitentia cogitent, frigidamque & exsuccam agant pœnitentiam. Hæc est illa pœnitentia quam indifferenter, *nulloque vero, ac fincero affectu* actam *Synodus Nicæna improbavit, fontem, & altricem peccatorum, non verum, ac firmum eorum remedium.*

§. II.

MONITUM II.

AD CONFESSARIOS.

I. SAEpe numero Confessarii clamitant, eos qui moralem Theologiam scribunt, praxim audiendi confessiones non callere. Accedunt, inquiunt, pœnitentium plures, adeo rudes, agrestes, bardique, ut quid sit virtutis amor, quid Dei dilectio, penitus ignorent. Instruendi, inquies, sunt, & accendendi ad Deum amandum. Oleum & operam perdimus. Horas integras insumimus, & omnia rationum momenta proponimus quæ ad Deum amandum, detestandumque peccatum inducere valent. Infinitam Dei bonitatem, quoad possumus, ob illorum oculos depingimus. Creationis, conservationis, & redemptionis immensa beneficia illis recordamur. Sæpe sic eos alloquimur. Finge hominem reperiri iustum, innocentem, intaminatum, ab omni vitiorum labe purissimum: præterea adeo liberalem, ut ingentes divitias, quibus redundat, in civium commodum & utilitatem effundat: adeo misericordem, ut continenter ægrotos visitet, afflictos erigat, mœstos consoletur, oppressos defendat, viduas, pupillos, mendicos alat, protegat, eosque in domum suam ad habitandum recipiat. Eius amplum palatium pauperum, egenorum, infirmorumque domus est. Illius amor in patriam, n cives omnes adeo ardens est, ut pro illorum beneficio mortem oppetere paratus sit. Offensas, iniurias, contumelias sibi irrogatas inaudita clementia remittit, & obliviscitur. Cives omnes illum amant ut patrem, colunt ut iustum, venerantur ut benefactorem liberalissimum. Finge te furore abreptum, hominem hunc pium, iustum, innocentem, & tot dotibus ornatum proditorie occidisse. Cedo: an tam nefarium scelus, tam ferale homicidium serena mente recogitans, acerbo dolore confectus diu noctuque non lugeres, propterea quod hominem adeo bonum, adeo iustum, innocentem, misericordem crudeliter occidisses? Quid hiscis? Ecce. Quoties tu mortaliter peccasti, Dei Filium occidisti. *Rursus crucifigentes Filium Dei*, inquit Paulus. Quoties peccasti, toties pravo affectu mortem intentasti Christo Iesu, qui, ut te redimeret, acerbissimam mortem passus est. Et tu dolore amarissimo non conficeris? &c.

II.

II. Hæc & similia familiari sermone, & verbis ad eorum captum accommodatis, tanta efficacitate referimus, ut vel lapidea corda emollirent. Sed omnia frustra. Vix aliquid veri timoris gehennalis excitare in eorum pectore valemus. Hæc ignorant Theologi qui in cellis suis facillime scribunt. In tribunali parumper sedeant: & tum intelligent, perdiscentque, quam difficile sit caritatis ignem succendere in hominum cordibus. Talia sermocinantes Confessarios ipse audivi. Sed istos non dissimiles a suis pœnitentibus, quos describunt, iudicavi. Attritio necessaria ad sacramentum donum Dei est: illam Deus infundit. Tu partes tuas imple. Si adeo stupidi sunt pœnitentes, ut nihil commoveantur super peccatis suis; illorum cæcitatis, & obdurationis indicium est; horumque numerus non exiguus est. Quomodo cum istis gerere te debeas, infra dicam. Interim tu, quæ efficacia iudicaveris ad inflammanda in Deum illorum corda, opportuna oratione expone, divino auxilio invocato: & noli timere, quia Deus, non tu, corda vivificat. Contingit ut in corde amor ardeat, licet foras non emittat flammas. Sed tu ex fructibus, & operibus cognosces illos. Et hæc de gravissima controversia, quæ natura sua facilis & pervia est, solisque Casuistarum tricis, & partium studio implicatissima evasit, dicta sufficiant.

DISSERTATIO III.

IN QUA

IMAGO CHRISTIANAE IUSTIFICATIONIS EX S. PAULO DEPINGITUR, ET PLURES CASUISTARUM LAXAE OPINIONES REFELLUNTUR.

CAPUT I.

Nonnullæ quæstiunculæ de dolore, & proposito non peccandi resolvuntur.

I. POST prolixam disputationem nonnullas alias quæstiunculas de dolore præcedente confessionem, & de proposito non peccandi de cetero brevissime resolvemus.

II. Quæst. I. *An pœnitens debeat elicere dolorem de peccato cum intentione confitendi?* Resp. Negant Cardinalis de Lugo, Aversa, Reginaldus, Tamburinus, Gobat, Sporer, Moya, Illsung, & alii. Sed opinio hæc reiicienda est, ut minus probabilis. Quoniam dolor iste actio est sacramentalis. Ergo per intentionem pœnitentis subiicienda est formæ sacramentali; sicut ad hoc ut ablutio sit proxima baptismi materia, necessaria est intentio baptizandi. Porro non solum in ministro, sed etiam in suscipiente necessaria intentio est. Non sunt tamen hæc metaphysice discutienda. Quoniam eo ipso quod quis confiteri velit, doleatque de peccatis, dolor illius respectum dicit ad confessionem. Quare pœnitentium mentes non sunt torquendæ, num dolorem habeant relative ad confessionem; sed iuvandi potius, ut reipsa doleant. Plura disputare hac de re Casuistæ solent; sed illa, ut nullius momenti, & quæ potius tricis metaphysicis rem implicant, prætereo.

III. Quæst. II. *An dolor præcedere confessionem debeat, aut satis sit ut eliciatur post confessionem ante absolutionem?* Resp. Omnes adfirmant, dolorem præcedere absolutionem debere; cum sit materia eiusdem proxima: & peccator sine dolore pœnitens non est. Disputant vero in utramque partem, utrum antecedere confessionem, quæ *dolorosa* dicitur, debeat. Navarrus, Toletus, Vasquez, Hurtado, Dia-

Diana, Bonacina, Fagundez, Suarez, Lugo, Sporer, Gobat, Moya, Abely, Henricus a S. Ignatio, Tamburinus, & alii multi docent, sat esse ut subsequatur confessionem, & antecedat absolutionem. Castropalaus, Conink, Bonæspei, & alii sustinent debere præcedere. Cum in sacramentorum administratione tutior doctrina adhibenda sit, licet prior sententia probabilis valde sit, præsertim ob Auctorum multitudinem; tamen, cum secunda probabilis sit, & tutior, hæc præferenda est. Heinc pro praxi, si pœnitentes deprehendantur non satis contriti, inflammentur ad contritionem, & post elicitum dolorem, iterum in genere de peccatis antea narratis se accusent, parati illa repetere, si opus foret. Et hoc sat est & tutum. Ceterum Confessarii instruant pœnitentes suos, ut antequam ad tribunal accedant, aliquod opportunum tempus insumant in dolore concipiendo: doceant illos, quæ puncta, seu quas concipere considerationes & meditationes debeant, quibus ad dolendum de peccatis excitentur. Neque enim ita facile est ut uno momento, confessionem inter & absolutionem, peccatorum corda emolliantur. Instruendi igitur sunt ut pie devoteque dolendi rationes recogitent, implorentque hoc doloris bonum fervent oratione a Deo.

IV. Dolor iste ita perdurare moraliter debet, ut pœnitens vi illius absolvendus sit. Cum enim materia sit absolutionis; præsens moraliter sit oportet, ut materia iuncta cum forma sit. Disputant vero Auctores, quamdiu dolor physice elapsus perdurare moraliter possit, ut sufficere ad absolutionem valeat. Diana refert plures, asserentes sufficere dolorem ante plures annos elicitum, dummodo retractatus non fuerit. Quæ opinio quam sit laxa, & inepta, nemo non videt. Alii dicunt, posse præcedere per mensem. Escobarius, Diana, Arriaga admittunt præcedentiam longi temporis. Alii dicunt sufficere dolorem ante quatuor, sex, & plures etiam dies elicitum. Sed quid ego tempus tero in his opiniunculis recensendis? Dolor moraliter præsens sit oportet. Plures dicunt moraliter præsens esse, licet diu præcesserit: quia, inquiunt, iudicium sacramentale institutum est ad modum iudicii forensis, quod censetur moraliter unum, licet sententia diu post caussæ discussionem proferatur. Quemadmodum igitur in iudicio forensi præcedentia discussionis caussæ etiam ad plures dies, vel hebdomades non officit morali unitati iudicii; similiter in iudicio sacramentali præcedentia confessionis, vel doloris, etiam ad plures dies, vel hebdomades, morali eiusdem unitati non obstat. Idque patet ex antiqua Ecclesiæ praxi, secundum quam inter confessionem & absolutionem temporis intervallum non breve interfluebat, quo pœnitens pietatis operibus exercebatur. Ita plurimi recentiores ratiocinantur, quibus subscribit Henricus a S. Ignatio *Lib. V. cap.* clxxx. *num.* 2251. Sed perperam hæc producuntur. Nam etiam in præsens post confessionem absolutio differtur. Propterea ne renovari dolor non debet, dum sacramentum administratur? Tuta igitur praxis est,

est, ut pœnitentes recepturi absolutionem dolorem instaurare adnitantur. Quod enim quis suscipiat absolutionem vi doloris quem ante plures hebdomades, immo ante mensem concepit, ut contendunt citati Auctores, opinio mihi laxa est, & a veritate aliena. Minus opportune, ut dixi, opponitur prisca Ecclesiæ consuetudo, iuxta quam confessio temporis intervallo interdum etiam longo præcedebat absolutionem. At numquid absolutionis tempore pœnitentes non conterebantur? Concedo analogiam quamdam inter civile & sacramentale forum. Discussio enim caussæ sententiam præcedat oportet: & licet inter discussionem caussæ, & prolationem sententiæ tempus fluat, necesse haud est caussæ discussionem repetere. Hæc omnia fatemur. Negamus vero non esse renovandum tempore absolutionis dolorem elicitum ante dies, aut hebdomades, aut mensem.

V. Unum dolorem sufficientem materiam esse plurium absolutionum docent plures Casuistæ. Quare, si pœnitens, inquiunt, post susceptam absolutionem recordetur alicuius peccati mortalis, illud confiteri tenetur, & novam impertire Sacerdos absolutionem debet, quin necesse sit ut pœnitens novum concipiat dolorem: quia moraliter prior perseverat. Nec est quod opponas ad novam absolutionem novam requiri confessionem: ergo etiam novam contritionem. Quia respondent disparitatem manifestam esse. Ad novam sententiam nova requiritur caussæ discussio. Ceterum sicut idem peccatum potest denuo subiici potestati clavium; sic idem dolor moraliter præsens potest duplici formæ inservire. In aliis sacramentis eadem ablutio, eadem unctio non possunt duobus formis inservire: quia eiusmodi actiones semel præteritæ non persistunt moraliter; sicut dolor in hominum cordibus perseverat. Quamvis probabilia hæc sint, tuta tamen dici nequeunt. Ideo, cum in sacramentorum administratione tutiora sequi debeamus, ad novam absolutionem renovandus dolor est: eo vel maxime quod absque ullo gravamine pœnitentis id fieri possit. Renovatio hæc instantanea est, & breviori intervallo renovari dolor potest quam peccatum confiteri. Missis itaque casuisticis tricis, tutiora in hoc summo negotio sequere: & pœnitentem novum delictum confitentem, novaque absolutione indigentem, ad renovandum novi manifestati peccati dolorem urge. In administratione sacramentorum bono sensu, & christiana prudentia opus est. Quando opportunum tempus adest instantanei doloris renovandi, cur omittenda renovatio est? Si urgeat necessitas, aut periculum immineat; tunc absque formali & explicita renovatione impertiri absolutio potest, & debet, ut sapienter S. Leo *epist.* LXXXII. ad Theodorum Foroiuliensem Episcopum ait: *His qui in tempore necessitatis, & in periculi urgentis instantia, præsidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio indicenda est, nec reconciliatio deneganda: quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conversio, dicente Spiritu Dei*

per

per Prophetam : Cum converſus ingemueris, tunc ſalvus eris . . . *In diſpenſandis itaque Dei donis non debemus eſſe difficiles, nec accuſantium ſe lacrymas, gemituſque negligere, cum ipſam pœnitendi affectionem ex Dei credamus inſpiratione conceptam.* In his ultimis verbis difficultas reſidet. Cum prudenter credimus pœnitentium lacrymas & gemitus ex Dei inſpiratione & amore proficiſci ; tum beneficium impertiri abſolutionis debemus. Unde autem eruere id poſſumus, niſi ex fructibus eorum?

VI. Quæſt. IV. *An in confeſſione venialium ſatis ſit pro dolore voluntas ſuſcipiendi hoc ſacramentum ſine actuali complacentia peccati ?* Reſp. Ex iis quæ ſupra fuſius expoſui, conſtat ad ſacramentum pœnitentiæ non ſufficere actum amoris, in quo dolor virtualiter includatur; ſed neceſſarium eſſe formalem dolorem, ſive dolor iſte ſit contritio perfecta, ſive imperfecta. Id docent Scripturæ, Concilium Tridentinum, & communiter Theologi. Ad propoſitum quæſitum reſpondet P. Tamburinus cum P. Franciſco Quiros affirmative : quia in hac voluntate confitendi includitur quædam virtualis deteſtatio peccati. Concilium autem Tridentinum, ſubdit, requirit ſolum in confeſſione mortalium expreſſam deteſtationem. Hanc opinionem communiter Theologi improbant, ut teſtatur vel ipſe P. Viva *quæſt.* III. *art.* 3. *num.* 2. Neceſſarius quippe dolor eſt etiam in venialium confeſſione, cum ſit ſacramenti materia.

VII. Quæſt. V. *An neceſſarius ſit dolor de omnibus venialibus quæ in confeſſione explicantur?* Reſp. Communis ſententia docet, non eſſe neceſſarium dolorem univerſalem de omnibus venialibus culpis quæ manifeſtantur in confeſſione. Venialia enim peccata non ſunt materia neceſſaria, ſed ſolum idonea. Quare ſat eſt ut de aliquo veniali verum, & formalem dolorem concipiat pœnitens, & propoſitum expreſſum illud evitandi, quando de ſolis venialibus fit confeſſio.

IX. Quæſt. VI. *Quid dicendum de opinione aſſerentium, ſat eſſe ut motivum doloris neceſſarii ad ſacramentum ſit aliquod malum temporale?* Reſp. P. Viva in *trut. in prop.* I. Innocentii XI. *num.* 26. docet, ſufficere attritionem ſupernaturalem ex metu pœnarum temporalium, ut a Deo vindice infligendarum, concluditque : *Licite ſequimur huiuſmodi opiniones probabiliſſimas, omiſſis tutioribus*. Sed Romana Sedes iubet ut in ſacramentis ſequamur *tutiores ſententias omiſſis probabilibus, & etiam probabiliſſimis*. Cedo præterea: unde habes hanc opinionem eſſe *probabiliſſimam*? In materia præſertim ſacramentaria, cum ſit inſtitutionis divinæ, non ex ſpeculationibus caſuiſticis, ſed ex Scripturis & Conciliis decidi controverſiæ debent. Hæc autem ſi conſulamus, non probabiliſſima, ſed improbabilis potius & falſa dicenda eſt.

X. P. Thomas Tamburinus de more maiore perſpicuitate hanc opinionem defendit *Lib. I. method. conf. cap.* I. *§.* 4. *num.* II. „ Inter motiva attritionis, de quis „ hu-

„ bus *num.* 4. diximus, licet aliqui non admittant aliud quartum, ideſt timorem „ mali temporalis; atque adeo qui peccata execraretur propter timorem infamiæ, „ carceris, ægritudinis, & ſimilium, quæ propter peccata incurri ſolent, legiti- „ mum dolorem pro ſacramento confeſſionis, per hos *Doctores*, non afferret: quia „ huiuſmodi dolor naturalis eſt (aiunt) non autem ſupernaturalis, & prout o- „ portet ad gratiam ſupernaturalem obtinendam: tamen in *ſententia probabiliſſi-* „ *ma* etiam hoc motivum eſt ſufficiens, ſi huiuſmodi mala temporalia timeantur, „ ut a Deo inflicta, ſeu infligenda."

XI. Quis pœnitentiam agit fornicationis, furti, homicidii ob timorem vel morbi gallici, vel carceris, vel infamiæ infligendæ a Deo. Dolor ex hoc timore conceptus ſufficit ad ſacramentum pœnitentiæ. Quoniam, dum concipitur malum a Deo infligendum, iam dolor evadit ſupernaturalis. Hanc opinionem præſertim poſt decretum Innocentii XI. reputo laxam, & in 1. *propoſ.* contentam. Fatetur Tamburinus, *Doctores* oppoſitum docere. Ergo eſt ſententia controverſa. Ergo tutior amplectenda. Excuſandus Tamburinus eſt, quod ante decretum ſcripſerit. At P. Viva interpretatus decretum eſt, & tranſcripta voce *Probabiliſſima* prius a Tamburino pro arbitrio uſurpata, a decreti damnatione liberavit opinionem laxiſſimam, non *probabiliſſimam*. Opponit P. Tamburinus. Tridentinum non definit, dolorem concipiendum *ex timore ſolum gehennæ*, *vel alterius pœnæ ſpiritualis ſeu æternæ*, *ſed addit in univerſum ex timore pœnarum*. Fallitur Tamburinus cum aliis huiuſce opinionis patronis. Concilium dicit: *Ex gehennæ, & pœnarum metu*. Propoſitio eſt copulativa. Cur ergo omittis *gehennam* primo loco poſitam, ac per particulam *ET* copulatam cum pœnis? Pœna debita peccato mortali eſt æterna: ergo de malo æterno a Deo infligendo timere debet pœnitens. *Nolite timere eos qui occidunt corpus . . . ſed potius timete eum qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam*: Matth. x. Sic docent Evangeliſtæ, ſic Concilium Tridentinum. Laxiſſimam appellavi hanc opinionem, ut mitiſſime loquerer. Ceterum, ſi ad legitimum tribunal deferatur, nullus dubito quin ſit ſevera cenſura plectenda. Quoniam & Scripturis divinis, & Patribus, & Tridentino, & gravioribus Theologis adverſatur.

XII. Quæſt. VII. *Quid dicendum de opinione* P. Tamburini, *docentis non eſſe inculcandum peccatori, ut doleat de illo peccato cuius magno afficitur amore?* Reſp. Ipſa ratio naturalis dictat ut illud vulnus præcipue curetur quod profundiores radices agit, & intimius vitæ inſidiatur. Omnes quos legi, & Patres, & Theologi, & Concionatores inculcant ut quiſque debellare potiſſimum ſtudeat paſſionem dominantem, affectum regnantem. *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis veſtris*: Rom. vi. clamat Paulus Apoſtolus. P. Thomas Tamburinus *Lib. I. meth. conf. cap.* 1. *§.* 2, *num.* 5. ſcribit: „ Unde quan- „ do

„ do advertis pœnitentem tuum *valde* alicui crimini addictum, ne inculces dolo-
„ ris actum circa illud *peculiare peccatum* . Periculum enim fuberit ne illud ex
„ animo deteftetur, dum eius fpecialis memoria refricatur, quod in univerfum ,
„ & fimul cum aliis deteftandi difficultatem *vel nullam fentiet* , *vel exiguam*. "

XIII. ANIMADVERSIO. Meditare genium novæ benignitatis quo tendat. In memoriam revoca quæ alibi docet Tamburinus cum pluribus aliis de non monendo pœnitente eorum quæ difficillime derelicturus eft. Noli, inquit, inculcare ut tuus pœnitens doleat de illo peculiari peccato cui *valde addictus eft* . Ille efflictim deperit amafiam; ifte impotenter calumniatur; hic avaritiæ addictiffimus eft; ille ambitionis æftu ardet. Cave, o Confeffari, ne inculces ut pœnitentes tui de his peculiaribus delictis, erga quæ impotenter feruntur, peculiarem doloris actum eliciant: quoniam periculum *fuberit* ne illa ex animo deteftentur. Ecquid? Non eft ergo neceffe ut ex animo pœnitens deteftetur illud fuum peccatum fingulari dilectione amatum? Eh! Adhuc fine intellectu es? Sat eft ut *in univerfum, & fimul cum aliis* de illo doleat. Eccur? Quia peccatum iftud regnans, & dominans in corde pœnitentis, & latitans, ac veluti abfconditum inter aliorum fcelerum turbas facile pœnitens tuus deteftabitur: tunc deteftandi *difficultatem vel nullam fentiet*, *vel exiguam*. Ceterum fi hanc fuam dilectam culpam, quæ veluti eiufdem amafia eft, nudato vultu videat, *periculum fuberit ne illam ex animo deteftetur*. Doleat ergo de hac amata culpa *in univerfum, & fimul cum aliis*.

XIV. Clamitabunt ne benignioris Ethices patroni, detruncatum effe Tamburini textum? At integrum *num.* 5. refcripfi, nec apice dempto. Nihil vel præcedit, vel fubfequitur quod laxiffimæ, ut mitiffime loquar, doctrinæ horrorem temperet. Muffitabunt ne, me ftilo fatyrico hæc paradoxa defricare? An expectant a me ut panegyricum fermonem texam in commendationem horrendæ doctrinæ? Utinam tanta effem eloquentia præditus, qua labefactare pro meritis poffem doctrinam hanc, quæ imbecillitati meæ peftis apparet animarum. Animadvertite lectores omnes, doctrinam hanc non effe opinionem aliquam particularem, fed principium capitale, cuius ufus univerfalis eft in pœnitentium directione. Si pœnitentes fefe munire non adnituntur præcipue adverfus illa flagitia *quibus valde addicti funt*, & in quæ maiori impetu feruntur; actum eft de illorum falute. Doctrinæ P. Tamburini praxis maioris fere partis pœnitentium ætatis noftræ refpondet. Confitentur Chriftiani frequenter, fed communiter in eadem peccata quibus funt *valde addicti*, relabuntur: quia fincere, ex toto corde, & toto virium conatu illa non deteftantur. De iifdem dolent in *globo*, & *in univerfum cum aliis*, quibus non funt valde addicti: idcirco peccatum regnans femper communiter regnat.

XV. Quæft. VIII. *Requiritur ne propofitum formale & explicitum non peccandi de cete-*

ettero? Resp. P. Tamburinus continuo *loc. cit. §. 3. num. 7.* subdit: *In probabili aliorum opinione satis est implicitum, hoc est illud quod involvitur in ipso actu detestationis seu displicentiæ*. Hanc opinionem docent etiam Diana, Gormaz, Lugo, Vasquez, & plures alii. Sed falsa aperte est. Oppositum enim docent S. Thomas in *IV. dist.* XVII. *quæst.* II. *art.* I. & *III. Part. quæst.* lxxxvi. *art.* 2. Scotus, Albertus Magnus, Durandus, Caietanus in *addit. ad III. Part. quæst.* I. *art.* I. Soto in *IV. dist.* XVII. *quæst.* II. Cano *de pœnit. part.* I. & permulti alii. Cardinalis Bellarminus *Lib. II. de pœnit. cap.* VI. hæc scribit. *Sed nobis communis ac trita a veteribus via semper visa est tutior, ac commodior . Probatur igitur ad contritionem requiri explicitum & formale propositum vitæ melioris*. Utinam hanc tritam a veteribus viam perambulare omnes novi Casuistæ vellent. *Gormaz*, & alii Probabilistæ Bellarmini doctrinam circumvenire student, quasi pro ipsis stet. Sed falluntur, ut fatetur ipse P. La-Croix *Lib. VI. part.* II. *num.* 894. Ratio evincens propositi expressi necessitatem evidens est. Concilium Tridentinum præter dolorem, utique efficacem, absolutum, & universalem, propositum requirit. Si propositum necessarium ad sacramentum in dolore continetur, frustra Concilium expresse propositum requirit. Hoc non est dicendum. Ergo propositum expressum & formale necessarium est. Quod reponunt, intelligendum Concilium de proposito implicito incluso in contritione, est arbitrarium & inane commentum. Verum est, dolorem efficacem, universalem, & absolutum includere virtuale propositum; immo est ipsum virtuale propositum. Sed Concilium præter hunc dolorem efficacem requirit propositum, quod non sit ipse dolor, sed aliquid distinctum: alioquin superfluum foret quod Concilium requireret propositum præter dolorem efficacem, si propositum istud esset ipse dolor efficax.

XVI. Hæc ratio ex ipso Concilio hausta cuique bono sensu prædito obvia & manifesta est. Et tamen P. Claudius La-Croix *Lib. VI. part.* II. *num.* 893. defendit probabiliorem esse oppositam sententiam: quia *Tamburinus*, *Gormaz*, *Diana*, *Lugo*, & alii eiusmodi illam propugnant. Sed non est quod tempus impendam in convellenda opinione quam in praxi & ipse La-Croix reiicit, & reiicere omnes debent.

XVII. P. Dominicus Viva, *quæst.* III. *art.* 3. *num.* I. ex Conink docet, propositum formale & expressum esse necessarium, quando dolor procedit ex motivo particulari turpitudinis talis peccati. Quando vero dolor procedit ex motivo universali, tum sat esse propositum virtuale, subdit cum Suarez, Lugo, Layman, Tamburino, & aliis. Cur? Quia, inquit, Tridentinum docet, tres esse partes sacramenti, nempe contritionem, confessionem, & satisfactionem. Si requireretur propositum formale explicitum, non tres, sed quatuor essent partes. Hoc non est dicendum. Ergo non requiritur propositum expressum & formale. Hæc argumen-

mentatio vanum ſophiſma eſt. Tres utique ſunt huius ſacramenti partes. Sed contritio duobus conſtat, nempe dolore de peccato commiſſo, & propoſito non peccandi de cetero; ut Tridentinum Concilium clare & conceptis verbis explicat. Et ſicut ad contritionem ſive perfectam, ſive imperfectam non ſufficit dolor virtualis; ita neque propoſitum virtuale; ſed ambo expreſſa Concilium requirit.

XVIII. In praxi itaque quiſque elicere propoſitum debet, & quidem firmum, & conſtans non peccandi de cetero: quia non ſolum præcedere abſolutionem debet peccati præteriti, & præſentis deteſtatio, ſed etiam futuri, cum propoſito illud vitandi. Quare ſi quis de hoc propoſito cogitans, illud omitteret, clare oſtenderet ſe indiſpoſitum eſſe ad ſacramentum, voluntatemque peccandi conſervare; adeoque dimittendus ſine abſolutione eſſet. Contingere tamen caſus poteſt in quo pœnitens ita acerbo dolore & vehementi contritione abreptus ſit, ut nihil de propoſito cogitet: ceterum, ſi adverteret, firmiſſimam ederet reſolutionem non peccandi. Item hoc accidere in repentino mortis articulo poteſt. Caſus tamen iſti perrari ſunt. Confeſſarii prudentia opus eſt, qua ſecernantur veri contriti a fictis attritis.

CAPUT II.

IMAGO IUSTIFICATIONIS CHRISTIANAE ſanctarum Scripturarum lineamentis depicta. Falſa imago iuſtificationis chriſtianæ, quam plures Caſuiſtæ delineant. Laxæ opiniones Francolini, Sporer, Viva, & aliorum plurium. Quid ſit propoſitum efficax, firmum, & ſtabile, neceſſarium ad iuſtificationem. Debeat ne includere voluntatem vitandi occaſiones propinquas & proximas.

I. NE, dum genuinam chriſtianæ iuſtificationis imaginem delineare aggredimur, erremus, a tribus ſcopulis cavendum nobis eſt. Primo habenda præ oculis eſt hæreſis Calviniſtarum, aliorumque novatorum, aſſerentium, iuſtitiam chriſtianam eſſe *inamiſſibilem*. Hic error ad omnia ſcelera viam aperit latiſſimam. Hæreſis oppoſita eſt Novatianorum, negantium veniam lapſis, & contendentium plura crimina eſſe irremiſſibilia. Hæreſis hæc deſperationis laqueo Chriſtianos peccatores iugulat. Tertium extremum eſt non paucorum recentium Caluiſtarum, qui quamdam chriſtianæ iuſtificationis volubilis, inconſtantis, inſtabilis, in dies evaneſcentis imaginem fallaciſſimam effinxerunt. Inter hos ſcopulos ſe-

secura, tuta, firma, & constans inambulat, syrtes declinat, procellas superat; persecutiones intrepide spernit, carnis illecebras, & dæmonis mundique præstigia superat, repellitque iustificatio quam Christus in animas medio sacramento, sanguine suo parto, inducit. Quæ proposui, distinctis §§. explico.

§. I.

Iustificationem christianam firmam, & stabilem divinæ Scripturæ nobis repræsentant.

I. OMnium cælestium donorum præstantissimum iustitia est, qua Deus in profundum maris, ut Michæas loquitur, proiicit omnia peccata nostra, & effundit super nos aquam mundam; sanguinem Filii sui in Crucis ara effusum, quo ab omnibus inquinamentis nostris mundati & liberati, eiusdem Filii coheredes, & gloriæ Sanctorum consortes efficimur. Impiorum iustificatio omnium gratiarum, virtutum, & beneficiorum Dei maximum & excellentissimum est. Iustitiæ istius ardore Iudæorum, & Paganorum multitudo succensa, eiusque amore capta, tormenta & cruciatus invicta fortitudine ultro adiit. Tanto illi donati thesauro, tamquam invicti heroes, continuo in arenam pro Christo descendebant intrepidi. Tigres, leones, & ferociores bestias despiciebant; illarumque epulas fieri minime pertimescebant. Neque modo homines sapientiæ gloria præstantes, sed pueri, atque virgines, equuleorum, plagarum, & crucis ingenti cupiditate flagrabant: non ignes, nec vulnera sentiebant; sed cruciatus atrocissimos, tempestates, infinitasque procellas forti animo subibant. Homines illi erant eodem ac nos luto compacti; & nos eisdem ac illi disciplinis imbuti, iisdem præsidiis sufsulti, eodem divinissimo cibo alti, eodem pretiosissimo sanguine potati, eadem iustitia sanctificati sumus. Porro iustitia hæc tunc in nobis refulget, cum, voluntate nostra neglecta, omnem vitam nostram ad Dei voluntatem conformamus: & non sensus nostros, sed Christi spiritum sequimur; atque cum Paulo Apostolo exclamamus: *Vivo ego, iam non ego; vivit vero in me Christus.* Hoc autem asserere revera possumus, dum, humanis sensibus coercitis, & extincta cupiditate, & mundi illecebris, ac voluptatibus penitus expulsis, divino flagramus amore, & incitatione quadam mentis ad cælum aspiramus, Deique amplexus anhelamus. Hanc cum Deo coniunctionem firmam constantemque parit iustificatio nostra, ut sanctissima illa Christi precatio declarat: *Pater*, inquit, *sancte, serva eos quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut & nos.* A Patre implorat, efflagitatque ut nostri amoris coniunctio divinæ naturæ coniunctionem, quoad fieri potest, imitetur. Declarat enim post pauca, ardentissimum caritatis suæ desiderium non fuisse tantum Apo-

Apostolorum, quibuscum vixerat, amore coarctatum, sed in nos omnes diffundi. *Non pro eis rogo tantum, sed pro eis qui credituri sunt, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint*. Ex hac animorum cum divina mente colligatione, summa tranquillitas, & mentis quies nascitur, & omnium curarum huius mundi studium evanescit: idcirco in litteris sanctis quietis nomine iustitia declaratur: quia tum Deus, tum iusti ipsi in eadem requiescunt. Quandoquidem sicut artifices excellentes, cum opus, in quod plurimum operæ & studii contulerunt, absolutum intuentur, animis relaxantur, & sollicitudine omni liberati exultant; ita Deus ipse, cum in hominis anima iustificationis formam perfecerit, & absolverit, a tanti operis molitione conquiescit, & illius perfectione mirifice delectatur. Si enim requievit die septimo, quod mundum a se perfecte conditum animadverterit; multo profecto magis, inquit Paulus Osorius *Lib. X. de iust.* quiescit, & pleniore voluptate perfunditur, dum opus omnium maximum, ut ait S. Thomas 1. 2. *quæst.* CXIII. *art.* 10. cuius gratia omnia molitus est, expletum considerat. Quid enim aliud in vita Christus gessit? Cur tot labores sustinuit? Quorsum crucem, & mortem subivit, nisi ut hominum animas iustitiæ ornamentis excoleret, nisi ut cælestem amoris ignem in hominum visceribus accenderet? Quare apud Isaiam inquit: *Propter Sion non tacebo, & propter Hierusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor iustitia eius, & salus eius ut lampas accendatur*. Quo in loco, subdit laudatus Osorius, demonstrat quietem suam esse in iustitia nostra constitutam. Ut enim olim Iosue cum multis nationibus signa contulit, atque ingentes exercitus ad internecionem delevit, ut tandem populum in quietis sedibus locaret, atque laboribus summis cum amplissima laude perfunctus, a bello gerendo conquiesceret; sic & Christus, postquam humani generis hostes invicta virtute repressit, profligavit, & extinxit, eos omnes qui sub illius imperio militant, in ipsius iustitiæ possessione constituit, ut ipse ex laboribus suis fructum quietis percipiat, & illi qui in fide, & caritate permanent, similiter divinæ iustificationis fructu cum summa vitæ tranquillitate potiantur, atque fruantur.

II. Porro si impiorum hominum iustificatio meta est & finis in quem Christus infinita suæ passionis merita collineavit: quis est qui non videat, quam firmum, quam stabile, quam perpetuum sit oporteat mutuum hoc fœdus sanctissimum Deum inter & hominem sancitum, & sacratissimo Filii sui sanguine obsignatum, confirmatumque? Heinc Christus *Ioan.* XIV. inquit: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit: & Pater meus diliget eum; & ad eum veniemus, & MANSIONEM apud eum faciemus*. Tota ergo Trinitas in anima iustitiæ dono ornata, veluti in propria domo a se excitata & perfecta, non dies, non hebdomades, non menses, sed semper se permansuram, ceu in deliciarum palatio, spondet. Ma-

gnum istud ædificium tanto laborum molimine a Christo erectum, ab hostium insidiis, & persecutorum furore omnes tres divinæ personæ custodiendum protegendumque susceperunt. Sola hominis, qui gratuitum istius iustitiæ donum accepit, pravitas & perfida perduellio infringere sacrum istud mutuæ benevolentiæ fœdus, rescindere reciprocæ pacis vinculum, & divinæ habitationis fulgentissimum tabernaculum, & sanctissimæ Trinitatis sedem in suo corde locatam diruere atque prosternere valet.

III. Verum Apostolum Paulum audiamus, qui firmitatem, atque stabilitatem ceu proprios iustificationis nostræ characteres & prærogativas describit *II. Cor. cap.* VII. his verbis. *Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem STABILEM operatur*. Pœnitentia, inquam, quæ secundum Deum, non secundum hominum speculationes, & arbitraria figmenta concepta est, stabilem operatur sanctitatem. *Itaque* (inquit I. Cor. XV.) *fratres mei dilecti, stabiles estote, & immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino*. Hanc ipsam reconciliationis, cum Deo initæ per mortem Filii eius, firmitudinem & constantiam inculcat Collossensibus cap. I. *Et vos, cum essetis aliquando alienati, & inimici sensu in operibus malis, nunc autem reconciliavit in corpore carnis eius per mortem, exhibere vos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso; si tamen permanetis in fide fundati, & stabiles, & immobiles a spe Evangelii quod audistis*. Ubique intonat, & altius hanc stabilitatem, & perseverantiam in divino contracto fœdere commendat, ut coronam assequantur. Huiusce vero stabilis & constantis animi Deo devincti effectus, victorias, & de quibuslibet hostium sævientium insidiis triumphos exponit, Romanos alloquens *cap.* VIII. hac gravi & vehementi oratione. *Quis ergo nos separabit a caritate Christi? An tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? (Sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis.) Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro*.

IV. Hactenus S. Paulus duo uberrima eloquentiæ vi declaravit. Primum, dotes & characteres reconciliationis nostræ cum Deo esse stabilitatem, firmitudinem, & immobilem perseverantiam. Alterum, istius constantiæ, & stabilitatis fructus in omnium inimicorum, tribulationum, angustiarum, & persecutionum victoria, & triumphis esse locatos. Verum tertium, quod nobis referat, arcanum terrore, & pavore omnes qui iustitiæ beneficio ornati sunt, configere debet. Est enim, supra quam dici potest, formidandum atque tremendum. Quodnam istud? Ruina & exi-

& exitium funestissimum quod iis imminet qui reconciliationis initum pactum, qui amicitiæ sanctum fœdus violant & abrumpunt. Paucis rem habeto.

V. Paulus catenis Romæ vinctus nuntium accepit, Ecclesiam Hierosolymis ex solis Iudæis conflatam languescere, tentationibus concuti, atque gravissimo periculo amittendæ iustificationis acceptæ obnoxiam esse. Continuo epistolam ad Hebræos inscriptam Hierusalem mittit. Synopsim universæ epistolæ huius perstringere deberem, ut veram ideam depingerem stabilitatis iustitiæ christianæ. At instituti ratio id non sinit. Aliqua tantum dabo. Iudæi Hierosolymitani ad fidem conversi gravissima tentatione pulsabantur, quod elapsis 30. circiter annis a Christi morte, eiusdem prædictionum eventum nullum viderent. Templum, sanctuarium, altare, candelabrum, Sacerdotum multitudo, summus Pontificatus, populi frequentia ex universa Iudæa ad templum, ad sacrificia magna pompa celebrata, solemnitas ritus Mosaicæ legis, cantus, symphoniæ, & cetera omnia avitæ religionis, quam cum lacte suxerant, mysteria & cæremoniæ undique coruscabant. Ipsi autem parvum manipulum efficientes, pro templo parvum cubiculum, pro altari tabulam, pro candelabro lucernam, pro aureis argenteisque vasis ligneum forte poculum habentes, illinc a perfidis fratribus Iudæis dominantibus, hinc a Gentilibus exagitati, angustiati, oppressi, vix privatim & submissa voce celebrare in suis domibus laudes Deo audebant. Tot inter procellas ac tempestates quodammodo vacillabant. Paulus sua epistola præsidium affert. Novi testamenti Christi supra vetus Mosaicum præstantiam incredibili eloquentia describit, cuius templum non materiale, ut Mosaicum, est, sed vivum omni lapide pretioso excellentius. *Christus vero* (inquit cap. III.) *tamquam filius in domo sua, quæ domus sumus nos, si fiduciam & gloriam spei usque in finem firmam retineamus.*

VI. Postquam vero eos erexit ad sublimem novi fœderis maiestatem, & mysteria divina consideranda, animavitque ad fiduciam constantem locandam in Christo Iesu, qui infirmitatibus nostris compati, auxiliari, & succurrere paratus est, transit ad miseram illorum qui a statu iustitiæ in peccatum prolabuntur, infelicitatem, extremamque resurgendi difficultatem exponendam. *Impossibile est enim eos* (ait cap. VI.) *qui semel sunt illuminati*, (per baptismum fidei) *gustaverunt etiam donum cæleste*, (sacratissimum nempe Christi corpus) *& participes facti sunt Spiritus sancti*, (per sacramentum confirmationis) *gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes.* Quam veritatem ut ad illorum captum accommodet, altiusque in eorum cordibus imprimat, hanc eis præbet similitudinem ab ipsa rerum natura repetitam. *Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo; proferens autem spinas ac tribulos, re-*

proba est, & maledicto proxima : cuius consummatio in combustionem. Confidimus autem de vobis, dilectissimi, meliora, & viciniora saluti; tametsi ita loquimur. Sic ne loquuntur Confessarii plures, qui imbrem sanguinis Christi, & eiusdem corporis epulum iis pluries in annos singulos dispensant qui præter propter eosdem semper pariunt tribulos? Reponunt, sat esse ut pauciores tribulos edant; licet ex plurium annorum cælesti & fecundissima cultura exculti, numquam evulsis vepribus, herbam, & fructus dignos æterna vita edant, ambulentque constantes in via mandatorum Dei.

VII. Ex hoc Apostoli textu Novatiani pœnitentiæ remedium negabant. Sed hoc delirium convellit Apostolus ipse in epistolis ad Corinthios, ad Galatas, aliisque, in quibus uberrime pœnitentiæ vim, & efficaciam explicat, & lapsos ad pœnitentiam hortatur, & impellit. In hac epistola ad Hebræos stabilitatem, & firmitudinem iustificationis exponit, atque altius fratrum suorum, qui iusti erant, cordibus insculpere conatur. Nec opportunum & tempestivum existimavit hoc loco pœnitentiam recordari : quoniam non alloquebatur lapsos, quos erigeret; sed iustos, ne deciderent. Quare, ut eos constantes, fortes, & robustos efficeret, solidaretque, iustitiæ dotes, & prærogativas exponit, unaque gravissimam summamque difficultatem eam recuperandi amissam ob oculos refert. Duplex est Patrum expositio huius vocis *impossibile*. Alii interpretantur *difficile*, aut *difficillimum*. Alii in obvio & litterali sensu vocem hanc accipiunt, inquientes, impossibile esse rursum renovari lapsos post baptisma ad pristinam illam innocentiam quam semel infusam in sacro lavacro acceperunt. Siquidem licet per pœnitentiam deleatur novum peccatum; tamen communiter, præciso aliquo raro casu, remanent cicatricum, & vulnerum novi peccati vestigia, & malignæ reliquiæ, quæ vires extenuant, debilitant, & faciliorem ad relapsum viam aperiunt. Utraque interpretatio confert ad manifestandam iustitiæ stabilitatem, & firmitatem, quam hic Apostolus declarat.

VIII. Sed persequamur sermonem Pauli, qui *cap.* x. iterum eamdem veritatem repetit & exaggerat. *Teneamus*, inquit, *spei nostræ confessionem indeclinabilem.... Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia. Terribilis autem quædam expectatio iudicii, & ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios. Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur : quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Scimus enim qui dixit : Mihi vindicta, & ego retribuam: & iterum : Quia iudicabit Dominus populum suum. Horrendum est incidere in manus Dei viventis. Rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen sustinuistis passionum : & in altero quidem op-*

pro-

probriis, & tribulationibus spectaculum facti; in altero autem socii taliter conversantium effecti. Nam & vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem, & manentem substantiam. Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quae magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. Adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus est, veniet, & non tardabit. His ultimis verbis prædicit Apostolus imminentem civitatis Hierusalem, templi, & altaris excidium, desolationem, & funestissimam destructionem, quæ quinque circiter annos post hanc exaratam epistolam contigit. Qua horrenda catastrophe prædictiones a Christo factæ altius in eorum mentibus impressæ fuerunt, atque Ecclesiam illam ex primitiis electi populi coactam confirmarunt.

§. II.

Rationum momentis, & communi hominum sensu iustificationis christianæ firmitas confirmatur.

I. IUstitia christiana natura sua stabilis, firma, & constans est. Hanc suam stabilitatem haurit ab ipsa infinita passionis & meritorum Christi efficacitate. Hæc iustificatio natura sua efficit ut homo iustus quietem, & felicitatem suam in mandatorum universæque divinæ legis observatione inveniat, & experiatur; ut lætus ambulet in viis domini; ut patienter iniurias, contumelias, & persecutiones sustineat; ut invicte tentationibus, adversanti fortunæ, & persecutionibus resistat. Immensa illa Dei misericordia quæ culpas remittit, quæ gratiam suam victricem impertit, quæ peccatores pœnitentes ad suam extollit amicitiam, his characteribus stabilitatis & constantiæ animarum iustificationem munit, exornatque. Nimium vilem, & omnipotenti Dei misericordia indignam ideam concipiunt illi qui iustificationem Christianorum depingunt labilem, flexibilem, continuo relapsuum, & absolutionum circulo mixtam. Deus enim amicos suos, atque dilectos filios, fortes, magnanimos, sinceros, fideles, constantes, & omnium insanientis mundi illecebrarum contemptores, atque invictos triumphatores constituit. Hæc & uberiora privilegia filiorum Dei dignitas postulat. Quid? Filii Dei, electi Dei illi vocabantur qui plurium annorum intervallo hodie iusti, cras perduelles; hodie amici, cras proditores; hac hebdomada pœnitentes, altera hebdomada prævaricatores? Filii Dei, electi Dei isti, qui totam vitam suam agunt hac perpetua confessionum, & relapsuum vicissitudine denigratam? Tales ne habere filios Deum decet? Istæ ne filiorum Dei dotes, & prærogativæ?

II. Communem Christianorum sensum, & praxim ipsam consulamus. En homi-

nem exterius præseferentem pietatis, & virtutis speciem, quocum tamen nulla tibi intercedit familiaritas. Vides illum in manifesta scelera lapsum, nulla urgente vehementi occasione. An non continuo illum, ut hypocritam versutum, & sepulcrum dealbatum, improbas? Unde tale iudicium? Nonnisi ex intimo sensu stabilitatis, firmitatis, & constantiæ quam iustificatio christiana sibi vindicat. Amicum habes, cuius castissimos mores, vitæ probitatem, sinceritatem, iustitiam, vitamque undiqueversum intaminatam plurium annorum intervallo perspectam habuisti. Longius probus amicus proficiscitur. Post aliquot annos occasio se præbet aliquid de amico absente resciendi. Continuo interrogas, rogas, quomodo se habeat, quæ sit illius consuetudo. Responsum accipis, hominem vafrum, flagitiosum, veteratorem, libidinosum factum. Insistis. Verum ne hoc? Absit ut credam. Scio te ludere, & iocari. Serio, reponit alter, assero hominem illum iniquum scelestumque esse. Quid tum? Heu, exclamas, heu! Quam tremenda, quam formidanda sunt iudicia Dei! Unde, quæso, hæc tua difficultas & repugnantia ad credendam hominis iusti mutationem? Unde tanta animi admiratio, & conturbatio? Profecto non aliunde, nisi ex intimo illo instinctu, quo iudicas, iustitiam christianam, infusam per Spiritum sanctum inhabitantem, & sacratissimi Christi sanguine obsignatam, stabilem esse, & difficile mobilem.

III. Revocandum tamen sæpe in memoriam est id quod sub initium admonuimus ad præfocandas cavillatorum offucias, nempe iustitiam christianam non ita esse in anima iusti immobilem, & stabilem, ut sit etiam inamissibilis; quemadmodum delirantes Calviniani fabulantur, experientia manifesta, nedum sancto Dei verbo repugnante. Indoles & natura iustificationis est, quod sit stabilis; at modus quo animæ christianæ hæret, est, ut possit per peccatum amitti. Animadvertendum insuper est, non omnia tempora æqualia, non omnes circumstantias easdem esse relative ad hanc iustitiam. Iustitia hæc plus & minus pro temporum diversitate, & varios excipere gradus valet. Primis illis Ecclesiæ catholicæ aureis sæculis gratia iustificationis abundantior & copiosior erat; atque adeo fortior, firmior, atque robustior, sic exigente truculentissima persecutorum immanitate, & sævitia in Christianos. Porro iustitia illa continuo Eucharistiæ epulo alta, iugi precatione nixa, continuà sanctarum Scripturarum meditatione, assidua bonorum operum praxi, & omnium virtutum exercitio fulta, sanctissimis fratrum exemplis roborata, ignitis sanctorum Pastorum eloquiis, & instructionibus succensa, & inflammata, miraculorum præsidiis munita, leonum, tigrarum, & bestiarum omnium feritatem, & blandientis fortunæ præstigia incredibili fortitudine & heroica magnanimitate proculcavit, & derisit. Iuxta temporum calamitatem, & pro ingruentium circumstantiarum & tentationum diversitate, infinita Deus clementia & liberalitate thesauros gratiæ suæ distribuit, & præsidia impertit, ita ut

ita ut numquam desit in necessariis, numquam abundet in superfluis. Cessarunt ætate nostra persecutores, vilipendia christianæ religionis exularunt, tentationes desciscendi a professione baptismali evanuerunt. Verum, cum numquam defuturæ sint adversus Christi Ecclesiam persecutiones, ab eisdem immunis non est ætas nostra, nec erunt posteriores filii Adam. Idcirco clementissimus Deus sincere pœnitentibus gratiam iustificationis infundit iis exornatam præsidiis quæ opportuna & efficacissima sunt ad illud perseverantiæ singularissimum donum custodiendum. Quocumque igitur tempore iustificatio christiana, quam Scripturæ sanctæ, & præsertim Paulinæ epistolæ nobis depingunt, natura sua stabilis, firma, constans est; quamquam aut humana infirmitate, aut hominum pravitate, aut tentationum insidiis amitti possit, & quandoque amittatur; ut infelici experientia compertum est. Quæ hactenus dicta sunt, Patrum testimoniis confirmanda essent. Verum hoc præstabo infra, dum de differenda recidivis absolutione sermo erit.

§. III.

Cur Christiani hac ætate non mirentur super fluxa pœnitentium vita, & sacramentorum, atque relapsuum frequenti coniunctione. Quia via media inventa est, novaque iustificationis christianæ invecta idea. Istius viæ mediæ exemplum perbibet Morinus ex Iudæorum confessione repetitum.

I. UT itaque characteres stabilitatis iustificationis christianæ magis compertos habeamus, præter testimonia Scripturæ sanctæ, & SS. PP. sat est consulere ipsum humani cordis tribunal. Sed duæ distinguendæ imagines, quas iustificationis christianæ homines concipere solent. Prima est, quam descripsi, iustificationis nempe veræ, quæ hominem iustum, Dei filium, castum, sincerum, liberalem, misericordem, ceterisque christianis virtutibus ornatum constituit; & sub hoc fulgido aspectu oculis hominum talem repræsentat. Et hunc, si in manifesta crimina, sublata aliqua vehementi circumstantia, & occasione gravissima imbecillitatem humanam pulsante, prolabatur, communiter homines iudicant hypocritam fuisse, aut tremenda Dei arcana venerabundi reformidant: quoniam, ut dixi, persuasum omnes habent, viros Dei reipsa iustos, difficile atque adeo perraro in aperta flagitia relabi. Hæc est prima idea, quam Christiani prudentes, bonoque sensu præditi divinæ iustificationis concipiunt.

Q iiij II.

II. At diversa prorsus, & omnino opposita idea est quam iustificatorum ætatis nostræ formant non pauci Casuistæ. Et principio tute iudex esto, lector cordate. Avarum inveteratum ad tribunal pœnitentiæ, demisso capite, manibus iunctis spectas confitentem. Quid inde? Speras ne ipsum imposterum, peracta confessione, & communione, iustum, liberalem, promptum ad mutuum gratuitum impertiendum, ad elargiendam pauperibus eleemosynam paratum fore? Si avarus ipse bona fide respondere vellet, fateretur, se talem futurum imposterum qualem se olim præbuit. Idem esto iudicium de luxurioso, de blasphemo, de ambitioso, & quocumque alio inveterato peccatore. Et si aliud contingat, loco quasi miraculi habetur. Videmus itaque ætate nostra avaros, libidinosos, prodigos, mimos, saltatrices, amasios, amasiasque, lusores, fraudulentos, periuros, fornicatores, mœchos, molles bis vel quater in annum ad misericordiæ tribunal, ad eucharisticum convivium accedere. Provincias percurrunt Dei ministri, apostolicas missiones exercentes, & Dei verbum seminantes: accurrunt ingentes cuiusque status turbæ: horrendam fornacis gehennalis imaginem teterrimis pictam coloribus vident, & eloquentiæ robustæ arte exaggerata dira tormenta & æterna supplicia inaudiunt: tot pœnarum timore perterrefacti continuo confitentur, absolvuntur, communicantur. Vix profecti sunt sacri Missionarii, iidem ac antea pœnitentes; iidem mores, eædem consuetudines, libidines, mendacia, periuria, fenora, flagitia præter propter eadem. Et tot pœnitentium millibus quinque ne in centum exuunt corruptos mores, vitamque meliorem instituunt? Communis & omnibus pervia experientia iudex esto.

III. Ex quibus hoc pacto ratiocinor. Cedo: cur, dum primam sinceram christianæ iustificationis ideam tibi formas, aut perhorrescis Dei iudicia, si vides hominem quem revera iustum credebas, flagitia perpetrare manifesta & gravia; aut hypocritam infers fuisse, qui externo fictæ pietatis simulacro fucum imponebat amicis? E contrario, cum ex una parte hodiernas pœnitentium iustificationes frequentissimas, & ex altera parte continuatos, nedum frequentes relapsus contemplaris, nihil commoveris? Nonne hinc necessario consequitur, iustificationes hodiernas diversi generis, diversæ speciei, & naturæ a iustificatione primi generis esse? Iustificatio quam Scripturæ divinæ, & præcipue S. Paulus, describunt, homines reipsa sic iustos, & evangelicis virtutibus præditos constituit, ut mirum apud ipsum humani sensus tribunal videatur, si homo revera iustus in mortifera labatur flagitia, excepto aliquo raro casu. Iustificationes pœnitentium ætatis nostræ vix quinque in centum ita iustos efficiunt, ut commoveantur homines, si illos videant in scelera pristina relapsos. Quod vero evidenter sciant, hodiernos pœnitentes communiter eadem semper plus minusve oberrare chorda, & in eodem vitiorum luto revolvi, nulla desiguntur admiratione; immo tantum non sibi

bi effingunt, iustificationem ætatis nostræ in perpetua sacramentorum, & relapsuum vicissitudine sitam esse.

IV. Igitur si intimum hominum sensum secretius in animo latitantem introspiciamus, iustificationes pœnitentium ætatis nostræ apud ipsum humani cordis occultum forum fictæ & larvatæ maiori ex parte apparent. Sed unde, inquis, evenit & quod vel ipsi fere prudentes viri nihil super his fictis iustificationibus commoveantur, & quod ipsi pœnitentes, tametsi suorum relapsuum a multis annis frequentium conscii, bona fide sacramenta frequentent, & quod sibi mentientes quodammodo credant, se, dum confitentur, & Eucharistiam sumunt, iustos fieri? Unde tam blanda hallucinatio, tanta deceptio?

V. Ex illo humani moris torrente, reponit Augustinus, ex illa universali, & prævalente consuetudine quæ secum abripit vel ipsos quandoque sapientes, nisi vigilantiores se custodiant: ex illa denique VIA MEDIA quæ ab uno & amplius sæculo invecta est. Duas vias oppositas Evangelium Christi perhibet: alteram angustam & arctam; alteram latam & spatiosam. Per illam veri iusti, sibi & mundo mortui, similes imagini Filii Dei, casti, iusti, misericordes, caritate fulgentes, & omnium virtutum exercitio splendidi ambulant. Hi revera iustorum & sanctorum loco plus & minus habentur. Per hanc scelesti, improbi, & obstinati peragrant. Prioris viæ pauci, posterioris multi. Præter has duas vias, ut dixi, invecta est *via media*, quæ non minus a prima ac cælum a terra distat, quæ reductive & reipsa ad secundam attinet. Hæc via media ingentem comprehendit Christianorum multitudinem. Istius viæ Christiani corpus oppipare nutriunt, sensus demulcent, voluptati, illecebris, & selectioribus mundi deliciis indulgent; suas habere amasias honestulas, & torosulas volunt; ieiunia, cilicia, carnis & sensuum crucifixionem, humilitatem, contumeliarum tolerantiam, & ceterarum virtutum praxim sin minus detestantur, nullum certe inire cum eis commercium volunt. Ut tamen a peccatoribus improbis, & obstinatis, qui laxatis habenis per viam latam percurrunt, aliquo modo recedere sibi blandiantur, suas recitant precatiunculas, pios libellos legunt, suas congregationes frequentant, spiritualia quædam exercitia libenter peragunt, & ad sacramenta sæpius accedunt. Recedunt ergo a lata improborum via. Primam sane non ingrediuntur: quia via sanctorum, & filiorum Dei est. Mediam ergo inter utramque viam calcant, non in Evangelio contentam, sed hominum opinione excogitatam.

VI. Doctissimus Ioannes Morinus *Lib. IX. de administrat. pœnit. cap.* 34. pluribus allatis documentis evincit id quod nos supra ex S. Thoma indicavimus, videlicet Iudæos consuevisse sua peccata confiteri. Porro *num.* 3. animadvertit, tres illos distinxisse vias: duas extremas; quarum prima est sanctorum hominum, altera improborum; *tertiam mediam*, per quam ambulant illi qui nec sunt perfecti: impro-

bi

bi, nec perfecte iusti. En illius verba. *Iudaeorum recentiorum, & antiquorum celebre est effatum, tria esse hominum genera, perfecte iustorum, perfecte impiorum, & intermediorum: Deum tres libros habere: in primo perfecte iustos describi; in secundo perfecte impios; in postremo intermedios. Deum initio anni omnium hominum actiones celebri iudicio examinare, perfecte iustos tum statim primo libro inscribi, malos secundo, intermediorum autem iudicium in decimum diem mensis suspendi*; si perfectam pœnitentiam egerint, iustis, si non, impiis adnumerandos. Huius narrationis documenta adduxit ex R. *Schem Tob.* & ex *Mose Cordubensi*.

VII. Num istius doctrinæ imago obtineat apud plures Christianos, tu, lector cordate, iudex sis. Cedo: nonne Christiani qui exacte ieiunia servant, qui linguam ab omni turpi sermone coercent, qui modestiam, iustitiam, caritatem, ceterasque virtutes excolunt; qui a comœdiis, spectaculis, ludis, pompis vanis, feminarum conversatione omnino abstinent; qui vitam suam ad sanctarum Scripturarum, & sanctorum Patrum libros conformant, vocantur *perfecte iusti*, & veluti sancti habentur? Nonne e contrario Christiani qui pellices publice alunt; qui sensibus habenas laxant, a templis, a sacramentis frequentandis, a Dei cultu longe vivunt; qui vitam suam ad impiorum libros exigunt, *perfecte improbi* existimantur? An non ceteri Christiani qui *viam mediam* tenent inter has duas extremas, qui nempe templa, sacramenta, & plura devotionis officia frequentant; qui manifesta, & graviora scelera perhorrescunt; delicatiora tamen flagitia perpetrant, mundi illecebris, voluptatibus, exquisitis deliciis fruuntur; ludis, comœdiis, feminarum colloquiis familiarissimis indulgent, eisdem inserviunt, & ensibus suis, & carni mirifico artificio satisfacere student, vitamque suam ad mollioris Ethices libros quosdam conformare didicere: nonne, inquam, Christiani isti nec perfecte iusti, nec perfecte improbi, sed *intermedii*, tepidi, honesti, qui iuxta regulas boni & æqui, contemptis Rigoristarum effatis, mores suos informant, appellantur? Iudæi, si homines intermedii severam egerint pœnitentiam, iustis; sin minus, improbis accensent. At Christiani intermedii, Iudæis ipsis cæciores, sibi blandiuntur per suam viam mediam se cælorum regnum indepturos.

VIII. Porro sicut *media* est illorum *via*, sic *media* est illorum iustificatio; & quemadmodum illorum *via* non evangelica, sed mundana appellatur, sic illorum iustificatio non christiana, sed humana prorsus & commentitia est. Ad hanc viam excogitandam hominum malitia coegit. Sacramentorum ministri aliqui, humanæ salutis zelo flagrantes, pia & sancta intentione, ut sentire nos convenit, cum adducere homines nequirent ad severam, exactamque evangelicæ professionis observantiam, Evangelium delinire, levigare Christi iugum, illudque attemperare humanæ imbecillitati studuerunt; sicut S. Augustinus *conc.* I. *in Psal.* XCVIII. docet. *Hæc est enim in hominibus magna, & usitata perversitas, quia cum debeant vive-*

vivere ipsi secundum voluntatem Dei, Deum volunt vivere secundum voluntatem suam: & cum ipsam nolunt corrigi, illum volunt depravari, rectum non arbitrantes quod ille vult, sed quod ipsi volunt.

IX. En referatam caussam cur hodie nulla defigaris admiratione, quod videas homines hac hebdomada ad pœnitentiæ tribunal, ad mensam eucharisticam, altera hebdomada ad mensam lusoriam, & feneratoriam, ad inserviendum amasiis, & cum eisdem saltandum, si occasio ferat, ad spectanda theatra, & ad omnia mundi præstigia, aliquo probabilisticæ benignitatis fuco tecta, frequentanda: & iterum ad *confessionale*, ad altare, iterumque ad mundi idola. Non commoveris super hoc portentoso sacramentorum, & relapsuum fœdere: quia ab ipsa infantia huic spectando circulo assuetus, honestam ætatis nostræ consuetudinem reputas. Accedit plurium Casuistarum, & Confessariorum auctoritas. Clamant isti tum voce, tum scriptis, reflorere ætate nostra *aurea sæcula*, quæ antiquorum æmulantur sanctitatem. Quandonam, inquiunt, maior sacramentorum frequentia? Quandonam tanta templorum magnificentia, tam splendidus cultus, tanta sacrificiorum multitudo, tam harmonicus cantus, tanta sacrorum vasorum opulentia, tanta monasteriorum, collegiorum maiestas, tanta Sacerdotum copia? Quandonam apostolicæ missiones, spiritualia exercitia, & cetera christianæ pietatis officia maiori fuerunt in usu?

X. Quid ergo crocitant *Rigoristæ*, immisericordes, truces, ambitiosi, tetrici adversus florentissimam ætatis nostræ disciplinam? Qui sunt hi Rigoristæ? *Quos deprehenderis* (respondet P. Balthasar Francolinus in præf. ad Cler. Rom.) *in facie sanctos, modestos, compositos, ecclesiastice in toto habitu comptos, sed habentes semper quid interrogent, quid inquirant, quid dubitent, quid obiiciant, quid non probent, quid resecent, quid restringant, quid addant, quid emendent, semper mussitantes, semper deflentes nostram ætatem, nostros mores, nostram doctrinam, habentes numquam quod excusent, quod indulgeant, quod laudent, NISI AUT SUA SUNT, AUT SUORUM, quos evehere curant, ut evehantur ipsi, ET DOMINENTUR IN CLERIS, AUT PROTEGANTUR; habe illos ut nostrorum temporum Pharisæos, & veri nominis RIGORISTAS.*

XI. Brevem digressionem sibi postulat discipulus P. Francolini, cuius est in suo hoc opere interlocutor. Quærit, quinam reipsa sunt qui hac ætate nostra *dominari in cleris* anhelant? Quinam illi qui nihili pendunt, nisi quæ *aut sua sunt, aut suorum*? Quinam illi qui *evehere suos* student, ut evehantur ipsi ad altiora ministeria, & regimen illorum a quibus *protegantur*? Quinam illi qui, ut *suorum* defendant opiniones nimium ab Evangelio exorbitantes, tot rumores, tot turbines, tot tragœdias concitant, tot volumina edunt? Hæc & alia longe plura, quæ in adducto *P. Francolini* testimonio continentur, a magistro suo discipulus re-

resolvenda rogat. Mihi enim neque petere, neque resolvere illa licet. Miror dumtaxat cautam prudentemque P. Francolini scribendi rationem adversus non *Fratrem*, aut *Fraterculum* quempiam, ut aliqui suorum loquuntur, sed adversus Cardinales, Episcopos catholicos, doctrina, & pietate præstantissimos, quos inter eminent Episcopus Gennettus, Cardinalis Norisius, ambo in *Bibliotheca Iansenistarum* inscripti, ut ceteros nunc sileam. Pharisæi autem, subdit discipulus, spiritum legis divinæ, eiusdemque prima & summa capita negligebant, ut novas suas traditiones, & opiniones promoverent, inculcarent, propugnarent rigore summo, & incredibili severitate, quod revera dominarentur in cleris. Absit a me ut alicui vel minimo Catholicorum, Pharisæorum docendi agendique methodum vel remote adscribere velim, & ausim. Iudicium istud Deo reservatum est. Solum ego rogo sapientes, ut expendant, quam prudens & cauta sit P. Francolini, qui benignitatem, & suavitatem ubique clamat, scribendi ratio.

XII. En unam ex caussis cur non commoveris super instabili & fluxa plurium ætatis nostræ iustificatione. Moralistæ ipsi invehuntur in Theologos qui inculcant pœnitentibus ut præcipue doleant de illo peccato regnante, & dominante *cui sunt valde addicti*, ut propositum *firmum & constans* concipiant abstinendi ab hoc tali peccato. Clamant Benignistæ, ut recitatis Francolini verbis infra ostendam, Theologos istos esse Rigoristas, Tutioristas. Quid ergo mirum, si Christiani his præiudiciis educati, existiment iustificationem divinam, & sanctitatem sitam esse in hac confessionum, & relapsuum successione? Consuetudo postea, tot Casuistarum auctoritate fulta, frequentandi sacramenta, & fruendi mundi deliciis caussam confirmat cur tu non mireris, quod *iustificatio christiana* hodie non pariat mundi, ambitionis, deliciarum, & voluptatum contemptum, neque accendat amorem Dei, & eiusdem legis suavem observationem, efficiatque iustificatos *stabiles* & *firmos* in viis Domini. Auctoritas, ut dixi, plurium Casuistarum, & Confessariorum, qui *auream* prædicant *ætatem nostram*, qui frequentiam sacramentorum cum comœdiarum, spectaculorum, chorearum, ludorum, pomparum immodestarum, aliarumque mundi insanientis corruptelarum frequentia copulant, & confœderant, omnem aufert admirationem. Quid? An nos decipient, inquis, Dei ministri? An hæc consuetudo, tantorum virorum auctoritate firmata, corrupta, vitiosa, sacrilega reputanda erit? *Magna*, clamat Augustinus, *tentatio*. Hac ipsa tentatione premebantur sancti Christiani Ecclesiæ Hierosolymitanæ, ut ex Paulo Apostolo enarravi. Sola divina Pauli eloquentia liberare a tam vehementi tentatione fratres suos valuit. S. Augustinus testatur, se gravissimas persecutiones, & contumelias passum, ut sui temporis Christianos ab errore eriperet, quod adversarii aliter opinantes illos in suavi & benigna vivendi consuetudine firmos & constantes detinerent. Non propterea tamen clamare cessavit Doctor sanctus: *Propter homi*

minum errores, qui per vaniloquas seductiones, & pravas consuetudines nobis molestam pro vobis curam inferre non cessant, tacere non possumus : ser. clvii. de temp. Iam inde usque possessio propriæ libertatis adversus divinæ legis controversa præcepta opponebatur. Solum eo malorum lapsi tunc non erant, ut peculiare de hoc systema constituerent. *Sunt aliqui* [persequitur Augustinus ser. iv. ad Frat. in erem.] *qui spiritu libertatis vivere volunt : & si in aliquo reprehenduntur, latrant ut canes, mordent ut serpentes, dolent ut parturientes, dicentes malum bonum, & bonum malum.* Neque tum defendebant malum, aut licitum asserebant peccatum; sed opinionum blanditiis malum ut bonum depingebant, & contra adversantes latrabant ut canes, mordebant ut serpentes. *Nolunt enim* (subdit Augustinus tract. xc. in Ioan.) *mali sua facta damnari; & hoc habet veritas, ut talia facta damnentur. Tantum igitur oderunt veritatem, quantum oderunt suas pœnas, quas talibus irrogat veritas.* Concludit vero Doctor sanctus cit. ser. clvii. *Cavete ista, dilectissimi. Cogitate quid scriptum est Eccles. xviii. Post concupiscentias tuas non eas.* Huc omnia recidunt.

XIII. Sophismata ætatis *aureæ* nostræ, eiusque præstantes dotes, & cetera temporis nostri privilegia, quæ obtruduntur, quam sint manifestæ experientiæ repugnantia, nemo, qui cæcus non sit, ignorat. Vides, lector cordate, a sancta Petri Sede avulsa regna & nationes : vides in dies amplificari hæreses, schismata, impietatem, incredulitatem : vides, & manu tangis catholicæ religionis spiritum decrescere, restringi, coarctari, & in deteriora semper tendere, quæ sunt luculentissima mundi ad finem properantis argumenta. Cave ergo *ab hac ætate aurea*, quam plures obtrudunt. *Cavete ista dilectissimi.* Paulum audite, Paulum legite, Evangelium Christi meditamini. Ubique inclamatur, *iustificationem* Christianorum firmam & stabilem esse. Olim iustificatio christiana innumeros paganos idololatras transmutabat in martyres, qui crudelissima supplicia invicta fortitudine pertulere. Ex numerosa Ecclesiæ Hierosolymitanæ multitudine vix unum iustificatorum legimus relapsum. Aliarum Ecclesiarum lapsi, ut sinceræ pœnitentiæ testimonium perhiberent, aut sponte ad tyrannum properabant, ut sanguinis effusione relapsum suum expiarent; aut perpetua, & publica pœnitentia indulgentiam implorabant. Hæc manifesta exempla & confirmabant stantes fratres, & erigebant lapsos. Hodie iustificationes frequentantium confessiones pluries in anno non avellunt a suis matronulis, amasiis, theatris, & spectaculis. Christi sanguis, unde suam arcessit firmitatem iustificatio, non minoris efficaciæ & virtutis hodie est quam tempore suæ effusionis. Derogant, & summopere detrahunt medicinæ efficacitati, & remedio a Christo instituto pro expellendis peccatis, qui in eiusdem reiteratione collocant virtutem. Remedium quod nonnisi sanitatem transitoriam, & cito deficientem tribuere valet, langui-

dum

dum & inefficax reputatur: & hodie in sola reiteratione confessionum Casuistae plures collocant iustificandi virtutem? Plura hic dicenda forent quae nunc sileo. Reiterandum remedium est, ut praeservetur anima a peccatis, ut augeatur, & robustior sanitas evadat. Reiterandum cum iis qui ex imbecillitate, & tentatione urgente relabuntur. Reiterandum cum obstinatis & scelestissimis peccatoribus, qui mundo, carni, & sanguini valedicere, & viam arctam ac angustam Christi percurrere sincere & ex toto corde parati sunt. Sed Paulum imitemini, qui Corinthium incestuosum, priusquam absolveret, satanae tradidit, ut salvus fieret, qui cum fornicatoribus, avaris, idolis amasiarum servientibus nec cibum sumere, nedum ad sacram mensam admittere permittit. Novis itaque Doctoribus, qui a Paulo dissentientes de frequentia sacramentorum, & exterioris devotionis fucato splendore gloriantur, cum Paulo respondete. *Non est bona gloriatio vestra. Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi . . . . Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiae & nequitiae, sed in azymis sinceritatis & veritatis . . . . Nunc autem scripsi vobis non commisceri: si is qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax: cum eiusmodi nec cibum sumere.* Numquid dicturi sunt nonnulli novi Casuistae: *Communis opinio Doctorum* oppositum docet? Disciplina haec obsolevit, & alia id genus?

§. IV.

Quodnam sit propositum necessarium ad confessionem? Quae illius conditiones. Includit ne voluntatem firmam & constantem vitandi occasiones quae ad peccatum impellunt, sive proximas, sive propinquas? Laxae Francolini, La-Croix, Gobat, Sporer, Viva, & *aliorum opiniones refelluntur.*

I. QUamvis nonnulla iam supra dicta sint; tamen quia caussa magni momenti est, clarius eam enucleare expedit. Propositum necessarium ad confessionem est voluntas imposterum non peccandi. Nemo ad confessionem accedit, quin propositum istud iactet, & ostentet: & tamen pauci sunt qui revera illud habeant. Animadvertit, non Gennetus, non Merbesius, Iuvenin, Natalis ab Alexandro, sed P. Paulus Segneri in suo Christiano instructo *Part. III. serm. XIV. num.* 4 tam magnam esse poenitentium multitudinem qui carent vero, & ad confessionem necessario proposito, ut integrum populum formet. *Populus hic la-*

labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me: Matth. xv. Addit ex S. Theresia *in itinere perfectionis*, dæmonem *nulla alia via tot animas Christianorum lucrari, quam hac, qua curat ut Christiani confitentes non recte, seu valide confiteantur*. En quo recidat, teste ipso P. Segneri, misera illa ostentatio, & vana gloriatio frequentium confessionum nostri temporis.

II. Tres postulat prærogativas propositum ad confessionem necessarium. 1. ut sit firmum, & stabile: 2. ut sit universale: 3. ut sit efficax. Primum itaque ad hanc firmitatem non sufficit velleitas, seu voluntas languida, & conditionata; sed requiritur deliberatio absoluta, & firma, quæ revera excludat voluntatem peccandi, quæ nullius boni amore, nulliusque mali timore peccatum amplecti imposterum velit. Non debet tamen Confessarius proponere, neque pœnitens formare hypotheses istas: Quid agerem, si mihi mors crudelissima intentaretur, aut ingens patrimonium offerretur, ut denuo patrata flagitia, aut alia committerem? Non sunt, inquam, eiusmodi hypotheses singulares communiter formandæ: quia aliquorum pœnitentium phantasiam debilem conturbare possent. Communiter sat est ut quisque generatim omnia mala perferre, & omnia bona contemnere firmiter paratus sit, potius quam mortaliter peccare, quin necesse sit ut ad hoc, vel illud acerbissimum malum descendat. Pœnitentes vero robusti, & fortes etiam martyrium sibi proponere possunt, & sæpe optimum consilium erit id concipere ad voluntatem solidandam, & concupiscentiam, ceterasque passiones cohibendas.

III. Quæst. I. *Quid dicendum de opinione* P. Patritii Sporer, *qui docet propositum sufficere ad confessionem, licet pœnitens certo sciat se relapsurum?* Resp. Hæc scribit P. Sporer *Part. III. cap.* 11. *sect.* 4. *num.* 310. *pag.* 204. „ Potest enim quis „ vere dolere, & detestari peccatum, ac vere & absolute proponere se de cetero non peccaturum, *seu firmum* propositum, ac sufficiens concipere abstinendi imposterum; tametsi valde timeat, aut etiam existimet, *immo CERTO „ CREDAT se ob expertam voluntatis suæ inconstantiam, & fragilitatem suam „ denuo relapsurum*: non in omnia peccata mortalia, vel hoc certum peccati „ genus. Unde si pœnitens dicat: *Omnino quidem doleo, ac firmiter propono im- „ posterum abstinere; interim tamen SCIO, iterum faciam, iterum labar, iam toties expertus sum*: is tamquam BENE DISPOSITUS, præmissa confirmatione, „ ac consolatione debita, ABSOLVENDUS. Quia sensus verbi *iterum faciam*, est „ tantum indicativus, seu enumerativus ex parte intellectus. " Etiamsi pœnitens certo credat, sciatque se relapsurum in peccata mortalia, vel *hoc certum* peccati genus non evitaturum, est optime dispositus, & præmissa *consolatione* absolvendus? Cur? Quia sensus verbi est tantum *indicativus, seu enumerativus ex parte intellectus*. Quid, si hæc audissent sancti Apostoli? Quomodo enim hæc

duo

duo componi simul possunt ? Certo credis, & scis te relapsurum ; & una sincere & firmiter promittis te non relapsurum ? Sincere & ex toto corde promittis donare Patritio centum aureos ; & simul certo credis, & scis te non daturum ? *Unde hoc monstrum ?* Clamat in Confessionibus *Lib. VIII. cap.* IX. S. Augustinus . *Imperat voluntas sibi, & non fit quod imperat ? Ergo non ex toto corde imperat*. Sed ideo pœnitens hoc scit, quia conscius est suæ præteritæ inconstantiæ, & imbecillitatis . Audio . Pœnitens iste sincerus saltem est, tametsi sacrilegus . Scit præteritas confessiones fuisse sacrilegas ex defectu veri propositi : ideo sincere fatetur, *credere, & scire* se relapsurum : quia scit reipsa se non relicturum amasiam, fenora, & illicitas cupiditates. Et tales revera sunt confessiones innumerabilium Christianorum, qui ex lectione similium Casuistarum firmantur in suis depravatis corruptelis. Pronuntiant se firmiter peccatum nolle ; sed *ob expertam voluntatis suæ inconstantiam & fragilitatem*, sciunt & credunt se, sicut antea, fore adulteros, fornicatores, periuros, &c. Subdit ibidem P. Sporer : *Secus, si sensus esset optativus, seu volitivus ex parte voluntatis, significans scilicet actualem aliquem affectum voluntatis ad peccatum in futuro ; quod valde notandum*. Papæ ? Hoc solum deficeret, quod sensus esset optativus, quo optaret, & peccatum deperiret.

IV. Quæst. II. *Quid dicendum de censura quam* P. Francolinus *inurit Episcopo* Gennet, *quia is vult propositum esse firmum & constans ?* Resp. P. Balthasar Francolinus in suo *Cler. Rom. Lib. II. calum. x. dist. x. num. 26. pag. 99. Venet. edit.* Episcopum Gennet appellat rigidissimæ doctrinæ Auctorem, præsertim quod pro contritione requirat propositum firmum ac stabile . Hæc sunt P. Francolini verba . „ Franciscus Gennetus in sua recentissima Theologia morali, edita Parisiis „ an. 1703. ex pluribus exemplis RIGIDISSIMAE ipsius doctrinæ, unde gravia „ sequantur absurda, unum afferam ex Tom. IV. tract. VI. de sacram. pœnit. ubi „ *cap.* V. *quæst.* XIX. docet, ad veram contritionem in hoc sacramento requisitam „ esse necessarium *constans* propositum : non inquit propositum, sed constans pro„ positum, idque debere innotescere Confessario, antequam absolvat. "

V. Redarguit iterum P. Francolinus Gennetum, quod moneat non esse sæpe credendum lacrymis peccatorum. Hæc sunt Francolini verba *loc. cit.* „ His enim „ non esse credendum satis docet *cap.* V. *quæst.* XXI. Audi PULCHRAM ratio„ nem. *Nam sæpe lacrymæ proveniunt* (inquit Gennet) *ab humano prorsus affe„ ctu, vel ex imaginatione obiecto aliquo insolito commota*. "

VI. Ex his doctrinis Episcopi Genneti plura absurda elicit P. Francolinus : deinde *ibidem num.* 27. exclamans concludit : *Quis umquam audivit tam ABSURDAS doctrinas, tam SEVERAS ?*

VII. Heu ! quis umquam audivit tam absurda paradoxa contraria, & tam laxa ?

xa ? Doctrina Gennetti est ipsissima S. Pauli, cuius testimonium Gennettus ipse adducit. *Quae secundum Deum est tristitia, paenitentiam operatur STABILEM*. Et Francolinus vociferatur: *Quis umquam audivit tam absurdas doctrinas?* Absurda ne S. Paulus Apostolus docet? Absurda immo, quae elicit P. Francolinus, non ex doctrina S. Pauli, & Gennetti, sed ex novo opinandi modo, ab evangelica simplicitate, & Patribus alieno, proficiscuntur. Excusandus, concludit Francolinus, Gennettus, quod has consequentias non vidit. *Sed eas consequentias videt optime daemon, qui sub hac specie rigidae pietatis VOS decipit, & latens venenum securius miscet*: ibidem num. 27. Laxam Francolini opinionem transcripsit P. La-Croix *Lib. VI. part.* 11. *num.* 1824. ubi inquit: „ Inferes secundo, etiam audiendum non esse Gennettum *Tom. IV. &c.* ubi docet, pro hoc sacramento requiri *constans propositum*, &, quod constans sit, debere innotescere Confessario, antequam absolvat. " Non debet ergo Confessarius prudenter iudicare, poenitentem absolvendum habere constantem voluntatem non peccandi imposterum? Nequaquam. Ergo sufficit illum habere voluntatem inconstantem, ut hodie habere permulti poenitentes solent, qui confitentur, & post triduum, aut quatriduum eadem repetunt flagitia, & in perpetuo sacramentorum, & relapsuum circulo vitam agunt. Scilicet. Cedo: aut debet habere poenitens voluntatem constantem, aut inconstantem. Si primum, *doctrinam rigidissimam* doces, inquit P. Francolinus cum P. La-Croix. Si contra nos dicamus, doctrinam Francolini, & La-Croix esse laxissimam, lamentantur, turbas cient. Quaero: si vos ipsi adverteretis, eum qui accipit pecunias mutuas, voluntatem inconstantem restitutionis habere; illi ne pecunias crederetis? Doctrina Francolini, & La-Croix non modo laxa, sed Concilio Tridentino, & Ecclesiae contraria apertissime mihi videtur. Poenitens habere debet voluntatem constantem, fortem, &, ut S. Paulus dicit, *stabilem* non offendendi Deum, ut sit rite dispositus ad absolutionem: idque ex signis probabilibus iudicare Confessarius debet. Aliud est, quod poenitens post hanc voluntatem constantem relabatur; aliud est, quod, dum confitetur, habere non debeat voluntatem constantem.

M O N I T U M.

VIII. Tanto me horrore commotum ex talibus doctrinis sentio, ut omittere non possim quin christianum lectorem moneam, atque exorem ut ipse iudicium ferat, num praefatae doctrinae omnino hodiernae praxi respondeant. Factum evidens est, plurimos hodie poenitentes recurrentibus quotannis quibusdam solemnitatibus confiteri, & elapsis festis, & confessionibus suas inveteratas corruptelas persequi. Ipsi poenitentes reipsa, ut dicit P. Sporer, *certo sciunt*, se in eadem

vitia relapsuros propter experientiam diuturnam propriæ fragilitatis, & malitiæ. Ipsi sciunt, proprium propositum non esse constans & firmum. Et hoc non est ab illis exigendum iuxta *P. Francolinum*. Tu, lector, lege ex una parte *Sporer*, *Tamburinum*, *Francolinum*, & *La Croix*: lege ex altera Gennettum, & S. Paulum. Compara doctrinam Sporer, Francolini, & La-Croix cum praxi hodierna plurium pœnitentium, qui pluries in annos singulos confitentur, quin mores suos corruptissimos emendent. Rogo omnes ut propriis oculis periculum faciant. Si ego deceptus fui in eorum transcribendis doctrinis, in antecessum retracto deceptionem meam. Quod ideo dico, quia licet attentissime legere curem eiusmodi libros, tamen semper vereor ne oculi me fallant. Incredibilia enim videntur mihimetipsi eiusmodi paradoxa cum Scripturis sanctis, & cum sensu communi pugnantia. Tu autem abstine, si vales, a lacrymis talia legendo. Mollioris Ethices benigni patroni vocant *rigidissimam doctrinam* quam docet S. Paulus. Si vero nos absonas illorum opiniones appellemus *laxissimas*, lamentantur. Sed hæc levia sunt. Illud nos torquet, quod Confessarii, & fideles hos Auctores legentes firmantur, & animos resumunt ad continuandum confessionum, & relapsuum circulum. Christiani, ut vidimus, internum conscientiæ tribunal consulentes, *iustificationem* in anima Christi meritorum virtute per Spiritum sanctum inhabitantem infusam, firmam, stabilemque, qualem describit S. Paulus, concipiunt. Illi ipsi sciunt hanc stabilitatem non ab humana infirmitate, sed ab infinita passionis Christi efficacia, ab ipsius gratia victrice repetendam esse. Sciunt continuis precationibus, viva fide, & firma fiducia imploranda auxilia, quibus adversus recalcitrantis concupiscentiæ impetus, adversus mundi, & satanæ præstigia hæc iustificationis stabilis firmitas conservetur. Hæc omnia Christiani lumine fidei illustrati norunt; immo in hac persuasione firmantur honestorum hominum exemplo. Quandoquidem compertum illis est, uxorem revera fidelem, & castam non adulterari, amicum ingenuum non mentiri, mercatorem vere iustum a fraude abstinere &c. Verum dum legunt *PP. Tamburinum*, *Sporer*, *Francolinum*, aliosque similes Doctores, intelligunt, minime requiri *propositum stabile*, neque *persuasionem firmam* non relabendi in peccatum, neque concipiendum esse peculiarem dolorem de peccato, cui valde addicti sunt; sed e contrario cum certa scientia futuri relapsus componi dispositionem sufficientem ad sacramentum. Horum Casuistarum auctoritate freti supprimunt internum iudicium fidei lumine excitatum, & propositum concipiunt ac voluntatem non peccandi, quam præterita experientia docti sciunt se cito violaturos. Nonne heinc sequitur, deplorabilem ætatis nostræ vicissitudinem confessionum, & relapsuum in eadem flagitia fere per totam vitam auctoritate eiusmodi Casuistarum fulciri, & roborari? Iudicet prudens lector, sint ne legitima consectaria hæc, &

alia

alia plura laxitatis portenta, quæ inde proficiscuntur, quæque nunc prætereo.

IX. Quæst. III. *Quid dicendum de opinione* P. La-Croix, *docentis* probabilius videri *necessarium esse propositum universale imposterum cavendi omnia mortalia?* Resp. Secunda prærogativa propositi sufficientis ad confessionem est universalis voluntas abstinendi ab omnibus & singulis peccatis mortalibus; secus de venialibus dicendum est, ut optime S. Thomas *III. Part. quæst.* lxxxvii. *art.* i. *ad* i. docet. *Pœnitentia de peccatis mortalibus requirit quod homo proponat abstinere ab omnibus & singulis mortalibus. Sed ad pœnitentiam peccatorum venialium requiritur quod homo proponat abstinere a singulis, non tamen ab omnibus, quia hoc infirmitas huius vitæ non patitur. Debet tamen habere propositum se præparandi ad peccata venialia minuenda. Alioquin esset ei periculum deficiendi, cum desereret appetitum proficiendi, seu tollendi impedimenta spiritualis profectus, quæ sunt peccata venialia.*

X. P. Claudius La-Croix *Lib. VI. part.* ii. *num.* 898. hæc scribit. „ Probabilius „ videtur pro absolutione a mortalibus requiri propositum universale imposterum „ cavendi omnia mortalia.“ Contrariam sententiam, videlicet non esse necessarium propositum universale abstinendi ab omnibus mortalibus, defendunt Aversa, Gasp. Hurtado, & Thomas Hurtado, Platelius, Dicastillo, qui priorem sententiam vocat singularem, ut narrat ipse La-Croix. Hanc secundam opinionem, ut manifeste falsam & laxam, Scripturis divinis, sanctis Patribus, atque Concilio Tridentino aperte contrariam, reiicimus. Similiter opinionem P. La-Croix, ut falsam reiicio, quatenus asserit *probabilius videri* requiri propositum universale vitandi omnia peccata mortalia. Non probabilius, sed certum est, requiri propositum universale abstinendi ab omnibus & singulis culpis letalibus. Porro, cum P. La-Croix asserat solum *probabilius videri* necessarium esse propositum istud, iuxta eiusdem principia sequitur, probabilem, licet minus, esse opinionem contrariam, quæ aperte falsa & laxa est, ut mitissime loquar. Nam si probabile est, propositum non esse universale, ergo probabile est pœnitentem posse conservare affectum erga hoc aut illud peccatum: & en manifestum errorem. Heinc patet, frequenter P. La-Croix proponere opiniones contrarias, ut beneficio Probabilismi eam lectores seligant quæ eorumdem appetitionibus accommodatior fuerit, dummodo sit vere probabilis. Et primum, non asserit citatus Auctor absolute probabiliorem sententiam, requirentem propositum universale, sed *videri probabiliorem*. Deinde quid iuvat asserere esse probabiliorem illam sententiam, quando iuxta P. La-Croix licitum est sequi oppositam minus probabilem? Alia laxa ibidem docet hic Auctor. Nam *num.* 899. ad obiectionem oppositæ opinionis, inquientis: „ Si „ dolor sit ex motivo universali, sufficiet propositum particulare de non iterandis

„ peccatis COMMISSIS : “ resp. *hoc quidem esse probabilius* “. Verum hoc non modo non probabilius, sed, ut mea minima præfert opinio, certo falsum & laxum est. Sat est propositum de non iterandis fornicationibus *commissis*; at probabilius est, non requiri propositum expressum & universale vitandi adulteria, pollutiones, furta, & cetera flagitia futura, antea non perpetrata? Hoc probabilius tantum est? In praxi tamen, subdit, videtur eliciendum formale propositum universale de cavendis omnibus mortalibus.

XI. Tertia prærogativa propositi necessarii ad confessionem est, ut sit efficax. Hæc tertia conditio est omnium potissima. Propositum efficax significat, ut id efficiatur quod proponitur. Hinc S. Thomas in *Psal.* XLVIII. sapienter ait: *Propositum optime manifestatur per operationem*. Proposita itaque illa, quæ reipsa non inducunt abstinentiam a peccatis, præciso aliquo accidentali casu, non efficacia, sed inefficacia sæpe sunt. Si inefficacia, confessiones invalidæ, vel etiam sacrilegæ. Sæpe dixi hoc evenire, quia non nego & iustos ipsos relabi in peccata posse, ut sæpius admonui. Communiter ergo proposita inefficacia sunt, & commentitia, quando pœnitentes frequenter in eadem relabuntur peccata præter propter sicut antea. Illa vero efficacia dicuntur, quæ reipsa abstinentiam a peccatis pariunt, ita ut pœnitentes novam vitam instituant: qui tamen in aliquo inopinato casu, aut occasione non prævisa & urgente relabuntur. Ne multa: pœnitentes ficti communiter in eadem consueta mortalia peccata relabuntur; & solum accidentaliter, & pro aliquo tempore, ac circumstantia abstinent interdum a peccatis, aut eadem diminuunt. E contrario pœnitentes veri & iusti communiter a peccatis mortalibus reipsa abstinent, & viam mandatorum Dei constantes percurrunt, & lætantes: interdum dumtaxat in scopulos, & offendicula incurrunt, & gravi tentatione pressi relabuntur; sed continuo resurgunt, & constantiores evadunt.

XII. Veri pœnitentes reipsa iustificati, ut sua proposita inviolate servent, declinant pericula, & occasiones peccandi; falsi pœnitentes præfata vitare recusant. En paucis descripti characteres veræ & falsæ pœnitentiæ. Rigidam hanc doctrinam dicent benigni Probabilistæ; oppositam nos appellabimus falsam & laxam. Inquit enim 1. 2. *quæst.* XX. *art.* 4. S. Thomas: *Non est perfecta voluntas, nisi sit talis, quæ opportunitate data operetur*. Et Deus *Exod.* 1. inquit: *Convertere ad Dominum, & minue offendicula*.

XIII. Quæst. IV. *Quænam sunt occasiones quas vitare pœnitens tenetur, ut propositum dicatur efficax*? Resp. Duplex occasionum genus. Aliæ *remotæ*, quæ ubique occurrunt in universo orbe. Has vitare nemo tenetur, *alioquin* (inquit Paulus 1. *Cor.* 5.) *debueratis de hoc mundo exiisse*. Aliæ appellantur *proximæ*, quæ natura sua, spectatis omnibus circumstantiis, ad peccatum inducunt, vel in qui-

bus

bus homo constitutus aut raro, aut numquam a peccato abstinet. Istarum occasionum aliæ sunt liberæ, aliæ necessariæ. Primi generis illæ sunt quas libere homo aut quærit, aut retinet, ut concubinarius, qui libere concubinam retinet, eamque libere dimittere recusat. Accessus ad talem domum, tabernam &c. ubi communiter in peccatum quis labitur aut luxuriæ, aut ludi illiciti, aut ebrietatis, aut blasphemiæ. Secundi generis occasiones sunt, a quibus homo separari non potest saltem moraliter; ut filiifamilias, aliique servituti obnoxii. Insuper alia est occasio proxima absoluta, ut habitatio cum pellice, concubina &c. Alia relativa, quæ respectu unius erit occasio proxima, spectatis circumstantiis talis personæ, secus respectu alterius. Colloquium familiare cum tali puella, muliere &c. erit occasio proxima Titio, secus Sempronio.

XIV. Quæst. V. *Quid de proposito vitandi occasiones proximas docent Doctores plures attritionis formidolosæ?* Resp. Volumen implerem, si omnes propositiones laxas quas docent Auctores formidolosæ attritionis, recensere vellem. Lege *Tom. II. in Decal. diss.* IX. *cap.* I. ubi plura reperies laxitatis paradoxa. 1. Mulieres absolvendas docent, quæ non proponunt nudata ubera modeste tegere. 2. quæ nolunt moderari superfluum & maximum ornatum. 3. quæ nolunt dimittere fucos & vanos faciei artificiales colores. 4. docent posse famulos inservire pellici, eique subministrare cibos calidos provocantes ad venerem. 5. posse domino, & amasiæ lectum sternere citra culpam venialem, & floribus fulcire citra mortalem. 5. posse conducere pellicem in domum sui domini, etiamsi prævideant peccaturam. 7. posse ferre munuscula, turpis amoris incitamenta, ad concubinam. 8. licitum esse locare domum alicui petenti ad fornicandum. 9. licitum esse donare iudicis concubinæ, ut intercedat apud ipsum. Ut dixi, nullus esset scribendi finis, si singula recensere paradoxa vellem. Illorum aliquas generales regulas proponam.

XV. Quæst. VI. *Quid dicendum de regula quam proponunt* PP. Sporer, Gobat, Caramuel, *& alii circa propositum vitandæ occasionis in quam* probabiliter *scis te lapsurum?* Resp. In hac materia Probabilismus suas exerit vires. Hæc docet P. Sporer *Part. III. cap.*11. *sec.* 4. *quæst.* 2. *§.* 1. *num.* 324. „ Quando enim solum est „ probabile te succubiturum in tali occasione tentationi, certe etiam probabile „ est te non succubiturum: occurrunt enim graves rationes ob quas vir prudens „ iudicat te non lapsurum: certe huius iudicium sequendo, sine nota temeritatis „ ob rationabilem causam poteris te committere huic occasioni, certe non commissurus, si scires, vel CERTO crederes te lapsurum. Quare Confessarius non „ iudicabit esse in occasione proxima peccandi, v. g. se inebriandi, fornicandi „ &c. *qui in tali loco decies tentatus succubuit solum ter, vel quater; secus si* „ *octies, vel septies, & bis, vel ter tantum peccatum vitavit, & superior evasit.* „ Quapropter huic, & non illi nolenti hanc occasionem relinquere neganda erit

„ absolutio. QUIA Ioannes Caramuel *Theolog. Reg. disp.* xx. *num.* 1056. vult „ etiam dandam absolutionem illi qui *toties fuit victor, quoties victus, referente,* „ *& non contradicente* P. Gobat *casu* 16.

XVI. Hac mirifica doctrina animati luxuriosi, ebrii, & ceteri consuetudinarii, adibunt pellicem, tabernam, aliamve occasionem quater vel ter in diem, in biduum, in triduum &c. bis, vel ter se abstinebunt; bis vel ter peccabunt. Immo, ut securius absolutionem obtineant, octies in diem visitabunt pellicem, & semel vel bis peccabunt. Tum enim non solum secundum *Gobat*, & *Caramuelem*, verum etiam secundum ceteros similes Doctores minus benignos, & cautiores absolvi poterunt, & eucharistico epulo nutriri. Si perconteris a recensitis Casuistis, unde acceperint trutinas, aut regulas absolvendi eos qui bis, qui quater, secus illos qui sex in occasione libere constituti peccant; reponent, quia ita sui Doctores docent. Hæc ne paradoxa S. Pauli doctrinæ, & bono sensui consentanea? Sed ultro pergamus.

XVII. Quæst. VII. *Quid dicendum de doctrina* P. Gobat, *qui defendit non esse negandam absolutionem plebeiis iuvenibus exutis in eodem lecto cum puellis cubantibus, & nolentibus proponere separationem*? Resp. Georgius Gobat *tract.* v. *cap.* xxxii. *sec.* 2. *num.* 19. *&* 20. *pag.* 552. *&* 553. hæc docet. „ Liquido scio, crebro fieri, „ *præsertim inter plebeios*, & rusticos, ut eodem in lecto puella cum proco cu- „ bent aliquot horas induti, & exuti, & tamen nihil omnino impudicum a- „ gant, vel *nonnisi oscula, & turpes attrectationes exerceant*. Unde iudico, non „ posse a Confessario *negari absolutionem* omnibus illis puellis plebeiis (aliud ob „ varias considerationes sentio de nobilibus) quæ *non videntur habere propositum* „ *numquam amplius admittendi in lectum procum suum*." Nulla opus est eiusmodi doctrinæ confutatione: suo etenim naturali horrore lectores commovet. Plura alia ex hoc P. Gobat, aliisque formidolosæ attritionis Auctoribus in dissertatione de absolutione transcribam.

XVIII. Quæst. VIII. *Quid sit occasio propinqua, & an pœnitens propositum habere debeat illam evitandi*? Resp. Occasio propinqua ea est quæ licet absolute præcisa a circumstantiis, aut a relatione ad personas, non sit ad peccatum graviter impellens; tamen, omnium circumstantiarum plexu spectato, ita graviter allicit ad culpam, ut nonnisi magna difficultate, & cautione homines a peccato abstinere soleant. Verum similes occasiones, quæ a pluribus *propinquæ* appellantur, sunt reipsa occasiones proximæ respectivæ. Eiusmodi sunt frequentatio comœdiarum, theatrorum, hodiernæ familiares conversationes marium & mulierum, quædam officia, servitia, occupationes, ut militum, mercatorum, cauponum, ancillarum, famulorum &c. Discrimen tamen est inter eiusmodi occasiones. Comœdiæ, & spectacula, quæ hodie communiter fiunt, spectata omnium circumstantiarum pra-

xi,

xi, sunt communiter occasiones criminosæ, ut ex instituto evincam. Ceteræ autem sunt occasiones propinquæ, seu verius proximæ respectivæ. Propositum has occasiones vitandi habere veri pœnitentes debent. Nam Scripturæ sanctæ, & Patres omnes clamant, vitandum esse periculum, & præcipue propinquum, idest grave, labendi in peccatum.

XIX. Quæst. IX. *Quid dicendum de opinione* PP. Sporer, Layman, *& aliorum, qui absolvendos docent non deserentes occasiones propinquas, in quibus peccare solent, dummodo proponant peccatum evitare?* Resp. P. Sporer hæc scribit *III. Part. cap. 11. sect. 4. §. 1. num. 322.* „ Unde absolvendi sunt milites, mercatores, famuli, ancillæ &c. quibus ex officio, negotio, domo &c. imminet propinquum peccandi periculum, quo sæpius peccare solebant, si absque magna difficultate, vel damno notabili dimittere nequeant, dummodo serio proponant peccatum vitare imposterum. *Ex communi Layman cap. iv. num. 9.*"

XX. Si peccare sæpius solebant, iam occasiones eiusmodi sunt ita propinquæ, ut fere proximæ relativæ dicendæ sint. Semper enim præ oculis habenda sunt duo proximarum occasionum genera, ut animadverti supra. Aliæ absolutæ, quæ natura sua tales sunt respectu omnium: aliæ relativæ, quæ spectata imbecillitate huius, vel illius personæ, *proximæ* appellantur, ut ibidem explicatum est. Rescripta doctrina, *communis inter Doctores*, ut ipsi loquuntur, Casuistas, duplici ex capite falsa est. Et principio, quando pœnitentes *sæpius peccare solebant*, ut dicunt isti Doctores, absolutio differenda est, licet proponant emendationem. Siquidem quando *sæpius peccare solent*, suspendenda absolutio est: quia tum speciem pravi habitus præferunt. Deinde aut occasio est proxima, aut secus. Si primum; secundum omnes Doctores eiusmodi pœnitentes capaces absolutionis non sunt. Si secundum; potiori ratione dispositi ad sacramentum non sunt, quia tum *sæpius peccare solent* non ex efficacia occasionis fragilitatem pulsantis, sed ex impetu meræ malitiæ ad *solita flagitia* abripientis. Peccatores enim qui *sæpius peccare solent*, seu qui in *more habent sæpius peccare*, sive ex efficacitate occasionis, sive ex spiritu malitiæ peccent, non possunt reputari sufficienter dispositi ad sacramentum suscipiendum. Quia non adest fundamentum formandi prudens iudicium eorumdem sinceræ conversionis. Nam si occasio non sit vehemens, tum illorum malitia obfirmata in caussa est cur *sæpius soleant peccare*. Si occasio sit vehemens, & proxima, deserenda est, nulla difficultate suffragante.

XXI. Exaggerare novi Doctores solent magnam occasionis deserendæ difficultatem, & damna quæ inde consequuntur. Hæc sunt peccatorum artificia ad excusandas excusationes in peccatis. Sæpe hæ difficultates, hæc notabilia damna sunt commentitia. Cedo: si hæ doctrinæ, quas novi Casuistæ excogitarunt, consisterent, male consulti fuere primi Christiani sanctissimi, qui bonorum proscri-

ptionem, exilia, carceres, dira supplicia, & mortem ipsam sustinuere, ut peccatum, & occasionem peccandi evitarent. Si hæ doctrinæ consisterent, inconsulti, ne dicam insani, fuere duodecim circiter sæculorum Christiani, qui, ut emendationis & sinceræ conversionis argumenta exhiberent, plurium annorum intervallo ieiuniis, & flagellis carnem macerabant, lacrymas fundebant amarissimas, & continuis precibus absolutionem implorabant.

XXII. Sine magna difficultate occasio peccandi deseri nequit. Ergo, inquiunt communiter recentes Doctores, non tenentur eam Christiani deserere. Ita ne vero? Absque ergo magna difficultate assequi regnum cælorum valent? Falsa ergo sunt Christi Domini oracula: *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cælorum. Iterum dico vobis: Facilius est camelum per foramen acus transire quam divitem intrare in regnum cælorum.* Matth. XIX. Iterum per *Marc.* X. clamat: *Quam difficile qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt.* Quid? Obstupescis? Miraris ne Rigorismi tantum? *Discipuli autem* (pergit Marcus) *obstupescebant in verbis eius. At Iesus rursus respondens ait illis: Filioli, quam difficile est confidentes in pecuniis in regnum Dei introire!* Quid tandem præferunt hæc oracula? *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum* &c. *Si manus tua scandalizat te, abscinde eam* &c. *Matth.* V. Sic Doctores Evangelistæ. Et Doctores Casuistæ communiter docent, occasionem proximam respectivam, seu graviter ad peccandum provocantem, non esse deserendam, quod id sine magna difficultate, & notabili damno præstari nequeat. Absque ergo magna difficultate, & notabili damno ducere in regnum cælorum pœnitentes suos volunt?

XXIII. Officia mercatorum, militum, famulatus, ceteræque professiones iuste & sancte exerceri valent. Qui has profitentur artes, & similes, quæ licitæ natura sua sunt, utpote ad humanam societatem servandam institutæ, vitam christianam ducant, remediis a Christo institutis utantur: & quo difficilius artes exerceri sine peccato possunt, eo ferventius divina implorent auxilia, & frequentiora pietatis officia peragant: & tum iuste ac sancte licitas artes exercebunt. Si vero tanta est imbecillitas, ut his etiam præsidiis muniti nequeant artes exercere, quin *sæpius peccare soleant*; tum aut occasiones deserendæ, aut amittendum regnum æternum. Nulla hic ad effugium via media. Per hanc viam mediam laudati Casuistæ perducere sine magna difficultate ad regnum cælorum pœnitentes suos contendunt. Verum commentum istud cum Evangelio hostiliter pugnat.

XXIV. Quæst. X. *Quid dicendum de opinione* P. Viva, *qui absolvendos adolescentes docet qui laborando cum feminis, consensu, tactibus, & copula peccent, quia non habitant in eadem domo?* Resp. P. Dominicus Viva *quæst.* III. *art.* 4. *num.* 5. hæc scribit., „ Unde inferunt Perez, Leander, Lugo, aliique, posse absolvi adole„ scentes qui versantur cum feminis laborando, vel *conversando cum iis quæ in*

„ *ca-*

„ *eadem domo non habitant:* quia licet aliquando in tali occasione mortaliter pec-
„ cent *consensu, tactibus, & etiam copula, ea tamen occasio censetur de se remota.*
„ *Quandoquidem non solent homines ex tali occasione SEMPER, AUT FERE SEM-*
„ *PER, PECCARE MORTALITER.*"

XXV. Audistin' doctrinam adolescentibus, & puellis accommodatissimam? Non semper, aut fere semper homines cum feminis, quibuscum conversantur, peccare mortaliter solent. Et verum quidem habet, cum nec equi admissarii id soleant. Quia ergo *semper, aut fere semper* homines laborantes, & conversantes cum feminis mortaliter non peccant, ideo absolvi debent? Cur? Quia occasio non est proxima, sed remota. Eccur non est proxima, sed remota? Quia in eadem domo non habitant. Audisti pulchram rationem? clamat P. Francolinus, in dissimili casu contra Merbesium. At quando peccant *tactibus, consensu, & etiam copula*, una sane habitant.

XXVI. Rescriptae doctrinae P. Viva falsitas patet ex iis quae dicta sunt. Nam si occasiones remotae sunt, peccant ex malitia; licet non semper, aut fere semper: si occasiones proximae sunt, evanescit lis. Quod adolescentes, & puellae, feminaeque in diversis domibus habitent, quid, quaeso, refert, si laborantes, aut conversantes simul consensu, tactibus, & etiam copula peccent mortaliter; quamquam *non semper, aut fere semper?* Verum de his satis.

XXVII. Quaest. XI. *Quomodo se gerere debent in occasione proxima necessaria constituti?* Resp. Illae occasiones dicuntur necessariae, seu involuntariae, a quibus exire homo nequit absque manifesta aut infamia, aut scandalo, aut gravissimo detrimento. Haec, ut dixi, plus iusto exaggerari a consuetudinariis solent; & Casuistae nimis facile eiusmodi difficultatum simulacra probant, & pavent. Reperiuntur filiifamilias, cum sorore, cum famula saepe mortaliter peccantes. Aufugere domo nequeunt. Quid agendum? Obvia sunt remedia, & quidem natura sua efficacia. Vigiliae, preces iuges, ieiunia, disciplinae, sacramentorum frequentia, lectio assidua Scripturarum habeantur: colloquia familiaria, aspectus mutui severissime declinentur. Durus est hic sermo. Fateor. Verum Christus tonat: Si oculus, si manus scandalizat te, erue, abscinde, fuge. Hoc fieri sine ingenti difficultate nequit. Audio. Sed absque difficultate, & quidem magna, ac violenta, regnum caelorum, quod vim patitur, non obtinetur. At pauci absolventur: pauci frequentabunt Ecclesias. Verissimum. At paucos salvandos Christus testatur. Numquid absolutiones iusto facilius impertiendae, ne populorum concursus ad Ecclesias minuatur? O nos mortalium omnium infelicissimi, si id egerimus! Plura de his occasionibus in dissertatione de absolutione sacramentali.

XXVIII. Quando ii qui sunt in eiusmodi occasionibus involuntariis, praescripta remedia exequi negligunt, neganda iisdem est absolutio. Benigni Casuistae plurimi

totis

totis lateribus clamant, Deum omnibus etiam obduratis, excæcatis, obstinatis auxilia sufficientia ad peccata cavenda, ad occasiones vincendas semper conferre. Non ergo tam ex imbecillitate, quam ex malitia homines isti peccant.

XXIX. Quæst. XII. *Quid dicendum de illorum opinione qui in peccatore iustificando non requirunt expressos actus fidei, & spei?* Resp. Hæc scribit P. Dominicus Viva *quæst.* III. *art.* 4. *num.* II. „ Respondeo cum Leandro .... Sanchez, „ Bonacina, Filiuccio, Valentia, contra Hurtadum, Turrianum, & alios, non „ requiri hos actus expressos, *cum numquam* fideles, nec Confessarii fuerint de „ iis solliciti, sicut sunt solliciti de dolore. Quare vel sufficit actus fidei, & „ spei præteritus non retractatus, vel actus fidei, & spei imbibitus in ipso dolore."

XXX. Concilium Tridentinum *seff.* VI. *cap.* VI. inquit: *Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati divina gratia & adiuti, FIDEM ex auditu concipientes... a divinæ iustitiæ timore, quo utiliter concutiuntur.... in spem eriguntur &c.* Et postea can. III. *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pænitere posse sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur; anathema sit.* Ita Concilium Tridentinum. Sed Leander, Sanchez, Valentia, Bonacina, Viva, & alii interpretantur Concilium, & dicunt, hæc omnia *imbibi in ipso dolore* concepto ex timore gehennæ. Quia nec fideles solliciti sunt de eiusmodi actibus fidei, & spei, nec ipsi Confessarii. Et hæc fidelium, & Confessariorum consuetudo seu negligentia sat est ut citati Doctores definiant, tales actus non requiri.

XXXI. Oro nunc lectores meos, ut serio, & partium studio vacui expendant universam doctrinam, quam Doctores plurimi formidolosæ attritionis tradunt pro dispositione ad præstantissimum maximumque iustificationis opus necessaria. Severe meditentur, quemadmodum citati Doctores ad unicum dolorem ex timore gehennæ, minus, ex timore *carceris*, *ægritudinis*, *infamiæ* a Deo infligendæ conceptum ceteros actus ad tantum opus necessarios restringant; & fidem, spem, dilectionem, propositum virtualiter imbibi in hoc solo dolore contendant. Eorum doctrinæ respondet tot fictorum pœnitentium praxis. Fornacis infernalis, sensibus terrificæ, imaginem concipientes terrore corripiuntur, pectus tundunt, lacrymas fundunt, ad Confessarium pavidi & tremebundi accedunt, & absolvuntur. Discedunt: violentus terror, imago inferni evanescunt: & cum nullus sit amor virtutis, nulla viva & expressa fides, nulla firma fiducia, redeunt post breve tempus ad vomitum, sicut antea. Colliges tandem, quantæ sint auctoritatis citati Doctores, qui in hac sacramentaria materia tam laxa docent. Et tamen hi Doctores sunt ii qui cum aliis tantam sibi arrogant auctoritatem, ut contra omnes Theologos præcedentes Concilium Tridentinum, contra Theologos qui eidem Concilio interfuere, & contra graviores huius ætatis Theologos, contra celebriores Universitates opinionem formidolosæ attritionis tutam & inconcussam efficere contendant.

DIS-

DISSERTATIO IV.

DE CONFESSIONE.

CAPUT I.

Quid sit confessio sacramentalis. Hæreticorum errores paucis indicantur.

I. PRæceptum annuæ confessionis fuso calamo exposui *Tom. V. Lib. IV.* idcirco brevis erit dissertatio hæc, cum plura explicata sint *loc. cit.* In præsentia itaque mihi sermo erit de confessione, prout est pars sacramenti pœnitentiæ. Tria confessionum genera Theologi distinguunt. I. Fidei, de qua confessione Christus *Matth.* x. inquit: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor* &c. II. Laudis, ut habetur ibidem cap. xi. *Confiteor tibi Pater, Domine cæli, & terræ, quia abscondisti* &c. III. Peccatorum, de quorum confessione hæc *I. Ioan. cap. I.* leguntur: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & iustus, ut remittat nobis peccata nostra.* Fidei confessione Christi evangelicam doctrinam exterius profitemur. Heinc martyres, qui ob Christi doctrinam persecutiones, & tormenta sustinuere, sancti *Confessores* appellati sunt; & locum, ubi illorum sacra corpora requiescunt, *Confessionem* Latini, *Martyrium* Græci appellare solent. Confessione laudis infinitam Dei clementiam, bonitatem, caritatem, iustitiam, & beneficentiam incredibilem erga homines extollimus, & manifestamus.

II. Confessio peccatorum, quam Græci *exomologesim* seu accusationem appellant, definit Catechismus Concilii Tridentini Part. II. *§. 38. esse peccatorum accusationem, quæ ad sacramenti genus pertinet, eo susceptam, ut virtute clavium veniam impetremus.* Animadvertit, recte dici *accusationem*, ut inde colligamus, non ita commemoranda esse peccata nostra, quasi eadem ostentemus, sicut qui lætantur, cum male fecerint; vel tamquam rem gestam otiosis auditoribus delectandi caussa exponamus; sed animo se se accusandi ita patefacienda sunt, ut ea etiam in nobis vindicare cupiamus. Tandem concludit *veniæ impetrandæ* caussa nos peccata confiteri, quod hoc iudicium longe differat a forensibus capitalium rerum quæstionibus, in quibus confessioni pœna, & supplicium, non culpæ liberatio, & erratorum venia constituta est.

III. Percelebris Ioannes Morinus *Lib. IX. de administ. pœnit. cap.* XXXIV. & XXXV. osten-

ostendit confessioni subiectos olim Iudaeos fuisse, quam peragebant in festo Expiationum mensis septimi, de qua *Levit.* XVI. haec habentur. *In hac die expiatio erit vestri, atque emundatio ab omnibus peccatis vestris*. Plura adducit documenta, quibus ostendit Iudaeos sua confiteri peccata. Exemplum profert confessionis tum generalis, tum privatae, quam agere Iudaei in more habent. *Generalis* (inquit Morinus cap. XXXVII.) *illa confessio, quam capite praecedente ex Iudaeorum praecipuis doctoribus, & ritualibus exhibuimus, nihil derogat privatae confessioni, qua quis peccata quae in proximum commisit, illa confitetur, & ab eo veniam deprecatur . . . Generalis enim illa confessio quotannis in festo expiationis a tota synagoga, & ab unoquoque privato saltem semel ex divino praecepto solemniter editur; particularis vero, ut occasio se se praebet, quotidie edi potest*. Lege plura apud ipsum. Unde colliges, quam turpiter fallantur, & fallant Casuistae illi qui, ut propugnent opinationem formidolosae attritionis sufficientis ad sacramentum istud, argutantur hoc pacto, Si necessaria esset attritio ex amore Dei, vel contritio, Christus non levigasset suum iugum, sed aggravasset; essentque Christiani peioris conditionis quam Hebraei, qui exempti a confessionis onere erant. Quod commentum sane peregrinum supra explosi. Daniel Huetius in quaest. Alnetanis *Lib. II. cap.* XX. evincit, apud ipsos Ethnicos usum obtinuisse confitendi patrata scelera, eaque poenitentia expiandi.

IV. Ex his patet perditissimos novatores caeciores esse Iudaeis, & Paganis, dum blaterant, confessionem Romanae Ecclesiae ritum esse tyrannicum, truculentam conscientiarum carnificinam. Inter eos qui primum confessionem negarunt, connumerari a pluribus solent Novatiani, & Montanistae. Saeculo IX. ineunte nonnulli effutiere peccata soli Deo esse aperienda, quorum errorem damnavit Concilium Cabilonense II. VVicleffus confessionem instituti ecclesiastici asseruit, & ut superfluam contritis reiecit; ut constat ex articulo cum aliis proscripto a Concilio Constantiensi *sess.* VIII. Lutherus more suo constans & furens, modo ut *cruentissimam carnificinam* confessionem detestatur; modo summopere ut efficax conscientiarum remedium commendat. Lutherani in confessionibus Augustana, & VVitthembergensi non abolent prorsus confessionem sacramentalem, sed eam ad aures Sacerdotis fieri, non esse divini iuris contendunt. Calvinus Lutheranis accedit *Lib. III. cap.* IV. Fatetur priscum esse confessionis usum, eamque singularem parere fructum; sed fabulatur ante Innocentium III. & Concilium Lateranense nullum de confessione extasse praeceptum. Quem errorem Dallaeus Calvinista, vir sane acutus, quatuor integris libris, aggestis undique sophismatibus, & documentis adulteratis, & in erroneum sensum detortis, incrustare conatur.

CA-

CAPUT II.

Confessio sacramentalis instituta est a Christo Domino. Necessaria ex institutione Christi omnibus est qui post baptisma in peccatum mortale lapsi sunt.

I. Missis pluribus veteris testamenti perspicuis testimoniis, in quibus peccatorum confessio commendatur, sat est referre Christi Domini institutionem, quam describunt Evangelistæ. Nam *Matth. cap.* XVI. sic Christus Petrum alloquitur. *Tibi dabo claves regni cælorum: & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Rursus *cap.* XVIII. omnes Apostolos alloquens Christus subdit: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Tandem Ioan. cap. XX. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Potestatem hanc iudiciariam esse evidens est. Porro, ut iudex iustam proferat sententiam, qua solvat solvendos, & liget ligandos, delicta perspecta habeat necesse est. Ex peccatoribus alii sunt ligandi, idest non absolvendi, & alii absolvendi a peccatis. Hanc distributionem ipsemet Christus præscribit. Fieri autem nequit ut absolvendi secernantur a ligandis, seu a non absolvendis, nisi iudex crimina agnoscat. Agnoscere autem crimina nequit, nisi peccatores eadem patefaciant. Ergo ex Christi institutione necessaria est confessio sacramentalis omnium peccatorum mortalium.

II. Hanc rationem Concilium Tridentinum *sess.* XIV. *cap.* V. his verbis exponit. *Constat enim Sacerdotes iudicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis iniungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, & non potius in specie, ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent.* Præclare S. Augustinus in *Psal.* XXI. inquit: *Quando homo detegit, Deus tegit; cum homo celat, Deus nudat; cum homo agnoscit, Deus ignoscit.*

III. Accedunt alia Scripturarum testimonia. Nam *Act.* XIX. hæc habentur. *Multi credentium veniebant confitentes, & annuntiantes actus suos*, idest peccata sua. Rursus Iacob. cap. V. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Quem locum de confessione sacramentali intelligunt Alcuinus, Beda, Hugo Victorinus, & alii gravissimi Auctores.

IV. Ineptissimæ sunt novatorum cavillationes, quibus blaterant ministris Ecclesiæ collatam esse potestatem declarandi tantum peccata dimissa esse apud Deum. Quandoquidem qui ligat, & absolvit, non declarat tantum, sed reipsa aut remit-

mittit, aut retinet peccata. Præterea hoc effugio non eluditur necessitas pandendi singula peccata gravia: quod scilicet maxime pernegant perditi homines. Nam, ut sententia sive declarans, sive absolvens iusta sit, præcognosci delicta a iudice debent. Ceterum quam sit inane hoc commentum, ut dixi, verba Christi demonstrant. Neque enim Sacerdos dicit: *Declaro te absolutum, sed absolvo te a peccatis.*

V. Optime advertit Tertullianus de præscript. cap. XVII. *Nihil proficit congressio Scripturarum, nisi plane, ut stomachi quis ineat eversionem, aut cerebri. Ista hæresis non recipit quasdam Scripturas: & si quas recipit, adiectionibus, & detractionibus ad dispositionem instituti sui intervertit: & si recipit, non recipit integras &c. Ergo* (subdit cap. XVIII.) *non ad Scripturas provocandum est, nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut parum certa: & non alia cum hæreticis ineunda disputatio, nisi an Christiani sint? Ubi enim* (persequitur cap. XIX.) *apparuerit esse veritatem disciplinæ, & fidei christianæ, illic erit veritas Scripturarum, & expositionum, & omnium traditionum christianarum.*

VI. Edisserant Lutherani, & Calviniani, sint ne ipsi Christiani? Aiunt. Atqui religio christiana pro dogmate fidei habet, confessionem sacramentalem necessariam ex institutione Christi esse homini post baptisma in mortale peccatum lapso. Nam omnes Christiani, tum Latini in suis Ritualibus, tum Græci in suis Euchologiis, tum Orientales omnes, Constantinopolitani, Alexandrini, Antiocheni, Copti, Arabes, AEthyopes, Maronitæ, Iacobitæ, Eutychiani, Nestoriani, omnes hæretici, schismatici, Catholici hoc dogma semper, non intercisa temporum serie, professi sunt, & profitentur. Istarum sectarum, & nationum authentica documenta in medium adduxere catholici Theologi, quin aliquid solidi reponere umquam potuerint novatores. Aliqua ex pluribus SS. Patrum testimonia transcribam.

VII. S. Irenæus apostolici ferme temporis Scriptor *Lib. I. cap.* XIII. narrat, Marcum præstigiatorem pocula amatoria propinasse mulieribus, ut ad flagitia patranda alliceret, additque: *Hæ sæpissime conversæ ad Ecclesiam Dei id confessæ sunt, & secundum corpus se ab eo contaminatas, nec non miro ipsius amore exarsisse.*

VIII. Tertullianus eiusdem sæculi Scriptor *Lib. de pœnit. cap.* IX. inquit: *Tantum relevat confessio delictorum, quantum dissimulatio exaggerat. Confessio enim satisfactionis consilium est, dissimulatio contumaciæ. Huius igitur pœnitentiæ secundæ, & unius, quanto in arcto negotium est, tanto operosior probatio est; ut non sola conscientia proferatur, sed aliquo etiam actu administretur. Is actus, qui magis Græco vocabulo exprimitur, & frequentatur, exomologesis est, quo delictum Domino*

mino confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur. Itaque exomologesis prosternendi, & humiliandi hominis disciplina est. Et, ne Sophistæ novatores cavillari valeant, Domino tantum, non Presbyteris confessionem faciendam, doceri a Tertulliano, continuo adiicit, illos qui Domino confitentur, *Presbyteris advolvi, & caris Dei adgeniculari.* Et ne ulla pateat ad effugium rima, redarguit eos qui ab exomologesi abstinent *pudoris magis memores quam salutis, velut illi faciunt qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conscientiam medentium vetant, & ita cum erubescentia sua pereunt.* Fieri confessionem Domino concludit, cum fit Sacerdoti: quia *in uno & altero Ecclesia est, Ecclesia vero Christus: ergo, cum te ad fratrum genua protendis, Christum contrectas, Christum exoras.* An ad genua Sacerdotis provolvi, & exomologesim agere, superare insitum pudorem, aperire occulta vulnera, in fratre Ecclesiæ ministro Dominum contrectare: an, inquam, hæc omnia præferunt confessionem generatim, & publicam, aut factam corde soli Domino? Adeo luculentum est Tertulliani testimonium, ut Pamelius in adnotationibus afferat, Lutheranum Rhenanum fateri, Tertullianum docere confessionem secretam Sacerdoti faciendam.

IX. S. Cyprianus *Lib. de lapsis* hæc habet. *Confiteantur singuli, quæso vos fratres dilectissimi, delictum suum, dum adhuc qui delinquit, in sæculo est, dum admitti confessio eius potest, dum satisfactio, & remissio facta per Sacerdotes apud Deum grata est.* Et paullo post hæc subdit in laudem eorum qui vel levia crimina occulta confitentur. *Quanto & fide, & timore meliores sunt qui, quamvis nullo sacrificii, aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc cogitaverunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei, dolenter & simpliciter confitentes, exomologesim conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet & modicis vulneribus exquirunt? scientes scriptum esse: Deus non deridetur.* Quid luculentius postulare Lutherani audent?

X. Origenes eiusdem sæculi Scriptor *homil.* II. *in Psal.* XXXVII. ad illa verba, *Iniquitatem meam annuntiabo* &c. inquit: *Pronuntiationem iniquitatis confessionem peccati frequentius diximus. Vide ergo quid edocet nos Scriptura divina: quia oportet peccatum non celare intrinsecus: fortassis enim sicut ii qui habent inclusam indigestam escam, aut humoris vel flegmatis stomacho graviter & moleste imminentis, si vomuerint, relevantur; etiam hi qui peccaverint, si quidem occultant, & retinent intra se peccatum, intrinsecus urgentur, & propemodum suffocantur a phlegmate vel humore peccati; si autem sui accusator fiat, dum accusat semetipsum, & confitetur, simul evomit & delictum, atque omnem morbi digerit causam. Tantummodo circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum: proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari*

cum

cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi, & compatiendi noverit disciplinam: ut ita demum, si quid ille dixerit qui se prius & eruditum medicum ostenderit, & misericordem, si quid consilii dederit, facias, & sequaris: si intellexerit talem esse languorem tuum qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat, & curari . . . multa hoc deliberatione, & periti medici illius consilio procurandum est. Numquid ægrotus universe tantum, & generatim, & non speciem, & omnes etiam minutas morbi sui qualitates medico exponit, ut opportunum morbo suo curando applicari remedium possit?

XI. S. Ioannes Chrysostomus, cuius auctoritate turpiter abutuntur novatores, *homil.* II. *de cruce & latr.* & *in orat. de Samaritana* prope finem hæc habet. *Qui enim homini detegere peccata erubescit, Deo vero cernente facere non erubescit, neque confiteri vult, & pœnitentiam agere, in illa die, non coram uno, vel duobus, sed universo terrarum orbe spectante traducetur.* Nemo erubescit se peccatorem fateri, cum omnes peccatores simus. Quisque erubescit, dum occulta, & putida vulnera retegere debet. Lege, ne longior sim, Chrysostomum *homil.* IX. *in epist. ad Hebr. Lib. II. cap.* III. & *Lib. III. cap.* V. *de Sacerdotio.*

XII. S. Augustinus *ser.* CCCXCII. ad coniugatos hæc scribit. *Qui post uxores vestras vos illicito concubitu maculastis, si post uxores vestras cum aliqua concubuistis, agite pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia, ut oret pro vobis Ecclesia. Nemo sibi dicat: Occulte ago, apud Deum ago: novit Deus, qui mihi ignoscat, quia in corde meo ago. Ergo sine causa dictum est:* Quæ solveritis in terra, soluta erunt in cælo? *Ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ Dei? Frustramus Evangelium, frustramus verba Christi? Promittimus vobis quod ille negat?* Lege opus *de vera & falsa pœnitentia*, ubi luculentissima sunt testimonia: & quamquam opus illud supposititium sit inter opera Augustini locatum; tamen Auctoris est antiquissimi, quod sufficit ad retundendam, comprimendamque Lutheranorum audaciam. Mitto Basilium, Ambrosium, Gregorium, & innumeros alios Patres, quos fuso calamo collegerunt Bellarminus, Gravina, Natalis ab Alexandro, Boucat, Vittasse, Le-Druin, & plures alii Theologi catholici, qui Theologiam polemicam præclare illustrarunt.

XIII. Ex paucis adductis testimoniis pudere Lutheranos, & Calvinianos deberet, fabulantes dogma confessionis privatæ, faciendæ Presbyteris tempore Innocentii III. prodiisse in lucem. Sola adducta testimonia meridiana luce clarius mendaces & impostores illos patefaciunt. Præterea, siluissent ne omnes Ecclesiæ tum occidentalis, tum orientalis Episcopi, si quid novi in gravissima hac re sacramentaria imperasset Innocentius III.? Designent Lutherani, & Calviniani vel unum qui reclamaverit. Longius producere argumentationem hanc possem, & praxim omnium Ecclesiarum rescribere. Sed brevitati studens,

dens, omnia prætereo. Obvia enim sunt, & ab aliis permultis Theologis præstita.

XIV. Opponunt 1. novatores. Ante Concilium Lateranense, ab Innocentio III. celebratum, nullum erat de sacramentali confessione in Ecclesia præceptum. Ergo novum dogma est. Resp. Tridentinum Concilium *sess.* XIV. *cap.* V. his verbis diluit commentum istud. *Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit ut Christi fideles confiteantur; quod iure divino necessarium, & institutum esse intellexerat; sed ut præceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus, & singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur.*

XV. Opponunt 2. Socrates *Hist. Eccl. Lib. V. cap.* XIX. Sozomenus *Lib. VII. cap.* XVI. Nicephorus *Lib. XII. cap.* XXVIII. narrant, Nectarium Constantinopolitanum Episcopum sustulisse Presbyterum Pœnitentiarium, excipiendis fidelium confessionibus præfectum, propter scandalum mulieris, quæ cum Diacono stuprum perpetraverat. Factum istud ita exaggerat *Lib. III. Inst. cap.* IV. §. 7. Calvinus, ut delirans his verbis Catholicos urbanissime alloquatur. *Hic, hic aures asini isti arrigant. Si lex Dei erat auricularis confessio, qui ausus esset Nectarius eam refringere, ac convellere?* Resp. Saltem tempore Nectarii procacissimi homines fater coguntur obtinuisse confessionis auricularis disciplinam in Ecclesia. Non est ergo novum inventum Innocentii III. Missis pluribus & eruditis Theologorum responsis, paucis perstringo communem interpretationem. Presbyter ille non modo confessionibus excipiendis, sed etiam publicæ pœnitentiæ imponendæ præfectus a Nectario fuerat occasione Decianæ persecutionis. Illius munus erat excipere testium depositiones, & publicum reum plectere, peccatis publicis statutas pœnitentias indicere pœnitentis consensu, ut is maiori suffunderetur pudore. Patefacto mulieris stupro, consentaneum existimavit Nectarius temporis illius conditioni amovere Presbyterum Pœnitentiarium, statuitque ut imposterum pœnitentes, occultis flagitiis inquinati, non essent arctati adire publicum Pœnitentiarium Presbyterum, sed cuicumque alii iurisdictione prædito confiteri possent, & sacra celebrare mysteria. Nectarius ergo certum pœnitentiæ canonem abrogavit, nullo vero modo sustulit sacramentalem confessionem. Sed quod fractam Calvinianorum frontem penitus confundere debet, est perpetua post Nectarium ad hæc usque tempora confessionis auricularis disciplina, quæ in Ecclesia Constantinopolitana, aliisque universi Orientis sacri obtinet. Verum quid surdis, & obstinatis canimus? Obtrudunt quoque nonnulla Chrysostomi, Nectarii in Ecclesia Constantinopolitana successoris, loca, in quibus sanctus Episcopus præscribit ne peccata coram multitudine pandantur, sed ut soli Christi Sacerdoti manifestentur.

XVI. Quæst. I. *Sacramentalis confessio est ne non solum utilis, sed etiam necessaria necessitate medii ad salutem iis qui post baptismum lapsi sunt in peccatum*

mortale ? Resp. Adfirmant Catholici omnes; & constat ex iis quæ dicta sunt: Nam Christus Dominus peccatorum remissionem potestati clavium illigavit. *Quorum remiseritis* &c. Sacerdotes autem potestatem clavium exercere nequeunt, nisi confessione culparum præcedente. Et quamquam vehemens contritio, ac caritas incensa valeat iustificationem inducere; tamen id non præstat absque huius sacramenti voto: quia Christus iussit ut pœnitentes se Sacerdotibus subiiciant; &, nisi id, cum possint, præstent, ob violatum divinum præceptum iustificationis beneficium non assequantur. Accedunt documenta summorum Pontificum, Conciliorum, & Patrum, quæ non utilem modo, verum etiam necessariam definiunt sacramentalem confessionem.

XVII. Quæst. II. *An Gratianus, Durandus, Scotus, & aliqui alii Scholastici negaverint confessionis sacramentalis necessitatem ?* Resp. Ioannes Dallæus, scriptor inter Calvinistas acutus, integro volumine in *IV. Libros* digesto, hoc argumentum de sacramentali confessione discussit, seu verius, innumeris cavillationibus obscurare tentavit. Opponit *Lib. I. cap.* III. inter alia auctoritatem Magistri Sententiarum, qui *Lib. IV. dist.* XVII. proponit hanc quæstionem, utrum liceat soli Deo peccata confiteri, an vero oporteat confiteri etiam Sacerdoti. Et respondet: *Quibusdam visum est sufficere, si soli Deo fiat confessio sine iudicio sacerdotali, & confessione Ecclesiæ.* Similiter Gratianus *II. Part. Decreti dist.* I. *de pœnitent. caus.* XXXIII. *quæst.* III. quærit, an sola confessione cordis deleri peccata possint, inquiens: *Utrum sola cordis contritione, & secreta satisfactione, absque oris confessione, quisquam possit Deo satisfacere.* Duas vero refert opiniones, alteram adfirmantem, alteram negantem; & ipse nihil definit, sed iudicium lectori relinquit his verbis. *Quibus auctoritatibus, vel quibus rationum firmamentis utraque sententia innitatur, breviter exposuimus: cui autem harum adhærendum potius sit, lectoris iudicio reservatur.* Præterea Glossator Gratiani Semeca in titulum *de pœnit. dist.* II. docet, *melius dici confessionem institutam fuisse a quadam universali Ecclesiæ traditione, potiusquam ex novi, & veteris testamenti auctoritate.*

XVIII. Resp. Argumentatio Dallæi inepta omnino est. Ultro fatemur, aliquos extitisse qui contra hoc dogma erraverunt, seu in dubium revocarunt confessionis auricularis necessitatem iure divino præcipi. Errarunt aliqui. Quid inde? Propterea ne dogmatis veritas vacillat? Errarunt Catholicorum aliqui sine hæresis nota: quia nondum illorum tempore Ecclesia adeo expresse, quid reipsa ius divinum imperet, declaraverat; ut in pluribus aliis evenit. Magister Sententiarum refert aliquos, quos confessionis auricularis necessitatem iure divino præscriptam negare non puduit. At simul refert alios Theologos, qui pro dogmate confessionis eiusdem pugnarunt, quorum unus fuit ipse, qui laudata *dist.* XVII. *lit.* D. sic concludit. *Ex his, aliisque pluribus indubitanter ostenditur, oportere*

Deo primum, & deinde Sacerdoti offerre confessionem; nec aliter posse perveniri ad ingressum paradisi, si adsit facultas.

XIX. Ad Gratianum quod attinet, principio plures contendunt, illum errasse. Nonnulli cum Clarissimo I. C. Antonio Augustino aiunt, totum hoc suppositum Gratiano fuisse. Alii volunt, Gratianum locutum de efficacia, non de necessitate confessionis, ne præiudicium afferret sententiæ asserenti sola contritione peccata deleri. Alii docent, Gratianum defendisse confessionem auricularem iure divino præscriptam; eius vero necessitatem Ecclesiæ decreto definitam: & quia nondum latum fuerat Ecclesiæ decretum, ideo Gratianum absque hæresis nota potuisse de eiusdem confessionis necessitate hæsitare. Sed res tanti non est, ut fusiorem exigat sermonem. Etiam si admitteremus, Gratianum minus caute locutum; quid emolumenti percipere inde novatores valent? Numquid dogma catholicum ab huius, vel illius Scriptoris opinatione pendet? S. Bonaventura in *IV. dist.* XVII. præ ceteris Gratianum ab errore vindicat, eiusque mentem clare exponit.

XX. Scotum, & Durandum *minus considerate* locutos, Estius asserit. Scotus in *IV. dist.* XVII. *quæst. unic. art.* I. docet, confessionem institutam fuisse a Christo Domino illis verbis, *Quorum remiseritis* &c. Negat vero hinc inferri eiusdem necessitatem. Nam sacramenta confirmationis, & extremæ unctionis instituta a Christo sunt; nec propterea sunt omnino necessaria. Aliunde tamen hanc ille necessitatem colligit, nempe ex caritatis præcepto, quo tenemur uti remedio ad delenda peccata facili, cuiusmodi est confessio. Sit nec ne ratio isthæc valida, aliorum esto iudicium. Illam efficacem Scotus existimavit. Durandus in *IV. dist.* XVII. *quæst.* VIII. iure divino necessariam asserit confessionem. Nihil ergo Dallæus ex unius, aut alterius Scholastici opinandi modo minus exacto colligere potest contra dogma quod universa profitetur Ecclesia. Alia Dallæi commenta, quibus vel ipsius S. Thomæ doctrinam hoc de argumento implicare, & in discrimen adducere vellet, non audet tamen absolute id præstare, contemno ut vanissima.

XXI. Quæst. III. *Priscis Ecclesiæ sæculis enuntiabant ne aliqui interdum publice peccata sua?* Resp. Affirmans responsio colligitur ex Irenæo *Lib. I. cap.* XIII. Origene *homil.* II. *in Psal.* XXXVII. ubi hæc habet. *Si intellexerit* (Confessarius,) *& prævideri talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortassis & ceteri ædificari poterunt, & tu ipse facilius sanari; multa hoc deliberatione, & periti illius medici consilio procurandum est.* Aliquando ergo confessionem publicam factam esse, singulari tamen prudentia & consilio, clare constat. Plura alia testimonia, & exempla ex Cypriano *epist.* LXII. ad Pomponium, ex Climaco *grad.* 4. *scal. parad.* aliisque pluribus, lege apud

S ij Mo-

Morinum *Lib. II. cap. IX. & seq.* Tridentina Synodus *sess. XIV. cap. V.* ait, Dominum non prohibuisse *quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ ædificationem delicta sua publice confiteri possit.* Declarat tamen, nullo mandato divino publicam hanc confessionem præscriptam fuisse: immo nec ulla lege ecclesiastica id aliquando statutum fuit.

XXII. Heinc colligunt Theologi, ad essentiam confessionis sacramentalis haud pertinere ut secreto fiat; cum publice interdum fieri posse, Concilium declaret. Ad illius essentiam attinet ut peccata manifestentur Sacerdoti. Modus illa manifestandi secreto, aut publice, disciplinam spectat. Nulla lege sive divina, sive ecclesiastica statutum umquam fuit ut peccata occulta publice enuntiarentur. Immo Concilium Tridentinum *loc. cit.* subdit: *Nec satis consulte humana aliqua lege præciperetur ut delicta, præsertim secreta, publica essent confessione aperienda.* Denique id consentaneum non esset evangelicæ legi, cuius *iugum suave est.* Qua de re lege doctissimos Petavium in animadversionibus ad Epiphanium, Morinum *Lib. II. cap. x. & seq.* Aliqua Ecclesiarum exempla, unde eruitur, Antistites nonnullos interdum præcepisse pœnitentibus ut publicam ederent peccatorum confessionem, nullo modo inferunt, obtinuisse universalem eiusmodi publicæ confessionis disciplinam. Solum animadvertunt eruditi Theologi, quod Sacerdotes magna prudentia, & habita temporis ac personarum ratione, aliquando iubebant ut pœnitentes post peractam secretam occultorum criminum confessionem, & publicæ pœnitentiæ impositionem manifestarent palam aliquod flagitium, quando prævidebant id fieri in ædificationem, non in scandalum fidelium posse. Præcedebat secreta sive occultorum, sive publicorum criminum confessio: & ea tantum scelera palam aperiebantur, quæ iuxta prudens Confessarii iudicium absque famæ dispendio, & fidelium scandalo manifestari expediens erat.

XXIII. Quæst. IV. *Quosnam obstringat divinum confessionis sacramentalis mandatum?* Resp. Omnes adultos qui post baptismum in peccatum mortale lapsi sunt. Soli quippe adulti baptizati clavibus Ecclesiæ subiecti extant. Infideles, cum baptismo careant, non subiacent Ecclesiæ potestati. Infantes ante rationis usum non sunt doli capaces. Illud igitur est reliquum, ut soli adulti baptizati qui mortaliter post baptismum peccant, sint divino confessionis præcepto adstricti.

XXIV. Quæst. V. *Quo tempore divinum confessionis præceptum obligat per se, aut per accidens?* Resp. Omnes communiter adfirmant, per se obligare in probabili articulo mortis. Quoniam si aliquando hoc divinum mandatum obligat, (certum autem est obligare) profecto in articulo mortis obligat; cum potissimum illo tempore quisque teneatur saluti suæ consulere. In levioribus tamen infirmitatibus, in quibus nullum apparet probabile mortis periculum, hoc præceptum non urget.

XXV. Innocentius III. & S. Pius V. in Bulla *Super gregem* prohibent medicis visita-

sitare infirmos post tertium diem, nisi confiteantur: quod intelligendum est, quando probabile mortis periculum adsit.

XXVI. Quæst. VI. *Qui in mortis articulo post diligens examen nullius peccati mortalis conscius est, astringitur ne huic præcepto?* Resp. Astringitur tum ratione scandali, quod manare inde posset; tum ob vitandæ præsumptionis periculum. Quis enim sibi ita blandiri valet, ut certus sit peccata quæ iudicat venialia, non esse mortalia? Quis a peccatis, & quidem mortiferis, ignorantiæ immunem certo se reputare valet? Quis securus est, præteritas confessiones fuisse validas?

XXVII. Quæst. VII. *Extra probabile mortis periculum obligat ne per se hoc præceptum?* Resp. Affirmans sententia communis est. Quoniam affirmativa præcepta non modo obligant in extrema necessitate, verum etiam cum prudenter iudicatur necessaria illorum observatio. Porro extra mortis articulum necessaria est huiusce divini præcepti observantia: ergo præceptum obligat. An verisimile est Christum Dominum voluisse hanc suam legem obligare dumtaxat periculo mortis urgente? Finis enim legis huius est ut homo alienatus a Deo per peccatum, cum eodem per confessionem reconcilietur.

XXVIII. Obligantur præcipue huic præcepto milites, quando mox cum hostibus dimicandum est. Similiter astringuntur confiteri illæ mulieres quæ nondum puerperii dolores expertæ sunt, & quæ non sine gravi periculo parere solent. Item illi qui periculosas navigationes subeunt, & omnes qui se in eis circumstantiis collocant ex quibus mors secutura probabiliter timetur.

XXIX. Quæst. VIII. *Obligat ne divinum confessionis præceptum statim ac peccatum commissum est?* Resp. Communis sententia negativa est. Quia præcepta affirmativa licet semper obligent, non tamen ad semper. Nemo tamen negat dilationem periculo subiectam esse. Quanta vero dilatio requiratur ad constituendum peccatum mortale, penitus ignoro. Ultra annum ex præcepto Ecclesiæ nemo differre confessionem potest. Dum autem intra annum sæpius in peccatum relabuntur Christiani, non audeo definire, quando peccent mortaliter ob nimiam unius aut alterius mensis dilationem. Quod non obligentur statim post perpetratum peccatum, ultro concedo. Verum si nimium differant, a culpa eos non libero. Percontaris, quandonam reputanda sit nimia dilatio, ut constituat peccatum mortale? Iterum respondeo, me trutinas istas non habere, quibus gradus malitiæ ponderem. Perpetratum scelus ad alia perpetranda invitat, & commissum peccatum suo pondere in aliud impellit. Naturæ lex, ad quam non docti, sed formati sumus, docet suadetque ut quamprimum procuremus reconciliationem cum eo quem graviter læsimus. An si filius cum offenso patre, vel amicus cum lacessito amico reconciliari, atque in eiusdem redire gratiam procrastinaret, in omnium proborum censuram non incurreret? Quanto maiori autem reprehen-

fione dignus eft peccator qui reconciliationem cum offenfo Deo Patre fuo differt? Quid ergo difputamus, utrum fit peccatum mortale differre per menfem, per duos menfes &c? Quæftiones hæ funt quæ mentem noftram fugiunt. Legem ipfius naturæ, prudentiam chriftianam, fummam negotii gravitatem, confectaria, quæ ex dilatione aut acceleratione confeffionis fequuntur, expendamus: & tum intelligemus, confeffionem, quæ opportuniffimum, & efficax remedium eft ad hanc reconciliationem ineundam, non effe multum differendam.

XXX. In memoriam tamen revoca ea quæ *diff.* I. dicta funt, nempe Chriftianum ftatim (morali in fenfu ibidem expofito) ac mortaliter peccavit, teneri fe convertere in Deum aut contritione, aut confeffione, ceu medio apto ad hanc veram converfionem. Quare fi diffidat de fua ferventi contritione, & caritate, tum, ut ego quidem cum graviffimis Theologis fentio, tenetur uti remedio confeffionis, ut a peccato refurgat. Et fi hoc remedium in defectu perfectæ contritionis negligat, tunc peccat. Neque reponas, pœnitentes fe non accufare, neque Confeffarios interrogare de hoc peccato omiffionis. Quoniam refpondeo, hoc ex utrorumque ignorantia proficifci. An hæc ignorantia excufabilis apud Deum fit, Deo, non mihi, non tibi, notum eft.

XXXI. Quæft. IX. *An quando adeft periculum oblivionis alicuius peccati mortalis, aut multorum mortalium, teneatur quis confiteri ante annum?* Refp. Leander *tract.* V. *difp.* III. *quæft.* XV. fententiam negantem ut probabiliorem defendit; & pro eadem citat Valentiam, Vafquez, Sylveftrum, Soto, Lugo, Reginaldum, & alios. Tum quia, inquit, fere omnes in anni decurfu toties peccamus, ut in Quadragefima veri numeri non meminerimus; tum quia nulla lege ad id obligamur; & fine lege non eft afferenda obligatio: tum denique quia Concilia Florentinum, & Tridentinum obligant ad ea tantum peccata confitenda quorum meminimus.

XXXII. Relatam fententiam falfam, & laxam exiftimo; & rationes adductæ ineptæ funt. Utique laudata Concilia ad ea tantum confitenda peccata nos aftringunt quorum recordamur. Ad impoffibile ne Concilia nos aftringent? Sed quid ad rem noftram ratio ifthæc? Ideo ne Concilia nos liberant a debita diligentia adhibenda ne mortalium criminum oblivifcamur? Nulla lex nos obligat ad præcavendam peccatorum mortalium oblivionem? Immo ius ipfum naturæ ad id nos aftringit. An non peccaret minifter, qui prævidens debitorum, aut creditorum oblivionem, eadem fcriptis confignare negligeret? An non peccaret ille qui prævidens oblivionem curandi vulneris, quod illius vitæ infidiatur, curationem procraftinaret? Quando igitur prudenter quis prævidet oblivionem multorum præfertim criminum, tenetur, ut ego quidem arbitror, confeffionem intra annum anticipare. Nonne tenetur quis confiteri, quando confeffio reputatur medium

dium ad ſuperandam gravem tentationem, ad evitandum peccatum, ut docent vel ipſi benigniores Caſuiſtæ? Quo iure ergo omitti poteſt, dum eſt medium certo neceſſarium ad evitandam peccati, immo, ut *Leander* aſſerit cum ſuis, multorum criminum oblivionem? Mox adiiciam auctoritatem Catechiſmi Tridentini. Laxius ſcribit P. Georgius Gobat *tract.* vi. *num.* 261. „ Dico vt. tametſi confeſſio„ nem differendo uſque ad *articulum mortis*, vel Paſcha, *certus* ſis te ob hanc „ dilationem eſſe obliturum *multa crimina*; haud tamen inde oritur tibi obligatio „ confitendi citius. Ita ſane tenet communis ſenſus, ut reor, tum confitentium, „ tum *Confeſſariorum*." Communis ſenſus, Probabiliſmi præiudiciis non præventus, tam laxam opinionem execratur. Eam labefactavit Catechiſmus Tridentinus, ſeu univerſæ Eccleſiæ, cuius verba mox producam.

XXXIII. Quæſt. X. *Qui recipere alia ſacramenta volunt* (præter Euchariſtiam) *tenentur ne divino iure confiteri?* Reſp. Leander *tract.* v. *diſp.* III. *quæſt.* xix. hæc ſcribit. „ Sed *certiſſime* reſpondeo, non teneri, quia nullum extat præceptum circa „ hoc impoſitum; ut clare colligitur ex Trident. . . . Victor. Sylveſter, Angel, „ P. Soto, quos citat & ſequitur Suarez, Fagundez, Lugo, Villalobos, & omnes „ communiter."

XXXIV. Audiſti Leandrum aſſerentem, communiter omnes Caſuiſtas propugnare, liberos eſſe fideles a confeſſione præmittenda, dum alia ſuſcipere ſacramenta præter Euchariſtiam tenentur. Audi nunc Catechiſmum Concilii Tridentini *Part. II. cap.* v. *ſ.* 45. ubi hæc habentur. *Verum ſi quid ſalutis noſtræ ratio poſtulet conſideremus, profecto quoties vel mortis periculum imminet, vel aliquam rem tractare aggredimur, cuius tractatio homini peccatis contaminato non conveniat, veluti cum ſacramenta adminiſtramus, aut percipimus, toties confeſſio prætermittenda non eſt. Atque idem OMNINO, cum veremur ne nos alicuius culpæ, quam admiſerimus, oblivio capiat. Neque enim peccata confiteri poſſumus, cum non meminimus; neque peccatorum veniam a Domino impetramus, niſi ea pœnitentiæ ſacramentum per confeſſionem deleat.*

XXXV. Colligas heinc, lector, velim, quam ſit pluribus Caſuiſtis fidendum. Leander cum Villalobosio, cum Lugo, cum Fagundez, & *communiter omnibus*, ut ipſe ait, reſpondet *certiſſime*, nos non teneri confeſſionem præmittere, dum ſacramenta recipimus: idque docere Tridentinum aſſerit. Porro Catechiſmus, qui explicat Tridentini doctrinam, oppoſitum *certiſſime* docet. Caſuiſtæ plures nobis ſuccenſent, cum plures illorum opiniones falſas & laxas pronuntiamus; cum clamamus, eorum permultos, Patres, & Concilia non raro aut negligere, aut in ſenſu falſo interpretari. Habes hic exempla duo præſentis, & antecedentis ſententiæ. Utramque Leander Tridentini auctoritate confirmat; & imperiti lectores decepti manent. Nam utramque improbat eiuſdem Concilii Catechiſmus, cuius

auctoritas prævalet omnibus citatis Casuistis. Quod Leander ait, *omnes communiter* defendere talem opinionem, si intelligit omnes communiter Probabilistas, ei litem intentare nunc nolo; si intelligit omnes Theologos, falsum est. Theologi sanioris doctrinæ assertores doctrinam propugnant Catechismi Tridentini.

CAPUT III.

De confessionis conditionibus.

I. SAcramentalis confessionis conditiones, & qualitates his versibus a Theologis communiter exprimuntur.

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis:
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda:
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata:
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

II. Conditio I. significat ut ea tantum explicentur peccata quæ spectant peccati quantitatem & qualitatem manifestandam, præcisis epissodiis, narrationibus prolixis, & præambulis ineptis. Hæc enim fieri absque peccato veniali vix contingit; nisi excuset mentis imbecillitas, ut in feminis, & scrupulosis. Sed feminæ etiam sæpe venialiter peccant in hac materia, quod non semper ex studio exprimendi culpæ malitiam, sed potius longa colloquia habendi cum Confessario protrahant confessionem. Quo in casu tam mulieres, quam Confessarii permittentes suis pœnitentibus feminis narrationes a confessione peregrinas, sermocinationesque ineptas, peccant plus minus iuxta diversitatem narrationum. In hoc sancto tribunali omnia, quoad fieri potest, gravia, simplicia, præcisis omnibus superfluitatibus, esse debent. Superfluarum sermocinationum sæpe in caussa sunt Confessarii, qui non docent pœnitentes modum serium simplicemque confitendi. Sæpe in confessionali narrant feminæ sua negotiola, suas tricas, & domesticas vices, omnino a confessione extraneas; & Confessarii aliqui hæc omnia libenter audiunt. Et tum ambo peccant, & sacrum illud tribunal profanant. Neque excusantur, quod vel ante, vel post confessionem hæc peragantur; cum nihil ibi loqui liceat, nisi quod sacramentum perficiendum spectat. S. Antoninus *III. Part. tit.* XIV. §. 12. prudens exhibet consilium. *Confessio debet esse simplex, ut dicantur præcise peccata cum circumstantiis suis, nec immisceantur superflua. Quod difficile est, & præcipue idiotis, dicere peccata sua, quin addant multa superflua. Non tamen hoc habet vitiare confessionem, ex quo dicant hoc intentione, ut declarent factum suum. Prudens tamen Confessor debet, quantum commode potest, huiusmodi narrationes superfluas facere resecare. Et qui indigent consolatione propter tribulationes, vel consilio*

propter dubia, post confessionem factam, & absolutionem talia dicantur, & non misceantur in confessione, ne contritionis vim diminuant. Nihil opportunius, nihil prudentius.

III. Conditio II. *Humilis* sit confessio in gestu, in habitu externo, in flexo utroque genu, in capite nudato sine chirothecis, sine ense, quem soli Religiosi militares deferre licite valent. Quare mulieres, quæ vano & superbo ornatu accedunt, reiiciendæ sunt. Prius, inquit S. Thomas de Villanova, ornatum tuum depone. III. *Pura* ob purum & rectum finem obtinendi gratiam sacramentalem, non ob vanam gloriam, ob captandam sanctitatis famam. IV. *Fidelis*, absque fuco, mendacio, & artificio. V. *Frequens*, plus minusve iuxta necessitatem, & prudens Confessarii iudicium. VI. *Nuda*, absque pallio, æquivoco, & colore veritatem obscurante. VII. *Discreta*, in verbis honestis, in modo explicandi peccata diversa, in eligendo doctum & prudentem Confessarium. VIII. *Libens*, seu spontanea, & libera. IX. *Verecunda*, cum modestia, & pudore de peccati malitia, & Dei offensa. X. *Integra*, explicando numerum, speciem, circumstantias mutantes speciem, & notabiliter aggravantes, ut infra dicetur. XI. *Secreta*, ad evitandum scandalum, infamiam &c. Licet enim absolute confessio publica interdum impediri non possit, ut supra dictum est; tamen consuetudo Ecclesiæ obtinet, & quidem rationabiliter, ut sit secreta. XII. *Lacrymabilis*, idest cum vero dolore cordis. XIII. *Fortis* in proposito abstinendi a peccatis, & perseverandi in manifestatione cuiusque sceleris, tametsi enormis, quin ullus pudor os claudat. XIV. *Accusans*, & non excusans peccata. XV. *Accelerata*, absque dilatione nimia post patratum peccatum. XVI. *Parere parata* Confessario aut iubenti manifestationem circumstantiarum, aut præscribenti opportuna remedia, & congruam satisfactionem.

IV. Quæst. I. *Utrum mentiri in confessione sit peccatum mortale?* Resp. Distinguendum est. Vel mendacium est de re nullo modo ad confessionem attinente: & tum peccatum erit aut veniale, aut mortale iuxta materiæ gravitatem. Quod enim mendacium proferatur in confessione de re quæ nullo modo attinet ad confessionem, neque ideo ibi proferatur, ut inde mentiens sibi maiorem fidem comparet, non videtur inferre irreverentiam talem sacramento, ut mendacium officiosum de re levi, civili, omnino extranea confessioni, ex veniali fiat mortale.

V. Vel mendacium est de re quæ ad confessionem pertinet: quod pluribus contingere modis potest. I. Negando veniale, quod patravit. II. Negando commissionem peccati mortalis, quod licet patratum sit, tamen pœnitens hic & nunc confiteri non tenetur. III. Confitendo aliquod veniale, quod non fecit. IV. Negando aliquod mortale, quod fecit, & tenetur confiteri.

VI. Ad primum quod attinet, dum pœnitens interrogatus a Confessario, an com-

commiserit aliquod veniale, negatque se illud commisisse, tametsi revera commiserit, respondet Leander *tract.* v. *disp.* III. *quaest.* XIII. hunc peccare tantum venialiter; cui subscribunt Diana, Viva, & alii plures. S. Thomas 2. 2. *quaest.* lxix. *art.* I. ait: *Si confiteri noluerit veritatem, quam dicere tenetur, vel si eam mendaciter negaverit, mortaliter peccat.* Docet ibi Angelicus, mentiri in iudicio etiam fori civilis esse peccatum mortale. Caietanus hanc doctrinam fuse propugnat in commentariis in hunc locum. S. Thomas ibi non distinguit mendacium in re levi, vel gravi. Sed gravitatem mendacii repetere videtur ab inobedientia contra mandatum Superioris. Contrariae autem opinionis Auctores respondent, Confessarium ius non habere exigendi confessionem venialium peccatorum, quae poenitens confiteri non astringitur. Quae ratio valida videtur. Verum tanta est sacramenti sanctitas, tanta est reverentia eidem debita, ut ego non auderem liberare a gravi culpa talem poenitentem mendacem. Utique confiteri venialia non tenetur; at astringitur fateri veritatem Superiori pro tribunali interroganti, & praecipienti confessionem veritatis. Quare anceps sum, & non definio esse mortale id quod mihi compertum non est. Hunc tamen poenitentem obligarem ad poenitendum de tali mendacio, saltem ut dubie mortali. Quia ratio contrariae opinionis non est ita evidens, ut controversiam dirimat: & in re sacramentaria, tametsi non agatur de valore, tutior pars mihi arridet. Et sane si mendacium hoc extra confessionem est iuxta omnes veniale, in confessione malitiam singularem induit. Laudati Probabilistae suas trutinas in promptu fere semper habent definiendi hoc esse mortale, hoc veniale. Trutinae istae mihi desunt: & ideo non decido absolute esse peccatum mortale tale mendacium. Dubito & vereor ne sit mortale ob peculiarem irreverentiam adversus sacramentum. Et in praxi, si Confessarius sit prudens, non interrogat ex arbitrio; sed quia iudicat notitiam talis culpae venialis conducere ad cognoscendum statum poenitentis: vel interrogat ob aliquam circumstantiam, quae eiusdem interrogationis convenientem rationem habet. Et ideo discrimini se committit poenitens negando veritatem iudici interroganti, magistro docenti, medico sanare eum volenti, & a futuris morbis eumdem custodire. Tandem si poenitens non vult veniale pandere, clare respondeat se ad hanc interrogationem nolle respondere, quia non tenetur. Idem de secundo casu dicito.

VII. In tertio casu distinguendum est. Si poenitens se accuset de veniali quod non patravit, & hoc peccatum subiiciat clavium potestati tamquam unicam sacramenti materiam, dubio procul peccatum mortale perpetrat: quia nullum tunc efficitur sacramentum ex defectu materiae. Si vero praeter veniale confictum, & mendaciter manifestatum, de aliis venialibus se poenitens accuset, plures cum Leandro *quaest.* XIV. negant tunc poenitentem mortaliter peccare. Adfirmat vero Caietanus cum aliis. Casum hunc vix contingere posse iudico. Nam vel poenitens

tens se accusat de veniali peccato, quia revera credit se illud commisisse ; & tunc nulla est quæstio : vel data opera fingit veniale quod non commisit, illudque subiicit clavibus; & hunc dementem reputo . Quare casum, ut vanum & commentitium, reiicio. In quarto casu omnes adfirmant tunc pœnitentem peccare mortaliter.

CAPUT IV.

De integritate confessionis sacramentalis.

I. Integritas confessionis duplex, materialis, & formalis. Illa omnia prorsus peccata commissa manifestat, quin vel unius oblivio contingat. Hæc omnia peccata quæ hic & nunc memoriæ occurrunt post diligens examen, patefacit. Si aliquod omittit, non ex malitia, sed ex oblivione, aut ignorantia inculpabili id evenit. Integritas materialis non semper est ita necessaria, ut nulla ab eadem excusare caussa possit : nam excusat oblivio inculpabilis, ignorantia invincibilis, impotentia &c.

II. Quæst. I. *Integritas formalis est ne ad valorem sacramenti necessaria ?* Resp. Adfirmant omnes, & est veritas de fide contra Lutherum . Probat S. Thomas in *IV. dist.* XVII. *quæst.* III. *art.* 4. *quæstiunc.* 2. & in *Suppl. quæst.* IX. *art.* 2. hac obvia similitudine. *In medicina corporali oportet quod medicus non solum unum morbum, contra quem medicina dari debet, cognoscat, sed etiam universaliter totam habitudinem ipsius infirmi; eo quod unus morbus ex adiunctione alterius aggravatur, & medicina quæ uni morbo competeret, alteri nutrimentum præstaret : & similiter est in peccatis, quia unum aggravatur ex adiunctione alterius, & illud quod uni peccato esset conveniens medicina, alteri incentivum præstaret : cum quandoque aliquis contrariis peccatis infectus sit. Et ideo de necessitate confessionis est quod homo omnia peccata confiteatur quæ in memoria habet : quod si non faciat, non est confessio, sed confessionis simulatio.*

III. Hanc veritatem definit Concilium Tridentinum *sess.* XIV. *cap.* V. his verbis. *Cum universa mortalia peccata etiam cogitationis, homines iræ filios, & Dei inimicos reddant, necessum est omnium etiam veniam cum aperta, & verecunda confessione a Deo quærere . . . . Qui vero secus faciunt, & scienter aliqua retinent nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat, medicina non curat. Colligitur præterea etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse quæ speciem peccati mutant, quod sine illis peccata ipsa nec a pœnitentibus integre exponantur, nec iudicibus innotescant : & fieri nequeat ut de gravitate criminum recte censere possint,*

sint, & pœnam quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere. Unde alienum a ratione est docere, circumstantias has ab hominibus otiosis excogitatas fuisse, aut unam tantum circumstantiam confitendam esse, nempe peccasse in fratrem. Plura alia ibidem præscribit sacra Synodus, quæ legere poteris.

IV. Quæst. II. *Quæ diligentia adhibenda in examine conscientiæ est?* Resp. Duo extrema in hoc gravissimo negotio vitanda sunt. Diligentia quæ anxietudinem, angorem, torturam conscientiarum inducit, quæ mentem perturbat, vitanda est. Negligentia e contrario in prudenti, & seria recognitione peccatorum prorsus declinari debet. Quia sicuti diligentia nimium anxia, quæ scrupulos inducit, perniciosa est; ita negligentia prudentis discussionis nullam efficit confessionem. Porro ut hæc duo opposita extrema vitentur, illa diligentia adhibeatur quæ adhiberi in gravi, & momentoso civili negotio solet. Aliqua ego hic subiiciam monita in examine servanda.

V. MONITUM I. Primum omnium fundendæ Deo ferventes preces sunt, quibus divinum imploretur lumen ad fugandas mentis tenebras. Fidei actus eliciantur, quibus firmiter credatur hoc sacramento peccata remitti. Excitetur spes obtinendæ veniæ. Accendatur caritas erga Deum offensum. Contritio antidotum est contra venenum peccati. Si cupis exacte omnia flagitia evomere, excita in corde tuo ferventem contritionem, quæ, cum simul cum peccato stare nequeat, omnium scelerum vomitum pariet. Quo erit ferventior contritio, eo erit exactior confessio. Plus temporis in dolendo, quam in examinando impendito: quoniam dolor ad examen viam parat, illudque facillimum efficit. Verum de hoc plura infra.

VI. MONITUM II. Quisque spectare suum statum, conditionem, & professionem debet. Quisque enim pœnitens duplicem veluti personam prodit, alteram christianam, alteram civilem. Quatenus Christianus est, legem Dei in Decalogo contentam mente percurrat, ut colligat quid contra illa mandata deliquerit. Septem vitia capitalia ob oculos sibi proponat, & expendat, num aliquod ex iisdem admiserit. Deinde sub examen inducat suam alteram personam, humanam, civilemque societatem respicientem. In hac societate quisque plus minusve aut imperat, aut paret. Hæc duo serio expendantur, num scilicet recte imperaverit, vel recte paruerit; & quam vitæ rationem servaverit in hac mutua societate. Postea descendat ad professionem peculiarem mercatoris, scribæ, iudicis, advocati, patrisfamilias, filiifamilias, uxoris, mariti, domini, servi, ancillæ, artificis, Religiosi, Parochi, Confessarii, laici &c.

VII. MONITUM III. In primis quisque in hoc examine eo dirigere suam diligentiam & studium debet, ut suam passionem, quam *dominantem* appellare solemus, ad iudicium severum revocet. Singuli habemus dilectam Rachelem, quam

quam diligimus, & sub cuius palliolo, & velo idola, non Laban, sed nostra latitant. Penitius itaque ultimi animæ nostræ recessus subeundi, & lustrandi diligenter sunt; & videndum, quinam sit appetitus qui principatum in corde nostro retinet, qui imperat, qui operationes, studia, conatus, & molimina nostra moderatur. Et hic appetitus princeps ad torturam severam vocetur, & quæ inde consequi solent, examini subiiciantur.

VIII. MONITUM IV. Severius peccata spiritus quam carnis examinentur. Adulteria, fornicationes, pollutiones, ebrietates, & cetera eiusmodi, materialia cum sint, facile sub oculos veniunt. At peccata superbiæ, invidiæ, simultatis, ambitionis, dominandi libido, & amor ille insitus & versutissimus, atque vaferrimus refulgendi in theatro huius mundi supra ceteros, & alia eiusmodi eo a nobis difficilius cognoscuntur, quo versutius sagacissimus amor proprius hæc vitia fucat, honestat, & sancta, omnia quæ vehementer appetimus, definit. Quare potissimum penitius radices, & consectaria funestissima, quæ inde proficiscuntur, introspicienda sunt. Hoc esto exemplum. Ambitio aut dominandi, aut coruscandi supra ceteros, plausum captandi, multitudinis conciliandæ, & amor placendi omnibus, ut omnes nobis obsequium præstent, plausum canant, nosque extollant, hæc sola ambitio omnes alias passiones ad huic negotio inserviendum cogit. Hæc occultissima ambitio, hic astutissimus amor nostri linguam moderatur, vel ut sileat, quando necessaria esset increpatio, & libera redargutio; vel ut loquatur ad velificandum, dum esset tacendum: leges relaxat, Theologiam inflectit, attemperat & propriis, & alienis appetitionibus. Ut eiusmodi occultissima vulnera, quæ sensim sine sensu serpunt, deprehendantur, lux divina imploranda est.

IX. MONITUM V. Spectanda est indoles, temperamentum, status, qualitates propriæ. Qui nimium anxius est, & meticulosus, a severiori abstinere discussione debet. E contrario qui a natura ita comparatus est, ut omnia facilia sibi persuadere soleat, impensius examinare conscientiam debet. Sed semper insistendum in torquenda passione principe. Plurimi reperiuntur, ut alias dixi, & repetendum sæpius est, qui scrupulosi, & delicatissimæ conscientiæ haberi volunt, quique mentem torquent in iis discutiendis culpis quarum amore minime capti sunt. Longum & tædiosissimum catalogum texunt illorum defectuum a quibus aut fere alieni sunt, aut facile ab iisdem se coercent. Quæ vero sibi magnopere placent, subdissimulant; immo undique accitis coloribus, & fucis eadem honestant. Quo sunt severiores in iis perscrutandis culpis fere peregrinis, eo acutiores sunt in palliandis vitiis quorum amore flagrant. Scrupulosorum neminem agnovi, qui dilectam suam Rachelem, vitiorum gravidam, serio repudiaverit. Rachelis huius pallium scindatur in partes, & continuo apparebunt idola: quidquid argute-

tur Tamburinus, qui cum turba aliorum scelerum hoc flagitium, cui pœnitens valde addictus est, confundendum docet, quin peculiarem dolorem concipere de eo debeat.

X. MONITUM VI. Examen istud facillimum erit, si pœnitens sincero corde negotium agere suum velit. Recogitet primum omnium, Deum non irrideri, illique omnia comperta esse. Ab eodem lumen imploret, illique prius cor suum patefaciat, vulnera secretiora aperiat omnia, & brevi manu supputationes peccatorum omnium perficiet. Qui rarius confitentur, severius examinare conscientiam suam debent.

XI. MONITUM VII. Hæc sex generalia monita præmisi, ut ex illis eruere prudentes valeant regulas particulares, propriæ conscientiæ excutiendæ consentaneas. Neque enim præscribi hic pro singulis regulæ præcisæ queunt, cum hæ pendeant ex pœnitentis indole, & qualitate, ex circumstantiis temporis, ex diuturna peccandi consuetudine, ex frequentia relapsuum &c. Quare non una est omnium diligentiæ mensura, sed varia iuxta pœnitentium diversitatem.

XII. MONITUM VIII. Non probo regulam quam constituit P. Viva *quæst. v. artic. 2. num. 3.* ad cognoscendum, quandonam confessio fuerit invalida ob defectum examinis. „ Si quis (inquit) examinando diligentius conscientiam, reperit „ plura esse peccata quorum erat oblitus, quam ea quæ confessus est, potest si„ bi persuadere quod non præmiserit examen debitum. " Et si repererit tertiæ, aut quartæ partis delictorum se oblitum esse, concludet ne tunc se sufficiens præmisisse examen? Nemo non videt, quam fallax sit præfata regula. Assigna tu ergo meliorem, inquies. Respondeo generalem præstitui non posse pro omnibus; cum a variis circumstantiis id pendeat. Pœnitentes qui vere contriti ad sacramentum accedunt, communiter examen sufficiens adhibent in peccatis recognoscendis. Plus temporis pœnitentes, ut dixi, impendant in vero concipiendo dolore de commissis sceleribus, in proposito firmo & stabili confirmando vitæ melioris, quam in longiori delictorum scrutinio. Dum animus sincere ad Deum conversus est, dum cor acerbo tactum dolore est, peccata omnia e tenebris conscientiæ erumpunt, & veluti monstra ad flammarum conspectum fugiunt, sic peccata doloris ardore fugantur. Cor, & mens sibi mutuo respondent. Et quo vehementior fuerit cordis contritio, eo clarius mens dignoscet peccata confitenda. Primum itaque omnium cor emolliendum est, ne impuræ contaminati cordis exhalationes mentem obscurent, & tetra caligine obducant. Accedunt idiotæ, & plurimi absque debito examine, quia dolore vacui sunt. In corde vere contrito, & ad Deum converso habitare peccata nequeunt; sed continuo alio pergunt. Prudentes itaque Confessarii imbuant pœnitentes suos, ut primum omnium a Deo impetrent verum de peccatis dolorem, & continuo lumen simul habebunt.

XIII.

XIII. MONITUM IX. Graviſſimum periculum inſufficientis examinis non in eo ſitum eſt quod pœnitentes nequeant numerum deprehendere, & ſpeciem criminum, quæ evidenter peccata ſunt, ut adulteria, fornicationes, periuria, furta, blaſphemias, ebrietates, & ſimilia, quorum malitia nullo tegi colore valet: ſed periculum frequentiſſimum in hoc vertitur quod quiſque ſibi certum vitæ tenorem præſtituit, a quo difficillime recedere vult, & ea omnia honeſtat, & fucat quæ huiuſce vivendi conſuetudini opportuna exiſtimat. Periculum graviſſimum eſt, non tam ut celet peccata cognita, aut eorumdem obliviſcatur, quam ne cognoſcat eſſe peccata quæ revera peccata ſunt. Periculum graviſſimum eſt ne peccatum loco virtutis habeat. Singuli propriæ profeſſionis, & vivendi conſuetudinis vitia exquiſitis artificiis colorant: & de his nullum confeſſionis tempore examen inſtituunt. Mentem torquent in illis criminibus numerandis quæ nullum excipiunt fucum; e contrario oculos prorſus claudunt, ne vitia quæ ſub honeſtatis larva intus ſerpunt, deprehendant. Differunt potentes debitorum ſolutionem, dilapidant prodigi ingenua patrimonia. Faſtum, luxum, ambitionem alunt, & in triumphum ferunt plurimi mercenariorum, & artificum ſudoribus & ſanguine. Divitias accumulant alii, & fenora multiplicant. Feminæ vanitates, & pompas paganicas, immodeſtas, ad venerem provocantes, in publicum deferunt, ut pulitulorum turbas ſibi concilient, & amentium adoratorum obſequia captent. Paucæ, & pauci ſunt, qui, dum conſcientiæ ſinus luſtrant, has vitæ corruptelas vitioſas agnoſcant; ſed contra ut honeſtas ſæculi conſuetudines excuſant.

XIV. MONITUM X. Heinc collige, cuius generis & naturæ ſit illa doctrina quam ex non paucis Probabiliſtis ſupra adduxi, nempe ſat eſſe ut pœnitentes dolorem neceſſarium ad ſacramentum eliciant in ultimo inſtanti abſolutionis ſacramentalis. Si enim non contritus, non in Deum converſus, non amore Dei tactus conſcientiæ examen inſtituit, peccata accuſat, & confeſſionem perficit; periculum eſt ne plurima peccata ignoret, diſſimulet, prætereat. Quid? An contendis neceſſarium eſſe dolorem ante examen? Ineptiſſima redargutio. Non diſputo nunc, quid ſit neceſſario agendum; ſed quid expediat illis qui falſis anticipationibus præventi peculiari lumine indigent, ut peccata ſua dignoſcere, deteſtari, & confiteri valeant. Monita præbeo, & regulas conſulo, ad quas reſpicere plurimi pœnitentes debeant, ut verum conſcientiæ ſuæ ſtatum perſpectum habeant. Suadeo ut iſti primum omnium Deo preces fundant, ut ab eodem & mentis lumen crimina manifeſtans, & cordis dolorem, quo peccata execrentur, implorent; & deinde hoc lumine perfuſi, & hoc dolore tacti propriæ conſcientiæ latebras penetrent, angulos ſecretiores, & intimiores receſſus ſubeant, excutiant, mundentque, & omnia Dei miniſtro chriſtiana ſinceritate pateſaciant.

XV.

XV. Quæst. III. *Sufficit ne pœnitenti, cui non constat certus peccatorum numerus, exprimere verisimilem plus minusve?* Resp. Confessio non est conscientiarum tortura, & carnificina, ut novatores blaterant, sed suave levamen, & remedium. Sat est ut ea sinceritate Sacerdoti conscientiæ statum referent pœnitentes qua infirmitatem corporis gravem, & variis implicatam morbis repræsentarent. Quando post diligens & maturum examen numerum præcisum deprehendere nequeunt, sat est ut dicant: Peccavi *decies*, *centies*, *plus minusve*, *circiter* &c. Ita communiter Auctores.

XVI. Quæst. IV. *Quando pœnitens confessus est se peccasse decies plus minus, si postea certo deprehendat peccasse duodecies, tenetur ne hæc duo peccata expresse confiteri?* Resp. Negat Leander *tract.* v. *disp.* v. *quæst.* IX. pluresque citat. Quoniam, inquiunt, hæc duo comprehensa intelliguntur in illis clausulis, *plus minusve*, *circiter*. Adfirmant vero, si pœnitens omisisset præfatas clausulas. Addunt tamen, quod si peccata essent quindecim, aut sexdecim, tunc teneretur pœnitens ad eadem confitenda. Hæc opinio mihi non probatur: quia peccata proposita ut dubia, si deprehendantur postea fuisse certa, debent subiici clavibus, ut infra ostendam.

XVII. Quæst. V. *Quot peccata comprehendunt eiusmodi clausulæ plus minusve; circiter?* Resp. Leander *loc. cit. quæst.* x. varias refert opiniones. Alii contendunt, sub illis particulis comprehendi tantum duo aut tria peccata. Alii docent, has clausulas extendi usque ad quartam summæ partem. Si peccata fuerunt quadraginta, & dixerit pœnitens, se commisisse peccata triginta *plus minusve*, *circiter*, ac postea deprehenderit certo fuisse quadraginta, non tenetur ad hæc decem confitenda. Quam opinionem refutat Lugo, inquit Leander. Alii docent, in dictis clausulis comprehendi quinque in centum, & non amplius. Sed hoc, inquit Leander, licet verum sit in magna summa, in parva esset nimis rigidum.

XVIII. Quæstiunculæ istæ arbitrariæ sunt, quas dum lego, genium meditor plurium Casuistarum, qui in hoc gravissimo negotio sæpe pro ingenio definire intrepide solent quod definitionem certam non admittit. In his casibus illud spectandum, num pœnitens sincere exponat animæ suæ statum, & quantum fert humana imbecillitas, peccatorum numerum, speciem, & circumstantias manifestet. Quoniam inquit Concilium Tridentinum *sess.* XIV. *cap.* v. post ea quæ supra ex eodem rescripsi: *Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum in eadem confessione inclusa esse intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: Ab occultis meis munda me, Domine.* Hæc est regula, missis dictorum Casuistarum commentis, cui adhærendum est.

XIX. Quæst. VI. *Qui diuturna consuetudine peccavit, satis ne eidem est tempus*

sui

sui vitiosi status exponere, non explicato peccatorum numero? Resp. Affirmant plures, & plures negant. Sed distinguendum est. Pœnitens meliori quo potest modo exponere statum suum debet. Si pœnitens post diligens examen numerum deprehendere nequit peccatorum; tum sat erit exponere statum suum, non explicato numero. Exprimat tempus quo versatus in peccato est, & peccandi frequentiam, & species diversas. Si vero post diligens examen pœnitens deprehendere numerum valeat, puta toties in diem, in hebdomadam, in mensem, talem exponere numerum tenetur: quia, ut dixi, debet, quoad potest, animæ suæ vulnera aperire. Si meretrix sit, debet exponere species diversas; ut si fuerit congressa ordine præpostero, cum Religiosis, cum Sacerdotibus, cum consanguineis, cum uxoratis &c. A talibus vix desiderari numerus actuum internorum potest; cum sint in continuo statu peccandi: neque torquendæ illorum mentes sunt circa horum criminum numerum; sed insistendum in emolliendo corde, & in amore Dei, odioque contra peccatum accendendo.

XX. Qui concubinam diu domi habuit, eaque ut uxore usus est, si possit numerum fornicationum deprehendere, exponere illum tenetur. Si vero hunc numerum cognoscere nequeat, sufficiet declarare tempus sui vitiosi status, & circumstantiarum species. Qui numerum inscienter auxit peccatorum, dicendo, se decies peccasse, si postea deprehendat se peccasse tantum septies, non tenetur communiter hoc decrementum manifestare; nisi aliqua circumstantia id postularet.

XXI. Qui uno actu pluribus detraxit, sicut plura commisit peccata, ita eadem exprimere debet, declarando numerum personarum quas infamavit. Quid dicendum, dum quis aut malum imprecatur, aut detrahit monasterio, vel familiæ? Si detractor, aut imprecator intendit singulas personas sua detractione afficere, numerum personarum exprimere debet. Si communitati dumtaxat detrahit, aut imprecatur, sufficit illi exprimere communitatem. Similiter qui una actione plures occideret, singulos occisos declarare teneretur. Qui pluribus actibus furatur quatuor, deinde decem, deinde viginti &c. scuta, singulas actiones exprimere; &, si diversis personis furatus sit, omnes manifestare debet. Qui furatus est 500. & bona fide confessus est se furatum esse 300. si postea certo resciat se furatum esse 500. non satisfacit, si dicat in altera confessione, se furatum esse 200. quia neutra vice suum exposuit peccatum, nempe ius violatum in 500.

XXII. Qui in peccato mortali aut absolvit, aut communicat plures personas, harum numerum exprimere astringitur. Qui continuato actu peccat per horam, unum peccatum perpetrat: at, si actus interrumpat, & resumat, tot committit peccata exprimenda in confessione, quot actus multiplicavit. Qui a modico tempore confessus est, puta ab una vel altera hebdomada, & peccatorum exterio-

rum mortalium numerum exprimit consueta clausula, *plus minusve*, præbet signum suspicandi, immo iudicandi, aut examen factum esse absque debita diligentia, aut hominem esse iniquitatis mancipium.

XXIII. Quæst. VII. *An præter peccatum exprimendus sit effectus peccati?* Resp. In peccato considerari & actus internus, & actus externus, & effectus actum externum consequens possunt. Voluntas comburendi domum completur per ignis applicationem: voluntas occidendi, per vulnus mortale: mors, combustio domus dicuntur effectus peccati. Disputant Casuistæ, utrum eiusmodi effectus sint in confessione manifestandi; an sufficiat dicere: Transfodi, intendens mortem proximi; incendi domum proximi; locutus sum turpia, prævidens motus venereos, silendo quod effectus isti reipsa evenerint.

XXIV. P. Claudius La-Croix *Lib. VI. part.* II. *num.* 944. docet, probabilius videri, non esse obligationem per se loquendo eiusmodi effectus confitendi: & pro hac sua opinione laudat *Vasquez*, *Granados*, *Lugo*, *Bonacinam*, *Tamburinum*, *Dianam*, *Gobat*, & alios: & his rationibus hanc evincere opinionem conatur. Si talis effectus nullo modo fuerit prævisus, non est obligatio illum confitendi. Hæc prima ratio futilis est. Quia primum, quando ponitur actio occisiva, quam naturaliter consequitur homicidium, ponens talem actionem, effectum prævidere astringitur. Deinde ex alio capite deficit argumentatio. Non tenetur quis confiteri effectum quem non prævidit: ergo neque quando illum prævidit. Consequentia falsa est. Neque melior est secunda ratio. Non tenetur aliquis confiteri effectum, si sequatur post retractationem caussæ. Hoc quoque absolute negatur. At etiam gratis admisso, non inde sequitur, liberum esse a confessione, quando prævidet, & intendit consecutionem effectus. Audiamus tertiam rationem, quæ unica est, cui hæc opinio innititur. „ Mors, exustio domus, privatio rationis, motus venereus dicuntur effectus peccati: & de illis quæritur, an, & „ quando secuti sunt, etiam sint simul explicandi in confessione; an e contra „ satis sit dicere: Transfodi, intendens mortem proximi; potavi, prævidens periculum ebrietatis; locutus sum turpia, prævidens motus venereos, *tacendo quod* „ *omnia ista reipsa secuta sint*.

„ Probabilius videtur, non esse obligationem per se loquendo confitendi effectum. Ita Vasq. Salas, Granad. Lugo, Bonac. &c. . . . Licet effectus (inquit) „ fuerit in peccato, veluti causa prævisus, aut etiam intentus; tamen talis effectus proprie dici non potest peccatum, uti probatum est *l.* 5. *num.* 33. cum ne- „ que in se sit peccatum, neque etiam externe compleat peccatum secundum „ dicta *num.* 943. Ergo non est obligatio illum confitendi, quia non est obligatio „ confitendi aliud quam peccatum. Nec obstat quod non retractarit causam. „ Nam sive retractarit, sive non, effectus manet suo modo æqualiter imputabi- „ lis,

„ Iis, non tamquam culpa, sed tantum tamquam effectus culpæ præteritæ, uti „ explicatum est *l.* 5. *a num.* 42. Et consequenter talis homo satisfaciet dicendo: „ Proieci breviarium, prævidens me tanto tempore non posse orare; porrexi „ proximo venenum, intendens eius mortem: tacendo, an Horas non orarit, & „ an mors sit secuta nec ne. "

XXV. Hæc opinio mihi falsa, & laxa videtur: & rationes quæ adducuntur a P. La-Croix, aliisque ab eodem citatis, vanæ sunt. Nam licet mors, domus combustio, privatio rationis non sint in se peccata; sunt tamen peccati effectus. Et hoc sat est, quia horum effectuum notitia variat caussæ statum. Subdit ibidem *P. La-Croix*. Per accidens sæpe addi debent tales effectus secuti: immo, inquit, *pœnitentes communiter addunt tales effectus secutos, in quo non sunt prohibendi, sed potius suaviter iuvandi*. Papæ! Hoc unum deesset quod etiam forent prohibendi. Cedo: cur pœnitentes *communiter* confitentur eiusmodi effectus? Quia sequuntur intimum naturæ sensum, & lumen illud signatum in frontibus eorum, ignorantque novas istas quorumdam Casuistarum speculationes.

CAPUT V.

De obligatione confitendi circumstantias peccatorum.

I. Circumstantia id appellatur quod accidentaliter circumstat actum humanum, qui speciem capit ab obiecto aut bono, aut malo. Circumstantia alia physica, ut si quis hominem pugione, veneno, sclopo &c. occidat. Alia moralis, quæ in genere moris mutat speciem, seu addit novam malitiæ speciem, ut si quis occidat patrem, Religiosum &c. præter enim homicidium adest crimen parricidii, sacrilegii &c. Obligatio est confitendi circumstantias non physicas, sed morales, quæ speciem mutant, ut ex Concilio Tridentino dictum est, & fatentur omnes. Septem enumerantur circumstantiæ, hoc versiculo contentæ.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

II. Circumstantia *quis* pœnitentis prodit statum, qualitates, professionem, ut si sit Clericus, Sacerdos, Monachus, uxoratus, voto astrictus, advocatus, iudex, paterfamilias &c.

III. Quæst. I. *Quid dicendum de opinione* P. Gobat *negantis debitum confitendi circumstantias mutantes speciem, dum peccator de eisdem non dubitat?* Resp. P. Georgius Gobat *tract.* VII. *num.* 324. „ Non contrahitur, adeoque confitenda non „ est malitia circumstantiæ *mutantis speciem*, nisi pœnitens, *quando peccatum* „ *committebat, saltem dubitarit*, an non adesset circumstantia talis, & an non

„ contraheretur propter illam peculiare peccatum. Ita fert communis sensus „ Theologorum. *Utere, mi bone vir*, frequenter hac regula, præsertim in excipiendis confessionibus rudium, & nominatim, quando malitia circumstantiæ est „ nota soli Doctorum vulgo." Peccatores, dum adulterantur, fornicantur, aut incestum perpetrant, voluptate sceleris animum absorptum habent; & quidquid aliud, præter circumstantiam mutantem speciem, cogitant. Nemo ergo communiter tenetur manifestare circumstantias speciem mutantes. Nam P. Gobat dicit: *Nisi pœnitens, quando peccatum committebat, saltem dubitarit*. Vix est qui, quando peccatum committit, ad circumstantias variantes speciem advertat, vel dubitet. Sed, ut dixi, peccator, flagitii voluptate abreptus, in hanc animum, sensus, & corpus intenta prorsus habet. Quod ante, vel post scelus patratum cum sorore, cum aliena uxore, cum virgine Deo consecrata, sciat debitum circumstantiæ specie diversæ manifestandæ, nihil refert. Debet, *quando peccat*, saltem dubitare, ut teneatur confiteri. Et nisi saltem dubitet, non tenetur eam confiteri. Et in tam laxæ doctrinæ confirmationem allegatur communis Theologorum sensus. Qua fide? Quo fundamento? An communem Theologorum nationem constituunt aliqui Casuistæ mollioris Ethices? Quid conturbas conscientias? *Utere, mi bone vir, frequenter hac regula*, inquit P. Gobat. Cavete Confessarii omnes, repono ego, ab hac regula, tamquam a laxissima opinione.

IV. Quæst. II. *An Religiosus initiatus sacris ordinibus explicare teneatur circumstantiam voti solemnis*? Resp. Salmanticenses *tract.* VI. *cap.* VIII. *punct.* 4. *num.* 54. respondent his verbis. *Variant Doctores*. Qui sunt hi Doctores? *Diana*, *Molfesius*, *Villalobosius*, *Megala*, *Castropalaus*, *Antonius a Spiritu sancto*, *Leander*, aliique similes, qui negant claustralem fornicatorem debere exprimere circumstantiam voti solemnis. Theologi graviores, Soto, Medina, Azorius, Nunnus, Layman, aliique adfirmant. Hæc secunda mihi vera est, prior falsa & laxa. Iuxta intimum naturæ sensum status monachalis, hominem solemni voto Deo consecrans, circumstantia est gravissima. Speculationes, quibus citati Casuistæ argutantur, votum solemne non differre specie a voto simplici, atque adeo satis esse dicere; Peccavi contra votum castitatis, nullius sunt momenti. Ad speculationes arbitrarias revocanda non est confessio sacramentalis. Neque immoror in eis convellendis. Similiter falsam & laxam censeo opinionem alteram, quam defendunt Diana, Lugo, Sanchez, nempe circumstantiam Sacerdotis, aut Subdiaconi non esse explicandam: quia maior consecratio non variat speciem: & idem dicendum docet Lugo apud eosdem Salmanticenses de eo qui, licet ipse votum non habeat, peccat tamen cum persona votum habente. Quam opinionem probabilem quoque iudicari saltem per principia extrinseca a Gabriele a S. Vincentio docent iidem Salmanticenses ibidem. Quænam sunt hæc principia extrinseca?

Ca-

Casuistæ. Verum licet debito obsequio suspiciendi sint Doctores isti ; tamen, nisi rationes solidas pro suis assertionibus promant , eas nobis probabiles nullo modo reddent. Quare ut falsæ & laxæ reiiciendæ nobis videntur præfatæ opiniones.

V. Quæst. III. *An peccans cum novitio , vel novitia teneatur hanc circumstantiam patefacere?* Resp. Salmanticenses respondent ibidem *num.* 55. multos satis probabiliter negare, quia non habent votum castitatis, nec privatim emissum . Hanc opinionem defendunt apud ipsos Lugo, Megala, Diana, & alii . Opposita est probabilior : quia licet novitius, aut novitia votum non habeant castitatis, sunt tamen in tyrocinio ad illud edendum solemni ritu : sunt primitiæ, & hostiæ destinatæ in solemne sacrificium Deo immolandum. Violare has sacras victimas, & hostias Deo placentes communi sensui præfert enormem deformitatem.

VI. Quæst. IV. *An sponsi, & sponsæ carnaliter se cognoscentes , aut alii cum eisdem se commiscentes, debeant talem circumstantiam patefacere?* Resp. Cardinalis de Lugo *disp.* XVI. *sec.* 4. *num.* 176. triplicem refert opinionem . Prima negat , quam defendunt *Megala*, *Pontius*, *Vivaldus*, *Layman*, *Leander*, *Azorius*, *Viva*, & alii. Secunda adfirmat. Hanc propugnant *Lopez* , *Sarmiento* , *Ledesma* , *Homobonus* , *Sylvius*, *Pitignanus*, *Naldus*, *Petrus Fay*, *Molina*, *Conink*, *Rebellus* , *Guttierez*, *La-Cruz* apud D. Dianam. Tertia media docet explicandam esse hanc circumstantiam a sponsa, vel a peccante cum ipsa, non a sponso, nec ab ea quæ cum ipso peccavit. Hanc tenet *Sanchez*, & pro eadem refert Dianam, *Rodriguez*, *Filliucium*, *Fagundez*, *Villalobosium*.

VII. Dico igitur, sententiam docentem debitum manifestandi hanc circumstantiam tum a sponso, tum a sponsa, verisimiliorem mihi videri : & hanc unam propugno, tertia reiecta, ut arbitraria, cum lex Dei æque sponsum ac sponsam obliget; & prima, ut minus probabili. Sponsa enim, tametsi nondum tradita sit sponso, eidem ius in proprium corpus spopondit , exequendum solum post contractum matrimonium, sive quantum ad voluptatem præambulam, sive quantum ad consummatam, sive quantum ad amplexus, & oscula. Ergo dum eiusdem integritatem violat per copulam fornicariam, deterius efficit quod promisit. Quid? Equum contractu promissorio vendidisti Petro , opportuno tempore tradendum . Ante traditionem eidem oculum eruis : & non peccas peccato iniustitiæ? .

VIII. Quæst. V. *Virgo quæ sponte primo fornicatur , teneatur ne hanc circumstantiam patefacere?* Resp. P. Dominicus Viva *quæst.* V. *art.* 3. *num.* 5. Multi putant , inquit, debere explicari præsertim a feminis. Sed plurimi id negant . Et lectori relinquit ut eligat quod mavult . Sententiam adfirmantem defendunt *Bonacina* , *Fagundez*, *Villalobosius*, *Azorius*, *Filliucius*, *Archangelus Turreblanca* , *Nunnus* , *Sylvius*, *Angelus*, *Tabiena*, *Lopez*, *Ledesma*, *Granados*, & alii apud *Leandrum* , inquiunt Salmanticenses *num.* 57. ubi pro eadem referunt *Candidum*, citantem *Valen-*

lentiam, & *Caietanum*. Subdunt vero Salmanticenses: Negant autem *probabiliter Sanchez*, *Vasquez*, *Conink*, *Navarra*, *Suarez*, *Megala*, *Leander cum Cardinali de Lugo*, *Dicastillo*, *Antonio a Spirito sancto*. Hanc secundam falsam reputo, & primam defendo. Virginitatis enim amissio peculiaris iactura est: & quemadmodum puella subiecta parentibus magnam illis infert iniuriam consentiendo in proprii corporis violationem illis invitis; ita gravem iniuriam Deo, a quo thesaurum virginitatis custodiendæ accepit, irrogat.

IX. Quæst. VI. *An Confessarius peccans cum pœnitente teneatur id fateri?* Resp. Quæstio non est de Confessario sollicitante aut in confessione, aut ante, vel post; sed de Confessario qui nullo modo abutitur aut confessione, aut directione, quam exercet in pœnitentem eam invisendo prætextu confessionis: de Confessario qui, nullo respectu habito ad confessionem, sed sublatis technis, & versutiis peccat oblata occasione cum pœnitente cuius confessiones audivit.

X. Respondent Salmanticenses loc. cit. num. 59. *Duæ sunt sententiæ probabiles, & oppositæ*. Prima adfirmat, quam defendunt *Soto*, *Viguerius*, *Turrecremata*, *Navarrus*, *Gallego*, *Alexander de Nevo*, *Tabiena*, *Armilla*, *Vivaldus*, *Lopez*, *& alii*, *quos refert & sequitur Thomas Sanchez*, *Candidus*, *Nunnus*, *Conink*, *Fagundez*, *& alii*. Secunda sententia negat esse ibi specialem malitiam, & circumstantiam explicandam in confessione. Hanc defendunt *Cardinalis de Lugo*, *Bonacina*, *Ochagavia*, *Pontius*, *Gaspar Hurtado*, *Diana*, *Dicastillo*, *Gabriel a S. Vinc. Villalobosius*. Electionem alterutrius opinionis remittunt Salmanticenses arbitrio lectoris, ut beneficio Probabilismi magis sibi arridentem eligat. Ego secundam reiicio ut falsam & laxam, & primam amplector ut veram. Quid? Confessarius iudex, doctor, medicus, lupus evadit, animam cuius directionem habet, devorat; & id non est circumstantia manifestanda in confessione? Iam non sollicitat ante, vel post confessionem: nullo modo abutitur officio Confessarii ad seducendam pœnitentem. Bene habet. Et quia extremum ac ultimum sceleris portentum, quo fidem ipsam suam in suspicionem adducat, non perpetrat: ideo ne liber erit a circumstantia sceleris, quia non extremi, non ultimi, patefacienda?

XI. Quæst. VII. *Explicari ne debet in confessione personæ dignitas?* Resp. Si Prælatus, Episcopus, Generalis &c. publice peccent, fornicentur &c. ut inde scandalum oriatur, talem circumstantiam manifestandam esse, omnes docent. Quæstio ergo est, num, secluso scandalo, patefacienda sit personæ dignitas. Si peccatum sit internum, non video rationem cur dignitas personæ exponenda sit. Ad peccatum externum fornicationis, adulterii, ebrietatis &c. quod attinet, Salmanticenses ex Sanchez, Filliucio, Villalobosio, de Lugo, Dicastillo, & aliis docent, Episcopum, aut Prælatum Religionis fornicantem non obstringi ad aliam circumstantiam manifestandam præter illam voti, quod in *subdiaconatu* emisit. Hæc opi-

pi-

pinio, quam etiam P. Viva *quæst.* v. *art.* 3. *num.* 1. defendit, & falsa, & laxa mihi videtur; & nullus dubito quin doctioribus talis appareat. Et primum in praxi fornicari, adulterari absque gravissimo complicis scandalo nequit sive Episcopus, sive Prælatus regularis. Deinde sicut dignitas Episcopi, Prælati &c. peculiare sibi vendicat obsequium; ita talem deturpare potissimum lutulentissimo carnis vitio dignitatem, singularem præfert deformitatem in confessione exponendam.

XII. Si Episcopus, Prælatus regularis, Parochus, & similes, incitatores, aut cooperatores sint in suarum ovium peccatis, specialiter peccant contra proprium officium, quo salutem curare tenentur animarum quarum regimen susceperunt; ut docent vel ipsi citati Auctores.

XIII. Gubernator civitatis, iudex, rector populi, & similes, qui furta, & iniustitiæ crimina impedire tenentur ex officio, si ipsi furentur, *non tenentur hanc circumstantiam in confessione declarare*, inquiunt Salmanticenses *loc. cit. num.* 63. sed solum manifestare debent circumstantiam, si omittant aliena furta impedire. Et pro hac opinione referunt Cardinalem de Lugo, Dianam, Henriquez, & alios. Et custos vineæ, inquiunt, debet manifestare fures, non tamen seipsum. Lepidum hoc mihi videtur paradoxon. Rectores, & gubernatores populi tenentur manifestare omissionem impediendi aliena furta; & liberi sunt a manifestanda circumstantia furti proprii? Utique, inquiunt. Cur? Audi venustam rationem: *Quia licet constituantur ad hoc ut impediant furta, & delicta aliorum; non tamen ut impediant sua*, inquiunt *loc. cit.* Salmanticenses cum suis citatis Auctoribus. Libertatem ergo furandi vi officii gubernator civitatis habet a populo, vel a suprema potestate? Negas? Ergo præter peccatum contra præceptum, peccat contra proprium officium. Si peccat contra proprium officium: ergo hanc peccati circumstantiam manifestare tenetur. Ut falsam quoque reiicio alteram opinionem, quam ibidem *num.* 64. docent Salmanticenses cum *Lugo*, *Diana*, *Dicastillo*, *Leandro*, & aliis, videlicet Sacerdotem percutientem laicum *etiam cum sanguinis effusione*, non teneri in confessione manifestare se esse Sacerdotem: quia, inquiunt, non videtur adesse specialis malitia. Sacerdos percutiens Christianum cum sanguinis effusione, non perpetrat malitiam peculiarem a malitia percussionis? Unde hoc eruitur? Ex Scriptura, ex Patribus? An non clamant Patres, vel ipsas laicorum nugas in Sacerdotibus delicta fieri? Ipse communis hominum sensus in tali sanguinaria percussione, a Sacerdote Christi peracta, monstrosam deprehendit deformitatem.

XIV. Quæst. VIII. *Eunuchus, aut frigidus fornicatur: tenetur ne explicare circumstantiam impotentiæ ad copulam naturalem?* Resp. Negat P. Filliucius; sed opposita sententia communis est. Quia tale peccatum est contra naturam, & speciem diversam contrahit a simplici fornicatione.

XV. Quæst. IX. *Explicanda ne est circumstantia scientiæ, aut ignorantiæ in peccati*

commissione? Resp. Negant Navarrus, Lugo, Vasquez, Salas, Valentia, Hurtado, & alii, quos citant, & sequuntur Salmanticenses *loc. cit. num. 66.* Quoniam notitia praecipitur relative ad opus; & ignorantia non constituit speciale peccatum. Nam eiusdem speciei & malitiae moralis est peccatum cum ignorantia culpabili, & cum scientia admissum; & solum datur diversitas penes modum voluntarii. Quaedam tamen maior malitia semper est in eo qui scienter, quam in eo qui ignorantia, licet culpabili, obductus peccat. Tum vero explicanda ignorantia est, quando censura imposita esset iis dumtaxat qui scienter praeceptum violant. Si ignorantia esset invincibilis, explicanda esset. Similiter ignorantia quae vincibilis est, non semper est peccatum mortale: quia licet comparari notitia praecepti queat; tamen tot adesse obstacula possunt, ut ignorantia vincibilis levem contineat malitiam: & tum explicanda haec circumstantia esset; cum id quod est mortale scienti legem, possit esse veniale eam vincibiliter ignoranti. Nec enim semper ignorantia vincibilis mortifera est respectu omnium, si legis cognitio difficilis sit. Quando quis exponitur periculo peccandi cum femina, cuius statum ignorat, videlicet an sit soluta, vel coniugata, vel voto castitatis astricta, exponere hanc circumstantiam debet. Similiter quando ignorantia affectata est ad finem peccandi liberius, manifestari debet, praesertim si subest periculum peccandi in alia specie diversa. Qui voto castitatis astrictus est, si suo consilio, aut auxilio alios inducit ad fornicandum, hanc circumstantiam manifestare tenetur; ut docent communiter omnes.

XVI. Quaest. X. *An opinio aliquorum Casuistarum negantium debitum manifestandi consuetudinem peccandi mortaliter in confessione, sit contenta in propositione 58. damnata ab INNOCENTIO XI.*? Resp. P. Claudius La-Croix *Lib. VI. part. II. num. 968.* respondet, per se loquendo non esse aperiendam talem consuetudinem: & pro hac opinione citat *Suarez*, *Vasquez*, *Reginaldum*, *Lugo*. Hanc eamdem opinionem defendunt Salmanticenses *tract.* VI. *cap.* VIII. *punct.* 4. *num.* 67. & citant praeter recensitos *Castropalaum*, *Dianam*, & alios. Ratio, quam ex aliis citatis Auctoribus assignat P. La-Croix, ciusmodi est. „ Nemo per se loquendo tenetur bis confiteri idem peccatum: peccata autem praeterita, per quae est causata consuetudo, sunt ante hac confessa, uti supponitur, & peccatum praesens non aggravatur, *sed potius minuitur ratione praecedentis consuetudinis, quae aliquo modo minuit libertatem*. Ergo non est necessarium facere mentionem peccatorum praeteritorum, vel illius consuetudinis. " P. Dominicus Viva in *Curs. Theol. mor. Tom. II. part.* VI. *quaest.* V. *num.* II. „ Licet teneatur poenitens respondere Confessario interroganti consuetudinem peccati, cum opposita sententia sit damnata ab Innoc. XI. . . . . tamen per se loquendo non est aperienda huiusmodi „ consuetudo."

XVII.

XVII. Per se loquendo hæc doctrina falsa est, & in propositione 58. damnata ab Innocentio XI. contenta. Quid? Peccatum ex consuetudine inveterata minuitur? Minus ergo peccat qui ex prava consuetudine blasphemat, peierat, fornicatur, quam qui semel vel bis hæc flagitia perpetrat? Undenam doctrina isthæc? Scripturæ, & Patres ardenti zelo invehuntur adversus peccatores vitioso habitu irretitos. In medium S. Thomas, qui ex Scripturis sanctis, & Patribus suam Summam confecit, prodeat ad novam doctrinam profligandam.

XVIII. Hæc autem docet Angelicus 1. 2. *quæst.* LXXVIII. *art.* 2. ubi inquirit, *utrum qui peccat ex habitu, peccet ex certa malitia*: cui quæsito hoc præbet responsum. *Quandocumque utitur habitu vitioso, necesse est quod ex certa malitia peccet: quia unicuique habenti habitum est per se diligibile id quod est ei conveniens secundum proprium habitum: quia sic fit ei quodammodo connaturale, secundum quod consuetudo, & habitus vertitur in naturam. Hoc autem quod est alicui conveniens secundum habitum vitiosum, est id quod excludit bonum spirituale. Ex quo sequitur quod homo eligat malum spirituale, ut adipiscatur bonum quod est ei secundum habitum conveniens. Et hoc est ex certa malitia peccare. Unde manifestum est quod quicumque peccat ex habitu, peccet ex certa malitia.*

XIX. Iterum S. Thomas præfatam doctrinæ falsitatem labefactat 1. 2. *quæst.* LXXVI. *art.* 4. *ad* 1. his verbis. *Ignorantia, secundum quam omnis malus est ignorans, non est causa peccati, sed aliquid consequens ad causam, scilicet ad passionem, vel HABITUM inclinantem in peccatum.* Hæc autem ignorantia, seu inadvertentia consequens habitum non diminuit (ut falso asserit *P. La-Croix* cum ceteris) sed auget malitiam, ut evincit cit. quæst. LXXVIII. art. 4. ad 1. *Dicendum, quod ignorantia electionis, de qua obiectio procedit, neque excusat, neque diminuit peccatum. Unde neque maior ignorantia talis facit esse minus peccatum.* Quid luculentius contra doctrinam P. La-Croix, & P. Viva, & aliorum Probabilistarum, aientium iniquam consuetudinem blasphemandi, peierandi &c. malitiam minuere? Distinguenda est inadvertentia antecedens ab inadvertentia & ignorantia consequenti. Illa vel minuit, vel tollit voluntarium, & malitiam: hæc, utpote volita & libere electa, non minuit, sed auget iniquitatem. Cedo: habitus vitiosus aut tollit potestatem advertendi, aut secus. Si ais primum; in hæresim incidis. Si secundum; ergo non minuit, sed aggravat crimen. Consule meam *epistolam* 11 adversus blasphemias ex consuetudine, ubi Patrum testimoniis præfatam opinionem profligavi. Si vera esset doctrina P. La-Croix, & P. Viva, male agerent Episcopi reservantes sibi casum blasphemiæ ex consuetudine prolatæ.

XX. Sophismata adversariorum seipsis corruunt. Utique nemo tenetur bis confiteri idem peccatum. Sed dicimus, consuetudinem blasphemandi, peierandi, fornicandi esse circumstantiam vitiosam, & iniquam, distinctam ab ipso actu crimino-

noso: quia inclinat, & firmat in malitia. Heinc colliges, quam sit laxa sequens doctrina.

XXI. De Lugo *disp.* XVI. *sec.* 4 *§.* 7. *num.* 202. inquit: „ Ille qui per plura periuria comparat consuetudinem peierandi, eo ipso constituit se in periculo, & „ occasione proxima peierandi postea. Ergo debet in confessione explicare illam „ circumstantiam consuetudinis, quatenus includit periculum morale, & occasionem proximam ad peccata subsequentia &c. . . .

„ Adhuc tamen regulariter non videtur necessario explicanda illa circumstantia: *tum quia homines non attendunt communiter ad illud periculum morale sequentis peccati*, quando aliquod peccatum committunt, nec facile discerni potest, „ quando consuetudo perveniat ad eum gradum, ut inducat occasionem moralem „ proximam aliorum subsequentium peccatorum: *tum etiam quia exponere se periculo fornicationis, verbi gratia, non habet malitiam specie diversam ab ipsa fornicatione*. Cum ergo explicuit in confessione praecedenti suam fornicationem, iam „ explicuit totam malitiam specificam illius peccati. *Nam circumstantia illa periculi, quod subiit alterius fornicationis*, non addit malitiam specie diversam, licet aggravet intra eamdem speciem. Unde regulariter non videtur obligandus „ poenitens ad fatendam necessario consuetudinem, nisi interrogetur."

XXII. Haec doctrina, ut mihi videtur, penitus eludit propositionem 58. damnatam a Ven. Innocentio XI. *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicuius consuetudinem*. Probabilista Ioannes Sanchez, huius propositionis auctor, prae ceteris laxavit in christiana Ethice habenas, cum neque Confessori interroganti de consuetudine respondendum esse docuerit. Lugo, La-Croix, Viva cum ceteris docent, non videri per se aut regulariter obligandos poenitentes ad manifestandam consuetudinem. Et en elusam damnationem propositionis. Obligandi non sunt poenitentes? Ergo Confessarii non debent interrogare de consuetudine. Haec doctrina praxi plurimorum fidelium respondet. Videmus consuetudine, habituque vitioso irretitos sacramenta frequentare, quin se de consuetudine prava aut accusent, aut interrogentur: idcirco vix umquam corriguntur, vix umquam mores mutant. Omnes tantam lugemus corruptelam. At quid mirum, si corruptela persistit, cum sit plurium Casuistarum auctoritate munita? Si per se poenitentes consuetudinem pravam blasphemandi, peierandi, fornicandi manifestare non tenentur; per se Confessarius interrogare de consuetudine non astringitur. Si consuetudinem, mortalis infirmitatis radicem, ignorat Confessarius; quomodo curare aegrotos valet? Quid mirum, si aegroti numquam sanantur, cum aegritudinis caussa tranquilla perseveret in corde? *Exponere se*, inquit Lugo, *periculo fornicationis non habet malitiam specie diversam ab ipsa fornicatione*. Transeat, non esse malitiam specie diversam. Sed dicimus esse malitiam mortaliter aggravantem: malitiam,

tiam, quæ statum pœnitentis, eiusque infirmitatem tam magnopere auget, ut, nisi hæc venefica radix curetur, desperata sit salus infirmi.

XXIII. Dixi, doctrinam P. Claudii La-Croix, Lugo, & aliorum, negantium debitum manifestandi consuetudinem, contentam esse in propositione 58. damnata ab Innocentio XI. Hoc autem evinco, & quidem evidenter. Confessarius in ea solum inquirendi iure pollet ad quæ manifestanda pœnitens obstrictus est: neque de iis interrogare Confessarius valet a quibus manifestandis pœnitens liber est. Confessarius interrogare de consuetudine pœnitentem iure potest. Ergo manifestare consuetudinem pœnitens astringitur. Quid ad hæc? Tenetur, inquiunt, pœnitens fateri consuetudinem, si interrogetur; secus, si Confessarius taceat. Iocamini. Effugium istud vanum est, & pura putaque verborum cavillatio. Debitum pœnitentis respondendi Confessario interroganti præsupponit debitum manifestandi. Nisi enim præcederet debitum manifestandi, neque Confessarius interrogare posset, neque pœnitens respondere teneretur. Interrogat Confessarius, ut statum agnoscat pœnitentis. Peregregie. Ergo pœnitens obstrictus debito est manifestandi statum suum medico spirituali; & super hoc debito pœnitentis aperiendi statum suum Confessario fundatur ius Confessarii interrogandi de tali statu. Manifestari status pœnitentis nequit, ni patefiat eiusdem consuetudo. Ergo redit argumentatio, videlicet quod ius Confessarii interrogandi de consuetudine fundatum sit in debito pœnitentis consuetudinem manifestandi. Ne multa: debitum manifestandæ consuetudinis præcedit ius Confessarii de consuetudine interrogandi. Ergo etiamsi Confessarius omitteret interrogationem, non propterea pœnitens liber esset a debito consuetudinis manifestandæ; cum debitum istud absolute afficiat pœnitentem, qui respondere minime teneretur interroganti, nisi præcederet debitum manifestandi. Ergo debitum manifestandi præcedit & ius interrogandi, & debitum respondendi. Ergo evidenter doctrina P. La-Croix, Lugo, Viva, & aliorum contenta est in propositione 58. damnata ab Innocentio XI. seu eadem est, ut ego quidem sentio, cum propositione damnata. Opponent auctoritatem Doctorum. Sed ego oppono auctoritatem Pontificis summi. Doctores, qui scripsere ante Innocentium XI. opponi nequeunt: quia illi, si scivissent propositionem damnandam, aliter dubio procul scripsissent, ut sentire nos convenit. Qui post damnatam propositionem scripserunt, quia non putarunt damnatam esse doctrinam antecessorum, illam propugnare operæ pretium existimarunt. Verum de hac propositione fusius *cap. seq. num.* 4.

XXIV. Duplex consuetudinis genus Lugo cum ceteris distinguit. Altera consuetudo est, inquit, quæ ad similia peccata inducit patranda cum advertentia, novaque libertate: & de hac consuetudine hactenus locutus est. Altera consuetudo est, quæ inducit quidem ad similes actus postea ex habitu faciendos, sed absque

absque nova advertentia, aut libertate nova ad novum peccatum. De hac consuetudine hæc scribit idem Lugo *ibi num.* 204. „ Maior difficultas esse potest de „ consuetudine posterioris generis, quæ scilicet est causa faciendi similes actus „ absque deliberatione sufficienti, vel advertentia. In quo casu certum in primis „ videtur, actus subsequentes sine deliberatione præsenti factos, non esse nova „ peccata, sed solum esse peccata in sua causa, nempe in consuetudine præcedenti libere volita, seu esse effectus peccati, ut cum aliis probat Thomas San„ chez . . . Suarez . . . *Unde non erit necesse iuramenta sequentia absque adverten„ tia prolata in confessione explicare*, sed solum causam culpabiliter antea posi„ tam, nempe consuetudinem illam volitam, aut permissam, ut notat idem San„ chez."

XXV. Non erit necesse periuria, blasphemias, & alia ex tali consuetudine sine advertentia perpetrata manifestare? Sat erit manifestare consuetudinem? Hæc consuetudo adimit libertatem, quia adimit advertentiam actualem? Hæc doctrina, ut Patrum, & Scripturarum documentis palam feci in *cit. epis.* 11. nisi mea me opinio fallat, inducit Ignorantismum Pelagianorum, & Philosophismum. Qui actu de Deo non cogitat, Deum non offendit, est doctrina ab Alexandro VIII. damnata. Qui peierat, qui blasphemat sine actuali advertentia, actu non peccat inquiunt Lugo, & P. Viva in *prop.* 60. *Innoc. XI. num.* 18. cum aliis non paucis Casuistis. In quo differt hæc secunda a prima doctrina damnata? Diversitatem ego ignoro, & puto reipsa non dari. Quid? Homo, habitu vitioso irretitus, libertatem amisit in patrandis peccatis eiusdem habitus? Non perpetrat nova peccata, quia actu non advertit? An non possunt actu advertere homines? An hæc advertentiæ omissio non est libera? Peccarunt dumtaxat libere consuetudinem efficiendo? At plurimi *homines communiter* non attendunt, inquit Lugo, ad hanc consuetudinem, eamque repetitis actibus contexunt, quin advertant. Malitia ergo consuetudo ipsa vacabit, sicut peccata ex eadem manantia nova malitia actuali carent ex defectu advertentiæ? Hoc posito, peccatores habitu depravato irretiti melioris conditionis erunt quam peccatores ex fragilitate humana delinquentes. Si nova periuria, blasphemiæ, fornicationes ex consuetudine patratæ non sunt nova peccata: ergo nulla dantur peccata ignorantiæ vincibilis. Nam qui peccant ex ignorantia vincibili, peccant absque actuali advertentia: si enim actualis adesset advertentia, ex malitia, scienter, & non ignoranter peccarent. Hæc autem doctrina, cum de medio tollat ignorantiæ delicta, hostiliter pugnat cum Scripturis sanctis; ut fuso calamo demonstratur *Tom. II. Apparatus ad Theologiam Christianam.*

XXVI. Quæst. XI. *Quid dicendum de hac opinione* P. Claudii La-Croix, *nempe an illa quæ ex consuetudine mortaliter mala postea inadvertenter fiunt, sint confitenda?*

Resp.

Resp. P. La-Croix proponit hanc quæstionem *Lib. II. part. 11. num. 973.* ubi sic respondet *num. 974.* „ Si supponamus, quando ista fiunt, nullam prorsus adesse „ advertentiam malitiæ, talia non habebunt ullam novam malitiam, uti constat „ ex dictis *Lib. V. art. 2. num. 16.* & consequenter cum ista in se non sint peccata, „ nec externe compleant peccatum aliquod internum, sed tantum sint effectus „ peccati secundum dicta *num. 944. non est obligatio illa confitendi . . . . Quod ve-* „ *rum est, secundum multos cum Dicast. quamvis illa consuetudo non sit retractata.* "

XXVII. Iudicent cordati piique lectores de hac doctrina. Infirmitati meæ admirationem sane ingerit. Aristoteles dicit, admirationem fetum esse ignorantiæ. Ignorantem scilicet me fateor, neque tanti sum, ut hunc opinandi modum cum Scripturæ sanctæ, & Patrum doctrina confœderare valeam. Blasphemias, periuria, fornicationes, quæ ex consuetudine mortaliter mala fiunt, si nulla adsit advertentia, neque sunt peccata nova, *neque sunt confitenda*? Utinam ignorare talem opinionem mihi datum fuisset, sicut ignoro illam cum Evangelio coniungere. Idcirco sapientibus iudicium relinquo.

XXVIII. Quæst. XII. *Quid dicendum de opinione* P. Tamburini, *aientis non esse manifestandos gradus consanguinitatis peccati commissi cum matre, aut consobrina?* Resp. P. Thomas Tamburinus *Lib. II. meth. confess. cap.* VII. *§. 7. num. 48.* ait: „ Dico, probabile esse nec consanguinitatem ab affinitate ex S. Thom. 2. 2. *quæst.* „ XVI. *art. 9.* & Caiet. ibid. nec unum gradum ex his differre specie ab aliis. „ Sic Filliuc. dicens esse opinionem S. Th. Caiet. Soti, & fere Thomistarum. „ Griptus . . Megala . . uterque apud Dianam. *Unde licet sine dubio gravius sit* „ *contra unum gradum delinquere, v. g. contra primum cum MATRE, quam contra* „ *alium, v. g. cum consobrina; tamen quia non mutatur species, puto non esse spe-* „ *ciatim manifestanda* in confessione. "

XXIX. Hæc P. Tamburini, & Filliucii doctrina falsa & laxa est. Vix rusticorum, aut idiotarum aliquem reperire est, qui, si concubuerit cum matre, cum sorore, horrendam malitiæ circumstantiam non percipiat. Citati autem Auctores eximunt ab obligatione manifestandi vel ipsum primum gradum consanguinitatis. Quare si quis peccavit cum propria matre, sat erit ut dicat, Commisi incestum, non declarando cum matre, aut sorore &c. Vide quæ *cap. seq. num. 9.* dicturus sum ex S. Thoma.

CA-

CAPUT VI.

De obligatione confitendi circumstantias mortaliter aggravantes peccatum intra eamdem speciem. Doctrina S. Thomæ vindicatur ab interpretamentis Salmanticensium, Moyæ, *& aliorum plurium.*

I. OMnes Catholici docent, circumstantias mutantes speciem esse confitendas; cum id definitum in Concilio Tridentino sit. Disputatur dumtaxat de circumstantiis quæ intra eamdem speciem *notabiliter* malitiam peccati aggravant. Furaris aut unum aureum, aut centum, aut mille. Peccatum est intra eamdem speciem furti; at furtum mille aureorum est notabiliter gravius quam furtum unius aurei. Similiter peccatum incestus non differre specie, sive sit cum matre, sive sit cum sorore, sive cum nepte, aut consobrina, plures docent; sed malitia aggravatur iuxta graduum diversitatem.

II. Disputant in utramque partem Theologi & numero, & doctrina spectabiles. Plures Probabilistæ, & præsertim P. Moya, impingere ausi sunt S. Thomæ, quod liberet fideles a debito manifestandi in confessione circumstantias notabiliter aggravantes. In hanc hallucinationem lapsi sunt vel ipsi doctissimi Salmanticenses scholastici, nedum morales. Et quoniam Theologos istos de doctrina S. Thomæ optime meritos pluris facio quam ceteros; idcirco adversus istos vindicandum S. Thomam suscipio. Si enim ostendero, vel hos clarissimos Theologos, in propugnanda S. Thomæ doctrina nemini secundos, ad hoc quod attinet, caligasse; continuo evanescent omnia commenta Moyæ, & aliorum, laxam doctrinam sancto Thomæ impingentium.

III. Salmanticenses scholastici igitur *Tom. XII. tract.* XXIV. *disp.* VI. *dub.* 4. contendunt, S. Thomam negare debitum manifestandi circumstantias mortaliter aggravantes intra eamdem speciem. Quod ut evincant, opponunt ex *IV. dist.* XVI. *quæst.* III. *art.* 2. hoc testimonium. *Quidam enim dicunt, quod omnes circumstantiæ, quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt, confiteri necessitatis est, si memoriæ occurrant. Alii vero dicunt, quod non sint de necessitate confitendæ, nisi circumstantiæ quæ ad aliud genus peccati trahunt; & hoc probabilius est.* Hic sistunt præclari Theologi, atque a se stare S. Thomam definiunt. Verum, si integra doctrina spectetur Angelici Doctoris, non video, unde de eiusdem patrocinio in hac caussa gloriari Salmanticenses valeant. Sic enim continuo persequitur S. Thomas. *Sed addendum est, quæ ad aliam speciem mortalis trahunt . . . Cuius RATIO EST* (N. B.) *quod venialia non sunt de necessitate confessionis,*

SED

SED SOLUM MORTALIA, quæ quantitatem infinitam quodammodo habent: & quia circumstantiæ quæ aliam speciem peccato non tribuunt, vel quæ tribuunt quidem, SED NON MORTALIS PECCATI, non sunt de necessitate confessionis. Ita tamen eadem confiteri perfectionis est, sicut & de VENIALIBUS dictum est. Hic triumphum canunt perdocti Salmanticenses, & ita luculenter S. Thomam laxam opinionem, quam ipsi propugnant, docere contendunt, ut relatum testimonium nullam excipiat legitimam interpretationem. Et reipsa Thomistarum plures ita sentiunt. „ Nemini Thomistæ (inquit Natalis Alexander *Lib. II. cap.* v. „ *art. 6. §. 1.*) religioni sit ab ea S. Thomæ opinione discedere quam iunior propugnavit, & quam ipse eiuraturum fuisse, ac retractaturum verisimile est, si „ post Synodum Tridentinam scripsisset. Unde selecti ex Ordine Dominicano „ Theologi, qui Concilii Catechismo adlaboraverunt, contrariam opinionem asseruerunt Ecclesia approbante. " Quamobrem laudati Salmanticenses perspicue fatentur *num.* 88. se non semel admiratione suspensos hæsisse, *graves aliquos Thomistas, ut Gonet, Labat, & quosdam alios controversiam hanc versantes . . . non sibi opposuisse hanc S. Doctoris sententiam, eamque, utcumque possent, explicuisse. Verum modo admirationem deponimus, attendentes ad eorum evidentiam, & illorum discipulorum reverentiam, quod noluerint eis aperte refragari, sed veluti furtim capesserint aliam viam.*

IV. Ut admirationem depositam resumant perdocti Patres, paucis ego laudatum testimonium expono. Triplicem malitiam adiicere circumstantiæ peccato valent: primam, quæ mutat speciem; secundam, quæ non pertingit ad peccatum mortale, sed sistit intra venialis peccati confinia: tertiam, quæ speciem quidem non mutat, constituit tamen peccatum mortale. S. Thomas in adducto testimonio docet, necesse haud esse ut circumstantiæ quæ aut non mutant speciem, aut non adiiciunt malitiam constituentem peccatum mortale, in confessione manifestentur. Adeo evidens est, huc tendere Angelici Præceptoris doctrinam, ut ii soli qui mollioris Ethices lenocinio capti sunt, refragari queant. Cedo: quid produnt hæc verba quæ totam articuli illius doctrinam regunt? *Cuius ratio est, quia venialia non sunt de necessitate confessionis, sed solum mortalia, quæ quantitatem infinitam quodammodo habent.* Ad horum verborum conspectum in fumum abeunt omnia insignium virorum interpretamenta. Clamant perdocti homines, S. Thomam expresse agere de circumstantiis *quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt*. Verissimum habet. Sed hæc verba scribit sub initium articuli, & post laudata verba rationem promit cur circumstantiæ non sint confitendæ, inquiens: *Cuius RATIO EST, quia venialia non sunt de necessitate confessionis.* Post laudata verba adiicit, confitenda esse solum mortalia *quæ quantitatem infinitam quodammodo habent*. Nihil ne discriminis inter aliquam quantitatem notabi-

tabilem, & quantitatem infinitam? Peccatum mortale quantitatem quodammodo infinitam habet, inquit Angelicus. Peccata venialia alia levia, alia intra idem genus gravia, quæ addunt *quantitatem notabilem*, sed non *infinitam*: ideo non sunt mortalia. Tandem post opposita verba subdit Angelicus. *Circumstantiæ aggravantes, quæ aliam speciem peccato non tribuunt, vel quæ tribuunt quidem, sed non peccati MORTALIS, non sunt de necessitate confessionis*. En constantem & perspicuam Angelici mentem eo unice spectare, ut definiat, circumstantias quæ aut non mutant speciem, aut non addunt *malitiam peccati mortalis*, non esse de necessitate confessionis. Unde legitime & evidenter infertur, S. Thomam docere, circumstantias quæ malitiam constituentem peccatum mortale adiiciunt, necessario exprimendas in confessione esse; circumstantias vero quæ confinia venialis peccati non transiliunt, non esse de confessionis necessitate.

V. Porro, ut laudata doctrina clarior fiat, hoc ponamus exemplum. Gravis materia furti sint sex iulii. Addantur duo iulii. Circumstantia hæc levem quantitatem superaddit. Adiiciantur quatuor, vel quinque. Circumstantia hæc superaddit notabilem quantitatem, sed intra terminos peccati venialis. Addantur decem, viginti, centum, mille. Circumstantia hæc non addit quidem diversam peccati speciem; tribuit tamen malitiam peccati mortalis, quod *habet quantitatem quodammodo infinitam*. Et hæc circumstantia iuxta S. Thomam est necessario in confessione manifestanda. En genuinam, perspicuam, & constantem doctrinam S. Doctoris. Antequam huic brevissimæ interpretationi finem impono, lubet iterum viros admiratores paullulum premere, & ad respondendum provocare. Cur S. Thomas negat circumstantias esse in confessione manifestandas? Respondet Angelicus: *Quia peccata venialia non sunt de necessitate confessionis*. Alia ne ratio in universa adducta doctrina? Nulla prorsus. Ergo necessario consequitur, circumstantias augentes malitiam quæ constituit peccatum mortale, esse in confessione aperiendas. Quid ad hæc Salmanticenses?

VI. Alii textus quos obtrudunt Theologi isti, illorum & admirationem, & opinionem penitus profligant. Opponunt, D. Thomam ibidem *ad* 2. hæc docere. *Dicendum, quod determinata quantitas peccati non potest Sacerdoti innotescere, quia nec ipse peccator scit. Unde sufficit quod sciat quantitatem quæ ex specie peccati consurgit*. Peccator ergo qui scit quantitatem in specie furti, iuxta S. Thomam, tenetur eam manifestare. Quantitatem vero malitiæ quam ignorat, declarare neque potest, neque astringitur. Explorata hæc sunt, & pervia. Falsa ergo est Salmanticensium sententia.

VII. Insistunt 3. S. Thomas in scripto ad Annibaldum *dist.* XVI. *quæst. unic. artic.* 3. ait: *Circumstantia quæ novam rationem peccati mortalis addit, de necessita-*

te est confitenda; alia autem non. Mitto, scriptum istud supposititium esse, quod eruditos Theologos latere non debuisset. Sed respondeo, nihil adduci posse luculentius in confirmationem nostræ datæ interpretationis. Tot rationes peccati mortalis multiplicantur in furto, quot sunt in eodem materiæ graves in genere furti. Ponamus materiam gravem furti esse unum scutum Romanum. Qui centum scuta furatur 99. rationes peccati mortalis superaddit. Furtum enim centum scutorum, unico actu a Petro perpetratum, æquivalet centum furtis, quæ centum personæ diversæ committerent, singulæ surripiendo unum scutum. Ideo qui unico actu centum scuta furatur, centum rationes mortalis peccati superaddit.

VIII. Insistunt 4. S. Thomas *opusc.* XII. ad Lectorem Bisuntinum *art. 6.* scribit. *Circumstantias vero aggravantes quæ in aliud genus peccati non trahunt, non tenetur homo confiteri, SICUT NEC VENIALIA, licet laudabile sit quod ea homo confiteatur.* Testimonium istud evidentius confirmat ea quæ dicta sunt, nempe Doctorem Angelicum docere, circumstantias quæ venialem tantum malitiam addunt, non esse confitendas; e contrario patefaciendas eas esse quæ malitiam peccati mortalis adiiciunt.

IX. En ex illis ipsis S. Thomæ testimoniis quæ in sui præsidium Salmanticenses allegant, illorum prostratam sententiam. Quid, si referre huc vellem plura ex eiusdem Summa principia, quæ laxam opinionem prorsus labefactant? Docere videtur S. Thomas 2. 2. *quæst.* CLIV. *art. 9. ad 2.* unam esse incestus speciem, sive cum consanguinea, sive cum affine. Hoc ego non concedo, sed oppositum colligi ex doctrina S. Thomæ contendo: & Vincentium Baronium *diss.* 11. *sect. 3.* §. 2. contra Moyam consentientem habeo. Id tamen aperte defendit Caietanus in hunc locum. Numquid dicturi sunt Salmanticenses, iuxta S. Thomam non esse manifestandam circumstantiam incestus cum propria matre; sed solum dicendum, incestum perpetratum esse sive cum matre, sive cum affine in tertio; aut quarto gradu? Non puto illos tantam laxitatem attributuros Angelico Doctori, qui ibidem *ad 3.* ait: *Unde Philosophus dicit de animalibus, quod quidam equus, quia deceptus fuit, ut matri commisceretur, seipsum præcipitavit quasi præ horrore, eo quod etiam animalibus aliquibus insit naturalis reverentia ad parentes.*

X. Quamvis ostensum sit, Angelicum non modo non favere opinioni neganti obligationem confitendi dictas circumstantias, sed e contrario illam improbare; tamen gratis concedere volo, ambiguam esse S. Doctoris mentem. Hoc enim est quod ad summum contendere Salmanticenses possunt. In hac autem hypothesi expedit ne ambigua aliqua testimonia tanti Doctoris in laxam opinionem; nulla prorsus solida ratione fultam, detorquere? Quid? Nulla firma ratione ful-

citur opinio negans debitum patefaciendi circumſtantias aggravantes? Nulla omnino. Ad rem.

XI. Prima ratio quam Salmanticenſes allegant, eſt auctoritas S. Thomæ. Hanc vanam eſſe iam oſtendi. *Secundum motivum*, inquiunt num. 89. *ob quod propoſitam aſſertionem amplectimur, conſiſtit in multitudine & auctoritate gravium Doctorum.* Multitudo laxas opiniones amplecti ſolet. Arguebat olim S. Baſilius adverſarium: *Multitudine mendacium defendis?* Tantum mihi otii non eſt, ut expendam textus Alberti Magni, S. Bonaventuræ, S. Antonini, aliorumque paucorum opera. At Vincentius Baronius, & Suarez contendunt, hos ſanctos viros docere debitum confitendi circumſtantias, quæ mortaliter, ſecus quæ venialiter aggravant malitiam. Ad alios Auctores quod attinet, ſola auctoritas Catechiſmi Tridentini, quam mox referam, prævalet ſexcentis Dianis, Leandris, Palais, Killeſoniis, Villalobofiis, Accaciis, Pitigianis, Tamburinis, ceteriſque ſimilibus.

XII. *Tertium motivum* (inquiunt Salmanticenſes num. 90.) *eſt: cum confiteri circumſtantias notabiliter aggravantes ſit onus admodum grave, niſi certo conſtet de lege, non eſt tantum iugum imponendum. Lex enim in dubio legis latæ, ut tradunt Sanchez, Tapia, Arauxo &c. non obligat.* Hæc doctrina ex fodina Probabiliſmi hauſta eſt, quam falſam, & laxam alibi oſtendi.

XIII. *Quartum motivum* (addunt num. 92.) *quod contraria ſententia parit innumerabiles ſcrupulos & anxietates ſatis perplexas, ac inſuperabiles in fidelibus.* Hic eſt locus topicus probabiliſticus, & lepidum interpretamentum, quod toties obtruditur, quoties ſanioris Ethices regulæ inculcantur. Quam ſit vanum, ex noſtræ ſententiæ explicatione continuo apparebit. Hæc ſunt quatuor rationum momenta quæ perdoctos Theologos impulerunt ad negandam neceſſitatem manifeſtandi circumſtantias notabiliter aggravantes. Hæc rationum momenta vocantur ab iiſdem num. 87. *prudentialia.* Nos & prudentiæ chriſtianæ, & bono ſenſui, nedum Scripturis, Patribus, & Conciliis, illa repugnare mox oſtendemus.

§. UNICUS.

Circumſtantiæ mortaliter aggravantes peccati malitiam intra eamdem ſpeciem neceſſario aperiendæ ſunt, ut integra confeſſio ſit.

I. Quoniam in tradendis conſcientiæ regulis, & præſertim in re ſacramentaria, non tam rationes humanæ, & metaphyſicæ, quam Concilia ſacra, quæ

quæ Ecclesiæ doctrinam fidelibus exponunt, consulenda sunt; ideo primum omnium in medium adduco declarationem Catechismi Romani, qui decretum Concilii Tridentini interpretans, hæc *Part. II. cap. v. §. 47.* præscribit. „ *Peccatorum circumstantiæ, dum quis confitetur, sunt patefaciendæ.* Sed in confessione summa illa cura, & diligentia adhibenda est, quam in rebus *gravissimis* „ ponere solemus; omneque studium in eo conferendum, ut sanemus animæ „ vulnera, & peccati radices evellamus. Neque solum peccata gravia narrando explicare oportet, verum etiam illa quæ unumquodque peccatum circumstant, & pravitatem valde augent, vel minuunt. Quædam enim circumstantiæ adeo graves sunt, ut peccati mortiferi ratio ex illis tantum constet: *quare hæc omnia confiteri semper oportet.* Si quis enim hominem interemerit, explicandum est, utrum ille sacris initiatus, aut profanus fuerit: itemque, si „ cum muliere concubuit, matrimonii ne lege libera, aut alterius uxore, aut „ propinqua, aut alicuius voti sponsione Deo consecrata, aperiat necesse est. „ Hæc enim diversa peccatorum genera constituunt; ita ut primum quidem „ simplex fornicatio, alterum adulterium, tertium incestus, quartum sacrilegium „ a divinarum rerum Doctoribus appelletur. *Furtum etiam in peccatis numerandum est. Verum si quis aureum nummum furetur, levius omnino peccat quam qui centum, vel ducentos, vel ingentem aliquam auri vim, præsertim vero qui sacram pecuniam abstulit. Quæ etiam ratio ad locum, & ad tempus pertinet: quorum exempla notiora sunt ex multorum libris, quam ut a nobis commemorentur. HAEC igitur, ut diximus, ENUMERANDA SUNT. Quæ vero pravitatem rei magnopere non augent, sine crimine omitti possunt.* "

II. Hanc meditari doctrinam debuissent perdocti Salmanticenses, missis Villalobosiis, Leandris, Dianis, Palais, ceterisque. Et quamquam prolixitate valde nimia innumeras speculationes agglomerent; nihilominus nec meminere istius Catechismi, cuius Auctores & S. Thomæ, & Concilii Tridentini doctrinam apprime callebant, & eam populo fideli, ac præsertim Parochis explicabant. Heinc omitto plures alias Synodos, Vormatiensem, Londinensem, & Patrum testimonia brevitatis studio; cum mihi longa supersit via, & tempus desit. Unum dumtaxat adiicio. S. Carolus Borromæus *Act. Part. IV. in instruct. Confess.* hæc docet. *Confessarius esse debet instructus, quænam sint circumstantiæ peccati mutantes speciem, quæ notabiliter aggravantes. Quia tam istæ, quam illæ circumstantiæ necessario explicandæ sunt in confessione.* Hæc duo sola splendidissima documenta certam, & ineluctabilem efficiunt sententiam nostram. In horum conspectu omnium Casuistarum, qui pro contraria opinatione citantur, auctoritas nec levissimam efficit probabilitatem.

III. Transcribenda quoque hic essent verba Ritualis Romani, iussu Pauli V.

approbati, in Rubric. de pœnit. ubi hæc habentur. *Quod si pœnitens numerum, speciem, & circumstantias explicatu necessarias non expresserit, Sacerdos eum interroget*. Sed occurrunt Salmanticenses *num 96.* se respondere posse, hæc verba non esse *præceptiva*, sed *exhortativa*. Peregregie. At subdunt, se non egere hac responsione: quia Rituale intelligendum est de illis quæ mutant speciem. Sed Rituale ipsum hanc retundit cavillationem, inquiens: *Speciem, & circumstantias*. Quid? Rituale præcipit ut manifestentur peccatorum *species*: deinde, ut declarentur *circumstantiæ*. Et hæ circumstantiæ prodant malitiam non aggravantem, sed specie diversam? Non videtur dignum tantis viris interpretamentum.

IV. Alia documenta nostram confirmant sententiam. Innocentius XI. hanc propositionem *num. 58.* damnavit. *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicuius consuetudinem*. Confessarius ius non habet de iis interrogandi quæ manifestare pœnitens non tenetur. Hæc duo, ius interrogandi, & debitum manifestandi, ita sunt indivulsa, & coniuncta, ut consistere primum absque secundo nequeat. Porro consuetudo fornicandi, consuetudo peierandi, furandi &c. non est circumstantia, quæ speciem mutet, sed solum quæ intra eamdem speciem malitiam aggravat. Damnata est doctrina, negans debitum interrogandi. Ergo damnata est doctrina negans debitum manifestandi. Nec est quod cavilleris, damnatam esse doctrinam negantem debitum respondendi. Quoniam rogo: cur damnata est doctrina negans debitum respondendi? Edissere. Nisi præcederet debitum manifestandi, imponi ne onus respondendi iure posset? Numquid Pontifex, qui propositionem damnavit, aliquid novi imposuit? Nemo id dixerit. Sed quod forum, & iudicium sacramentale natura sua postulat, declaravit Pontifex summus. Ergo dum proscripsit doctrinam inficiantem debitum respondendi Confessario interroganti, diris devovit doctrinam negantem debitum manifestandi consuetudinem. Et in hoc debito manifestandi fundatur debitum respondendi Confessario interroganti. Alioquin, sublato debito manifestandi, nullum ius adest in Confessario interrogandi: nullo debito astringitur pœnitens respondendi. Hæc doctrina perspicua, solida, ineluctabilis est.

V. Salmanticenses scholastici innumeras infarciunt speculationes, ut hanc caussam implicatam efficiant. *Num. 202.* dicunt, Confessarium interrogare debere pœnitentem 1. quando peccatum circumstantia affectum, est reservatum ab Episcopo; ut si furtum mille aureorum esset casus reservatus. Sed hoc, inquiunt, non oritur ex gravitate circumstantiæ notabiliter aggravantis. Unde ergo? Ex hoc, subdunt, quod Confessarius nequeat aliter statum pœnitentis cognoscere. Sed hoc est accidentale, si circumstantia notabiliter aggravans intra eamdem speciem consideretur *secundum se, in genere, & præcise .... Unde non opponitur nostræ*.

stræ assertioni, quæ per se etiam & in genere, ut doctrinalem decet, procedit. Exulet ergo a foro pœnitentiæ doctrina negans debitum manifestandi circumstantias aggravantes. Argutatio facta, supra quam dici potest, vana est. Confessarius potest, & debet pœnitentem interrogare de circumstantia aggravante, ut pœnitentis statum perspectum habeat, & pœnitens tunc respondere tenetur? Sed unde oritur status pœnitentis, nisi a malitia circumstantiæ notabiliter aggravantis? Infirmus tenetur exponere infirmitatis suæ statum, & non tenetur patefacere radicem veneficam, quæ talem statum parit? Non tenetur pœnitens patefacere radicem, quæ nisi evellatur, sanari nequit; & qua evulsa continuo convalescit? Si hæc paradoxa perniciosissima fidelium saluti non sunt, quænam erunt?

VI. Salmanticenses *tract.* XXIV. *disput.* VIII. *dub.* 4. *§.* 2. *num.* 202. *pag.* 140. inquiunt. „ Secundo modo contingit Confessarium inquirere de his circumstantiis, „ non ob motiva aliqua specialia, & accidentalia, qualia proxime recensuimus; „ sed quia vult, vel quia in ea opinione est, quod aggravantes notabiliter intra „ speciem debent in confessione explicari. Et tunc pœnitens, quia *scit saltem* „ *practice, & ex aliorum testimonio* nostram sententiam negantem esse tutam, „ communiorem, & probabiliorem contraria, *non tenetur ad illam Confessarii in-* „ *terrogationem respondere; sed potest cum reverentia dicere, se explicuisse quod* „ *debuit, & posse reticere quod tacet, nec ad amplius teneri: quia scit circum-* „ *stantias notabiliter aggravantes, v. g. quantitatem rei ablatæ, de qua inquiri-* „ *tur, non esse materiam necessariam confessionis. Ex his dictis nequit Confessarius* „ *illum amplius cogere: nec illi ex vi huius absolutionem denegare: quia pœni-* „ *tens procedit secundum tutam & probabilem opinionem, atque adeo recte agit,* „ *& cum eo se potest, AC DEBET Confessarius conformare.* “

VII. Aut nihil sapio, aut hæc doctrina sacrum pœnitentiæ tribunal turbat, invertit, & in damnata proposit. 58. continetur: *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicuius consuetudinem.* Porro, ut evidentius pateat, rescriptam doctrinam contineri in hac damnata thesi, revocandus in memoriam est primus casus, in quo solum dicunt laudati Patres, & pœnitentem teneri manifestare circumstantiam aggravantem, & Confessarium de eadem interrogare. Quando occurrit casus iste? Quando peccatum est reservatum. Hæc sunt illorum verba ibidem pag. 139. *Demus in aliquibus diœcesibus furtum mille aureorum esse casum, sive peccatum superiori reservatum. Pœnitens qui illud commisit, debet tam requisitus, quam non interrogatus illam circumstantiam manifestare, ut Confessarius sciat quomodo se gerere debeat in absolvendo.* Addunt, teneri quoque pœnitentem Confessori interroganti de consuetudine, puta furti, respondere, ut aliquo modo eludant propositionem damnatam. Et propterea addunt, hanc obli-

gationem aut interrogandi, aut respondendi non fundari in gravitate circumstantiæ, sed in alia radice, nempe casus reservati. Inquiunt, *consuetudinem peccandi per se loquendo non esse necessario explicandam in confessione*; sed solum per accidens, si esset reservata, & necessaria ad cognitionem status pœnitentis. *Ceterum ista*, inquiunt, *sunt accidentalia*.

VIII. Conferas nunc velim hanc doctrinam cum ea quæ adducta est *num. 6.* quod scilicet pœnitens non teneatur respondere, si interrogetur de quantitate furti: *Quia scit circumstantias notabiliter aggravantes, v. g. quantitatem rei ablatæ, de qua inquiritur, non esse materiam necessariam confessionis* &c. Igitur, nisi furtum sit in aliqua diœcesi reservatum, etiam interrogatus pœnitens non tenetur illud fateri; sed potest *cum reverentia dicere, se explicuisse quod debuit*. Porro, hoc principio admisso, quod, sublata reservatione vel consuetudinis, vel furti, non teneatur pœnitens respondere interroganti, nedum manifestare ex se furti quantitatem, quandonam casus erit in quo pœnitens teneatur manifestare circumstantias aggravantes? Consuetudo est solum circumstantia aggravans intra eamdem speciem. Hanc fateri ex se non tenetur. Ergo neque interroganti Confessario tenetur respondere: quia, subdunt, pœnitens *scit saltem practice, & ex aliorum testimonio* (nempe Dianæ, Killesonii, Leandri, Palai &c.) *non teneri ad illam Confessarii interrogationem respondere*. Præterea pœnitens, præciso casu reservato, præfata doctrina persuasus poterit semper *cum reverentia* respondere, se explicuisse quod debuit. Immo, inquiunt, nequit *Confessarius illum amplius cogere, nec illi absolutionem ex vi huius denegare*. Eccur hoc? Quia *Confessarius debet se cum pœnitente conformare*. Iudicent nunc sapientes, num hæc doctrina contineatur in dicta proposit. 58. proscripta; num perturbet tribunalis confessionis ordinem. Iudex subiicere suum iudicium rei iudicio debet? Consule quæ supra dicta sunt, ut iudicare felicius valeas, num præfata doctrina contineatur in decreto Innocentii XI.

IX. Alteram propositionem huc spectantem damnavit Innocentius XI. nempe 1. *Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi* &c. Agitur in præsenti de valore sacramenti; cum confessio integralis sit pars materiæ necessariæ sacramenti pœnitentiæ. Sententia adfirmans circumstantias aggravantes esse materiam necessariam, tutior est opinatione negante. Ergo proscriptus est usus opinionis negantis necessitatem manifestandi circumstantias aggravantes in confessione.

X. Salmanticenses *loc. cit. num.* 205. duplici via eluctari heinc conantur. *Respondetur*, inquiunt, *primo*, *nos solum discutere, num circumstantiæ notabiliter aggravantes sint materia necessaria confessionis: in qua difficultate, quæ certe speculativa est, & in actu signato discutitur, sequimur partem negativam probabiliorem*

rem utique, & communiorem. An vero in praxi, & actu exercito confessionis consulenda sit, difficultas diversa est, & in qua unicuique relinquitur exequi quod sibi tutius, securius, aut etiam perfectius censuerit.

XI. Næ istud egregium responsum? Morum regulæ *speculative, & in actu signato discutiuntur?* Et quo conatus isti tendunt? Quis tanti laboris finis? An hoc ansam non præbet hostibus nostris in invidiam adducendi scholasticam Theologiam, quasi hæc in aere verberando occupetur? Communior, & probabilior est opinio negans necessitatem circumstantias manifestandi? Distinguo. Probabilior est probabilitate casuistica, arcessita a Dianis, a Leandris, a Killesoniis, a Tamburinis, aliisque, qui in *actu signato* conscientiæ regulas discutiunt; transeat. Probabilitate theologica, hausta ex Scriptura, ex Ecclesiæ decretis, ex Catechismo Concilii Tridentini, & gravioribus Theologis; nego. Verum hæc obiter, & dicis caussa. Sat quippe nobis est, perdoctos hos Theologos nobis victas manus dare, ultro confitentes in praxi manifestandas esse circumstantias mortaliter aggravantes.

XII. Verum quemadmodum in controversia de attritione formidolosa post effugium ad asylum disputationis *speculativæ abstrahentis a praxi*, arma resumpserunt ad propugnandum illud inauditum paradoxon, quod attritio servilis tutior sit materia sacramenti; ita nunc, ne vilitatis pavorisque notam incurrant, subdunt: *Sed quia nihil etiam huiusmodi formidamus in eiusdem sententiæ praxi, respondetur secundo* &c. Tanta verborum farragine, & subtili acumine involuta responsio est, ut vix percipere eam lectores possent, si, ut iacet, rescriberem. Paucis illam do. Aiunt ergo ad sacramentum necessariam esse confessionem moraliter integram; & hanc facere eum qui confitetur ea omnia quæ cognoscit necessario confitenda, *quamvis supprimat ea quæ vel certo, vel probabiliter, probabilitate omnino certa cognoscit non esse de necessitate confessionis*. Viden' quæ distinctiuncularum præsidia suppeditat Probabilismus? Vel ipsi cordatiores Probabilistæ improbant in quacumque materia opinionem tantum probabiliter probabilem: & nunc in materia sacramentaria obtruditur *probabilitas certo probabilis?* Quid heinc? Hæc probabilitas certo probabilis efficit opinionem tutam. Ergo frustraneum evadit pontificium decretum, quod ex opinionibus controversis præcipit tutiorem amplectendam. Falleris, reponunt. Tutior utique est sententia quæ defendit, manifestandas circumstantias mortaliter aggravantes. *Sed tamen tanta, ut sic loquamur, TUTITAS, aut securitas non est necessaria, sed fiet ex redundanti quadam supererogatione.* Quis ad eiusmodi *TUTITATIS* catapultam arma non posuerit? Tu lector iudica, qua simplicitate & maiestate gravissimæ de re sacramentaria quæstiones dirimantur. Adeo enim arbitrariæ, & commentitiæ mihi apparent eiusmodi distinctiunculæ, ut refelli gravi oratione nequeant;

queant; sed sola iusta derisione contemnendæ videntur, salva erga Auctores reverentia.

XIII. Sententia igitur nostra perspicue, & conceptis verbis traditur ab ipso Tridentini Concilii Catechismo, munitur decreto Innocentii XI. & tandem invictis rationum momentis confirmatur. Et principio iterum sub oculos revocemus sententiæ nostræ germanum sensum. Dicimus itaque, circumstantias quæ mortalem malitiam non augent, non esse confitendas. Materia furti mortiferi scutum Romanum sit. Furaris scutum, & præterea quatuor, sex, octo, novem iulios. Hæc circumstantia non est necessario manifestanda: quia se sola non constituit peccatum mortale in hypothesi quod gravis materia furti sit unum scutum Romanum. Cur hoc? Quia, respondet S. Thomas, peccata venialia non sunt necessario confitenda. Si contra, non unum, sed duo scuta surripis, tunc addis circumstantiam, quæ seipsa separata a peccato mortali furti, constituit peccatum mortale. Uno actu occidis tres homines, aut deliberate cupis occidere: tum circumstantia necessario est confitenda: quia unius hominis occisio est peccatum letale. Ne multa: quando accessio malitiæ ad peccatum mortale seipsa mortalis est, necessario aperiri debet, secus quando est venialis. Hæc est summa Angelici Præceptoris doctrina, quam sic confirmo.

XIV. Qui confiteri scienter recusat accessionem mortalis malitiæ, non facit confessionem formaliter integram: quia scienter reticet malitiam, quæ, licet coniuncta peccato mortali sit, tamen æquipollenter, ut dicitur, est peccatum mortale. Qui enim furatur centum nummos aureos, quorum singuli constituunt furtum mortale, perpetrat furtum quod æquivalet centum furtis mortiferis. Actus voluntatis, quo decem personas concupiscis, æquivalenter est decem actus. Idque evidentius patet, si personæ moraliter specie differant, ut una sit mater altera filia, illa monialis, hæc soror, illa mulier, hic masculus. Unicus actus quo has personas concupiscis, æquivalet decem actibus specie diversis, quorum unus in matrem, alter in filiam, alter in sororem, alter in monialem &c. tendat. Facit ne confessionem formaliter integram qui non confitetur quot personas specie diversas uno actu impudice concupivit? Negas. Ergo non facit confessionem formaliter integram qui non confitetur, quot personas numero distinctas unico actu libidinose appetiit. Probo consequentiam. AEque astringeris confiteri peccata mortalia specie, ac numero distincta. Hæc propositio certissima penes omnes est. Ergo æque confitenda est virtualis multiplicatio numerica, quam virtualis multiplicatio specifica. Cedo: cur astringeris confiteri multiplicationem virtualem specificam? Non sane alia ratione, nisi quia teneris manifestare omnia peccata diversa secundum speciem. Ergo teneris confiteri virtualem multiplicationem numericam, quia astrictus es confiteri omnia peccata formaliter

se-

ſecundum numerum diſtincta. Debitum manifeſtandi omnia peccata ſpecie formali diſtincta infert neceſſitatem confitendi omnia peccata virtualiter tantum ſecundum ſpeciem multiplicata. Ergo debitum manifeſtandi omnia peccata ſecundum numerum formaliter diſtincta infert neceſſitatem confitendi omnia peccata virtualiter diſtincta ſecundum numerum. Ergo qua ratione quis aſtringitur manifeſtare omnes perſonas ſpecie diverſas, quas unico actu concupivit vel occidere, vel impudice cognoſcere, eadem ratione obſtringitur manifeſtare omnes perſonas numero diſtinctas, quas vel impudice deperiit, vel occidere deſideravit. Præterea. Si adderetur ſpecies nova, & non malitia mortalis, eſſet ne confitenda? Nequaquam. Ergo tota manifeſtationis ratio non eſt ſpecies differens, ſed adiecta malitia mortalis. Ergo, ubi fuerit malitia dupla mortalis, ſive ſit eiuſdem, ſive alterius ſpeciei, manifeſtanda eſt.

XV. Propoſitam rationem confirmat Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XIV. *cap.* V. ubi definitur, *oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, in confeſſione recenſeri, etiamſi occultiſſima illa ſint . . . Colligitur prȩterea etiam eas circumſtantias in confeſſione explicandas eſſe quæ ſpeciem peccati mutant, quod ſine illis peccata ipſa nec a pœnitentibus integre exponantur, nec iudicibus innotèſcant, & fieri nequeat ut de gravitate criminum recte cenſere poſſint, & pœnam quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere. Unde alienum a ratione eſt docere, circumſtantias has ab hominibus otioſis excogitatas fuiſſe; aut unam tantum circumſtantiam confitendam eſſe, nempe peccaſſe in fratrem.*

XVI. Ex his ultimis verbis compertum eſt, Concilium adverſus novatores dogma catholicum circa confeſſionem declaraſſe. Definiit autem, omnia peccata & quantum ad ſpeciem, & quantum ad numerum, etiamſi occultiſſima, manifeſtanda Sacerdoti eſſe. Cur? Quia ſacramentum iſtud inſtitutum eſt per modum iudicii, in quo Confeſſarius ut iudex recognoſcere rei delicta, ut congruas imponere pœnas; & ut medicus circumſtantias morbi perſpectas habere debet, ut applicare idonea remedia poſſit. Quæ ſane ratio æque infert neceſſariam notitiam peccatorum quantum ad ſpeciem, & quantum ad numerum.

XVII. Salmanticenſes huic argumento, ex Concilio repetito, poſt magnam verborum congeriem adverſus Suarez, qui illud proponit, reſpondent tandem *num.* 98. hoc pacto. *Si relata Concilii verba, & motiva in eis expreſſa æque militarent in circumſtantiis intra ſpeciem notabiliter aggravantibus, ac in circumſtantiis mutantibus ſpeciem; fieret tam de fide eſſe neceſſitatem confitendi illas ac iſtas . . . Conſequens vero eſt evidenter falſum.* Ergo &c. Quæ, malum, iſthæc argutandi ratio, quæ prima theologica principia turbat, atque pervertit? Nulla impoſterum argumentandi ratio ex Scripturis, ex Conciliis, ex Patribus ſolida

erit:

erit: quia si illatio legitima esset, ad fidem attineret, inquiunt Salmanticenses: Sed quod expresse revelatum in Scripturis, definitum in Conciliis, confirmatum a Patribus non est, ad fidem non attinet. Ergo quidquid inde deducitur, ineptum est, quia ad fidem non attinet? Ita ne argumentari Theologos decet? Percontandum ab istis Theologis esset, quid sit conclusio theologica? Verum, ne insultare viris quos magni facio, videar, paucis dico, illorum responsum esse ineptissimum. Fatemur, sententiam nostram ad fidem non attinere; sed dicimus, adeo evidenti ratiocinio ex doctrina fidei definita in Concilio deduci, ut nihil opponi possit, nisi scilicet vana sophismata, quae obtrudunt citati Auctores. Reponi etiam solet, in legibus positivis non consistere argumentum deductum a paritate rationis. Quod effugium non minus futile est, quam praecedens: quoniam non a paritate argumentamur: neque Concilium aliquam legem positivam condidit in laudato decreto, ut nimis crasse opponitur; sed naturam iudicii sacramentalis, quod Christus instituit ad aliorum iudiciorum normam, declaravit.

XVIII. Insistunt. Si aeque necessario manifestandae essent circumstantiae mortaliter aggravantes intra speciem, ac aliae mutantes speciem, cur Concilium utrumque non definivit? Iam dictum est, Concilium doctrinam catholicam adversus novatores definivisse, iis missis quae in utramque partem a Theologis catholicis disputantur. Hic enim fuit scopus & finis Concilii, ut omnes docti fatentur. Sed quod omisit Concilium, supplevit eiusdem Catechismus, perspicue declarando necessitatem manifestandi circumstantias aggravantes mortaliter intra eamdem speciem. Et pudere deberet quemlibet Theologum, doctrinam docere evidentissime contrariam doctrinae eiusdem Catechismi, qui tanta in universa Ecclesia auctoritate pollet.

XIX. Accedit quod, quamvis Concilium aperte non definierit hanc controversiam, ea tamen principia posuit unde laudatus Catechismus elicuit necessitatem manifestandi utrasque circumstantias, & quantum ad speciem, & quantum ad accessionem malitiae intra eamdem speciem. Quid quod saepe circumstantiae addunt malitiam mortalem numericam longe graviorem malitia mutante speciem? An furtum mille aureorum graviorem non prodit malitiam furto unius aurei in sacro loco patrato? An conflagratio integrae familiae enormior longe non est quam incendium unius sacrae vestis valoris unius aurei?

XX. Sed quam sit absurdorum plenissima contraria opinatio, videamus. Haec opinio latronum, praedonum, & grassatorum atrocitati, ac rapinis favet; saevitque in miseros latrunculos, quos, si decem parvula furtula unius ducati repetitis actibus perpetrant, cogit ad haec decem pandenda furtula Sacerdoti: contra, grassatores & praedones, qui unico actu centum millia aureorum furantur, ab one-

onere manifestandæ tantæ iniquitatis portentum eximit, solumque obligat ut manifestent furtum mortale, puta unius ducati, aut unius aurei. Immo sævior hæc opinatio est in homunculum qui bis surripuit unum aureum, quam in prædonem qui ærarium expilarit, & centena millia talentorum corrogarit. Huic enim favorem impertit, ut dicat unica vocula se letale peccatum furti patrasse; illum ad duo furta mortifera aperienda adigit. Quid plura? Auctores istius sententiæ ius dant prædonibus, grassatoribus, & famosis latronibus, imbutis doctrina Dianæ, Killesonii, Leandri, Caramuelis, aliorumque talis opinionis patronorum, ut contendant cum Confessario, exigente quantitatis pecuniæ sublatæ notitiam. Animos illis adiiciunt, ut *cum reverentia dicant, se explicuisse quod debuerunt, & posse reticere quod tacent*. Neque hic gradum sistunt; sed in ipsum Confessarium sæviunt, quem obstringunt ut se conformet cum iudicio prædonum, & grassatorum, eosque absolvere debeat. *Nequit Confessarius illos amplius cogere, nec illis absolutionem denegare, quia procedunt secundum opinionem probabilem, & tutam; atque adeo se debet Confessarius conformare cum illis*: concludunt citati Auctores. Sed picturam istius opinationis persequamur. Qui uno ictu decem occidit homines, dicat, inquiunt benigni Theologi, *Semel homicidavi*. Qui uno actu concupivit adulterari cum centum uxoribus, aut fornicari cum centum feminis, dicat: *Semel animum habui adulterandi, fornicandi*. Qui uno pravo consilio induxit centum homines, aut mulieres *ad homicidandum, ad furandum, ad meretricandum, ad blasphemandum*, dicat: *Semel induxi ad meretricandum, ad blasphemandum* &c. Qui coivit cum matre, cum filia, cum sorore, admissa sententia Tamburini, Filliucii, & aliorum, aientium gradus consanguinitatis specie non differre, dicat, *Commisi incestum*. Femina quæ rem habuit cum Episcopo, cum Prælato regulari, cum claustrali, dicat: *Rem habui cum homine ligato castitatis voto*. Qui statuit toto anno non ieiunare, non audire Sacrum, non recitare horas canonicas, dicat: *Semel habui animum non ieiunandi, non audiendi Sacrum, non recitandi horas canonicas*.

XXI. Quis tam immania paradoxa credere posset, aut animo fingere, nisi typis publicis edita legerentur? Si ad vulgus indoctum, si ad intimum animæ christianæ sensum hæc caussa deferatur, quod iudicium pronuntiabit in hanc opinationem? Cum Tertulliano ergo *in Testimonio de anima adversus gentes cap. 1.* clamemus: *Consiste in medio anima... Sed non eam te advoco quæ scholis formata, bibliothecis exercitata, academiis & porticibus Atticis pasta, sapientiam ructas. Te simplicem, & rudem, & impolitam, & idioticam compello, qualem habent qui te solam habent, illam ipsam de compito, de trivio, de textrino totam. Imperitia tua mihi opus est, quoniam aliquantulæ peritiæ tuæ nemo credit. Ea expostulo quæ tecum in hominem infers*. Et paullo post, nempe *cap.* v. sic perse-

qui-

quitur. *Hæc testimonia animæ, quanto vera, tanto simplicia, quanto simplicia, tanto vulgaria, quanto vulgaria, tanto communia, quanto communia, tanto naturalia, quanto naturalia, tanto divina, non putem cuiquam frivolum, & frigidum videri posse, si recogitet naturæ maiestatem, ex qua censetur auctoritas animæ. Quantum dederis magistræ, tantum adiudicabis discipulæ, magistra natura, anima discipula. Quidquid aut illa edocuit, aut ista perdidicit, a Deo traditum est, magistro scilicet ipsius magistræ.*

XXII. Quid? Ad vulgi, ad animæ idiotæ tribunal controversias theologicas defers? Sic nugati nonnulli sunt adversus opus meum, inscriptum *La Quaresima Appellante*. Sed nugas istas in præfatione ad idem opus deridendas propinavi. Dicimus, morum regulas ad tricas scholasticas non esse revocandas; sed ipsum naturæ lumen, & intimum animæ sensum, fidei lumine perfusum, & Scripturarum, Patrumque doctrina imbutum, consulendum. Quandoquidem interdum præiudicia domo delata, partium studia, scholarum anticipationes aliquando ita quorumdam Casuistarum, & Scholasticorum mentem obnubilant, ut eas opinationes in medium proferant quæ ipsius animæ idioticæ iudicio paradoxa formidanda videantur. In semitam a diverticulo revertamur.

XXIII. Adversæ sententiæ argumenta iam ex Salmanticensibus supra indicavi; quæ ad quatuor capita revocantur. 1. ad auctoritatem S. Thomæ. 2. ad Auctorum multitudinem. 3. quod sententia nostra onus admodum grave imponat. 4. quod hæc sententia scrupulis, & angustiis animas torqueat. Obiter hæc ibidem dilui, nunc paucis iterum patefaciam, quam vana, quam arbitraria, & patenter falsa sint quæ adversarii obtrudunt. De duobus primis nihil adiiciam. S. Thomam nullo modo adversariis favere, sed a nobis stare, palam feci. Ad Auctorum multitudinem quod attinet, iterum dico, Albertum Magnum, Bonaventuram, Antoninum falso a parte contraria laudari. Ceteris vero Casuistis, etiamsi sexcenti, nedum triginta essent, unius Catechismi Tridentini auctoritas prævalet, atque illorum auctoritatem penitus elidit, & labefactat, ita ut nullo modo in praxi probabilis dici ea opinio possit. Duo ultima, quæ obiiciuntur, a loco topico Probabilismi repetita, pleno in lumine colloco, ne quidquam dissimulare videar.

XXIV. Opponunt itaque 3. Salmanticenses. Manifestatio circumstantiarum intra eamdem speciem iugum est admodum durum, & sævum, quod imponendum non est, nisi certo constet de lege. Lex autem non constat; cum videamus gravissimos, & plurimos Scriptores oppositum docere. Præterea, si lex adesset, illam explicuisset, aut allegasset Concilium Tridentinum: quod non fecit. Resp. Legem indicasse Tridentinum, eamque perspicue declarasse eiusdem Catechismum; iam ostendi. Ad multitudinem Auctorum quod attinet, similiter responsum est. Auctores qui reipsa hanc opinionem docent, nullius sunt auctoritatis, si cum

præ-

præfato Catechismo, & Theologis qui nostram propugnant sententiam, comparentur. Quid quod ætate nostra omnes graviores Theologi, a quibus citandis supersedeo brevitatis caussa, nostram docent sententiam?

XXV. Opponunt 4. Augmentum malitiæ non modo ex obiecto, sed etiam ex intensione, continuatione, & delectatione, cognitione, & libertate actus proficiscitur. Pœnitens itaque expendere, & ad trutinam revocare deberet gradum intensionis, delectationis, libertatis, & cognitionis malitiæ: & ecce scaturiginem apertam scrupulorum, anxietatum, turbationum, angustiarum in his discernendis. Quis enim, non dico idiotarum, sed neque sapientum definire gradum intensionis, continuationis, & delectationis audebit?

XXVI. Resp. Hæc spectra tetris coloribus depingere, altius exaggerare, & augere minime erubescunt adversarii, ut invidiam sanæ doctrinæ conflent, & horrorem. Uno verbo dico, puras putasque chimæras has esse, ad desperatam caussam tuendam confictas. Quis Theologorum qui nostram propugnant sententiam, asseruit, intensionem delectationis, libertatis, cognitionis &c. circumstantias communiter esse necessario manifestandas, nisi in actus externos erumpant, unde certo dignosci valeat mortalis accessio malitiæ? Bona fide oranda caussa est. Quia nos gradus intensionis, delectationis, libertatis &c. actuum latent; quia istorum malitia humanæ mentis aciem etiam doctiorum, nedum idiotarum fugit: ideo ne occultandæ sunt circumstantiæ mortaliter aggravantes, quarum malitia sensibus ipsis obvia est? Manifesta falsitas est, sententiam nostram scrupulis, perplexitatibus, & angustiis conscientias torquere. Quoniam omnes uno ore fatemur, illas dumtaxat circumstantias confitendas esse quarum letalis malitia nobis nota est, & verbis eam exprimere valemus. Ubi ergo illa scrupulorum scaturigo? Ubi iugum illud truculentum, horridum, sævum, quod imponimus? Hæc ne sincera & simplex disputandi ratio?

XXVII. Sed, ut ad ultimas angustias adversarios redigam, quæro: cur latro qui mille aureos, aut centum mille, aut centum, aut quinquaginta furatus est, aut concupivit furari, exprimere non debet? Quænam occultationis caussa? Quia non adest lex ad id urgens. Hoc est in quæstione. Immo legem adesse natura ipsa testatur. Cur manifestare ille non debet, se uno actu occidisse, aut concupiisse occidere decem homines, fornicari cum decem feminis &c? Cur, si quis amavit feminam, odio habuit proximum per diem integrum, per hebdomadam, per mensem: cur, inquam, hæc omnia manifestare non debet? Ubi in hac manifestatione scrupulorum, anxietudinum, angustiarum spectra, quæ finguntur in veritatis detrimentum?

XXVIII. Ex his omnibus patet, opinionem negantem debitum manifestandi circumstantias mortaliter aggravantes, esse purum putumque commentum metaphy-

physicum, ut *par.VI. de pœnit.* inquit Melchior Cano. Missis ergo tricis metaphysicis, & ineptis speculationibus, confessio sacramentalis sit sincera & simplex; & eas circumstantias quisque manifestet quas bono præditus sensu cognoscit mortaliter aggravantes. In ipso foro civili de furti gravitate inquiritur, ut pro rei surreptæ quantitate congrua pœna imponatur. Et Confessarius scire debet quantitatem furti, ut pœnitentiam convenientem præscribat. AEqualem pœnitentiam imponet ne & latrunculo unius aurei, & latroni qui centum, qui mille aureos surripuit? Sed quid ultra absurda, & paradoxa huiusce opinionis urgemus, cum undique prostrata sit & contrita?

XXIX. Oppones 5. Eccur in hac gravi caussa solos Salmanticenses tum scholasticos, tum morales refellendos suscepisti, cum sint de Schola Thomistica optime meriti, & insignes S. Thomæ interpretes? Resp. Quia istos præ ceteris magni facio. Quia istorum auctoritas prævalet aliis. Quia cum Theologi adeo acuti & celebres nihil solidi excogitare potuerint, ut afflictam caussam propugnarent, heinc patet, opinionem negantem debitum manifestandi circumstantias mortaliter aggravantes esse penitus falsam & improbabilem.

XXX. Oblitus fui resolvere aliam Salmanticensium obiectiunculam, quæ hæc est. Non tenetur quis manifestare circumstantias minuentes malitiam: ergo neque aggravantes. Argutatio digna erat oblivione. Quis Theologorum dicere ausus fuerit, nos non teneri ad manifestandas circumstantias notabiliter minuentes malitiam mortalem, sive quæ efficiunt aut ne peccatum sit mortale, aut ne peccatum mortale non habeat novam malitiam mortalem? Nisi hæc manifestentur, Confessarius deciperetur in re gravi. Hæc obiectio confirmat quæ dixi, adversam opinionem carere probabili fundamento.

CAPUT VII.

De ceteris circumstantiis.

I. DE circumstantia *Quid*. Ad hanc circumstantiam revocatur quantitas, & qualitas peccati, & persona in quam peccatur. Disputant iuniores, aperienda ne sit persona de qua quis morose delectatur, quæ manifestanda esset, si opus accessisset. Opinionem negantem defendit Vasquez, cui subscribunt Reginaldus, Sayrus, & alii. Adfirmantem defendit Lugo cum aliis.

II. P. Dominicus Viva *quæst.* v. *art.* 4. *num.* 3. inquit: „ Equidem censeo utram„ que opinionem esse probabilem, primam tamen esse probabiliorem. “ En Probabilismum, verum & falsum æqualiter comprehendentem. Utramque probabilem censet P. Viva; sed primam iudicat probabiliorem. Si quis veneree delecta-

tur

tur morose cum matre, cum sorore, cum filia, cum moniali, *probabilius* iuxta P. Viva est quod non tenearis fateri circumstantiam personæ. Hæc sunt verba P. Viva. „ Quare satis est in confessione dicere: Toties morose delectatus sum „ de copula illicita, non explicando, an cum nupta, vel cum moniali, consan- „ guinea &c. vel toties morose delectatus sum de occisione hominum, non ex- „ plicando, an sit circa patrem, vel Sacerdotem, vel inimicum, aut alterius „ conditionis."

III. Hanc opinionem, quam P. Viva iudicat probabiliorem, ego reiicio ut laxiorem, falsam, & improbabilem. Sensus communis eam execratur. Multas alias quæstiunculas de hac morosa delectatione instituunt Viva, La-Croix, & alii, quas prætereundas duco, quod legentium mentem inquinent. Intimus naturæ instinctus hæc peccata detestanda, & patefacienda, si perpetrentur, dictat.

IV. P. Claudius La-Croix *Lib. VI. part.* II. *num.* 1030. inquit: „ Qui sine ullo „ desiderio personam *venerce* aspicit, non tenetur dicere (in confessione) qualis „ persona fuerit."

V. Idem P. La-Croix *ibidem num.* 1031. „ Qui sine desiderio veneree attigit puel- „ lam, secundum Dianam . . satisfacit dicendo se toties attigisse turpiter, nihil di- „ cendo de partibus in quibus attigit. "Subdit: „ Alii *probabiliter* dicunt exprimen- „ dum, si partem turpem attigerit. "Relinquit lectori, ut eligat quod sibi probabiliter, & commode cadit, quin de more suum iudicium proferat. Eccur non est exprimendum, *veneree* aspexisse matrem, filiam, sororem, monialem? Cur exprimere ille non debet, an manum veneree, an mamillas, an genas, an verenda tetigerit? Quænam reticentiæ ratio? An Rigorismum sapit hæc simplex narratio tactus talis, qualis fuit? Sed ultra pergamus.

VI. Idem P. La-Croix *ibidem num.* 1040. „ Qui fornicatus est cum tribus diver- „ sis, vel ter cum una, satisfacit dicendo, se ter fornicatum, nec tenetur dice- „ re, an fuerit una, vel plures, an fuerint meretrices, an aliæ, dummodo non „ sit cooperatus ad impediendam generationem. Bonacina, Tamburinus." Si ter peccat cum eadem, potest esse consuetudo peccandi. Sed hanc per se non tenetur fornicator manifestare, inquiunt Probabilistæ. At si sunt tres feminæ diversæ, sunt tria scandala diversa. Sed cur fornicator exprimere non debet has tres personas? Quia iugum suave est, & non debet aggravari, inquiunt. Ita ne vero? Hæc opinio falsa est, & improbabilis.

VII. Idem P. La-Croix *ibidem num.* 1041. „ Si Sacerdos fornicetur cum filia con- „ fessionis, S. Th. Sot. Sanch. & alii gravissimi Auctores, quos refert, & sequi- „ tur Aversa *quæst.* XVI. *l.* 14. adhuc dicunt contrahi novam speciem malitiæ: „ quia ius canonicum vocat quoddam adulterium, vel incestum; & reipsa vide- „ tur esse species irreverentiæ & sacrilegii in sacramentum. E contra esse sim-

„ pli-

„ plicem fornicationem, *ac posse taceri*, *quod fuerit filia confessionis*, docent Le- „ desm. Vasq. Sa, Bonac. Filliuc. I. San. Pontius. P. Hurr. Ochag. Dic. Tamb. „ Dian. Lugo: quia ex confessione nulla oritur cognatio spiritualis, uti certum „ est, nec apparet, cur censeatur fieri irreverentia sacramento iam praeterito; „ cum peccatum non habeat respectum ad illud. *Utraque sententia est probabilis.* „ *Prima est conformior iuri canonico. Sed secunda videtur ex ratione probabilior.*"

VIII. Intellexistin'? Utraque probabilis. Elige quae tibi commode cadit. Secunda commodior, & probabilior, inquit P. La-Croix, ex ratione. Prima conformior iuri canonico? Secunda conformior rationi? Quid? Pontifices ergo, & Patres iuris canonici conditores ex arbitrio, ex auctoritate, non ex ratione regulas conscientiae condunt? Melius ergo rationem comprehenderunt Tamburinus, Diana, Lugo, Filliucius, quam Pontifices, & Patres? Doctrina conformior est iuri canonico; sed iuxta Casuistas est probabilior. Et Probabilistarum plures nobis succensent, si dixerimus, hunc modum opinandi improbandum esse? Dico igitur, opinionem quam P. La-Croix probabiliorem appellat, esse laxiorem, falsam, & improbabilem. Episcopi communiter hunc casum sibi reservant. Ergo iuxta communem Ecclesiae sensum praefata opinio improbabilis est. Quid quod sapientissimus Pontifex BENEDICTUS XIV. abstulit auctoritatem Confessariis absolvendi ab hoc crimine, sibique eam reservavit? ut infra dicetur.

IX. De Lugo *de poenit. disp.* XVI. *sec.* 3. *num.* 142. „ De circumstantia sollicitantis feminam ad fornicationem, an sit explicanda; an vero sufficiat fateri fornicationem, *placet* quod cum aliis docet Vasquez, non esse explicandam illam circumstantiam: quia illa malitia habetur, licet non ita gravis, quando aliquis non sollicitat: adhuc enim participat cum illa in suo peccato, & est causa cooperationis ad eius ruinam." Haec opinio falsa, laxa, & improbabilis est. Qui feminam sollicitat ad fornicandum, peccat sollicitando contra caritatem. Qui cum femina consentiente fornicatur, peccat contra sextum praeceptum. Plura ibi, & alibi laxiora De-Lugo docet: quod ideo dico, ut caute, & cum attentione legatur.

X. P. Dominicus Viva *quaest.* V. *art.* 4. *num.* 10. „ Si quis alium sollicitavit, & „ peccatum non est secutum, debet id in confessione explicari: si tamen peccatum est secutum, putat *probabiliter* De Lugo, & Tamburinus contra Sanch. „ & Bonac. non esse explicandum, quod primus invitaveris, quia quamvis graviter peccaveris invitando, adhuc tamen es particeps peccati illius, etiamsi non „ invitaveris." Addit tamen probabiliorem videri opinionem contrariam. Sed, cum iuxta ipsos tuta sit etiam opinio minus probabilis, nihil iuvat ad tollendam laxitatem, quod dicatur unam esse probabiliorem altera, quando asseritur probabilem esse praefatam opinionem Lugo, & Tamburini.

XL

XI. Blasphemiæ contra Deum, B. Virginem, & Sanctos explicandæ sunt in confessione, quidquid dicant Azorius, Tamburinus, & Viva.

XII. P. Dominicus Viva *quæst.* v. *art.* 4. *num.* 7. „ Quando quis odit proximum „ desiderando illi infamiam, mortem, paupertatem, aut aliud malum, *probabile* „ est huiusmodi mala non esse in confessione explicanda, sed satis esse, si pœnitens dicat, se toties graviter odisse proximum. Ita Leander, Lugo, Valentia, „ Bonacina."

XIII. Hæc opinio falsa, laxa, & improbabilis est. Eccur non sunt explicandæ hæ circumstantiæ? Quia reticentia commodior est. Alia assignari ratio non potest.

XIV. P. Dominicus Viva *ibidem num.* 9. „ Qui sodomiam exercet, probabilius „ explicare debet, fuerit ne agens, an patiens, quia agens committit etiam pol- „ lutionem. *Verum* Diana ex Alphonso de Leone putat non esse hoc explican- „ dum, *sicut nec si cum mare, an cum femina.*" Hanc laxam Dianæ opinionem non refellit P. Viva, sed solum dicit contrariam opinionem esse probabiliorem. Et Probabilista beneficio Probabilismi eliget minus probabilem.

XV. Plurima alia dicenda forent de hac circumstantia *quid*; sed patent ex aliis tractatibus. Ob oculos tantum ponam thesim 25. damnatam ab Alexandro VII. *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto, dicens: Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.* Hæc damnata thesis legitimus fetus est opinionis negantis necessitatem confitendi circumstantias aggravantes intra eamdem speciem. Quoniam, argumentatur auctor thesis Caramuel, copula exterior non addit malitiam specie diversam; sed solum est circumstantia intra eamdem speciem. Ergo si circumstantiæ aggravantes non sunt confitendæ, neque copula. Plures excogitarunt distinctiunculas, quibus a damnatione huius thesis subducerent opinionem negantem debitum manifestandi circumstantias aggravantes. Dicit P. Viva in *trut. num.* 5. in hanc thesim, esse confitenda peccata secundum numerum, & patefaciendum præter internum, etiam externum actum, eo quod copula pertineat ad *individuationem* numeri. Bene habet. Sed etiam quantitas centum aureorum *individuat* furtum. Cur ergo non est manifestanda? Plura dicere possem; sed satis sit admonuisse lectorem de hac thesi.

XVI. De circumstantia *Ubi*. Hæc locum indicat, mutatque speciem, ut si quis in loco sacro effundat sanguinem humanum, fornicetur, polluatur, furetur, violetque immunitatem ecclesiasticam. Qui in loco sacro furatur rem sacram, sacrilegium duplici titulo perpetrat, ratione & rei sacræ, & loci sacri. P. Viva ex Fagundez, & Diana monet lectorem, sat esse, si dicat in confessione, Commisi furtum sacrilegum. Ego moneo hanc opinionem falsam esse: quia est duplex mortalis malitia, licet contra eamdem virtutem religionis. Qui furatur in loco sacro rem profanam, puta crumenam a divite orante, sacrilegium perpetrat, ut con-

communiter Auctores docent. P. Viva tamen de more advertit, *De Lugo*, *Lessium*, *Henriquez*, *probabiliter* putare, non esse sacrilegium, nisi quando res posita est in Ecclesia ratione custodiæ, vel securitatis; aut si sit Ecclesiæ commodata. Sed commentum hoc arbitrarium est, communi Canonistarum, & graviorum Theologorum sententiæ contrarium.

XVII. P. Claudius La-Croix *Lib. VI. part.* II. *num.* 1090. narrat utramque opinionem: & introducit Dicastillum, qui agnoscit *parem fere in utraque sententia probabilitatem*; attamen magis in primam inclinat. Verum sola prima vera, & probabilis; falsa altera, & improbabilis.

XVIII. Homicidium perpetratum in Ecclesia etiam sine sanguinis effusione sacrilegium est. Qui in Ecclesia existens occidit alterum extra Ecclesiam, sacrilegus est; quidquid in oppositum P. Viva ex Leandro, & Fagundez dicat. Similiter sacrilegus est qui extra Ecclesiam existens occidit telo alium intra Ecclesiam extantem. Qui alium percutit enormiter cum effusione sanguinis, sacrilegium committit. Requiritur tamen, inquit P. Viva, cum Suarez, ut effusio sanguinis sit magna: quia effusio *copiosum fluxum significat*. Vulnus etiam mortale pugione inflictum paucas guttas sanguinis emittit. Hic ergo qui pugione enormiter ferit in Ecclesia, non erit sacrilegus? Sed quænam erit istius magnæ effusionis mensura? Etiam *P. La-Croix num.* 1016. cum *Lugo*, *Stoz*, *Tamburino*, & aliis docet, non sufficere aliquas guttas effluere. Sed has opinationes ut falsas reiicio. Ad sacrilegium sat est enormis percussio, accedente sanguinis effusione. Immo addo, non modo sacrilegum esse qui percutit cum sanguinis effusione, per quam polluitur Ecclesia; sed etiam illum qui enormiter laicum percutit, illosque qui publicas pugnas peragunt in Ecclesia: quia locum sacrum inhonorant, & gravissimam irreverentiam irrogant, ut ex se constat.

XIX. Circa effusionem seminis, Vasquez, Diana, & alii, quos refert *P. La-Croix*, pollutionem in Ecclesia occulte factam negant esse sacrilegium. Sed hæc opinio nulla prædita est probabilitate. Ipse *P. La-Croix* oppositam, quam defendunt *Suarez*, *Sanchez*, *Lugo*, *Bonacina*, *Dicastillo*, iudicat esse probabiliorem. Sacrilegium ergo perpetrat qui pollutionem voluntariam in Ecclesia exercet sive privatim, sive publice. Persequitur suam historicam casuum narrationem P. La-Croix. Quod dictum est, inquit, de pollutione, dicunt Auctores secundæ sententiæ contra Auctores primæ, etiam de copula illicita occulta in loco sacro commissa. Nihil Auctor iste opponit contra tam laxam opinionem Vasquez, & Dianæ, qui liberant ipsam fornicationem in Ecclesia occulte peractam a circumstantia sacrilegii. Narrat similiter idem La-Croix, Vasquez, & Sa defendere, copulam coniugalem non esse sacrilegam in loco sacro exercitam. Quæ opinio falsa est. Si, necessitate urgente, diu manere in Ecclesia coniuges deberent, tum copula

ad

ad evitandam incontinentiam a ſacrilegio immunis eſſet. Fatetur & ipſe *La-Croix*, talem copulam probabilius non eſſe ſacrilegam interveniente neceſſaria vitandæ incontinentiæ cauſſa.

XX. P. La-Croix *Lib. VI. part.* II. *num.* 1072. „ Probabile eſt quidem quod oſcula, tactus, aſpectus, turpiloquia, *etiam publice facta in loco ſacro*, non habeant rationem ſacrilegii; ideoque opus non ſit dicere eſſe ibi facta, uti tenent Sanchez, Averſa, & alii cum Diana." Hæc opinio intimo meo ſenſui horrorem ingerit. Puſillum, & meticuloſum Probabiliſtæ citati me dicturi forſitan erunt. Eſto. At unde colligunt oſculari feminas, earum mamillas tangere, aliaſque partes, *etiam publice* in Eccleſia, non eſſe ſacrilegium? Ego dico eſſe ſacrilegium, & quidem ſcandali plenum. An hic cum Tertulliano appellandum non eſt ad tribunal animæ idioticæ, ut in talem opinionem iudicium dicat? Tum ſolum, ſubdit *P. La-Croix*, committeretur ſacrilegium, quando *quis meretricem ante altare publice impudice tangeret*; ſi quis *turpem comœdiam in templo exhiberet*. Si igitur poſt altare, vel longius ab altari in medio Eccleſiæ meretricem, aliamve feminam impudice quis tangeret *publice*, liber eſſet a ſacrilegio; non deberet exprimere, ſe id peregiſſe in loco ſacro? An hæc ſint paradoxa, communi ſenſui repugnantia, aliorum eſto iudicium. Imbecillitati meæ talia apparent. Plura alia recenſere poſſem, quæ prætereo.

XXI. De circumſtantia *Quibus auxiliis*. Hæc circumſtantia indicat media, ſeu conſilia, ſuaſiones, quibus aliquis utitur ad peccandum; ut ſi quis induxit filium ad occidendum patrem, quæ circumſtantia explicanda eſt; cum præter homicidium ſit parricidium. P. Viva inducit Doctores dubitantes, an debeat explicari peccati ſpecies ad quod pravo exemplo inducitur. Lugo, & Navarrus, ut ille inquit, negant, ſi ſolum indirecte malum exemplum influit in proximi ruinam. Verum *Suarez*, *Sanchez*, *Vaſquez* adfirmant abſolute explicandam eſſe hanc circumſtantiam, ſive directe, ſive indirecte quis exemplo pravo alterum inducat ad peccandum.

XXII. Quis fregit ieiunium comedendo carnes, debet ne explicare carnium eſum? Reſpondet P. Viva *probabiliter* ex Granado negative: quia fractio ieiunii, ſive fiat per duplicem comeſturam, ſive per eſum carnium, opponitur eidem virtuti. Sed cur non debet explicari fractio duplicis præcepti? Confeſſio *ſimplex* ſit oportet. Quomodo autem ſimplex, niſi ſincere peccatum narretur, ſicuti reipſa contigit? Verum de hac ſimplicitate infra.

XXIII. Circumſtantia *Cur* finem prodit propter quem quis peccat; ut ſi quis furatur adulterandi cauſſa, furtum tunc eligitur tamquam medium ad exequendum adulterium. Peccatum ex ſe veniale letale evadere poteſt propter finem pravum; ſicuti cum quis mentitur, ut feminam inducat ad for-

nicandum. Leviora sunt quæ de hac circumstantia disputari solent, idcirco illa prætereo.

XXIV. Circumstantia *Quomodo* plura includit, nempe culpæ durationem, contemptum, consuetudinem &c. Occidisti hominem. Quomodo? Post necem sævisti in cadaveris membra, dilacerasti, iecur excerpsisti &c. Hæ sunt circumstantiæ ferinæ sævitiei explicandæ. Qui furtum per vim patravit, rapinam commisit. Porro rapina infert iniuriam personæ præter furti iniustitiam.

XXV. De temporis duratione hæc docent Casuistæ laxiores. Qui per annum animum habuit *homicidandi*, non restituendi, non tenetur fateri hanc circumstantiam; sed sat est ut dicat, consensi semel in homicidium, non restitui rem alienam. Quod quis aut per diem, aut per annum iniquo animo pauperum debita, mercenariorum sanguinem, mercatorum vivum in manu retineat, perinde est? Quæ sequuntur damna, *per accidens* se habent? Modo loquimur, inquiunt, per se. Sic confessio per se erit simplex, in praxi versuta per accidens. Hoc paradoxon supra refelli.

XXVI. Plura dicenda forent de actuum interruptione. Interrumpuntur autem actus interni per voluntariam retractationem, per cessationem sive voluntariam, sive involuntariam. Quare quando animus pravus per diem, per hebdomadam, per mensem, per annum durat, vix fieri potest quin animus interrumpatur, & reviviscat, & actus multiplicentur. Difficile autem est hanc interruptionem, & multiplicationem discernere. Idcirco etiam hoc ex capite colligitur necessitas manifestandi circumstantiam aggravantem durationis temporis, ut scilicet vitentur scrupuli, & anxietudines. Manifestentur interruptiones, & repetitiones actuum, qui memoriæ occurrunt, & simul duratio temporis animo candido & sincero, prout reipsa factum accidit. Opposita via sexcentis laqueis anima iugulatur. De consuetudine peccandi dictum est supra, sicut & de ignorantia.

XXVII. Contemptus, & inobedientia adversus mandata superioris sunt circumstantiæ explicandæ in confessione. Quia aliud est peccatum violati mandati; aliud contemptio, & formalis inobedientia contra ipsum superiorem. Spectandum tamen est, num contemptus sit de re levi, aut de gravi. Quandoque etiamsi res quæ præcipitur, levis sit, contemptus potest esse gravis; & e contrario interdum res præcepta gravis erit, & contemptus levis. Quare expendendæ sunt omnes circumstantiæ.

XXVIII. Circumstantia *Quando* indicat tempus quo peccatum patratur. Peccasti die festivo. Hæc circumstantia aggravat peccati malitiam, mutatque speciem. An, & quomodo oporteat eam exprimere in confessione, vide *Tom.V. Lib.* I. *diss.* 11. *cap.* 1. Disputatur inter Auctores, num hæc accessio malitiæ sit nec

ne

ne mortalis : idcirco qui ſcrupulos evitare cupit, aſſueſcat confiteri eiuſmodi circumſtantiam. Conſule ibi dicta.

XXIX. Quid, ſi quis peccavit illo ipſo die quo Euchariſtiam ſumpſit? Negant plures talem circumſtantiam eſſe patefaciendam, Vaſquez, Henriquez, Diana, Trullenchus, quos ſequitur Leander *diſ.* VIII. *quæſt.* XLII. ubi hæc habet. „ An „ ſi aliquis aliquod peccatum commiſit in die qua Euchariſtiam ſacram ſumpſit, „ teneatur hanc temporis circumſtantiam fateri? Probabilius reſpondeo non tene- „ ri per ſe loquendo : quia alias *Sacerdos, qui quotidie celebrat, deberet in ſingu-* „ *lis peccatis explicare illam circumſtantiam Miſſæ celebratæ illo die; quod nemo fa-* „ *cit.* Sic *Homobonus, Lugo, Diana, Trullench. Vaſquez* &c. " Tranſcribo horum benigniſtarum verba, ne quis ſuſpicetur me illis imponere, ut continenter fabulantur & calumniantur nonnulli. Sacerdos qui peccat mortaliter, non tenetur fateri ſe quotidie celebraſſe; & heinc infertur, non debere Chriſtianum manifeſtare ſe peccaſſe illo ipſo die quo Euchariſtiam ſumpſit? An non eſt per ſe loquendo, & regulariter neceſſaria hæc notitia, ut ſtatus talis pœnitentis compertus ſit? Quodnam maius indicium ſacrilegam fuiſſe communionem, quam flagitium patratum illo ipſo ſanctæ communionis die?

XXX. Exponere ne oportet effectum ſcelus conſequentem? Hoc dubium proponit Leander *tract.* V. *diſp.* VIII. *quæſt.* XXV. „ An debeat explicari effectus ſubſe- „ cutus, an vero ſufficiat confiteri cauſam : v. g. an ſatis ſit in confeſſione di- „ cere, ſe letale venenum dediſſe alicui, ut moreretur; an vero neceſſe ſit adde- „ re, quod interfeciſti cum veneno? . . . Probabilius reſpondeo, ſufficere confiteri „ actionem non internam voluntatis, ſed externam, qua venenum præparaſti & „ dediſti; *quamvis non confitearis effectum, ſeu mortem ex illo ſecutam : quia in* „ *confeſſione ſolum debent neceſſario explicari peccata; ſed ille effectus, quando con-* „ *ſequitur, non eſt actu peccatum, ſed effectus peccati.* Sic Vaſquez, Granados, A- „ zor. Bonacina, Diana, Suarez, Curies, quos omnes refert, & ſequitur Lugo „ diſp. XVI. art. 3. num. 430. *ubi doctiſſime de hoc puncto agit.* "

XXXI. Occiſores itaque, præfata doctrina imbuti, non obſtringuntur dicere, *homicidavi*, ut eorum vocabulo utar; ſed ictu letali vulneravi Sempronium, *pugionavi* Paulum? Non tenentur fateri, ſe reipſa occidiſſe, mortemque ſecutam eſſe? Verum hæc ſupra confutavi : & hanc opinionem reſcripſi, quia clarius laxitatem doctrinæ prodit.

CAPUT VII.

An peccata dubia confitenda sint. Laxiores PP. La-Croix, Viva, *& aliorum Probabilistarum opiniones refelluntur.*

I. SI in qualibet fere quæstione adversus Probabilistas nobis dimicandum fuit; in hac controversia instaurandæ vires sunt. Sed primum omnium dubii peccati, de quo disputandum est, divisionem, & notionem præmittamus oportet. Dubitare tripliciter potes. 1. de ipso peccato. 2. de qualitate peccati. 3. de confessione peccati. 1. dubitas v. g. an peccaveris in hac aut illa materia, alioquin mortali. 2. scis te peccasse; sed dubitas, an peccatum sit mortale, vel veniale. 3. scis te peccasse mortaliter; sed dubitas, an confessus fueris.

II. Dubium S. Thomas describit *quæst.* XIV. *de verit. art.* 1. his verbis. *Quandoque intellectus noster non inclinatur magis ad unum quam ad aliud, vel propter defectum moventium, sicut in illis problematibus de quibus rationes non habemus: vel propter apparentem æqualitatem eorum quæ movent ad utramque partem; & ista est dubitantis dispositio, qui fluctuat inter duas partes contradictionis.* Dubium itaque proprie dictum tum est, quando intellectus inter rationes, quæ utrimque æqualiter occurrunt, tum ad affirmandum, tum ad negandum, anceps manet nulli determinatæ parti assentiendo. Hæc autem iudicii suspensio non est mera negatio, sed positiva intellectus attentio ad utrumque rationum extremum, in quorum neutro videt rationes prævalere potius pro uno quam pro altero. Hoc dubium vocant *positivum*. Alii tamen hoc ipsum dubium vocant *negativum*, propterea quod intellectus suspensus hæret, & in neutram partem iudicium fert. Sed hæc acceptio falsa, prima sola vera est. Dubium quod *negativum* communiter vocant, est, quando ex neutra parte rationes occurrunt quæ intellectum ad ratiocinandum impellant; ut si proponatur, an arenæ maris sint pares. Verum dubium istud improprium est, & larva dubii; cum sit mera nescientia & ignorantia. Exemplum prioris dubii positivi, quod unice dubii rationem habet, sit. Dubitas, an contractus sit usurarius. Consulis quatuor Doctores pios & doctos, qui asserunt esse fenebrem. Consulis alios quatuor eiusdem omnino doctrinæ, & probitatis, qui asserunt esse iustum, immunemque a fenore. Hæc sunt paria momenta probabilitatis extrinsecæ. Si occurrant æqualia rationum pondera, sunt paria momenta probabilitatis intrinsecæ. Inter hæc paria rationum momenta hæret anceps intellectus; sicuti statera seu bilanx inter æqualia pondera. In præsentia de dubio vere *negativo*, quod revera in mera ignorantia situm est, aut

aut de dubio levibus ratiunculis suscitato, quod inter scrupulos & suspiciones reijcitur, disputatio nulla. Dubium positivum, in æquali rationum pondere situm, est præsentis disputationis materia.

III. Quæst. I. *Quid dicendum de opinione docente te non teneri ad confitenda peccata certo commissa, quando dubitas, an illa confessus fueris?* Resp. P. Dominicus Viva *quæst.* 11. *art.* 2. *num.* 3. quæstionem talem proponit. „ *An qui certus est* „ *de peccato mortali commisso*, dubitat tamen positive, an illud confessus fue„ rit, ita ut habeat rationem probabilem, quod confessus fuerit, & probabiles et„ iam, *immo probabiliores rationes*, quod non fuerit confessus, teneatur illud „ confiteri? *Respondeo pariter negative cum communi Doctorum, quos citat Marti*„ *nus Perez contra Conink apud Dianam.* "

IV. Qui sunt hi Doctores? Pauci Probabilistæ, & quidem laxioris Ethices. Ne hiscere quisquam valeat, in medium adduco testimonium Collegii Salmanticensis, & quidem scholastici. PP. isti *Tom. XII. part.* 11. *tractat.* XXIV. *dub.* 6. *§.* 1. *num.* 178. *pag.* 173. hæc scribunt. „ Præmittere oportet quæ sunt faciliora, & „ communia. Huiusmodi censemus, eum qui certo scit se aliquod mortale com„ misisse, & dubitat, an illud confessus fuerit, obligari ad eius confessionem. „ Ita Navarrus, Suarez, Sanchez, Dicastillo, & alii communiter. . . . *Unde vel* „ *ipse* Caramuel, *qui in his rebus censetur aliis laxior, aut liberior, cum scivis*„ *set quosdam Iesuitas Viennæ defendisse thesim huic communi doctrinæ contra*„ *riam*, & Caramuelem *pro se allegasse, renuit palam, se excusavit*, atque asse„ ruit se aliter philosophari de dubio, aliter de peccato mortali certo commis„ so, & dubia confessione, ut videri potest in Theologia fundamentali *funda*„ *ment.* 66. *fol.* 556. *edit.* 3. *Lugd.* "

V. Ergo P. Viva imponit dupliciter lectoribus, dum ait, suam opinionem communiter Doctores defendere. Primo quia etiamsi omnes Probabilistæ eam docerent, hi non constituunt *communitatem Doctorum*. Secundo quia vel ipsi doctiores Probabilistæ communiter oppositum docent; cum vel ipse Caramuel tam laxam opinionem detestetur. Reponet P. Viva, citatos Doctores loqui de peccatis *negative* dubiis: quam opinionem & ipse defendit *num.* 9. Sed hæc distinctiuncula cavillatoria est, ut infra dicam.

VI. Ratio cur pœnitens certus de peccato patrato, & dubius de confessione; teneatur illud confiteri, evidens est, inquiunt Salmanticenses. Quoniam debito certo non satisfit per dubiam solutionem. Sed per peccatum certum contrahitur obligatio certa illud in confessione manifestandi, uti de fide est. Ergo huic certæ obligationi non satisfit per dubiam confessionem.

VII. Sophismata ex Probabilismo repetita, quæ ex Lugo, & aliis Probabilistis allegat P. Viva, vana sunt, eaque perdocte diluunt Salmanticenses; tametsi Pro-

babilismo aliquo modo faveant. Et primum adducunt propositionem damnatam ab Innocentio XI. *Probabiliter existimo iudicem posse iudicare iuxta opinionem minus probabilem*. Si usus minoris probabilitatis damnatus est in foro civili, quanto magis in foro sacro? Confirmant hanc rationem Salmanticenses ibidem *num.* 181. Si occurrant rationes æqualiter, adhuc manet dubium, & urget præceptum confitendi. *Ergo idem a fortiori dicendum est, quando, licet occurrat motivum probabiliter suadens hominem fuisse confessum peccatum de cuius confessione dubitat, adest tamen aliud longe probabilius, quod dictet oppositum. Patet consequentia. Nam si motivum probabile excusans vincitur per aliud motivum oppositum accusans, æqualiter probabile, ita ut perseveret dubium, & obligatio confitendi, multo magis superabitur per motivum longe probabilius.*

VIII. Volui, non meis, sed ipsorum Salmanticensium verbis ostendere laxitatem opinionis P. Viva, ne quisquam suspicari ausit, a me aliquid per exaggerationem dici adversus Auctores quos refello. Errare possum; sed extremam adhibere præsertim in hoc puncto diligentiam soleo, ne errem. Non mihi latet, ex immensa fodina Probabilismi erui distinctiunculas posse ad obscurandam veritatem hanc evidentissimam; sed eas omnes contemno ut ineptas. Laxam opinionem P. Viva docet etiam P. La-Croix *Lib. VI. part.* 11. *num.* 602. & pro eadem citat *Gobat*, *Stoz*, *Bosco*, & plures alios similes Doctores. Si istorum Doctorum convulsa sophismata videre cupis, lege Salmanticenses *loc. cit.*

IX. Quæst. II. *Utrum qui positive dubitat, an peccatum commiserit, ita ut rationes probabiles habeat, quod non peccaverit, quamvis æque probabiles, immo forte probabiliores habeat rationes quod peccaverit, teneatur peccatum illud confiteri?* Resp. Totidem verbis proponit hanc quæstionem P. Dominicus Viva *loc. cit. num.* 2. & hanc perhibet resolutionem. *Respondeo cum communi Doctorum negative*. Cum communi Doctorum? Sunt vero hi Doctores ad summum soli Probabilistæ. Soli ergo Probabilistæ conflant communitatem Doctorum? Certum est omnes inclytæ nationis Gallicæ, omnes integrarum Religionum Dominicanæ, & Augustianæ Theologos, item celebriores Iesuitas, & cuiuscumque instituti doctissimos viros docere oppositum, & acriter improbare opinationem horum Probabilistarum. At isti non sunt Doctores? Quæ ergo est ista communitas Doctorum quos citat P. Viva? Sunt ne Sanchez, Alcozer, Bizozer, Burghaber, Kazemberger, Stoz, Gormaz, Escobar, Busembau, Castropalaus, Caramuel, Tamburinus, Diana, Pasqualigus, Bonacina, Leander, La-Croix, La Cruz, Lopez, Zanardi, & alii similes? Quando hi defendunt aliquam opinionem, P. Viva ait: *Ita communiter Doctores*. Tot Parochi, tot Confessarii minus periti, & fide bona pro certo habentes eiusmodi libros veritatem, saltem ad factum quod attinet, narrare, dum legunt, *Ita communiter Doctores docent*, credunt communiter

ter & Doctores, & Theologos Ecclesiæ id docere; atque adeo clausis oculis opiniones adoptant.

X. Hæc opinio P. Viva communiter defenditur a Probabilistis. Si vellem eamdem refellere, deberem confutare ipsum Probabilismum. Hoc autem integro *Tom. II. Apparat.* præsto. Illud nunc obiter dico, præfatam opinionem probabilisticam esse paradoxon adeo communi sensui repugnans, ut solum partium studium possit mentis oculos claudere, ne illud videatur. Quid? Quando intellectus suspensus hæret inter duo æqualia rationum pondera, peccaverit nec ne, tum adversariis fatentibus, ut mox dicam, tenetur confiteri peccatum dubium: quando vero accedit maius probabilitatis momentum, quod inclinat intellectum ad iudicandum se peccasse, tum liber est ab onere illud confitendi: quia Probabilismi vis impellit intellectum ad reflectendum, & media reflexione dispellit omnes dubiorum nubes?

XI. Hæc disputatio de obligatione confitendi peccata dubia, admisso Probabilismo, superflua est. Vix enim umquam iuxta Probabilistas occurrit peccatum dubium. Quandoquidem dubium negativum est mera nescientia, seu ignorantia: & de hoc dubio nulla disputatio, ut dixi. Si dubium sit positivum, tum occurrunt ex utraque parte oppositæ rationes dubitandi: & hoc in casu dicunt Probabilistæ, quod, licet rationes probabiliores ostendant peccatum patratum fuisse, tamen si pro parte opposita occurrant rationes minus probabiles, tum per iudicium reflexum deponitur dubium, & formatur dictamen practicum de peccato non commisso; quamvis iuxta iudicium directum probabilius sit fuisse commissum. Sed, misso inani commento, doctrina communis antiquorum exponi debet.

XII. Quæst. III. *An peccatum mortale dubium debeat confiteri ut dubium?* Resp. Affirmant omnes antiqui Theologi, & viri sancti. Angelicus Doctor in *IV. dist.* XXI. *art.* 3. *ad* 3. hæc docet. *Dicendum, quod quando aliquis dubitat de aliquo peccato, an sit mortale, tenetur illud confiteri dubitatione manifestata: quia qui aliquid committit, vel omittit, in quo dubitat esse mortale peccatum, peccat mortaliter discrimini se committens. Et similiter periculo se committit qui de hoc quod dubitat esse mortale, negligit confiteri. Non tamen tenetur asserere illud esse mortale, sed cum dubitatione loqui, & iudicium Sacerdotis expectare, cuius est discernere inter lepram & lepram.*

XIII. Salmanticenses tam morales, quam scholastici, qui ultimi fuso calamo versant controversiam, testantur hanc sententiam esse communem omnium Theologorum, etiam ipsorum Probabilistarum. Videatur Sanchez, inquiunt *loc. cit. §.* 2. *num.* 184. referens quadraginta Doctores, *dicens rem esse certissimam.* Diana, subdunt, qui cuncta probabilia sustinere solet, *oppositam censet improba-*

bi-

bilem. Leander etiam, pergunt, in eligendis *sententiis minime scrupulosus*, dicit esse certissimam. Dicastillo observat hunc videri communem Ecclesiæ sensum, & Prado hunc esse totius Ecclesiæ usum.

XIV. Pro contraria opinione referunt iidem Salmanticenses Caramuelem laxioris Ethices facile principem, Ferrentinum, Verde, Martinonium Tyrsum. Hi pauci, sane laxones, ausi sunt adversus communem in Ecclesia doctrinam cervicem erigere, & calamum acuere.

XV. Quamquam communiter omnes Probabilistæ, ut constat ex testimonio Salmanticensium, defendant communem Ecclesiæ doctrinam; istorum tamen plures illam implicant & eludunt Probabilismi fucis. Explicandum itaque est, in quo omnes conveniunt, & in quo dissentiunt. Notionem dubii Probabilistarum plures cavillantur. Quando intellectus omnino anceps, & suspensus hæret, ita ut nequeat ob æqualia rationum pondera in alterutram declinare partem, tum dicunt intellectum dubitare: & hoc dubium appellant *negativum*. Et in hoc communiter omnes conveniunt, quod Christianus hoc modo dubitans se peccasse mortaliter, teneatur peccatum confiteri: quia tum dubium deponere nequit. Si vero probabilior ratio evincat peccatum esse commissum, & simul e contrario appareat ratio, minus licet probabilis, tum vocant dubium positivum directum: & in hoc casu plures Probabilistæ docent, vi Probabilismi reflexi deponi dubium posse, & cessare obligationem peccati confitendi.

XVI. Laudati Salmanticenses scholastici *loc. cit. num.* 193. hunc secundum modum, tametsi Probabilismo Salmanticæ orto non infensi, improbant tamquam inane commentum. Hæc sunt illorum verba. „ Dubium de quo agimus, non „ est negativum, sed positivum, fundatum in motivis apparentibus ac pruden„ tialibus, sed relinquentibus animum in æquilibrio, eo quod sint æqualia, & „ unum aliud non superet. Ex quo patet non quamlibet probabilitatem sufficere „ re ad deponendum practice dubium de gravitate peccati, & ut homo excu„ setur ab obligatione illud confitendi. *Et inde a fortiori constat quod si dicta„ men de gravitate peccati sit probabilius quam dictamen a gravitate excusans*, „ *opus sit tale dubium confiteri*. " Quare isti Theologi in hoc puncto execrantur Probabilismum. Verum a commento Probabilismi supersedere in præsentia lubet, & a cavillationibus, quibus doctrina Ecclesiæ eluditur distinctiuncula *dubii positivi, & negativi*: & doctrinam penes ipsos Probabilistas communem explicare pergo.

XVII. P. Dominicus Viva *quæst.* 11. *artic.* 2. *num.* 6. hæc & ipse de obligatione confitendi peccata negative dubia scribit. „ Respondeo fere communissimam an„ tiquorum Doctorum sententiam fuisse, quod teneatur homo peccata *negative* „ *dubia* clavibus subiicere. Et Thomas Sanchez id *omnino* certum reputat . . . .

„ Hac

„ Hac de causa P. Matthæus Moya nostræ Societatis, qui fuit a confessionibus
„ Mariæ Annæ Hispaniarum Reginæ, in selectis quæstionibus de sacramento
„ pœnitentiæ, postquam asseruit opinionem se contrariam per triginta annos et-
„ iam in scholis docuisse *dis.* 1. *quæst.* v. hæc habet. *Nihilominus re maturius*
„ *considerata, standum censeo pro contraria & communi sententia asserente obli-*
„ *gationem peccati dubii: ad quod hoc uno efficaci argumento ducor: quia sacra-*
„ *mentum pœnitentiæ institui potuit a Christo Domino cum hac obligatione. Quod*
„ *autem instituerit, suadet communior Catholicorum sensus, & traditio a tempo-*
„ *re Apostolorum usque ad nostra continuata tempora, ratione cuius velut IN-*
„ *CONCUSSUM DOGMA præceptum confitendi peccata dubia æque ac certa non*
„ *tam probarunt, quam supposuerunt Doctores. Ut enim ait August. Lib. IV. con-*
„ *tra Donat. Quod universa tenet Ecclesia* &c. Hactenus P. Moya. His adde
„ Leandrum, ac Tamburinum ipsum, quamvis patronos in benigniores opinio-
„ nes. "

XVIII. Quis nunc vocare in disputationem audebit obligationem confitendi peccata dubia negative, si vel ipsi benigniores Probabilistæ communiter omnes fatentur esse doctrinam Ecclesiæ? Quis sibi in animum induceret, P. Dominicum Viva posse post talem confessionem in oppositum hiscere? Et tamen arrige aures,

XIX. Quæst. IV. *Quid dicendum de opinione quam docet* P. Dominicus Viva, *nempe non esse obligationem confitendi peccata negative dubia?* Resp. Continuo postquam P. Dominicus Viva fassus est obligationem confitendi peccata negative dubia, hæc quæ sequuntur, docet *num.* 7. „ His tamen non obstantibus pu-
„ to *probabilem* esse ac TUTAM opinionem contrariam asserentem, *peccata du-*
„ *bia negative* non esse materiam necessariam sacramenti pœnitentiæ, quam se-
„ quuntur plurimi Auctores apud Mendo, & Dianam, & alios . . . quos usque
„ ad viginti duos numerat Caramuel . . . Quibus adde *Lessium*, *Sa*, *Layman*,
„ *Præpos. Amicum*, *Leand. Haunoldum*, nec non *Ferrandinum de scandalo quæst.*
„ LXXVII. *ubi citat Revisores Societatis IESU* sentientes, posse NUNC in scholis
„ nostris hanc sententiam permitti, quam aperte & ex professo Con. Marchant.
„ Ioseph de Ianuario, Martinonius, & alii multi Scriptores iudicant probabilem:
„ *quamvis OLIM secundum nostras regulas permitti non poterat*; cum vix repe-
„ riretur unus Scriptor qui illam aperte tueretur, ut iidem Revisores apud
„ Tamburinum testantur. NUNC TAMEN, UT NOTAT Diana, IN DIES
„ MAGIS RADICES AGIT. "

XX. Securis ad has veneficas radices, quæ inficere communem Ecclesiæ doctrinam pertentant, ponenda est, ne, ut vaticinatur Diana, in dies magis crescat. Olim in inclyta Societate IESU vetitum erat laxam opinionem doceri in scho-

scholis; nunc publicis typis a P. Viva cuditur, ut in dies magis radices agat? Si ego talia scriberem, clamarent adversarii, me Iesuitis detrahere, imponere, calumniari. Et sane quae P. Viva scribit de sua Societate nunc annuente, defendi sententiam contra communem Ecclesiae doctrinam, quam olim vetaverat, ego publicare non auderem. Nec illa rescripsissem, nisi necessitas dedocendi imperitos urgeret. Fatetur P. Viva, doctrinam esse fere omnium antiquorum, quae docet obligationem confitendi peccata dubia negative. Fatetur, ipsos Probabilistas benigniores, ne dicam laxiores, Sanchez, Leandrum, Tamburinum defendere illam ut certam. Quid plura? Vel ipse P. Matthaeus Moya in suo opere, damnato ob coacervationem opinionum laxarum, ait, quod hanc doctrinam suadent *communior Catholicorum sensus, & traditio a tempore Apostolorum usque ad nostra continuata tempora, ratione cuius velut INCONCUSSUM DOGMA praeceptum* confitendi peccata dubia, *aeque ac certa, non tam probarunt, quam supposuerunt Doctores*. Hoc idem testantur omnes fere Theologi, & ipsi Probabilistae, immo ipse P. Viva.

XXI. Et contra Apostolorum traditionem, contra totius sacrae antiquitatis doctrinam, contra communem omnium Theologorum, & doctiorum fere omnium Probabilistarum sententiam, & contra suae ipsius Societatis diu firmatas regulas audet P. Dominicus Viva proponere christiano populo, tamquam *probabilem*, immo tamquam TUTAM, falsam, improbabilem, &, ut mitissime loquar, laxitatis plenam opinionem? Hanc invexere Caramuel, Ferentinus, Martinonius, Verde, Ianuarius laxioris Ethices patroni. Eam detestantur communiter Theologi omnes, & perillustris Societas nec in scholis olim dictari illam permisit. Sed nunc, inquit P. Viva, *in dies magis radices agit*. In quo solo, in quibus scholis, quibus agricolis, & cultoribus *radices* haec laxa opinio *agit in dies*?

XXII. Clamabunt, me haec aequo altius exaggerare: & ego repono, mihi verba deesse, quibus pro dignitate animadvertam in opinionem contrariam, ipso P. Viva ex Moya, ex Sanchez, aliisque fatente, Ecclesiae doctrinae, & communi fidelium sensui. Repeto meam sinceram, & verissimam protestationem, me videlicet non contra personam, & contra Auctorem, sed contra opinionem falsam, laxam, improbabilem, quamque manifestum errorem appellare possem, cum sit contra communem Catholicorum doctrinam, scribere. Eo unice oratio mea pertinet, ut lectores cautos efficiam in legendis his Auctoribus, immo ut a similium lectione abducam. Quoniam frequentes sunt in eiusmodi Auctoribus aberrationes, & laxae opiniones, quarum radices se amplificare velle indicant: ego, ne radices istae, quas animarum saluti exitiales, & veneficas reputo, latius grassentur, vocem extollo, & funditus eas evellere pro imbecillitate mea studeo. Si opinio P. Viva sit probabilis, & tuta, me corrigant, redarguant, increpent

pent

pent omnes, quos, ut de me optime meritos, colam suspiciamque. Si contra ego falsitatem & errorem improbo; meam sententiam foveant, animique, quo id præsto, Deo iudicium relinquant. Plusquam falso pro hac laxissima opinione citat P. Viva S. Antoninum, Tabienam, & Paludanum, quos apud Dianam de more, & apud Mendo legit. An vere citet Laymanum, & Lessium, ceteri videant. Laymanum ab hac laxitate vindicant Salmanticenses *loc. cit. num.* 195. Sed P. Viva patronos multiplicare studet, ut latius serpant radices suæ opinionis.

XXIII. P. Claudius La-Croix *Lib. VI. part.* 11. *num.* 598. fuso calamo colligit more suo omnes opiniones veras, & falsas, probabiles, improbabiles, & beneficio Probabilismi fere omnes ut probabiles proponit. *Num.* 606. adfirmat, quod communem Ecclesiæ doctrinam doceat *S. Thomas*, *Catechismus Romanus*, *aliique Auctores gravissimi*, *& prope innumeri*, *quorum* 40. *recenset & sequitur Sanchez*. Continuo tamen pro nova opinione, negante debitum confitendi peccata negative dubia, refert *Todtf*, *Stoz*, *Caramuel. Con. March.* Num. 607. rescribit brevissime rationes primæ sententiæ adfirmantis: & *num.* 608. rationes fuso calamo exponit secundæ opinationis negantis debitum confitendi peccata negative dubia. *Num.* 609. sic concludit. „ Sententia adfirmans obligationem confiten„ di mortalia negative dubia, est, *spectata auctoritate*, *probabilior*; uti patet ex „ dictis num. 607. spectatis tamen præcise rationibus intrinsecis, negans *vide*„ *tur probabilior*; *ut patebit comparanti rationes intrinsecas allatas num.* 607. *&* „ 608. “

XXIV. Audistin'? *Todtf*, *Stoz*, *Caramuel*, *Con. March.* rationes validiores, profundiores, robustiores excogitarunt, penitius rem penetrarunt quam S. Thomas, quam Patres Catechismi Romani, seu Tridentini, quam omnes antiqui Patres, quam omnes ætatis nostræ Theologi, tum Antiprobabilistæ, tum Probabilistæ. Ideo, si auctoritatem spectes, prior est probabilior: quia multitudo & gravitas Auctorum superat. Si vim & firmitatem rationum mediteris, secunda probabilior est. Unum & alterum responsum, quod præbet ad 8. & 9. argumentum prioris sententiæ, referre lubet. Fideles communi conscientiæ sensu ducti confitentur peccata dubia. Respondet. *Fideles etiam confitentur imperfectiones*, *venialia*, *& mortalia positive dubia*: *neque tamen ideo est obligatio illa confitendi*. Antiqui docent hanc obligationem. Respondet. *Antiqui plurimi non examinarunt* (sicut Todtf, & Stoz) *eam quæstionem*: *& qui eam examinarunt*, *plerique loquuntur æqualiter de positive dubiis*. Peregregie. Antiqui ergo, fatente P. La-Croix, damnant Probabilismum.

XXV. Dubio procul antiqui, & moderni Theologi, Probabilismi præiudiciis vacui, æque loquuntur de peccatis mortalibus & positive, & negative dubiis in

sensu

sensu distinctionis invectæ. Igitur iuxta hanc opinionem *Stoz*, *Todtf*, *Caramuelis*, *Martinonii*, quam intrinsecus P. La-Croix probabiliorem iudicat, fideles non tenentur confiteri neque peccata mortalia *positive dubia*, neque peccata *negative dubia*. Ergo sublatum omne debitum est confitendi omnia peccata mortalia dubia?

XXVI. Tandem P. La-Croix *num.* 10. fatetur, sententiam affirmantem obligationem confitendi peccata negative dubia, esse absolute probabiliorem. Sed quid emolumenti adfert hæc maior probabilitas, cum iuxta Probabilistas tam minor, quam maior probabilitas tuta sit? Ceteroquin P. La-Croix non refellit, ut improbabilem, opinionem negantem debitum confitendi peccata negative dubia. Ex quibus omnibus infertur, iuxta opinionem quam probabilem, immo intrinsecus probabiliorem recognoscit P. La-Croix, non esse confitenda peccata mortalia *sive positive*, *sive negative dubia*. Hæc omnia recensere volui, ut pii cordatique lectores iudicium ferant tum in methodum tractandæ christianæ Moralis, tum in benignum genium horum Auctorum relaxandi in dies vel ipsam doctrinam quam communem & antiquorum, & ipsius Ecclesiæ illi ipsi ore proprio confitentur. Hæc sola meditatio excitare tandem aliquando lectores deberet.

XXVII. Vener. Cardinalis Bellarminus, doctrinæ & sanctitatis fama celeberrimus, quem ego pluris facio quam sexcentos Casuistas similes illis quos citant PP. La-Croix, & Viva, *Lib. III. de pœnit. cap.* 1. opinionem negantem debitum confitendi peccata mortalia dubia tribuit Martino Luthero, inquiens. *Martinus Lutherus . . . serm. de pœnit. docet non esse confitenda venialia, nec omnia mortalia, sed ea tantum quæ sunt manifeste mortalia . . . Dubitari solet quid per manifesta peccata, quæ sola ad confessionem pertinere voluit, Lutherus intellexerit*. Et post varias interpretationes concludit. *Quare id solum restat ut de dubiis intellexerit; qui certe non PARVUS EST ERROR*. Ioannes Eckius, Lutheri malleus, *Lib. IX. de pœnit. cap.* XI. hanc Lutheri opinionem vocat *errorem in veritatem catholicam*. Præclarus Christi martyr Ioannes Frischerus Roffensis Episcopus in refutatione articulorum Lutheri *art.* 8. inquit: *cæcum & insanum esse qui ob unius Lutheri sententiam velit tanto discrimini se exponere, quatenus ea peccata quæ vel novit, vel dubitat esse letalia, Sacerdoti non aperiat*.

XXVIII. Quid ad hæc La-Croix, Viva, & alii? Dicturi ne erunt, Bellarminum Lutherum non valide confutasse, quia non distinxit peccata mortalia *positive*, & *negative dubia?* Verum est neque Bellarminum, neque S. Thomam, neque aliquem antiquorum similes distinctiunculas, quæ veritatem obnubilant, quæ auferunt reipsa obligationem confitendi quæcumque peccata, sive *positive*, sive *negative* dubia, adhibuisse. Sed tam Bellarminus, quam S. Thomas, & ceteri omnes simplici sermone declararunt, omnia peccata mortalia dubia esse confitenda, missis cavillatoriis distinctionibus. Exceptis scrupulosis, qui dubium pro levi

levi coniectura, aut nescientia accipere solent, vel ipsi idiotæ, bono sensu prædici, sciunt quando dubitant. Idcirco omnes antiqui ante natum Probabilismum absolute pronuntiarunt, peccata dubia esse confitenda.

XXIX. Catechismus Concilii Tridentini *Part. II. cap. v. §. 50.* paucis verbis fideles instruit in hac materia. *Ea enim*, inquit, *confessio esse debet, quæ nos tales Sacerdoti aperiat, quales nos ipsos novimus: certa pro certis, ac dubia pro dubiis demonstret.* Sic confessio est nuda, simplex, aperta. Hanc doctrinam Catechismus eruit ex Patribus, & ex Concilio Tridentino declarante obligationem confitendi omnia mortalia *quorum habetur conscientia*, seu *memoria*: qua expressione non modo certa, sed dubia quoque peccata comprehenduntur. Qui enim dubitat se peccasse mortaliter, conscientiam eiusdem habet, & etiam memoriam.

XXX. Paucis indicantur rationum momenta. I. In dubiis tutior pars est eligenda, ut omnia iura clamant. Nec regula ista consilii est, ut Probabilistæ cavillantur, sed præcepti. II. Tempore mortis confitenda sunt peccata dubia, ut fatentur ipsi Benignistæ: ergo etiam in vitæ cursu; nisi dicere velint aliam *pro nunc*, aliam *pro tunc* esse christianam Theologiam. III. A condita evangelica lege obtinet lex confitendi omnia mortalia: ergo lex est in possessione. IV. Lex favorabilis amplificari debet. Eiusmodi est confessionis lex: ergo includit peccata dubia. V. Qui dubitat, commiserit ne homicidium, contrahit irregularitatem. Qui dubitat, sit ne baptizatus, debet sub conditione baptizari. Ergo qui dubitat, num peccaverit, tenetur confiteri. VI. Consuetudo Christianorum obtinet dubia peccata confitendi. Hæc sola fidelium praxis dissipat omnia casuistica sophismata. VII. Traditio apostolica ad hæc usque tempora continuata confirmat hanc veritatem, ut vel ipse P. Moya fatetur.

Diluuntur sophismata casuistica.

XXXI. Primi qui post *Martinum Lutherum* suscitarunt contrariam opinionem, quam *non parvum errorem* Ven. Bellarminus appellat, fuerunt Caramuel, Henriquez, Conink, Martinonius, Marchantius, quos potius quam Eminentissimum Bellarminum, quam Catechismum Romanum, S. Thomam, & universam antiquitatem, & istius ætatis communem doctrinam, sequi maluit *P. Viva*, cui accedit, sin in totum, saltem in partem *La-Croix*.

XXXII. Opponunt 1. In dubio melior est conditio possidentis libertatem, & innocentiam. Resp. Conscientia renascitur subiecta legi, quæ prius possidet. Axioma istud, quo passim abutuntur Probabilistæ, obtinet solum in materia possessionis agrorum. Axioma istud non obtinet tempore mortis: ergo neque in vitæ decursu.

XXXIII.

XXXIII. Opponunt 2. Obligatio non est certior fundamento cui innititur. Fundamentum confitendi peccata dubia est dubium. Ergo dubia obligatio. Resp. Argutatio hæc puerilis & cavillatoria est. Fundamentum confitendi peccata dubia non est dubium, sed certum. Aliud est, quod peccatum sit dubium; & aliud, quod lex sit dubia. Lex confessionis est certa de fide: & hæc lex certissima confitendi comprehendit tam certa, quam dubia peccata mortalia. Ergo argutatio a peccato dubio ad legem dubiam ineptissima est.

XXXIV. Opponunt 3. In iudicio forensi non admittitur accusatio dubia: ergo neque admitti in iudicio sacramentali debet. Resp. Futilis est paritas ista. Peccata occulta, sive interna, sive externa, non sunt materia iudicii forensis. Ergo neque iudicii sacramentalis? Hæ sunt iuniorum quorumdam argutationes. Iudicium forense in sontis accusatione spectat condemnationem, & supplicia accusati. Hæc autem infligi iure nequeunt, nisi certæ & indubitatæ præcedant probationes. Iudicium sacramentale fit in rei commodum, & absolutionem. Sic potius argumentari debuissent. In iudicio super infirmitate corporis sanandi exponuntur morbi dubii. Ergo in iudicio spirituali iustificandæ animæ manifestari peccata dubia debent. Iudicium sacramentale quantum ad aliqua, secus quantum ad omnia, imitatur iudicium forense.

XXXV. Nulla est obligatio confitendi votum dubium: ergo neque peccatum dubium. Resp. Nego antecedens. Quando ergo urgent æqualia, & gravia rationum pondera de voto emisso, vel non emisso, eadem fere controversia est, ac de peccato dubio commisso, vel non commisso. Addo, etiamsi concederetur non urgere legem implendi voti dubii, non inde inferri iure posset, non urgere legem confitendi peccata dubia. Lex confessionis universalis est a Christo Domino instituta, cui Christiani baptizati subiecti omnes sunt. Votum personale est ab ipso vovente editum. Quare dici posset, non esse præsumendum, aliquem se voluisse peculiari lege obstringere, nisi certo id constet. Similiter in casu reservato dubio recurrendum est ad superiorem; quidquid dicat P. Viva cum aliis.

XXXVI. Opponit 4. P. Dominicus Viva *quæst.31. art.2. num.7.* „ Neque dicas praxim Ecclesiæ, & consensum Doctorum per sexdecim sæcula uniformiter existimantium institutum esse a Christo Domino sacramentum pœnitentiæ cum obligatione confitendi peccata dubia, reddere nos certos de tali lege, & institutione. „ Nam quamvis VERUM SIT quod usque ad præteritum sæculum VIX UNUS AUCTOR reperiatur qui aperte NOS deobliget a confitendis peccatis negative dubiis; at non inde id ortum est, quia in sententiam obligantem omnes Scriptores calamo iverint, sed quia ab ea quæstione abstinuerunt. Cum autem NUNC in terminis agitetur, & plurimi sententiam deobligantem sequantur, hæc reddita est PROBABILIS. “

XXXVII.

XXXVII. Magna, immo maxima, opus patientia est, qua cohibeatur zelus. Confitetur P. Viva, vix UNUM ante præteritum sæculum *nos deobligasse* a confitendis peccatis dubiis. Exemit ab hoc onere Christianos ante duo & amplius sæcula Martinus Lutherus: quod non parvum errorem Bellarminus vocat. Hunc non parvum errorem suscitarunt, elapso scilicet sæculo, Henriquez, Caramuel, Martinonius, quos secuti sunt *Todtf*, *Stoz*, *Viva*. Unanimis consensus Doctorum per septemdecim sæcula, traditio Apostolorum, praxis fidelium non efficiunt sententiam certam? Caramuel, Martinonius, Henriquez, Ferrentinus, Todtf, Stoz, La-Croix, Viva, & alii pauci laxiores Casuistæ elidere valent certitudinem sententiæ quam veluti *inconcussum dogma* appellat vel ipse Moya, Benignismi facile post Caramuelem princeps?

XXXVIII. Hæ sunt argutationes quas *P. Claudius La-Croix* tanti facere non dubitavit, ut asseruerit hanc opiniunculam, *spectatis rationibus præcise intrinsecis, probabiliorem*. Heinc, & ex pluribus aliis collige similium Auctorum genium. Dicat *P. Zech*, me cacodæmone Saulis agitatum scribere: quia Deus est, non Probabilistæ, qui me, & alios iudicaturus est.

XXXIX. Quæst. V. *Quid dicendum de peccato quod fuit expositum ut dubium, & post deprehenditur ut certum?* Resp. Negant Probabilistæ plures, Leander, Bresserus, Arriaga, Marin, Tamburinus, Caramuel, Lugo. Horum rationes fuso calamo rescribit P. Viva *quæst.* 11. *art.* 3. attamen *num.* 3. fatetur, in praxi amplectendam esse sententiam adfirmantem. Ratio est, inquit, quia sententia negativa, quam sequebatur P. Pellizarius, quamvis non sit damnata, nihilominus ab eo codice est expuncta a sacra Indicis Congregatione, quæ non vult illam tolerare: quare in praxi ab ea abstinendum. Non modo practice, sed etiam speculative falsa est sententia ista ob diversitatem iudicii quod formatur de peccato dubio, & certo. Plures speculationes opponit De Lugo, quas omnes si expendere vellem, plura implenda folia essent. Eas prætereo; cum & ipse De Lugo fateatur in praxi sequendam esse sententiam adfirmantem. Quorsum ergo tot paritates, tot argutationes?

XL. Quæst. VI. *Quid dicendum de regula quam pro scrupulosis, eorumque dubiis peccatis assignat P. Busembau?* Resp. P. Hermanus Busembau *de conscient. cap.* III. apud P. La-Croix inter regulas quas pro abigendis scrupulis præscribit, hunc statuit. IV. *Assuefacere se ad sequendas sententias mitiores, & MINUS ETIAM TUTAS. Filliuc.* Scrupulosi ergo adeant Dianam, Leandrum, Caramuelem, Zanardum, Tamburinum, & similes, ubi passim sententias & mitiores, & *minus etiam tutas* pleno calamo exhibitas invenient. Spiritum & vim istius regulæ considero primum in *τὸ Assuefacere*. A teneris unguiculis ergo assuefiant scrupulosi seligendis opinionibus mitioribus. Secundo meditor illud auctarium

& minus tutas. Nam omnes opiniones laxæ ſunt minus tutæ. Hæc regula viam aperit, ut mihi videtur, abſurdis non paucis: neque hac via auferuntur ſcrupuli. ſed potius multiplicantur laquei. Aſſueti enim viæ molliori, & laxiori difficillime revocantur in viam arctam, & anguſtam. Quare conſilium iſtud, quo ſuadetur ut homines ſcrupuloſi *aſſueſiant* adhibere opiniones *mitiores*, & *minus tutas*, mihi videtur omnino falſum. Nam ſcrupuli ſunt falſæ hominum imaginationes, quibus plus iuſto aggravant ſibi legem: quia apprehendunt eſſe peccatum, quod iuxta legem non eſt peccatum. Ergo legis veritas declaranda illis eſt, ut ſcrupuli tollantur.

XLI. Regula P. Buſembau, ut mea præfert opinio, ſcaturigo eſt omnium ſcrupulorum. Nam homines aſſuefacti opinionibus mitioribus, & minus tutis, quando poſtea oculos aperiunt, deprehendunt multa ſe patraſſe peccata, quæ opinionibus mitioribus, & minus tutis præventi virtutes reputabant. Diſtinguendi ſunt iuſti delicatæ & intaminatæ conſcientiæ a ſcrupuloſis. Primi ita exacte Dei legem ſervant, & chriſtianæ perfectioni inhiant, ut hominibus mundanis ſcrupuloſi appareant; ſed revera ſcrupulis carent. Secundi, qui reipſa ſcrupulis affliguntur, communiter vitam ducunt ad amuſſim regulæ P. Buſembau. Meticuloſi ſunt, & ſcrupuloſi in precationibus, in horis canonicis recitandis; verum in iis omnibus quæ propria commoda ſpectant, non ſcrupuloſi, ſed laxi frequenter ſunt, gulæ, pecuniis augendis, & deliciis deguſtandis libenter indulgent.

XLII. Regula quæ mihi prudens & tuta videtur, hæc eſt. *Aſſuefacere ſe ad ſequendam veritatem, & viam arctam, & anguſtam, quam Chriſtus Dominus nobis patefecit*. Raros vidi vere ſanctos ſcrupulis agitatos. Plures animæ ſanctæ ſterilitate ſpiritus, magnoque terrore & pavore angi, Deus interdum permittit, ut ſanctiores fiant, eluantque leves maculas. Ceterum iſtæ animæ raro affliguntur pavore, num hoc mortale ſit nec ne. Plura huc tranſcribere poſſem ex S. Thereſia.

XLIII. Frequenter ſcrupulis agitantur qui ex prava vivendi conſuetudine ſincere & conſtanter ad Deum convertuntur. Cum iſtos dæmon nequeat ad conueta vitia amplius allicere, illorum phantaſiam dubiis torquere conatur. Dubitant hi, num ſint integre confeſſi; num illam, aut hanc circumſtantiam, numerum, vel ſpeciem expreſserint; fuerit nec ne vera contritio; & ſexcentis ſimilibus dubiis vexari ſolent. Hæ ſunt dæmonis inſidiæ, & fraudes, quibus odioſum & aſperum efficere iugum Chriſti pertentat, ut hac via converſæ animæ, ſuſceptæ melioris vitæ tædio ac pondere oppreſsæ, facilius in antiqua ſcelera, & carnalia oblectamenta relabantur. Confeſsarius prudens paucis liberet animas iſtas ab his fraudibus. Signum moraliter certum, quod præteritæ confeſſiones fuerint validæ, eſt præſens vitæ integritas. Quoties itaque Chriſtianum converſum videt

det a pravis, & inveteratis habitibus omnino liberum per confeſſionem, ſive generalem, ſive particularem, debita diligentia factam, prohibeat illi ne recogitet quidem de præterita vita. Quotidie opponit, ſe dubitare, an illud, an hoc peccatum confeſſus fuerit; an hanc, aut illam circumſtantiam expreſſerit: ne audiat quidem, præſertim poſt unam aut alteram vicem. Curet ut illud tempus quod in his perquiſitionibus terit, inſumat potius in piis meditationibus, & precationibus, quibus animam ſuam in propoſito melioris vitæ arreptæ confirmet, & roboret. Confeſſio non carnificina animæ eſt, ut blaterant novatores, ſed ſaluberrimum, & efficax remedium. Qui bona fide, & ea diligentia quæ adhiberi in gravi negotio ſolet, ſuam fecit confeſſionem generalem, vitamque revera mutavit pravam in chriſtianam, nullo modo anxius impoſterum eſſe debet neque de numero, neque de ſpecie peccatorum, neque de alio quocumque dubio, quo in diſcrimen adducatur integritas confeſſionis factæ. Illud videat Confeſſarius, & expendat, num converſio ſit vera, & ſtabilis. Si hanc veram & fortem deprehenderit, cetera contemnat, tamquam aut diaboli artificia, aut tetri humoris melancholici perturbationes.

CAPUT IX.

De cauſſis ab integritate confeſſionis excuſantibus.

I. PRima cauſſa excuſans ab integritate materiali confeſſionis eſt phyſica impotentia, ratione cuius excuſantur. I. Qui hic & nunc laborant ignorantia invincibili. II. Muti, qui per geſtus, & ſigna declarare peccata ſua nequeant. III. Qui inter confitendum in deliquium incidunt; ſi differri abſolutio nequeat. IV. Si extranei ignorent idioma Confeſſarii, & non ſit alius qui calleat pœnitentis idioma, neque differri confeſſio poſſit. An neceſſitas implendi præceptum annuæ confeſſionis ſufficiat, aliqui adfirmant, & ego ignoro. Si, ſublato periculo, poſt aliquod tempus poſſet reperiri Confeſſarius gnarus linguæ pœnitentis, differenda confeſſio mihi videtur, ut impleatur præceptum integritatis materialis. V. Qui, imminente naufragio, incendio, prælio, tempore deſtituuntur integre confitendi. VI. Quoties eſt periculum in mora. Tum enim explicari aliquod, vel plura peccata debent, aut pauciora, prout tempus, & circumſtantiæ permiſerint, & abſolutio impertiti. Si plures ſint pœnitentes, ut milites periculoſo & inopinato conflictu impetiti, debent ſinguli aliquod ſignum præferre doloris, & Confeſſarius omnes ſimul abſolvere poteſt, dicendo: *Ego abſolvo vos &c.*

II. Altera cauſſa eſt impotentia moralis, ratione cuius liber eſt ab integritate materiali. I. Sacerdos qui abſque fractione ſigilli nequeat pandere aliquod pecca-

tum. II. Infirmus morbo contagioso infectus, cuius confessio nec a longe audiri; nec prope absque periculo potest. Tum enim audito uno, aut altero peccato, absolvi potest. III. AEgrotus, cuius vires graviter extenuarentur in exacta peccatorum recognitione, examine, & manifestatione. IV. Quando pœnitens quicumque prudenter timet sibi, vel Confessario grave detrimentum, confessioni extrinsecum, manifestatione huius, aut illius peccati. Tum enim reticere tale peccatum potest, alteri confitendum, si debitum urgeat aut annuæ confessionis peragendæ, aut sacramenti administrandi.

III. Quæst. I. *An magna pœnitentium frequentia ratione alicuius solemnitatis excuset ab integritate materiali confessionis*? Resp. Plures iuniores adfirmarunt, quorum opinionem probabilem censet Gobat *tract.* VI. *num.* 479. ubi hæc habet. „ Negat „ P. Conink *Lib. VI. num.* 98. esse probabilem opinionem arbitrantium, quando „ adest tanta multitudo confiteri volentium pro aliquo celebri festo, ut Sacerdos „ nequeat omnibus satisfacere audiendo omnes *integre*, posse singulis dicere, ut „ aperiant *solum graviora* e mortalibus, reliqua differant in aliud tempus. Censeo „ ego, salvo meliori iudicio, eam opinionem posse probabiliter sustineri, casu „ quo multi e longinquo advenissent, obtinendæ alicuius *grandis* indulgentiæ, con„ fessionem, & communionem requirentis, causa. “ Hanc opinionem damnavit Innocentius XI. in hac 59. thesi. *Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicuius solemnitatis, aut indulgentiæ.* Qua vero fronte Missionarii quidam, ut plura hominum millia ad sacramenta admitterent, suis auditoribus e suggestu inculcaverint ut graviora peccata confiterentur, post huius propositionis damnationem, satis mirari profecto non possum.

IV. Quæst. II. *An excusetur ab integritate materiali confessionis pœnitens qui habens casus reservatos non potest tunc superiorem adire?* Resp. Adfirmarunt plures: quorum opinio contineri videtur in superiori proscripta thesi. Putarunt enim posse pœnitentem inferiori Sacerdoti manifestare sola non reservata peccata, & ab iisdem absolvi cum onere adeundi superiorem pro reservatis; vel posse primum soli superiori manifestare reservata, & ab iisdem absolvi, & ad inferiorem redire pro confitendis peccatis non reservatis. Quam opinionem communiter Auctores improbant. Quia neque superior, neque inferior potestatem habent dimidiandi confessionem, cuius integritas est de iure divino, a qua sola urgens, & gravis necessitas excusare potest.

V. Contendunt Lugo, Conink, & alii, posse superiorem absolvere a solis reservatis, & pœnitentem remittere ad inferiorem pro aliis, quando superior hic & nunc non posset audire integram confessionem, & pœnitens carere diutius absolutione non posset, atque nullus tunc adesset alius Confessarius. Verum vix con-

contingere casus potest. Quia si superior nequit audire integram confessionem, auferat reservationem. Alii aiunt, iustam caussam confitendi inferiori non reservata cum onere confitendi superiori reservata, esse necessitatem tuendi vitam, vel famam, aut vitandi scandalum. Verum & casus isti rarissimi sunt. Si tamen reipsa contingerent, puto esse sufficientem caussam excusantem ab integritate; ut infra de reservatis dicam. Ceterum falsam reputo opinionem quam ex De Lugo, Leandro, Lopez, & aliis refert, & defendit P. Viva *quæst.* v. *art.* 7. *num.* 7. nempe licitum esse dimidiare confessionem, si longo tempore esset differenda confessio, quamquam non urgeret præceptum annuæ confessionis: *quia*, inquit, *diu privari fructu huius sacramenti est notabile nocumentum. Ita communius Doctores apud de Lugo.* Sed mihi videtur, communiorem opinionem horum Doctorum contineri in thesi damnata proxime relata. Damnavit Ecclesia opinionem dimidiandi confessionem ob acquirendam indulgentiam in magna solemnitate ab illis qui forte e longinquo veniunt tanti thesauri comparandi, & sanctificandæ animæ caussa. Et sola privatio fructus huius sacramenti caussa sufficiens erit dimidiandi confessionem? Hæc opinio mihi damnata laxior apparet. Nec est quod reponatur, Doctores istos obligare pœnitentem ad manifestanda inferiori reservata, & non reservata cum onere adeundi postea superiorem pro reservatis. Nam hæc manifestatio, facta inferiori non habenti potestatem in reservata, non tollit quin confessio sit dimidiata ex defectu iurisdictionis in Confessario. Plura congerit P. Viva, ut hanc veritatem implicet. Sed omnia frustra.

VI. Quæst. III. *Utrum persona complicis sit manifestanda in confessione?* Resp. Quando Confessarius inveniri potest cui ignota sit persona complicis, dubio procul tenetur pœnitens hunc adire Confessarium, ut famæ complicis consulat. Quando talis minister non invenitur, manifestanda est persona complicis, ut confessio fiat integra. Hæc semper fuit Ecclesiæ praxis. Nam sacri canones pœnas præscribunt certis determinatis criminibus infligendas. S. Basilius *epis.* ad Amphilochium *can.* xxv. inquit: *Qui cum propria ex patre, vel ex matre sorore pollutus est, in domum orationis ne permittatur accedere, donec ab iniqua, & nefaria actione desistat. Postquam autem in horrendi peccati sensum, & animadversionem venerit, triennio defleat.* Item can. lxxix. *Si qui in suas novercas insaniunt, sunt eidem canoni obnoxii cui & ii qui in suas sorores insaniunt.* Eiusmodi peccata declarari nequeunt, non manifestata complicis persona. Idem dicendum de peccatis mariti cum uxore, & uxoris cum marito communibus. Quæ peccata severioribus pœnis plectuntur a sacris canonibus, ut colligitur ex Venerabili Beda *cap.* 11. *de remed. peccat.* ubi refert antiquos canones. *Si uxoratus ancillam suam compresserit, annum unum pœniteat . . . a sua se abstineat. Illa, si invita passa est, quadraginta dies pœniteat.* Ratio patet. Integritas Confessionis iuris divini est. Hæc autem integritas postulat

ut manifestentur species, & numerus peccatorum. Ergo quoties circumstantiæ aut mutant speciem, aut malitiam mortaliter intra speciem multiplicant, aut formaliter, aut virtualiter patefaciendæ sunt, declarata complicis persona, quando aliter consistere integritas confessionis nequit.

VII. Facile eludunt iuniores citatos canones, argutantes eosdem loqui aut de peccatis publicis, aut de manifestatione confusa & generali. Sed falluntur. Nam multa sunt peccata enumerata, quæ nonnisi secreto perpetrari solent, nullo teste præsente præter complicem. Præterea Morinus *Lib. II. cap.* XII. *& seq.* canones refert qui expresse de occultis peccatis loquuntur. Quod subditur de manifestatione confusa, verum habet, quando id fieri potest. Ceterum fideles oppidorum & pagorum vix possunt manifestare circumstantiam, quin Confessarii deprehendant complicem. At in magnis urbibus manifestari circumstantia complicis potest, quin Confessarius cognoscat talem complicem. Semper enim custodienda, quoad potest, est fama proximi. Quare dicimus, debere pœnitentem vel adire Confessarium cui ignota sit complicis persona; vel differre, si commode possit, confessionem.

VIII. Opponunt 1. numquam licitum esse detrahere famæ & honori proximi. Sed qui complicem in confessione manifestat, detrahit famæ, & honori proximi. Ergo licitum non est complicem in confessione prodere. Resp. Qui peccat, tenetur confiteri peccatum suum. Christianus peccati socius ius amittit ad suam famam respectu confessionis. An Christianus iste peccati socius subditus non est legi divinæ integritatem Confessionis præcipienti? Ergo dum consentit in peccatum, ipso facto consentit in manifestationem talis peccati pandendi Confessario? Ius ne habet peccati particeps ne peccati socius confiteatur iuxta divinæ legis præscriptum? Quis hoc dixerit? Ergo ius non habet ut socius pœnitens occultet peccati speciem, quæ ad integritatem pertinet confessionis. Peccati socius ius habet ne peccatum occultum manifestetur extra confessionem; at ius non habet ne in confessione manifestetur: quia lex confessionis iubet ut peccati species declaretur. Dum socius consentit in peccatum, subiicit se huic legi præcipienti talis peccati manifestationem. Cum pœnitens manifestat peccati speciem, quæ complicem prodit, non complicis infamiam, sed animæ suæ salutem intendit. Ergo detractionis reus non est, ut S. Thomas 2. 2. *quæst.* LXXIII. *art.* 2. inquit. *Contingit tamen quandoque quod aliquis dicit aliqua verba, per quæ diminuitur fama alicuius, non hoc intendens, sed aliquid aliud. Hoc autem non est detrahere per se, & formaliter loquendo, sed solum materialiter, & quasi per accidens. Et si quidem verba per quæ fama alterius diminuitur, proferat aliquis propter aliquod bonum necessarium, debitis circumstantiis observatis, non est peccatum, nec potest dici detractio.* Quanto minus detractio dicenda est manifestatio criminis in confessione? Quod-

nam

nam famæ detrimentum subit peccati socius propterea quod alter socius pœnitens in aurem Sacerdotis declaret peccatum? Numquid Sacerdos quidquam exterius agere valet quod in eiusdem personæ complicis detrimentum cedat? Quod si hæc persona peccati socia aliquid famæ in opinione Sacerdotis amittit, sibi imputare debet, quæ in peccatum consentiendo consensit in eiusdem famæ maculam. Nihili duxit famam suam prodigere penes socium, cum quo peccavit: & postea audebit derogare divinæ legi de integritate confessionis, ne in opinione Sacerdotis aliquid suæ famæ decrescat?

IX. Opponunt 2. Sacerdos qui nequit confiteri peccatum suum, nisi revelando personam cuius confessionem audivit, non tenetur illud confiteri. Ergo neque pœnitens declarare peccatum valet, quoties manifestanda est persona peccati eiusdem particeps. Resp. Paritas inepta est. Quia numquam sigillum confessionis violare licet; sed est religione summa colendum. Persona autem peccati socia nullum ius habet, quemadmodum probatum est, ut peccatum, in quod libere consensit, reticeatur.

X. Quæst. IV. *Licitum ne est declarare aut criminis socium, aut reum in confessione propter pœnitentis, aut complicis utilitatem?* Resp. Omnes adfirmant, licitum esse pœnitenti propter propriam suam utilitatem criminis socium aut simpliciter reum declarare, ut ab importunis eius sollicitationibus ad malum sese liberet, & peccandi occasionem declinet. Iure ipso naturæ quisque propriæ saluti consulere primum omnium debet, etiamsi inde per accidens malum consequatur alterius. Quare qui sollicitantur ad mala a ministris sacris, hos Episcopis, seu legitimis superioribus manifestare licite possunt, & debent. S. Augustinus autem superiores *homil. ult. inter* 50. monet, *multos Christianos propterea tacere & sufferre aliorum peccata, quæ noverunt, quia documentis sæpe deseruntur, & ea quæ ipsi sciunt, iudicibus ecclesiasticis probare non possunt. Quamvis enim vera sint quædam, non tamen iudici facile credenda sunt, nisi certis indiciis demonstrentur.* Prudentes itaque, maturi, & summopere cauti superiores sint oportet in recipiendis eiusmodi delationibus. Aliqui frequenter sunt nimium creduli; aliqui sæpe nimium increduli. AEque peccatur in nimia facilitate, ac in nimia difficultate credendi.

XI. Pœnitens non modo in proprium, sed etiam in complicis commodum & utilitatem manifestare superiori crimen eiusdem potest, ut ad frugem revocetur meliorem. In huius rei confirmationem plura exempla Morinus *Lib. II. de pœnit. cap.* VII. adducit. Unum transcribere liceat ex S. Augustino *hom.* XLIX. *inter* 50. ubi hæc habet. *Nolo talem patientiam habeant christianæ mulieres: prorsus zelent viros suos non propter carnem suam, sed propter animas illorum. Omnino ego moneo, ego præcipio, ego iubeo: Episcopus iubet, Christus in me iubet .... Nolite viros vestros permittere fornicari. Interpellate contra illos Ecclesiam. Non dico iudices pu-*

 bli-

blicos, non Proconsulem, non Vicarium, non Comitem, non Imperatores, sed Christum. In ceteris omnibus ancillæ estote virorum vestrorum, subditæ ad obsequium..... Sed, ubi ventum fuerit ad illud negotium, ubi vos Apostolus æquavit, dicens: Uxori vir debitum reddat, similiter & uxor viro . . . *clamate pro re vestra.*

XII. Duo tamen extrema summa vigilantia cavenda sunt in hoc perdifficili negotio. Unum & potissimum, ne sacramentale sigillum in suspicionem veniat violationis, & in invidiam, odiumque adducatur sacramentum. Hæc consideratio prævalere omnibus debet. Plura de hoc dicentur, cum de sigillo confessionis sermo erit. Alterum, quod caveri magnopere debet, est, ne fictis confessionibus, & calumniis adversus probos viros, larva pietatis & religionis obtectis, locus detur.

XIII. Non modo criminis socius, sed etiam persona quæ est obiectum criminis, declaranda in confessione est, quando sine hac declaratione confessio integra non esset. Frater sorori, filius matri venenum propinavit ad fetum necandum, ex flagitioso concubitu conceptum: debet tunc propinator veneni has personas pandere, ut integra sit confessio.

CAPUT X.

De confessione moribundi sensibus destituti. Utriusque sententiæ fundamenta proponuntur. Laxæ opiniones P. Gormaz, Gobat, *& aliorum refelluntur.*

I. COmmunis sententia docet, moribundum qui, absente Confessario, petiit confessionem, absolvendum esse, etiamsi, adveniente Confessario, ob amissam loquelam nullum exhibeat signum. Ita determinavit Concilium Carthaginense IV. *cap.* VII. his verbis. *Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutescat, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam. Et si continuo moriturus credatur, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia.* Hoc idem præscribit Rituale Romanum, Pauli V. iussu editum. *Si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela ægro deficiant, nutibus, & signis conetur Sacerdos, quoad poterit, peccata pœnitentis cognoscere. Quibus utcumque in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium vel per se, vel per alium ostenderit, absolvendus est.* Idem declaravit Concilium Arausicanum I. *can.* XII. Leo Papa *epist.* XCI.

II. Quæst. I. *An moribundus, qui pectus tundit, possit absolvi, licet non petat confessionem loquela amissa?* Resp. Negant plures recentiores, ut Bonacina, Megala,

&

& alii benigniores Probabilistæ; sed ex relatis Conciliis, & Rituali Romano opposita sententia adhibenda est.

III. Quæst. II. *An moribundus sensibus repente destitutus, qui confessionem non petiit, nec speciale signum pœnitentiæ dedit, si tamen pie, & christiane vixit, absolvi possit saltem sub conditione?* Resp. Convenit penes omnes, iis tantum absolutionem impertiendam esse quos prudenter præsumitur vero dolore correptos pœnitere de peccatis suis. Quare publici peccatores, hæretici, schismatici, apostatæ, concubinarii, meretrices, & similes, qui vitæ statum non mutarunt, absolvendi non sunt. De Christianis disputatur qui sacramenta frequentarunt, irreprehensibilem duxerunt vitam, quoad fert humana imbecillitas. Non modo graviores Theologi, verum etiam benigniores Probabilistæ communius negant.

IV. Affirmantem sententiam defendunt *Ioannes Hesselius*, *Alphonsus Salmeron*, *Gabriel Lotterius*, *Homobonus*, *Bartholomæus Faustus*, *Philippus Servius*, *Petrus Henrix*, *Bosco*, *Scildere*, *Theophylus Raynaudus*, *Torreblanca*, *Machadus*, *Remigius*, *Martinus de S. Ioseph*, *Ioannes Pontius*, *Leander*, *Pellizzarius*, *Neesen*, *Huygenius*, *Havermans*, *Florentius Coquius*, *Merbesius*, *Gennetus*, *Iuveninus*, *Van-Roy*, *Gabriel a S. Vincentio*, *Ioannes Morinus* Lib. X. de pœnit. cap. x. *Henricus a S. Ignatio* Lib. V. num. 197.

V. Ioannes Morinus, qui præ ceteris hanc controversiam illustravit, omni argumentorum genere hanc secundam sententiam confirmare studet. Et primum in medium promit Sacerdotale Romanum, Venetiis editum an. 1560. apud Ioannem Variscum, in quo folio 60. hæc habentur. *Talis infirmus aut iam amisit loquelam, vel usum rationis, puta quia phreneticus; aut non. In primo casu si bene vivebat, ut bonus fidelis, & frequentabat confessionem, & communionem, & huiusmodi, quamvis non petierit sacramenta, quia ex insperato talia acciderunt; vel etiamsi malus, & obstinatus diu perseverans in peccatis est, & diu non confessus, si petiit Sacerdotem, ut confiteretur, ostendit se facere velle omnia quæ debet, & interea factus est mutus, vel phreneticus, & periculum est in mora, debet præsupponi contritus, & faciente aliquo confessionem generalem pro eo, sicut fit in populo, Sacerdos faciat absolutionem ab omni sententia, & peccato, & potest iniungere circumstantibus aliquid pro eo faciendum, vel heredibus, aut consanguineis pro eius anima, si volunt acceptare: deinde debet dari ei Eucharistia, quamvis non sit confessus.* Librum hunc videre minime potui. Si genuinum opus sit, magnæ est auctoritatis.

VI. Præcipuum documentum, quo suam firmat sententiam Morinus est auctoritas S. Augustini *Lib. I. de adulter. coniug. cap.* XXVI. ubi inter plura alia hæc habentur. *Catechumenis in huius vitæ ultimo constitutis, si morbo, seu casu aliquo sic oppressi sunt, ut quamvis adhuc vivant, petere tamen sibi baptismum, vel ad interrogata respondere non possint, prosit eis quod eorum in fide christiana nota voluntas est, ut eo mo-*

modo baptizentur quo modo baptizantur infantes, quorum voluntas nulla adhuc patuit . . . . Quia nempe non solum incredibile est, nec in fine vitæ huius baptizari catechumenum velle; verum etiamsi voluntas eius incerta est, multo satius est nolenti dare, quam volenti negare, ubi velit, an nolit, sic non apparet, ut tamen credibilius sit, eum, si posset, velle se potius fuisse dicturum ea sacramenta percipere sine quibus iam credidit non se oportere de corpore exire.

VII. Ultra pergit S. Doctor, & non solum catechumenos, sed etiam illos ipsos baptizandos vult qui adulterina coniugia retinent. Siquidem *cap.* XXVIII. hæc adiicit. *Ego non solum alios catechumenos, verum etiam ipsos qui viventium coniugiis copulati retinent adulterina consortia, cum salvos corpore non admittamus ad baptismum, tamen, si desperati iacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum ceteris lavacro regenerationis abluatur. Quis enim novit, utrum fortassis adulterinæ carnis illecebris usque ad baptismum statuerant detineri? Si autem ab illa desperatione potuerint vivere, aut facientes quod statuerunt, aut edocti obtemperabunt, aut de contemptoribus fiet quod fieri etiam de baptizatis talibus debet.*

VIII. Subdit continuo Augustinus ibidem, nullo interiecto verbo, eamdem baptismatis, & reconciliationis caussam esse, inquiens. *Quæ autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte pœnitentes finiendæ vitæ periculum præoccupaverit. Nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia.* His verbis finem imponit *Lib. I.* de adulterinis coniugiis.

IX. Ad hæc testimonia respondent prioris negativæ sententiæ Auctores, S. Augustinum loqui de iis qui signum suscipiendi baptismatis perhibent. Et sane argumentum ab exemplo catechumenorum arcessitum, non videtur inferre absolutionem dandam iis qui nullum pœnitentiæ peculiare indicium exhibent. Nam catechumenatus ipse via ad baptismum est, & peculiare voluntatis suscipiendi baptismatis argumentum. Quare si etiam pœnitens esset in aliquo pœnitentium; aut flentium, aut consistentium &c. gradu, concedenda eidem absolutio esset; quemadmodum catechumenis baptisma, si præoccupati repentino morbo loquelam & sensus amittant, impertitur. Verum S. Doctor pressius casum stringit, ac de eo loquitur de quo nullum apparet signum, sed *incertum est, nec apparet, an velit, an nolit*: quæ hypothesis non admittit aliquod signum exterius, quod manifestet talis moribundi voluntatem. Porro Augustinus ait: *Prosit eis quod eorum in fide christiana iam nota voluntas est.* Quæ verba solum indicant voluntatem notam, non ex aliquo signo peculiari ipsius moribundi; sed solum ex statu aut catechumeni, aut pœnitentis. Quæ status ratio præsumendi fundamentum videtur sufficiens, talem moribundum sensibus destitutum, velle aut baptizari, aut per absolutionem reconciliari.

X.

X. Duo itaque hic diligenter fecernenda funt voluntatis aut baptifmi, aut abfolutionis figna peculiaria exteriora. Unum, quod exhibeat moribundus aut voce, aut geftu aliquo : & huius generis fignum nullum adeffe nunc fupponitur. Alterum, quod perhibet ipfius moribundi fingularis ftatus, aut catechumeni, aut pœnitentis : & hoc fignum, a conditione ftatus moribundi repetitum, fufficere five pro baptifmo, five pro abfolutione, docere S. Auguftinus videtur. Illud tamen animadvertendum, S. Doctorem non ita propugnare hanc fuam opinionem, ut certus de ea fit. In hanc fe inclinare teftatur ; ita tamen ut qui aliter fentiunt, in fuo fenfu abundent. De arcano enim difputatur, foli Deo noto : & nemo alterutram fententiam certam afferere poteft. Sic enim *cit. cap.* XXVI. fatur Auguftinus. *Non tamen propterea damnare debemus eos qui timidius agunt quam nobis videtur agere oportere, ne de pecunia conservo credita improbius quam cautius iudicare voluiffe iudicemur. Satis quippe in talibus refpiciendum illud Apoftoli ubi dicit :* Unufquifque noftrum pro fe rationem reddet Deo. *Non ergo amplius invicem iudicemus. Sunt enim qui vel in his, vel etiam in aliis obfervandum putant, quod dixiffe Dominum legimus :* „ Nolite fanctum dare canibus, neque proiicere „ margaritas veftras ante porcos. "

XI. Plura quoque in confirmationem huius fententiæ adduci rationum momenta folent. Nam ex difciplina & traditione Ecclefiæ habemus non requiri pro abfolutione, faltem conditione adiecta, fignum certum contritionis pœnitentis; fed fat effe fignum probabile, vel etiam dubium. Nam certum eft, vel ipfis fceleftiffimis peccatoribus, in extremo agone aliquo figno petentibus abfolutionem, quolibet Ecclefiæ fæculo impertitam illis fuiffe. Certum eft autem eiufmodi fceleftorum peccatorum fufpectam, dubiam, & incertiffimam omnium Patrum confenfu effe pœnitentiam feu contritionem. Communi proverbio fertur : *Pœnitentia fera raro vera*. Similiter publicam pœnitentiam per feptem, per decem annos plus minufve agentibus, fi in tali ftatu corriperentur repentino morbo fenfus omnes auferente, impertita femper fuit abfolutio ; ut variis exemplis perdoctus Morinus *Lib. X. cap.* V. oftendit : quia ipfe pœnitentium ftatus fufficiens reputabatur fignum contritionis in mortis articulo. Quidni igitur fufficiens pœnitentiæ fignum erit facramentorum frequentia, & vitæ probitas, quam in præfatis moribundis publice, & in omnium confpectu præceffiffe fupponitur ? Inquit enim Concilium Carthaginenfe III. *Ægrotantes, fi pro fe refpondere non poffint, cum voluntatis eorum teftimonium fui dixerint, baptizentur. Similiter & de pœnitentibus agendum*. Et Concilium Arauficanum *can.* XII. fubdit : *Subito obmutefcens baptizari, aut pœnitentiam accipere poteft, fi voluntatis præteritæ teftimonium aliorum verbis habeat*.

XII. Opponunt I. prioris fententiæ patroni. Concilium Tridentinum requirit

pro

pro materia huius sacramenti confessionem, & contritionem &c. Ergo, hac materia deficiente, nullum est sacramentum. Respondent secundæ sententiæ defensores, in hypothesi facta non adesse quidem confessionem formalem, & expressam lingua aut nutu; sed virtualem æquivalentem, testimonio probæ vitæ præteritæ patefactam. Nec esse in mortis articulo, inquiunt, adeo morose, & subtiliter inquirendum de materia voce, vel gestu sensibili; sed morum potius testimonium spectandum. Porro minus dubium videtur probæ vitæ anteactæ testimonium sensibile, & oculis omnium subiectum, quam vox scelerati, in illo agone post turpem vitam absolutionem petentis, cui iuxta omnes conceditur. Sapienter Melchior Canus *relect. de pœnit. part.* VI. admonet, *in praxi huius sacramenti habendam esse potius rationem eorum quæ ad mores, & ad salutem animarum pertinent, quam ad metaphysicas, sive speculativas quæstiones.*

XIII. Opponunt 2. Sacra Facultas Parisiensis an. 1665. die 3. Februarii proscripsit propositionem Amadæi Guimænii, in qua hæc ipsa sententia continetur. Respondet Turnely, & alii, merito fuisse proscriptam Moyæ opinionem, quia inquit ille: *Rarissime evenit ut tam cito sensibus quis, dum actu peccat, destituatur, ita ut vicinus morti non velit suæ saluti consulere per aliquam attritionem.* Loquitur P. Moya de peccato publico quocumque; contenditque cuilibet etiam publico peccatori indiscriminatim laxandam esse absolutionem, ut narrat citatus Honoratus Turnely *quæst.* IX. Et hanc nimium laxam opinionem iure damnavit sacra Facultas Parisiensis. Vult enim Moya, quemlibet sceleratum præsumendum esse in articulo mortis contritum. Quæ opinio toto cælo distat a sententia quæ docet, illi Christiano sensibus destituto impertiendam saltem sub conditione absolutionem, cuius anteactæ vitæ probitas, & sacramentorum frequentia perhibent testimonium longe minus incertum, & dubium quam sit vox scelerati confessionem petentis in illius agonis extremo.

XIV. Hæc sunt utriusque sententiæ præter propter argumenta. Quodnam iudicium nostrum? In Animadversionibus ad Ioannem Pontasium *verb.* Absol. *cas.* 5. dixi, decisionem illius paullo acerbiorem esse. Sed nunc penitus revoco, & retracto omnia quæ ibidem scripsi. Quoniam post severius examen non leve mihi facessit negotium, quod Christus instituit confessionem per modum iudicii sensibilis & humani. Hoc est salutis remedium pro eorum qui post baptismum mortaliter peccaverunt. Porro quando Deus alicuius salutem vult, eadem voluntate vult media. Admissa ergo hypothesi, Deum salutem velle huius aut illius peccatoris, videtur dicendum, quod eidem Deus tempus concessurus sit quo implere media a Christo Domino præscripta possit ad æternam salutem necessaria; vel asserendum, illo tempore Christianum pium, probumque ad se Deum vocare, quo cognoscit esse eum gratia sanctificante præditum. Hæc potius de infinita Dei

Dei clementia præsumenda videntur, quam quod velit iustificare impium absque vel perfecta contritione, vel confessione signo sensibili manifestata. Et sane argumenta sententiæ negantis videntur validiora: quia sacramenti materia necessaria sunt actus pœnitentis. Si hi desunt, deest materia necessaria, sine qua perfici sacramentum nequit. S. Augustinus loquitur de moribundo qui statum pœnitentiæ profiteatur, qui voce, & operibus absolutionem petierit; sicuti de catechumeno, qui in via peculiari constitutus est ad baptismum suscipiendum.

XV. Quæst. III. *Quid dicendum de opinionibus* P. Gormaz, *docentis absolvendos sub conditione etiam illos qui destituti sensibus male vixerunt, & in ipso actuali peccato sensus amittunt?* Resp. Quamvis probabilis sit opinio illorum qui defendunt, Christianos sensibus destitutos absolvendos esse, quando eorumdem proba & bene morata vita haberi prudenter possit pro signo & testimonio voluntatis confitendi, atque adeo pro materia satis probabili sacramenti administrandi; tamen iidem Theologi præfatæ opinionis defensores negant impertiendam absolutionem illis Christianis sensibus destitutis, qui iniquam duxerunt vitam. P. Ioannes Baptista Gormaz *disp.* v. *de absol. sec.* 2. *§.* 2. *num.* 166. *pag.* 775. *& seq.* „ Fit sexto etiam „ esse absolvendum eum de quo non constat an vitæ discrimen præviderit, *sive* „ *bene, sive male vixerit, & invenitur sensibus destitutus*, & morti proximus: quia „ vita, & fides christiana, quam professus est, fundamentum præbet, ut iudice- „ mus in tali discrimine velle absolutionem, & sacramentum, sine quo credidit; „ vel timet non posse salvari." Igitur sive bene, sive male vixerit, absolvi potest moribundus sensibus destitutus? Scilicet, inquit P. Gormaz. Eccur? Quia credidit. Sed male vixit. Quid interest? Credidit. Ergo præsumendum est illum velle absolutionem. Peregregie. Omnes qui damnantur, vellent a damnatione, seu a peccatis, propter quæ damnantur, absolutionem. P. Gormaz suam hanc opinionem transcripsit ex P. Matthæo Moya, quem ibidem citat *num.* 263. Sed hanc opinionem, tamquam falsam & laxam, damnavit sacra Facultas Parisiensis: & opus ipsum Moyæ damnatum est.

XVI. Laxiorem, & scandali plenam opinionem docet idem P. Gormaz ibidem. „ Quapropter, etsi forte quis ACTUALITER PECCANDO subito destituatur sen- „ sibus, REGULARITER sine absolutione dimittendus non est; cum rarissime con- „ tingat ut morti vicinus non velit saluti suæ consulere, *saltem per attritionem*, „ qua non constat interne carere, quamvis externe sit sensibus privatus: per con- „ ditionem enim evitatur iniuria sacramenti &c. Sic Bonagratia supra citatus. „ *Vide Gobat tract.* VII. *num.* 597. *usque ad* 625."

XVII. Scelerati ergo Christiani *actualiter peccando*, actualiter in duello, in fornicatione, in adulterio, in blasphemiis sensibus destituti, mortique proximi absolvendi, & quidem *regulariter* sunt? An hæc non sunt paradoxa quæ fidelium au-

res

res offendunt? Quid ad hæc R. P. *Franciscus Zech*? An dicturus est, me vocare celeberrimam Academiam, in qua hæc docuit P. Gormaz, cathedram pestilentiæ, propterea quod absurda, quæ laxam, & falsam sententiam consequuntur, recordor? Suspicio ego & personam P. Gormaz, & multo magis illius percelebrem Academiam. Laxam dumtaxat, ut mitissime loquar, doctrinam improbo, & refuto: si tamen refutatione indiget, quæ natura sua horrorem, & scandalum, ut mihi videtur, ingerit.

XVIII. Quæst. IV. *Quid dicendum de opinione* P. Gobat, *qua eludit suæ Societatis decretum, prohibens absolutionem moribundi destituti sensibus?* Resp. P. Gormaz citat P. Gobat. Et P. Gobat citat *tract.* VII. *num.* 602. hoc decretum suæ inclytæ Societatis his verbis. „ VI. Merito inhibuere recentissime Superiores Societatis nostræ suis ne imposterum doceant hanc propositionem: *Moribundus, etsi nullum* „ *signum det, aut dederit contritionis, adeo ut Sacerdos nec sciat, nec prudenter pu-* „ *tare possit præcessisse sensibilem aliquam confessionem, absolvi potest.*" Duo excogitavit P. Gobat, ut hoc prudens decretum eluderet. En illius verba *loc. cit. num.* 604. „ Porro circa ordinationem illam nostri Ordinis, de qua *num. præced.* diffe- „ ruimus, notanda sunt duo. Primum, quod loquatur de casu quo non potest „ prudenter præsumi, quod dederit signum .... *Alterum, quod ordinatio expres-* „ *se solum probibeat ne illa sententia DOCEATUR, non autem expresse ne PRA-* „ *CTICETUR.*" Vin' pulchriora? Quid? Si vel ipsius Societatis decreta lepidis eluduntur commentis; quam expectare obedientiam decreta extranea valent? Alto prætereo silentio consectaria quæ hinc sponte sua proficiscuntur. An dicent, textum *P. Gobat* minus sincere esse productum? Oro omnes ut legant in fonte & Gobat, & Gormaz, & La-Croix, & Viva, & omnes quos in hoc opere cito.

CAPUT XI.

De iterandis confessionibus.

I. QUæst. I. *Datur ne confessio valida & informis?* Resp. Sacramentum validum, & informe a Theologis vocatur quod habet omnes partes essentiales ad valorem, sed propter subiecti indispositionem non confert gratiæ effectum. Thomistarum plures dari confessionem *validam, & informem* propugnant hoc S. Thomæ in *IV. Sent. dist.* XVII. *quæst.* III. *art.* 4. testimonio nixi. *Dicendum, quod confessio est actus virtutis, & pars sacramenti. Secundum autem quod est actus virtutis, est actus meritorius proprie; & sic confessio non valet sine caritate, quæ est principium merendi: sed secundum quod est pars sacramenti, sic ordinat confitentem ad Sacerdotem, qui habet claves Ecclesiæ, qui per confessionem conscientiam confiten-* tis

tis agnoscit; ET SECUNDUM HOC confessio etiam potest esse in eo qui non est contritus, quia potest peccata sua Sacerdoti innotescere, & clavibus Ecclesiæ subiicere: & quamvis tunc non percipiat absolutionis fructum; tamen recedente fictione percipere incipiet; sicut etiam est in aliis sacramentis. Unde non tenetur reiterare confessionem qui fictus accedit; sed tenetur postea suam fictionem confiteri.

II. Heinc argumentantur communiter Thomistæ, præsertim Gonet, Salmanticenses, Cardinalis Gotti, & ceteri, vim potissimum collocantes in iis verbis, *sicut etiam est in aliis sacramentis*. Baptisma, recedente fictione, producit gratiam. Ergo & pœnitentia. Validum baptisma est, etiamsi suscipiatur cum actuali affectu ad peccatum mortale, & sacrilege: ergo valida sacramentalis confessio, tametsi pœnitens de peccatis quæ confitetur, gaudeat, & in eisdem se complaceat. Erroneum hoc videtur commentum. Non sunt igitur præfata verba rigide interpretanda. Salmanticenses excogitarunt duplicem attritionem supernatnralem: aliam inefficacem, quam volunt partem sacramenti; aliam efficacem, quam dicunt dispositionem ad effectum sacramenti. Sed hæc nobis videtur mera scholastica speculatio prorsus arbitraria. Nam attritio inefficax non excludit voluntatem peccandi. Attritio autem quæ huius sacramenti materia est, excludere omnem peccandi affectum debet; ut Concilium Tridentinum definivit. Thomistarum alii dicunt, confessionem validam & informem esse ex defectu examinis. Alii docent, confessionem validam & informem esse, quando attritio non est universalis. Tandem alii, quos inter Cardinalis Gotti, defendunt confessionem validam & informem esse, quando quis bona fide existimat verum dolorem se de peccatis habere, qui talis non sit apud Deum.

III. Omnes isti modi mihi falsi sunt. Quare imbecillitati meæ nullus apparet casus in quo confessio sacramentalis valida sit, & informis. Possem singulos recensitos modos valide refellere; sed res tanti non est, ut otio abutar. Audes ergo a communi Thomistarum sententia recedere? Audeo, quando deprehendere nequeo ab ipsis veritatem stare. Unde colligere Probabilistæ debent, me non partium, non instituti, non simultatis studio, sed unius veritatis, quæ mihi talis apparet, amore scribere. Ignorantiæ in ea deprehendenda arguere me valent; at simul sinceritatem meam probent oportet.

IV. Recedes ergo etiam a S. Thoma? Absit. Tanta est erga S. Thomæ ingenium prope divinum reverentia & obsequium, ut si quid ille doceret quod ego assequi non possem, profundo silentio & obsequio venerarer. Sed id hactenus non accidit. Laudatum testimonium sic exponi potest. Qui apud eumdem Confessarium peccata sua semper deponit, si ficte confiteatur ex defectu veri doloris sufficientis, non tenetur iterum declarare ea peccata in præcedente confessione patefacta, quæ iam subiecit clavibus, sed solum manifestare fictionis peccatum. Si

ve-

vero alium Confessarium adeat; tum non fictionem modo, sed omnia quoque peccata declarare tenetur. Sic interpretatur S. Thomam D. Antoninus *III. Part. tit.* XIV. *cap.* XIX. *§.* 5. ubi inquit. *Potest sustineri opinio S. Thomæ loquendo de illo qui confitetur ei cui prius; & non oportet iterare confessionem prius factam, licet fictam, etiamsi Sacerdos non recoleret peccata sibi prius dicta. Quia nec quando confessio est integra, oportet quod recolat actu de principio usque ad finem. Et maxime quia hic sufficit absolvere ab omnibus, & iniungere pænitentiam pro fictione, & pro aliis, quod faciat pænitentiam tunc sibi iniunctam.* Huic S. Antonini interpretationi subscribit Natalis ab Alexandro *Lib. II. reg.* 18. ubi variis S. Thomæ, & S. Antonini testimoniis illam confirmat. Et profecto S. Thomas *III. Part. quæst.* XC. *art.* 1. & in *Suppl. quæst.* VIII. *art.* 2. docet *contritionem, & confessionem* ad essentiam sacramenti pertinere. Nec veri discipuli S. Thomæ aliquem ambiguum eiusdem Doctoris textum ex sententiariis libris, quos iuvenis scripsit, urgere debent: nam plura eorum quæ iuvenis docuerat, in Summa Angelicus temperavit, & luculentius exposuit. Quare Sylvius contendit, præfatam opinionem S. Thomam retractasse. Non tanti facio hanc quæstionem, ut operæ pretium existimem eam severius discutere. Sat mihi est hæc pauca obiter indicasse.

V. Quæst. II. *Quo in casu confessio reiteranda est?* Resp. Innumeri sunt casus in quibus reiteranda confessio est. Quando confessio fuit invalida, semper repetenda est. Solus autem prudens & doctus Confessarius deprehendere potest confessiones validas a fictis & sacrilegis, aut ex defectu doloris, aut ex culpabili negligentia in conscientia excutienda.

VI. Ex parte pœnitentis confessio invalida est. 1. si desit dolor sufficiens. 2. si pœnitens scienter reticeat aliquod peccatum mortale, aut ex malitia, aut ex verecundia. 3. si negligentia mortaliter culpabili omiserit debitum examen. 4. si ob finem mortaliter pravum confiteatur. 5. si graviter mentitus fuerit in confessione. 6. si conscius excommunicationis sive maioris, sive minoris, eamdem occultet. 7. Hæc facillime cognoscuntur. Sed radix plurium sacrilegarum confessionum, quo est occultior, eo est universalior. Quænam hæc?

VII. Qui Confessarios aut semidoctos, aut nimium benignos sollicite quæritant, ut absolvantur a peccatis in quæ frequenter relabuntur, argumentum valde probabile præbent, eorum confessiones esse sacrilegas. Consule quæ diximus supra de firmitudine & stabilitate iustificationis christianæ: & inde deprehendes, magnam confessionum partem sacrilegiis pollutam esse. Ad morum itaque reformationem oculos converte. Si ex frequentia confessionum veram morum reformationem non agnoscit, non ambigat Confessarius, nullas fuisse confessiones. Quid significat vera morum reformatio? Quod pœnitentes absolute abstineant a peccatis mortiferis, quod occasiones, quod mundi oblectamenta reipsa evitent. Excipe eventus contin-

tingentes, fortuitos, ex aliquo inopinato occasionis graviter allicientis occursu, ex aliqua vehementi tentatione proficiscentes. Ceterum confessiones illorum qui præter propter in eadem relabuntur peccata, qui aut illecebras comœdiarum, spectaculorum, ludorum, aut alloquia familiaria mulierum, aut vanas pompas, luxum, & fastum, convivia oppipara, & ceteras mundi consuetudines vanas derelinquere nolunt, sed eas contra persequuntur, & in eodem vitiorum cœno volutantur, quamvis & diligens examen, & sincerum dolorem, & auctoritatem Confessariorum absolventium ostentent, sacrilegas fuisse plerumque ne dubites: quidquid in oppositum fabulentur laxiores nonnulli Casuistæ. Quando similes ad pedes tuos accedunt, si sincero dolore tactos deprehenderis, ad repetendas confessiones illos compelle. Multi hanc confessionum repetitionem ut iugum durissimum apprehendunt; sed falluntur. Da mihi peccatorem sincere conversum, Dei amore flagrantem, & toto corde contritum: egò brevissimo tempore illius confessionem tibi exactam spondeo. Amor Dei, veraque contritio antidotum est, quod adeo efficaciter ad vomitum omnium mortalium peccatorum disponit, ut homo vere contritus Deique amator nequeat in corde hospitium peccato mortali concedere. Multi per plures dies mentem torquent in lustrandis conscientiæ latebris, in supputandis peccatorum numeris. Ego vellem ut dies, & hebdomadas insumerent in precationibus, in meditationibus bonitatis, iustitiæ, & divinæ misericordiæ, gravitatis offensæ Deo irrogatæ, æternitatis formidandæ; in ieiuniis, lacrymis, eleemosynis illæ sunt dispositiones quibus ad veram contritionem & pœnitentiam præparare se pœnitens debet. Has dispositiones examen conscientiæ facile consequitur, & quidem exactum, quod nequeat in corde vere contrito latitare peccatum; ut alias fusius dictum est, & dicetur infra.

VIII. Ex parte Confessarii invalida potest esse confessio, atque adeo repetenda ex defectu vel ordinis, vel iurisdictionis, vel ex ignorantia; aut si Confessarius non absolvisset propter vel inadvertentiam, vel malitiam. Si somno captus audivisset confessionem: si esset excommunicatus notorius. Verum plura de hoc infra, ubi de ministro pœnitentiæ.

DISSERTATIO V.

DE SATISFACTIONE,

quæ eſt tertia ſacramenti pœnitentiæ pars.

CAPUT I.

De nomine & neceſſitate ſatisfactionis humanæ.

I. HANC tertiam ſacramenti pœnitentiæ partem pernegant Lutherani, & Calviniſtæ poſt Audianos, & quoſdam Manichæos. Contendunt quippe novatores, ut alias dictum eſt, firmiſſima in Chriſtum fiducia noxam omnem, & omne pœnæ debitum remitti: quia Chriſtus pro omnibus cumulate ſatisfecit. Iſtorum errores anathemate percuſſit Synodus Tridentina *ſeſſ.* XIV. *can.* 12. 13. 14. & 15. quos legere potes, quin illos reſcribam.

II. Satisfactio abſolute accepta eſt debiti cuiuſcumque ſolutio. Satisfactio de qua in præſenti, eſt ſolutio debiti ex delicto contracti. Triplex ex peccato mortali patrato reatus, offenſæ Deo irrogatæ, pœnæ æternæ, & pœnæ temporalis. Poſt condonatam offenſam, ſeu culpam, & pœnam æternam, eluenda remanet pœna temporalis.

III. Quæſt. I. *Quid ſit ſatisfactio ſacramentalis?* Reſp. Communiter definitur, quod ſit *pœnæ acceptatio, & voluntaria perpeſſio a Confeſſario iniuncta ad redintegrandam amicitiam cum Deo per peccatum læſam, & ad compenſandam iniuriam ipſi irrogatam.* Satisfactio rationem habet pœnæ, a qua pœnitentia communiter præ aliis duabus partibus nuncupatur. Ieiunia, eleemoſynæ, preces, & quæcumque alia pietatis opera incommoda, & moleſta ſunt corpori in hoc ſtatu naturæ corruptæ. Oratio, ſi ſit brevis, puta unius pſalmi, vix pœnæ rationem habet; ſi vero ſit diuturna, permoleſta corpori eſt. Quamobrem meminerit Sacerdos ſatisfactionem eſſe pœnam, vi cuius a reſtitutione differt. Pœnitentiam igitur imponat quæ pœnæ nomen obtineat. Dicitur *acceptatio, & voluntaria pœnæ perpeſſio*, quia invita, & coacta, non eſſet Deo accepta. Additur *a Confeſſario iniuncta*, ut ſacramentalis ſatisfactio a pœnitentiis quas ſponte ſuſcipimus, diſtinguatur. Ultimo adiicitur, *ad redintegrandam cum Deo amicitiam.* Peccatum enim amicitiam, & iuſtitiam lædit. Peccator autem reparare utramque debet.

IV. Quæst. II. *Necessaria ne est satisfactio Deo exhibenda in delictorum vindictam?* Resp. Negant novatores, sed affirmant Catholici omnes. Obvia & luculenta sunt Scripturarum testimonia. Ioelis Prophetæ *cap.* II. inquit Dominus: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, fletu, & planctu.* Et Ionæ *cap.* III. de pœnitentia Ninivitarum dicitur: *Vidit Deus opera eorum, qui conversi sunt a via sua mala; & misertus est Deus.* Iob cap. ult. *Ago pœnitentiam in favilla, & cinere.* Matth. III. *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Daniel *cap.* IV. sic Regem alloquitur: *Quamobrem, Rex, consilium meum tibi placeat. Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan ignoscet delictis tuis.*

V. Confirmat hæc omnia Apostolorum, & universalis Ecclesiæ traditio. S. Paulus *I. Cor.* IX. ait: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Tertullianus *Lib. de pœnit. cap.* VI. inquit: *Quam porro ineptum, quam pœnitentiam non adimplere, & veniam delictorum sustinere, hoc est pretium non exhibere, & ad mercem manum emittere? Hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit.* S. Cyprianus *Lib. de lapsis* mollem & laxam nonnullorum illius ætatis disciplinam carpit, qua venia delinquentibus, & pax concedebatur: quam opinandi praxim appellat *novum genus cladis, malum fallens, blandam perniciem: pacem præposteram, & periculosam esse dantibus, & accipientibus nihil profuturam.* Et rursus *epist.* XXXV. ad Cornelium: *Datur opera, ne satisfactionibus, & lamentationibus iustis delicta redimantur, ne vulnera lacrymis abluantur.* Quæ zeli iacula non contorqueret in aliquorum opinandi modum, quo ætate nostra opera satisfactoria ad nihilum fere rediguntur? S. Hieronymus in Ioelem clamat: *Qui peccator est, & quem remordet propria conscientia, cilicio accingatur, & plangat sua delicta . . . & cubet, vel dormiat in sacco, ut præteritas delicias, per quas Deum offenderat, vitæ austeritate compenset.* S. Augustinus *serm.* L. nunc CCCLI. *Non sufficit mores in melius commutare, & a factis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis.* Et ut plura omittam, SS. Pontifices Pius, & Gregorius XIII. hanc 77. inter Baianas thesim damnarunt. *Satisfactiones laboriosæ iustificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.*

VI. Plura obiiciunt novatores, quæ nullo negotio diluuntur. Scripturæ testimonia, quæ ex *Ezech. cap.* XVIII. & *Isaiæ cap.* I. afferuntur, significant, Deum culpam remittere, & pœnam æternam pœnitenti, non vero temporalem absque laboriosis operibus. *Iustificati gratis* (inquit Apostolus Rom. III.) *per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu.* Gratuita est peccatorum remis-

sio ex parte Dei. Quid inde ? Propterea ne liberi sumus a satisfactione ex parte nostra pro temporali pœna exhibenda ? Negant una voce Patres omnes : idque perspicue constat ex adductis Scripturarum testimoniis.

VII. Insistunt. Satisfactio Christi fuit infiniti pretii : ergo superflua est omnis satisfactio humana. Resp. Negatur consequentia. Necessariam dicimus satisfactionem humanam : quia licet Christus Dominus satisfecerit, & quidem superabundanter vel pro ipsis pœnis temporalibus ; tamen hæc satisfactio nobis non communicatur, nisi mediis laboriosis operibus, Christo ipso sic disponente, & iubente, ut ex Scripturis, & Patribus constat.

VIII. Quæst. III. *Quæ sunt opera quibus satisfacere pro pœna temporali Deo homo potest ?* Resp. Tria, nempe oratio, ieiunium, & eleemosyna. Ad hæc tria genera revocantur cetera bona, ut habet S. Augustinus *Lib. de perfect. iust.* inquiens : *Sub ieiunio quippe comprehenditur universa corporis castigatio : sub eleemosyna benevolentia, & beneficentia vel dandi, vel ignoscendi : sub oratione omnes regulæ sancti desiderii*. Oratio includit ea omnia quæ divinum cultum spectant : superbiam deprimit, & animum Deo subiicit. Ieiunia, & aliæ corporis conflictationes cilicia, disciplinæ, & cetera id genus concupiscentiam cohibent. Eleemosynæ cupiditatem, avaritiam, & concupiscentiam oculorum coercent.

IX. Oratio delectat, ut inquit *cap.* v. S. Iacobus. *Tristatur aliquis vestrum ? oret*. Ergo non est opus pœnale. Resp. S. Thomas in *Suppl. quæst.* xv. *art.* 3. *ad* 1. inquit : *Quælibet oratio habet rationem satisfactionis. Quia quamvis habeat suavitatem spiritus, habet tamen afflictionem carnis. Quia, ut dicit Gregor. super Ezech. dum crescit in nobis fortitudo amoris intimi, infirmatur proculdubio fortitudo carnis. Unde & nervus femoris Iacob ex lucta Angeli emarcuisse legitur Gen.* xxxii.

X. Ad præfata tria bonorum operum genera revocantur etiam illa quæ nobis a Deo infliguntur flagella, & calamitates, ut Tridentinum *sess.* xiv. *cap.* ix. declarat, inquiens, *tantam esse divinæ munificentiæ largitatem, ut non solum pœnis sponte a nobis pro vindicando peccato susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam (quod maximum amoris argumentum est) temporalibus flagellis a Deo inflictis, & a nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Christum Iesum satisfacere valeamus*.

XI. Piis quoque operibus sponte susceptis placatur divinæ vindictæ furor, eiusque iustitiæ satis fit, ut S. Augustinus in *Psalm.* l. ad illa verba, *a delicto meo munda me*, explicat hoc pacto. *Quo merito ? Medicus est, affer mercedem. Deus est, affer sacrificium. Quid dabis, ut munderis ? Vide enim quem invoces : iustum invocas, odit peccata, si iustus est : non poteris auferre a Domino Deo iustitiam eius : implora misericordiam, sed attende iustitiam. Misericordia est, ut ignoscat pec-*

peccanti : iustitia est, ut puniat peccatum. Quid ergo quaeris misericordiam? Peccatum impunitum remanebit? Responderit David, responderint lapsi, responderint cum Davide, & dicant: Non, Domine, non erit impunitum peccatum meum: novi iustitiam eius cuius quaero misericordiam: non impunitum erit: sed ideo nolo ut tu me punias, quia ego peccatum meum puniam: ideo peto ut ignoscas, quia ego agnosco.

XII. Excusant se Christianorum multi, & impares ad pœnitentiam satisfactoriam, nempe ad ieiunia, cilicia, flagella &c. sustinenda se se deprædicant. At divina flagella, & calamitates, velint, nolint, perpetiantur necesse est. Porro clementissimus Pater, quamdiu in hac mortali vita degimus, nos erudit, & castigat: quia, ut Propheta Amos *cap.* III. ait, *si erit malum in civitate quod Dominus non fecerit*. Plura nobis ille positive immittit, infirmitates, aeris intemperiem, egestates, amicorum, & propinquorum mortes: plura alia permittit, & sua sapientia ordinat, aut ad iustorum profectum, aut ad peccatorum vel conversionem, vel vindictam; ut persecutiones, calumnias, bonorum direptiones; hostium vastationes, exilia, carceres. Hæc omnia perpeti homines debent in dies. Cur illa in peccatorum vindictam non sustinent? Quam allegare excusationem valent, nisi pravam voluntatem? Et tamen hac malorum voluntaria, & constanti tolerantia satisfacere pro peccatis divinæ iustitiæ possent. Unde reluctatio? Non aliunde, nisi ex cæcitate, qua obducti homines nolunt super peccatis suis recogitare. Quandoquidem, *si nosmetipsos diiudicaremus* (inquit Apostolus I. Cor. XI.) *non utique iudicaremur. Dum iudicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur*. Iniungunt Sacerdotes pœnitentias: aliquas sponte suscipiunt fideles. Sed plura clementissimus Pater sibi servat peccata punienda morbis, calamitatibus, penuria, miseria, aliisque huiusmodi, quæ omnia si homines forti animo sustinuerint, gratissimam satisfactionem Deo offerent.

XIII. Christiani itaque qui sincero corde dolent de culpis suis, semper parati sint necessum est ad compensandas offensas Deo illatas, & cum Davide sancto clamare debent: *Quoniam ego in flagella paratus sum*. Nullum est flagellum, ad quod sustinendum paratus non sit Christianus sincere contritus: & eo libentius persert, quo certior est, calamitates omnes dispensari ab optimo & clementissimo Patre, qui omnia suaviter disponit. *Ipsi ergo* (inquit Ambrosius in laudatum Psal.) *nos committamus parati ad curandum, quo velit curari medicamento. Nemo dicit medico corporis sui, quemadmodum sit curandus. Novit medicus quæ singulis vulneribus medicamenta conveniant, cuius ulceris putredo ferro sit amputanda, ne in totius corporis serpat exitium. Si dixerit medicus medicinæ genus, quo curari æger debeat, & ille fastidiat, discedit medicus, & ægrotum derelinquit...*

quit . . . Medicina Christi correptio est : corripit enim Dominus quem vult convertere . Illud vero animare nos omnes ad hanc faluberrimam pœnitentiam debet, quod declinare has calamitates nullo modo possumus . Voluntaria dumtaxat perpessio easdem leviores efficit, atque in nostrum commodum, & utilitatem convertit . Qui in tribulationum fluctibus colluctatur, naufrago assimilatur, qui natando curat ne caput aquarum undis obruatur . Angitur ille, & laborat; sed evadendi naufragii spe erectus, undas & fluctus intrepide findit, & superat; & eo se feliciorem reputat, quo infeliciores sunt alii, quos in profundum ob illorum ignaviam demersos videt. Qui enim amore Dei, & desiderio satisfaciendi divinæ iustitiæ, istius vitæ ærumnas sustinet, iisdem mente superiori innatat, & corporis imbecillitatem spiritus robore sustentat; & quo ferventiore Dei amore flagrat, eo leviores experitur tribulationes . Contra vero impii, qui has calamitates inviti & rebelles perferunt, eas acerbiores experiuntur. Præclare more suo hanc diversitatem S. Augustinus *Lib. III. de civit. Dei cap.* VIII. explicat: *Tantum interest, qualis quisque patiatur : nam pari motu exagitatum, & exhalat horribiliter cœnum, & suaviter fragrat unguentum : sub uno igne aurum rutilat, palea fumat : sub eadem tribula stipula comminuitur, frumenta purgantur . . . . Ita una eademque vis irruens bonos probat, purificat, eliquat : malos damnat, vastat, exterminat*.

XIV. Hæc pauca de satisfactione generatim spectata dicta sufficiant. Plura novatorum sophismata refellenda essent; sed propria futilitate evanescunt. Quod obtrudunt, satisfactionem humanam derogare satisfactioni Christi, commentum est novatorum cæcitate dignum; ut patefecit Concilium Tridentinum *sess.* XIV. *cap.* VIII. Satisfactiones enim quas Christiani pœnitentes Deo offerunt, a Christo Domino omnem accipiunt valorem, ut supra dictum est.

CAPUT II.

Variæ de satisfactione quæstiunculæ resolvuntur.

I. QUæst. I. *Utrum satisfactio executioni demandata ad essentiam pertineat sacramenti?* Resp. Sententia negans communis est. Satisfactio enim sacramentum quantum ad essentiam perfectum præsupponit. Producit enim sacramentum gratiam ante satisfactionis executionem : quod præstare non posset, nisi partibus essentialibus constaret. Moribundo sensibus destituto nulla imponitur satisfactio; & tamen sacramentum eidem, si petierit, impertitur. Dicitur tamen pars integralis eiusdem.

II. Quæst. II. *An satisfactio valeat in peccato mortali?* Resp. In peccatore tria di-

distinguenda sunt. 1. Actus peccati, qui transiit, & macula, seu reatus, qui superest in anima. 2. Reatus iste, ut alias dixi, triplex est, nempe culpæ, pœnæ æternæ, & pœnæ temporalis. 3. Affectus, seu complacentia & voluntas peccandi. Quibus delibatis, dico 1. Reatus peccati numquam dimittitur neque intra, neque extra sacramentum, nisi exclusa voluntate peccandi. 2. Qui satisfactionem a Sacerdote impositam implet cum affectu & voluntate peccandi, non satisfacit divinæ iustitiæ pro pœna temporali; sed ipsam divinam iustitiam lædit. Eadem quippe actione nemo potest Deum sibi propitium reddere, & offendere. Hæc communia sunt. Difficultas in hoc vertitur, num qui est in statu peccati mortalis, possit satisfactionem sacramentalem implere? Adfirmant communiter recentiores, Merbesius, Iuvenin, Turnely, Le-Druin, & plurimi alii: idque colligunt ex antiqua Ecclesiæ disciplina, quando satisfactio præcedebat absolutionem. Et ipsa confessio est pars essentialis sacramenti, quamvis in statu peccati mortalis facta.

III. Contrariam sententiam defendunt S. Thomas, S. Bonaventura, S. Antoninus, Soto, Ledesma, Suarez, Lugo, Toletus, & alii. Hanc sententiam conceptis verbis docet Tridentini Concilii Catechismus Part. II. cap. v. num. 73. *Sed duo præcipue in satisfactione requiruntur. Primum est, ut is qui satisfacit, iustus sit, ac Dei amicus. Opera enim quæ sine fide, & caritate fiunt, nullo modo Deo grata esse possunt. Alterum* &c. Eadem docet S. Thomas in *Suppl. quæst.* xiv. *artic.* 2. ubi inquit: *Oportet . . . quod opera satisfactoria sint Deo accepta, quod dat eis caritas; & ideo sine caritate opera facta non sunt satisfactoria.* P. Le-Druin respondet, S. Thomam, & Catechismum intelligendos esse de caritate actuali imperfecta, sine qua neque confessio est pars essentialis, neque satisfactio pars integralis sacramenti. Quomodo enim obtinere a Deo condonationem pœnæ temporalis valet actio illa quæ Deo accepta non est? Sed hæc responsio consistere nequit. Catechismus conceptis verbis loquitur de caritate habituali, quæ iustos efficit, & amicos Dei constituit. Et hoc in sensu loqui videtur S. Thomas. Facile hæ duæ sententiæ conciliantur, si opus satisfactorium ab eiusdem merito distinguatur. Secunda sententia loquitur de satisfactione meritoria, quæ sine caritate perfecta haberi nequit. Prima defendit eum qui in peccati mortalis statu exequitur opus satisfactionis, implere præceptum satisfaciendi, nec opus esse ut iteret satisfactionem; quemadmodum perspicue S. Thomas docet *loc. cit. ad* 2. Utraque igitur sententia suo in sensu vera est.

IV. Quæst. III. *Utrum satisfacere unus pro altero valeat?* Resp. Si satisfactio sit medicinalis, ad morbos pœnitentis, & peccatorum reliquias curandas destinata, certum est neminem pro altero satisfacere posse. Si spectetur, quatenus est peccati solutio, similiter certum est posse unum pro altero satisfacere; ut com-

muniter docent omnes, & præsertim Catechismus Tridentinus *Part. II. cap. v. num. 76.* & praxis universæ Ecclesiæ indulgentias concedentis confirmat. Lege S. Thomam in *Suppl. quæst.* XIII. *art.* 2.

V. Quæst. IV. *Utrum homo possit satisfacere pro pœna uni peccato debita, & non alteri?* Resp. S. Thomas in *Suppl. quæst.* XIV. *artic.* 1. negative respondet. Quia sicuti nemo valet de uno peccato, & non de altero conteri; ita neque satisfacere pro uno, altero retento, potest. *Dicendum, quod quidam dixerunt, quod potest de uno peccato satisfieri sine alio, ut Magister in littera dicit . . . Sed hoc non potest esse. Cum enim per satisfactionem tolli debeat offensa præcedens, oportet quod talis sit modus satisfactionis qui competat ad tollendam offensam. Offensæ autem ablatio est amicitiæ restitutio. Et ideo si aliquid sit quod amicitiæ restitutionem impediat, etiam apud homines satisfactio esse non potest. Cum ergo quodlibet peccatum amicitiam caritatis impediat, quæ est hominis ad Deum, impossibile est ut homo de uno peccato satisfaciat, alio retento; sicut nec homini satisfaceret qui pro alapa ei data se ei prosterneret, & aliam similem daret.* Turnely, & alii oppositum sentiunt, hac ratione ducti, quod uni peccato est statuta pœnæ mensura, & non alteri. Sed hæc vana sunt: nec pœnitens distinguere solutionem pœnæ inflictæ huic peccato, a pœna debita alteri peccato valet.

VI. Quæst. V. *Quinam sunt satisfactionis fructus?* Resp. Plures numerantur tum a Concilio Tridentino *sess.* XIV. *cap.* VIII. tum ab eiusdem Catechismo *Part. II. cap.* v. *a* §. 68. Et principio peccatorum reliquiæ per satisfactionem evelluntur. Quodlibet peccatum post se venefica relinquit vestigia, ad quæ delenda requiruntur contraria pietatis opera. 2. Opera satisfactoria cohibent a peccatis futuris, & concupiscentiam, ceterasque appetitiones frenant. 3. Satisfactiones sunt argumenta sinceræ detestationis peccatorum. Cor nostrum inscrutabile est, cuius profunditas nos ipsos latet. Blandimur nobis, peccata nos detestari illo ipso tempore quo peccatorum caussas fovemus. Ex fructibus dumtaxat pœnitentiæ plantam dignoscimus. 4. Per satisfactionem iram Dei avertimus, ut Augustinus *serm.* CCLXXVIII. inquit. *Si tu te punire volueris, parcet ille. Qui autem agit bene pœnitentiam, suus ille punitor est. Sit oportet severus in se, ut in eum sit misericors Deus.* 5. Hac pœnarum satisfactione, & calamitatum perpessione Christo Iesu capiti nostro similes evadimus. 6. Pœnis satisfactoriis Ecclesiæ satisfacimus; quæ sicuti publicis peccatis graviter offensa fuit, ita publicis solutionibus redintegratur. 7. Solvitur debitum pro reatu temporali, qui post remissam culpam remanet.

CAPUT III.

De antiqua Ecclesiæ disciplina in satisfactionibus, seu pœnitentiis imponendis.

I. EX plurimis documentis, quæ antiquæ disciplinæ imaginem referunt, pauca brevitatis studio exscribam. Et, ut ab Apostolorum ætate initium capiam, S. Paulus hac pœna incestuosum Corinthium punivit, ut *I. Cor.* VII. legitur. *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes; ita ut uxorem patris sui aliquis habeat. Et vos inflati estis: & non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit. Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicavi ut præsens eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis, & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Iesu, tradere huiusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Iesu Christi.*

II. Data fuit hæc epistola an. 24. post passionem Domini, seu anno circiter 57. æræ vulgaris. Unde colligitur non parvo temporis intervallo incestuosi pœnitentiam perdurasse. Nam solum in secunda ad eosdem Corinthios epistola *cap.* II. legitur indulgentia eidem concessa. *Sufficit illi qui eiusmodi est, obiurgatio hæc, quæ fit a pluribus: ita ut e contrario magis donetis, & consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur qui eiusmodi est. Propter quod obsecro vos ut confirmetis in illum caritatem. Ideo enim & scripsi, ut cognoscam experimentum vestrum, an in omnibus obedientes sitis. Cui autem aliquid donastis, & ego: nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi, ut non circumveniamur a Satana: non enim ignoramus cogitationes eius.*

III. S. Ioannes Evangelista iuvenem latrociniis famosum, nonnisi post diuturnam, & laboriosam ieiuniorum pœnitentiam, & carnis macerationem Ecclesiæ restituit; ut narrat Eusebius *Lib. II. Hist. cap.* XVII. In antiquissimo Pastorum libro Hermæ Angelus pœnitentiæ doctor sic respondet. *Protinus putas aboleri delicta eorum qui agunt pœnitentiam? Non proinde continuo; sed oportet eum qui agit pœnitentiam, affligere animam suam, & humilem animo se præstare in omni negotio, & vexationes multas, variasque perferre.*

IV. Tertullianus *Lib. de pœnit. cap.* VIII. & IX. plura de satisfactione scribit, inquiens: *Confessio satisfactionis consilium est; dissimulatio contumaciæ. Satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur. Itaque exomologesis prosternendi, & humilificandi hominis disciplina est, conversationem iniungens misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu, atque victu mandat,*

dat, sacco, & cinere incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus deiicere, illa quæ peccavit, tristi tractatione mutare .... Plerumque vero ieiuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, & mugire noctes diesque ad Dominum Deum suum, Presbyteris advolvi, & caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ iniungere. Et, ut plura præteream, ob oculos refert quæ perferunt incommoda, ut ambitioni, superbiæque capessendi magistratus, & quamlibet dignitatem morem gerant. *Sed enim illos* (pergit Tertullianus) *qui ambitus obeunt capessendi magistratus, neque pudet, neque piget incommodis & animæ, & corporis, nec incommodis tantum, verum & contumeliis omnibus eniti in causa votorum suorum. Quas non ignobilitates vestium affectant? Quæ non atria nocturnis & crudis salutationibus occupant? Ad omnem occursum cuiusque maioris personæ decrescentes, nullis conviviis celebres, nullis comessationibus congreges, sed exules a libertatis, & lætitiæ felicitate: idque totum propter unius anni volaticum gaudium: nos quod securium virgarumque petitio sustinet, in periculo æternitatis tolerare dubitamus? Et castigationem vultus atque cultus offenso Domino præstare cessabimus, quæ gentiles nemine omnino læso sibi irrogant?* Hanc Tertulliani argumentationem infra urgebo adversus matronulas, & barbatulos, atque pullitulos nostri temporis, noctes insomnes ducentes, ut ludis, theatris, & saltationibus dent operam.

V. S. Cyprianus *Lib. de lapsis* suso sermone in illius ætatis palpones, & blandiloquos æquo benigniores invehitur. *Putas facile eum misereri tui quem tuum non esse dixisti? Orare oportet impensius, & rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere: tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, stratos solo adhærere cineri: in cilicio & sordibus volutari, post indumentum Christi perditum, nullum iam hic velle vestitum: post diaboli cibum, malle ieiunium, iustis operibus incumbere, quibus peccata purgantur, eleemosynis frequenter insistere.* Post plura in Confessarium adulatorem iacula vibrat. *Qui peccantem*, inquit, *blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat, nec comprimit delicta, sed nutrit. At qui consiliis fortioribus redarguit, simul atque instruit fratrem, promovet ad salutem.* Quos diligo, *inquit Dominus*, redarguo, & castigo. *Sic oportet & Dei Sacerdotem non obsequiis decipientibus fallere, sed remediis salutaribus providere. Imperitus est medicus qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat, & in altis recessibus viscerum virus inclusum, dum servat, exaggerat. Aperiendum vulnus est, & secandum, & putraminibus amputatis medela fortiore curandum. Vociferetur & clamet licet, & conqueratur æger impatiens per dolorem: gratias aget postmodum, cum senserit sanitatem.*

VI. Arrige aures, lector, animumque in hæc quæ sequuntur, intendito. *Emersit enim* (persequitur ibi S. Martyr) *fratres dilectissimi, novum genus cladis, &*

quasi

quasi parum persecutionis procella sævierit, accessit ad cumulum sub misericordiæ titulo malum fallens, & blanda pernicies. Contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem, temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio: irrita & fallax pax, periculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Non quærunt sanitatis pœnitentiam, nec veram de satisfactione medicinam. Pœnitentia de pectoribus excussa est, gravissimi, extremique delicti memoria sublata est. Operiuntur morientium vulnera, & plaga letalis altis & profundis visceribus infixa, dissimulato dolore, contegitur. Similia habent SS. Pacianus, Ambrosius, Augustinus, ceterique Patres, quorum testimonia brevitatis studio omitto.

§. I.

Paucis perstringuntur quatuor pœnitentium status occasione schismatis Novatiani.

I. QUamquam duobus primis Ecclesiæ christianæ sæculis acerbissima & severitatis plena ad Evangelii vigorem exacta fuisset satisfactionis disciplina; nullus tamen præstitutus modus fuerat & mensura. Sed, ut in præsens, arbitrio & prudentiæ Antistitum, & Parochorum commissum erat pœnitentiæ formam præfigere. At, conflato schismate Novatianorum, negantium collatam a Christo Domino Sacerdotibus remittendorum criminum potestatem, Ecclesia, ut ius sibi a Christo tributum assereret, expressius satisfaciendi pro patratis delictis formam constituit. Quatuor itaque distinxit pœnitentium gradus, videlicet *Flentium*, *Audientium*, *Substractorum*, & *Consistentium*.

II. Primus gradus *Flentium* erat, qui sacco, & lugubri veste induti, cinere aspersi, in exteriori porticu Ecclesiæ constituti, crimina sua publica confessione patefaciebant, & fidelium Ecclesiam ingredientium genibus advoluti, supplicabant ut pro se apud Deum, & Episcopum intercederent.

III. Secundus gradus erat *Audientium*, qui in vestibulo Ecclesiæ ianuis contiguo locati, lectiones sacræ Scripturæ, Episcoporum, aut Sacerdotum sermones audiebant, & ante offertorium cum catechumenis ab Ecclesia expellebantur.

IV. Gradus tertius comprehendebat *Substractos*, qui intra templi ambitum ad ambonem usque recipiebantur. Ambo erat parvulum ædificium instar pulpiti nostri, & eodem loco erectum. In hac statione pro Episcopi arbitrio permanebant, & digni *pœnitentium* nomine iudicabantur. Hoc in ordine positi, Scripturarum lectione, & meditatione, ieiuniis, lacrymis, & continuis precationibus delicta expiantes, manuum impositionem seu absolutionem recipiebant. Hinc *manuum impositio* Pœnitentia dicta est.

V.

V. Quartus gradus erat *Consistentium*, qui sic nuncupabantur, quod in Ecclesia consistebant omnium orationum participes, & mysteriis assistebant, a quorum tamen participatione excludebantur, usquedum, expletis pœnitentiæ laboribus, pristinum dignitatis gradum cum reliquis fidelibus, & ius communicandi assecuti fuissent.

VI. Nullum extat decretum, quo temporis spatium definitum fuerit, quantum quisque temporis in qualibet insumere statione debuisset; sed pro criminis gravitate & diversitate stationem abbreviatam, aut protractam legimus. Pro homicidio voluntario viginti pœnitentiæ anni decreti erant, ut testatur S. Basilius *epist. ad Amphil. can.* LVI. Episcopi iuxta pœnitentium fervorem modo temporis spatium coercebant, modo ab infima ad supremam stationem pœnitentes perducebant.

VII. Quarto sæculo Nectarius Patriarcha Constantinopolitanus hanc pœnitentiæ disciplinam in Oriente abrogavit. Latini vero usque ad sæculum VII. illam retinuere; sed postea paullatim, ut evenire solet, in desuetudinem abiit. Quamquam vero in utraque Ecclesia ab hac publica disciplinæ forma descitum sit; nihil tamen de eiusdem secreto agendæ austeritate imminutum fuit.

VIII. Græci, & Orientales omnes summo semper in pretio habuere canonicas SS. Gregorii Thaumaturgi, Basilii, Gregorii Nysseni epistolas, & Conciliorum canones, modum satisfactionis præscribentes, ita ut satisfactionis impositionem *canonem* appellarent. Qui plura hoc de argumento scire cupit, legat Morinum de pœnitentia, & Renodotium de perpetuitate fidei. Non minus vigiles horum canonum observatores fuerunt Latini. Concilii Moguntini Patres sæculo nono graviter invecti sunt adversus quosdam illius temporis laxiores Confessarios, qui ab antiquorum canonum severitate desciscentes, leviores imponebant satisfactiones. *Modus tempusque* (inquiunt can. XXXI.) *pœnitentiæ peccata sua confitentibus, aut per antiquorum canonum institutionem, aut per sanctarum Scripturarum auctoritatem, aut per ecclesiasticam consuetudinem imponi debet a Sacerdotibus. Nam qui pro peccatis gravibus leves quosdam & inusitatos imponunt pœnitentiæ modos, consuunt pulvillos, secundum propheticum sermonem, sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas.*

IX. Hoc circiter tempore prodiere nonnulli Casuistæ, laxitatis præcursores; qui *libellos pœnitentiales*, contra antiquorum canonum severitatem fuco benignitatis illitam temperantes, edidere. Auctores nomen suum occultum voluere, quia nondum eo malorum prolapsa res erat, ut laxioris Ethices defensores in apricum, larva posita, se traducere auderent. Concilium Cabilonense II. transcripto Concilii Moguntini decreto, præfatos *libellos pœnitentiales* abrogavit: *quorum*, inquit, *certi sunt errores, incerti auctores*. Num in præsentia & errores, & au-

ctu-

ctores aliqui certi sint, aliorum, & maxime Episcoporum iudicium esto. Vestigiis Synodi Vormatiensis, & Cabillonensis institit Concilium Turonense III. quod *can.* XXII. hæc præscripsit. *Episcopis, & Presbyteris diligenti cautela pertractandum est, quatenus hominibus sua sibi delicta confitentibus, tempus abstinendi adscribant, & iuxta modum peccati pœnitentibus abstinentia indicatur. Quoniam varie ab aliquibus Sacerdotibus, & indiscrete hæc iudicia proferuntur: ideo necessarium nobis videbatur, cum omnes Episcopi ad sacrum palatium congregati fuerint, ab eis edoceri, cuius antiquorum liber pœnitentialis potissimum sit sequendus.* Et tandem Concilium Romanum, sub Gregorio VII. Pontifice maximo coactum, hæc statuit. *Falsas pœnitentias dicimus quæ non secundum auctoritatem sanctorum Patrum pro qualitate criminum imponuntur.*

§. II.

MONITUM ANTICASUISTICUM.

Continuo ac pœnitentiæ disciplina laxari cœpit, illico sancti Episcopi, doctrina, & morum sanctitate præclari, ad antiquorum canonum, & ad doctrinam sanctorum Patrum, qui, quo propinquiores Apostolis extitere, eo abundantiori lumine cælesti perfusi erant, & e limpidiori fonte doctrinæ puritatem hauserant, provocarunt. E contrario Casuistarum ætatis nostræ non pauci, neglectis antiquorum & canonum, & Patrum regulis, benignitatem sæculi opponunt. Obsoletam penitus antiquam disciplinam aiunt. Facile nunc peccata condonari, palam docere non erubescunt. Quæ non ideo recordamur, ut Casuistis de Ethica christiana optime meritis quidquam improperemus, sed ut lectores pii excitentur ad antiquorum doctrinam investigandam. Quamobrem in illorum commodum, & profectum antiquos pœnitentiales canones huc transcribere operæ pretium existimavi.

§. III.

De necessaria canonum pœnitentialium scientia.

I. Sapientissimus Pontifex BENEDICTUS XIV. in suo percelebri opere *de Synodo &c. Lib. VII. cap.* LXII. plura scribit de utili canonum pœnitentialium scientia. In ipso capitis titulo inquit: *Immerito nimiæ severitatis insimulatur constitutio, præscribens Sacerdotibus assiduam lectionem antiquorum canonum pœnitentialium.* Deinde eorumdem diligens studium his verbis commendat. „ Tanta „ di-

„ diligentia maiores nostri disquirebant, quæ unicuique peccato esset imponenda „ pœnitentia, ut si enorme aliquod audiretur perpetratum crimen, quod vel ra- „ tione sui, vel ratione adiectæ circumstantiæ quamdam peculiarem & gravio- „ rem redoleret nequitiam, & turpitudinem, simul statim convenirent Episcopi „ ad deliberandum, quo pœnitentiæ genere esset illud expiandum: reque mature „ discussa, ac tandem deliberata, singuli parœciis suis, quod communi consensu „ statutum fuerat, significabant . . . Quam autem aut Episcopi, aut Pontifices „ maximi certo crimini semel imponendam statuerant pœnitentiam, in codicem „ referebatur, qui *Liber pœnitentialis* est nuncupatus. "

II. Animadvertit postea doctissimus Pontifex, plures ex istiusmodi libris periisse. Plures tamen, subdit, sapientissimo Dei consilio ad nos pervenerunt. Antonius Augustinus, rei sacræ peritissimus, Pœnitentiale Romanum, in novem titulos distributum, simul cum libris pœnitentialibus Bedæ, & Rabani in lucem edidit, opportunis notis adiectis. Muratorius binos Pœnitentiales, ex Italicis bibliothecis Capituli Veronensis, & Monasterii Bobiensis depromptos, edidit *Tom. V. Antiquit. Italicar. med. ævi, diss.* LXVIII. Alios edidere Morinus in *Append. ad tract. de pœnit.* Martene *Tom. II. de antiq. Eccl. rit.*

III. Hac nostra ætate, qua fideles a pristino morum nitore, & sanctitate defecerunt, tot interdum sceleribus onusti ad sacramentale forum accedunt, ut si iniungenda iuxta antiquos canones pœnitentia esset, eorumdem vitæ cursum excederet, inquit Pontifex maximus. Improbat deinde *num.* 5. atque redarguit laxones illos qui, dum audiunt Episcopos in suis synodalibus constitutionibus studium canonum pœnitentialium inculcare, ut inde Confessarii hauriant aliqualem pœnitentiæ pro criminum diversitate imponendæ proportionem, continuo inclamant *Rigorismum*, & *Tutiorismum*; & contra ipsas sanctissimas sanctiones turbas cient, clerum, & populum commovent. *Quod aliquando factum scimus*, inquit Pontifex sanctissimus. Quem ausum plane intolerabilem, *& a nemine cordato viro ferendum* declarat.

IV. S. Carolus Borromæus, inquit ibidem Pontifex summus, canones pœnitentiales simul collegit, atque per decem Decalogi præcepta distribuit. Hanc ego collectionem huc in Confessariorum commodum transcribendam duxi.

§. IV.

§. IV.

EX ACTIS ECCLESIAE MEDIOLANENSIS, PARTE QUARTA,

ubi S. CAROLUS instruit Confessarios quomodo sacramentum pœnitentiæ rite administrare debeant,

CANONES POENITENTIALES,

quorum cognitio Parochis, Confessoribusque necessaria est, dispositi pro ratione ordineque Decalogi.

PAtres docuerunt, quam necessaria admodum sit Sacerdotibus qui in audiendis pœnitentium confessionibus versantur, canonum pœnitentialium scientia. Etenim si omnia quæ ad pœnitendi modum pertinent, non prudentia solum ac pietate, sed iustitia etiam metienda sunt; certe norma hæc e canonibus pœnitentialibus sumatur oportet. Sunt namque ii quasi regulæ quædam, quibus cum ad culpæ commissæ gravitatem recte dignoscendam, tum ad imponendam pro illius ratione veram pœnitentiam Sacerdotes Confessarii ita diriguntur, ut, ubi singula, & quæ ad peccati magnitudinem, & quæ ad pœnitentis statum, conditionem, ætatem, intimumque cordis contriti dolorem pertinent, accurate perpenderint, tum demum pœnitentiam iudicio, ac prudentia sua moderentur. Atque hæc quidem, omnisque alia, quæ multiplex est, huius necessariæ cognitionis ratio a Patribus explicata facit ut, quemadmodum loco suo supra dictum est, canones pœnitentiales, pro Decalogi ratione dispositi, in ultimam libri partem referantur, unde aliqua eorum notitia ab ipsis Confessariis Sacerdotibus sumi possit.

PRAE-

PRAECEPTUM PRIMUM.

Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.

CANONES POENITENTIAE,

si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.

Qui a fide catholica descifcens, intimo summoque prævaricationis suæ dolore affectus ad Ecclesiam redierit, pœnitentiam aget annis decem.

Quo temporis spatio decurso, ei communio præstari debet.

Qui dæmoni immolaverit, in pœnitentia erit annis item decem.

Qui more gentilium elementa coluerit; qui vel segetibus faciendis, vel ædibus extruendis, vel arboribus conserendis, vel nuptiis contrahendis, inanem signorum fallaciam observaverit; pœnitentiam aget annos duos feriis legitimis.

Qui ritu paganorum observarit, calendas Ianuarii; in pœnitentia erit annos item duos per legitimas ferias.

Qui festa gentilium celebrarit, pœnitentiam aget itidem annos duos legitimis feriis.

Qui feriam quintam in honorem Iovis honoraverit, pœnitens pane, & aqua victitabit dies quadraginta.

Qui conviviis gentilium, & escis immolatitiis usus erit, publicam pœnitentiam aget.

Qui comederit de idolotytho, pœnitens victitabit pane, & aqua dies triginta.

Qui cum Iudæo cibum sumpserit, pœnitens erit dies decem pane, & aqua victitans.

Qui auguriis, & divinationibus servierit, quive incantationes diabolicas fecerit, pœnitens erit annos septem.

Mulier incantatrix pœnitentiam aget annum; vel, ut alio canone cavetur, annos septem.

Qui herbas medicinales cum incantationibus collegerit, pœnitentiam aget dies viginti.

Qui magos consuluerit, quive domum suam induxerit aliquid arte magica exquirendi causa, in pœnitentia erit annos quinque.

Qui ædes magicis cantionibus lustrat, aliudve tale admittit; & qui ei consentit, quive consulit; in pœnitentia erit annos quinque.

Qui tempestatum immissor erit, pœnitentiam aget annos septem, tres in pane & aqua.

Qui vero crediderit, particepsve fuerit, annum unum per legitimas ferias.

Si

Si quis ad fascinum præcantaverit, pęnitentiam aget Quadragesimas tres in pane & aqua.

Si quis ligaturas, aut fascinationes fecerit, pœnitens erit annos duos per legitimas ferias.

Si quis sortilegus erit, pœnitentiam aget dies quadraginta.

Si quis in codicibus, aut in tabulis sorte ducta res futuras requisierit, pœnitens erit dies quadraginta.

Respiciens furta in astrolabio, annis duobus.

Si quis aliquid comederit, aut biberit, aut super se portaverit ad evertendum iudicium Dei; pęnitentiam aget ut magus.

Si quis Clericus, vel Monachus, postquam Deo voverit, ad sæculum redierit; pęnitentiam aget annos decem, quorum tres in pane & aqua.

PRAECEPTUM II.

Non assumes nomen Dei tui in vanum.

CANONES POENITENTIAE,

si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.

Quicumque sciens peieraverit; quadraginta dies in pane & aqua, & septem sequentes annos pęniteat, & numquam sit sine pęnitentia, & numquam in testimonium recipiatur; & post hæc communionem percipiat.

Si quis sciens peierat in manu Episcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi, vel in cruce consecrata, altarive; pęnitentiam aget annos tres; in cruce non consecrata, annum unum.

Qui periurium in Ecclesia fecerit, pęnitentiam aget annos decem.

Qui sciens peierat domini impulsu; pęnitens erit Quadragesimas tres, & ferias legitimas. Dominus autem, quia præcepit, quadraginta dies in pane & aqua, & septem sequentes annos.

Si quis sciens peieraverit, aliosque in periurium induxerit; pęnitens erit dies quadraginta in pane, & aqua, & septem sequentes annos: & tot periuria ieiunabit, quot homines in periurium induxerit.

Si quis suspicatur se ad periurium induci, ex consensu iurat: pęnitentiam aget dies quadraginta, & septem annos sequentes, & numquam sine gravi pęnitentia erit.

Si quis per cupiditatem periurium fecerit; carinam in pane & aqua ieiunet, & quamdiu vivit omnes sextas ferias. Item

Si quis per cupiditatem peieraverit, omnes res suas vendet, & pauperibus distribuet, & Monasterium ingressus iugi se pęnitentia subdet.

Si quis coactus, necessitateque aliqua impulsus periurium commiserit; in pęnitentia erit Quadragesimis tribus. Item

Si quis coactus peieraverit; pęnitens quadraginta diebus pane & aqua victitet, ac præterea omnibus sextis feriis.

Si quis seductus ignorans, & postea cognoscit, pęnitentiam aget annum unum, vel Quadragesimas tres, vel dies quadraginta.

Qui compellit alium ut falsum iuret, quadraginta dies in pane & aqua, & septem annos in pęnitentia erit.

Si quis iusiurandum, quo se Regi, & domino suo se adstrinxerit, violaverit; in Monasterio pęnitentiam aget omnibus diebus vitæ.

Si quis se iureiurando obstrinxerit, ut cum aliquo litiget, nec pacem cum eo reconciliet; pęnitentiam aget dies quadraginta in pane & aqua, per annum a sacra communione segregatus; ad caritatem vero celeriter redeat.

Si quis per capillum Dei, aut per caput eius iuraverit: si semel nesciens fecerit, pęnitens aqua & pane septem dies victitet; si secundo, ac tertio monitus idem fecerit, dies quindecim.

Si per cælum, aut per aliam aliquam creaturam, dies item quindecim.

Si quis blasphemat, tamdiu pęnitens erit, quamdiu impęnitens permansit.

Si quis Deum, vel Beatam Mariam Virginem, vel aliquem Sanctum publice blasphemaverit; pro foribus Ecclesiæ diebus dominicis septem, in manifesto dum Missarum solemnia aguntur, stet; ultimoque ex illis die sine pallio, & calceamentis, ligatus corrigia circa collum: septemque præcedentibus feriis sextis in pane & aqua ieiunet, Ecclesiam nullo modo tunc ingressurus; singulis item septem illis diebus dominicis, tres, aut duos, aut unum pauperem pascat, si potest, alioquin alia pęnitentia afficiatur: recusans, Ecclesiæ ingressu interdicatur; in obitu, ecclesiastica sepultura careat. Dives a magistratu mulctetur pęna solidorum quadraginta, alioqui triginta, seu viginti.

De hoc detestabili peccato extat sanctio Leonis decimi Pontificis, in Concilio Lateranensi, sessione nona.

PRAE-

PRAECEPTUM III.

Sabbata ſanctifices.

CANONES POENITENTIAE,

ſi quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.

Qui opus aliquod ſervile die dominico, feſtove fecerit, pęnitentiam aget tres dies in pane & aqua.

Qui die dominico opus terrenum fecerit, qui navigarit, aut equitarit; dies ſeptem pęnitentiam aget.

Si quis per contemptum in dominica ieiunaverit; pęnitens erit hebdomadam unam; ſi iterum, dies viginti; ſi præterea tertium, dies quadraginta.

Si quis ante Eccleſias, vel die feſto, ſaltationes (quas ballationes vocant) fecerit; emendationem pollicitus, pęnitentiam aget annis tribus. In græco codice: Clericus deponatur, laicus excommunicetur.

Si quis pranſus Miſſæ interſuerit, pęnitens erit dies tres in pane & aqua.

Si quis ſacram communionem ſumpſerit poſt aliquam vel minimam deguſtationem, pęnitentiam aget dies decem in pane & aqua.

Si quis in Eccleſia confabuletur, cum divina fiunt, pęnitens erit dies decem in pane & aqua.

Si quis feſta Paſcha, Pentecoſtes, Natalis Domini (niſi infirmitate impediente) alio loco celebrarit quam ubi domicilium habet, pęnitens erit dies item decem in pane & aqua.

Si quis ieiunia a ſancta Eccleſia indicta violarit, pęnitentiam aget dies viginti in pane & aqua.

In Quadrageſima carne ſine inevitabili neceſſitate veſcens, in Paſcha non communicet, ac præterea a carne abſtineat.

Qui in Quadrageſima ieiunium violaverit, pro uno die pęnitentiam aget dies ſeptem.

Si quis ieiunium quatuor temporum non cuſtodierit, pęnitens erit dies quadraginta in pane & aqua.

Qui neglexerit in quatuor his ſolemnitatibus, die Cœnæ Domini, in Paſcha, Pentecoſte, & in Natali Domini ſacram communionem ſumere; aget pęnitentiam in pane & aqua dies viginti.

PRAECEPTUM IV.

Habeas in honore parentes.

CANONES POENITENTIAE,

si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.

Qui parentibus maledixerit, quadraginta dies pęnitens sit in pane & aqua.

Qui parentes iniuria affecerit, tres annos.

Qui percusserit, annos septem.

Qui expulerit; tamdiu pęnitens, quamdiu in impietate permanserit.

Si quis contra Episcopum pastorem, & patrem suum insurrexerit; uno in loco, Monasteriove pęnitentiam aget omnibus diebus vitæ suæ: addit Gratianus, ut in primis omnia bona eius præscriptione (*f. proscriptione*) publicentur, deinde in uno Monasterio &c.

Eadem pęnitentia afficiatur qui contra Presbyterum.

Si quis contra Episcopum pastorem, & patrem suum conspiraverit; gradu suo amovebitur: itidem si insidias tetenderit.

Si quis in eo conspiraverit, ut Episcopi doctrinam, vel præcepta irrideat, vel subsannet; aget in pane & aqua pęnitentiam dies quadraginta.

Qua pęnitentia etiam afficiatur, si quis ita conspiraverit, ut eius ministrorum præcepta contemnat.

Si quis item Presbyteri, Parochive sui præcepta irriserit; pęnitens item erit dies quadraginta in pane & aqua.

PRAECEPTUM V.

Non occides.

CANONES POENITENTIAE,

si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.

Qui Presbyterum occiderit, pęnitentiam aget annos duodecim. Item

Si quis Sacerdotem voluntarie occiderit; carne, & vino abstineat cunctis diebus vitæ suæ, quotidie, exceptis festis, dominicisque diebus, ieiunet: non æquitet, non arma ferat, non Ecclesiam ingrediatur quinque annis; sed pro eius foribus stet.

Post quinque annos Ecclesiam ingrediatur licet; nondum vero communicet, sed

ſed inter audientes ſit. Decimi anni curſu confecto, communicet, & equitet licet.

Qui vel ipſe, vel de eius conſilio, aliquem eccleſiaſtici ordinis hominem, aut Pſalmiſtam, aut Oſtiarium, aut Lectorem, aut Exorciſtam, aut Acolythum, aut Subdiaconum, aut Diaconum, aut Presbyterum; per ſingulos ordines ſingulariter pęnitentiam agat: pro Pſalmiſta carinam unam, nempe quadraginta dies in pane & aqua: pro Oſtiario itidem: pro Lectore itidem: pro Exorciſta ſimiliter: pro Acolytho ſimiliter: pro Subdiacono ſimiliter: pro Diacono ſimiliter. Quapropter omnis qui interfecerit voluntarie Presbyterum, ita pęnitere debet, ut octo homicidia commiſſa, & numquam debet eſſe ſine pęnitentia.

Si quis Presbyter Presbyterum occiderit, pęnitentiam aget annos viginti octo.

Si quis Presbyterum armis contra ſe irruentem occiderit, pęnitens erit annos decem.

Si quis patrem, aut matrem, fratrem, aut ſororem occiderit; toto vitæ ſuæ tempore non ſuſcipiat corpus Domini, niſi in obitu, abſtineat a carne, & vino, dum vixerit, ieiunet ſecunda, & quarta, & ſexta feria: item

Si quis parricidium fecerit, ideſt patrem, aut matrem, ſororem, patruum, amitam, aut materteram, occiderit: ſi caſu, neque per iram fecerit; ut homicidii ſponte commiſſi pęnitentiam aget: ſi ſponte, & iratus; pro foribus Eccleſiæ per annum ſtabit, Deum orans. Anno peracto, in angulo Eccleſiæ per annum item ſtabit; quibus peractis, ſi pęnitentiæ fructus in eo conſpicietur, ſacræ communionis particeps fiet. Carne abſtinebit tota vita: quotidie ieiunabit præter dies feſtos: a vino, cervíſia, mellita, abſtinebit dies hebdomadæ tres. Pedibus, quocumque ierit, iter faciet: armis numquam utetur, niſi contra paganos: uxorem ſi non habet, numquam ducet: item

Qui voluntarie genitorem ſuum, aut genitricem occiderit; extra patriam ſeptem annis exul fiat; tunc demum uſque ad mortem cum fletu, & gemitu pęniteat; ſi autem nolenti accidit, decem annis pęniteat iudicio Sacerdotis.

Qui voluntarie filium ſuum, vel filiam ſuam, vel germanum, aut germanam ſuam occiderit; quinque annis extra metas ipſius terræ exul fiat: deinceps viginti annis pęniteat. Qui vero voluntarie avum ſuum, vel aviam ſuam, vel nepotem ſuum, vel patruum, avunculum, ſeu amitam, ſive materteram, aut filium, vel filiam germani ſui, aut germanæ, ſeu conſobrinum ſuum, ſive conſobrinam ſuam occiderit, ideſt a tertia uſque ad ſeptimam: ſi vero tertia fuerit, duodecim annis inermis pęniteat; ſi quarta, undecim annis pęniteat; ſi quinta, decem; ſi ſexta, novem; ſi ſeptima, octo annis pęniteat. Si autem nolens, arbitrio Sacerdotis pęniteat. Qui voluntarie patrem ſuum, aut matrem, vel filium, aut filiam de ſancto lavacro, ſeu fratrem, ſive ſororem in Chriſto, aut dominum

ſuum, vel dominam, ſeu uxorem ſuam occiderit; quinque annis extra metas ipſius terræ exul fiat: tunc demum quindecim annis inermis pęniteat. Si vero nolens, ſeptem annis pęniteat. Qui vitricum ſuum voluntarie occiderit, aut novercam, ſeu privignum, ſive privignam, vel ſocerum ſuum, aut ſocrum ſuam, ſeu generum ſuum, ſive nurum; decem annis pęniteat. Si vero nolens, quinque annis pęniteat.

Si quis filium non ſponte occiderit, ut homicidii ſponte commiſſi pœnitentia afficietur.

Quæ mulier filios ſuos necavit, peracta ſeptennali pœnitentia, in Monaſterium detruſa, monaſticam vitam perpetuo regulariter aget.

Si qua mulier poſt partum filium, filiamve ſponte interfecerit; pœnitentiam aget annos duodecim, & numquam erit ſine pœnitentia.

Paupercula ſi ob difficultatem nutriendi id commiſerit, annos ſeptem.

Si qua mulier ſponte abortum fecerit, pœnitentiam aget tres annos; ſi nolens, quadrageſimas tres: item

Mulier partum ſuum perdens voluntarie ante quadraginta dies, pœnitens erit annum; ſi vero poſt quadraginta dies, annos tres; ſi vero poſtquam editus eſt in lucem, tamquam homicida.

Quæ ſceleris occultandi cauſa filium necavit, pœnitentiam aget annos decem.

Qui nolens filium oppreſſerit: ſi poſt baptiſmum, pœnitentiam aget dies quadraginta in pane & aqua, oleribus, ac leguminibus: abſtinebit ab uxore dies totidem: deinde pœnitens erit tres annos per legitimas ferias, tres præterea quadrageſimas in anno obſervabit. Si ante baptiſmum, quadraginta dies, & ſupra, & quinquennii præterea pœnitentiam explebit.

Cuius parvulus ſine baptiſmo per negligentiam moritur, tres annos pœniteat; unum in pane & aqua. Infans infirmus, & paganus commendentur Presbytero: ſi moritur abſque baptiſmo, deponatur; & ſi per negligentiam parentum fuit, annum unum pœniteat.

Cuius filius ſine confirmationis ſacramento moritur; parentes, quorum negligentia id factum eſt, pœnitentiam agent annos tres.

Si quis explendæ cauſa libidinis, vel odii meditatione, ut ex eo ſoboles naſcatur, homini, aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non poſſet generare, aut concipere, homicida teneatur.

Occidiſti uxorem tuam, legitimo matrimonio ſociatam, ſine cauſa mortis; non tibi reſiſtentem, non inſidiantem quoquo modo vitæ tuæ, non inveniſti eam cum alio viro nefariam rem facientem; ſed incitatus a diabolo, impio inflammatus furore, latrocinii more, atrocior, & crudelior omni bellua, eam gladio tuo intereniſti, & nunc poſt mortem eius addis iniquitatem filiorum tuorum improbe præ-

prædo : qui matri non pepercisti, & filios tuos ideo orfanos fecisti , ut superinduceres mortis causam post mortem : & per unum homicidam, & reprobum testem incusare vis mortuam : hoc nec Evangelium, nec ulla divina, humanaque lex concedit, ut unius testimonio etiam idoneo aliquis condemnetur, vel iustificetur. Quanto magis per istum tam flagitiosum, & sceleſtum nec illa viva debuit condemnari, nec tu poteris post eius mortem excusari? Prius causa criminis subtiliter erat investiganda; & tunc si rea fuisset inventa, secundum legis tramitem debuit excipere ultionis vindictam: nam si verum (quod absit) fuisset, sicut ille adulter mentitus est; post septem annos pœnitentia peracta dimittere eam per approbatam causam poteras, si voluisses : occidere eam nullatenus debuisti.

Duo consilia proponimus tibi : accepta tecum deliberatione duorum eligere (*elige*) magis quod placeat, & miserere animæ tuæ : & tu hic in isto angulo (*angusto*) tempore positus, ne sis tu ipse tuimet homicidia (*homicida*) & in æternum pereas. Relinque hoc malignum sæculum, quod te traxit ad tam immanissimum peccati facinus; multorum fratrum precibus adiutus, observa cuncta simplici animo, quæ tibi ab Abbate fuerint imperata, si forte ignoscat infinita Dei bonitas peccatis tuis: istud consilium, ut certissime scias, levius, ac salubrius est, ut sub alterius custodia lugeas deflenda peccata. Secundum autem consilium tale est. Arme depone, & cunta sæcularia negotia dimitte, carnem, & sanguinem omnibus diebus vitæ tuæ non comedas, excepto uno die Resurrectionis Domini, & uno die Natalis Domini. Ceteris temporibus in pane & aqua, & interdum leguminibus, & oleribus pœniteas. In ieiunio, & vigiliis, & orationibus, & eleemosynis persevera omni tempore. Vinum, & medonem, & mellitam, & cervisiam numquam bibas, nisi in illis tribus diebus. Uxorem ne ducas, concubinam non habeas, adulterium non facias, absque coniugio in perpetuo permaneas. Numquam te in balneo laves, equum non ascendas, causam tuam, & alterius in conventu fidelium non agas; in conviviis lætantium numquam sedeas : in Ecclesia segregatus ab aliis Christianis post ostium humiliter stes; ingredientium, & egredientium orationibus te suppliciter commendes. Communione sacri corporis, & sanguinis Domini cunctis diebus vitæ tuæ indignum te existimes; in ultimo termino vitæ tuæ pro viatico (si observaveris consilium) ut accipias tibi concedimus. Sunt & alia multa duriora, quæ tibi iuxta pondus tanti facinoris essent adiicienda; sed si hæc omnia, quæ supra misericorditer dicta sunt, perfecto corde Deo auxiliante perfeceris, & custodieris, confidimus de immensa clementia Dei, remissionem tuorum peccatorum te habiturum, & secundum boni, iustique pastoris imperium resolvat te sancta Ecclesia ab hoc vinculo peccati in terris, ut per ipsius gratiam, qui eam suo sanguine redemerat, sis solutus in cælis.

lis. Sin autem aliter feceris, & sanctæ matris Ecclesiæ salubre consilium despexeris, ipse tibi sis iudex; in laqueo diaboli, quo irretitus teneris, maneas: sanguisque tuus sit super caput tuum, & sub indissolubili anathema (*anathemate*) permaneas; donec Deo, & sanctæ Ecclesiæ satisfacias.

Si mulier maritum suum causa fornicationis veneno interfecerit, aut quacumque arte perimere facit; quia dominum, & seniorem suum occidit, sæculum relinquat, & in Monasterio pęniteat.

Qui mortem sibi consciverit, pro eo nullam in Missa commemoratio fiat, neque cum psalmis eius cadaver sepeliatur.

Si quis sponte hominem occiderit, ad ianuam Ecclesiæ semper erit, & in obitu communionem recipiat: si casu necavit, pęnitentiam aget annos septem, ex alterius canonis præscripto, annos quinque.

Si quis hominem necare voluerit, neque hoc scelus patrare potuerit; ut homicida pęnitentia afficietur.

ALIUS CANON

De homicidio voluntario.

Si quis homicidium sponte commiserit, vel odio, possidendæ hereditatis causa; primo ieiunet in pane & aqua; deinde pęnitentiam agat annis septem, primo anno post illos quadraginta dies, a vino, caseo, pisce abstinebit; in secundo & tertio, similiter ieiunet; tertiam autem, & quintam feriam, ac sabbatum redimere potest. Reliquis quatuor annis ieiunabit in singulis tres Quadragesimas; primam ante Pascha, alteram ante diem festum sancti Ioannis Baptistæ, tertiam ante Nativitatem Domini.

Si quis fecerit homicidium pro vindicta parentum, ita pęnitentiam aget ut homicida voluntarius. Itidem pro vindicta fratris.

Qui pro vindicta fratris, annum unum, & in sequentibus duobus annis tres quadragesimas, & legitimas ferias.

Si quis per iram subitam, aut per rixam hominem necarit, pęnitentiam aget annos tres.

Si quis iussu domini homicidium perpetravit; dies quadraginta in pane & aqua, & præterea septem annos sequentes per legitimas ferias ieiunabit.

Qui in bello publico iussu Principis legitimi tyrannum interfecerit, pęnitens erit tres Quadragesimas per legitimas ferias.

Qui liber iubente maiore suo innocentem occiderit, pęnitentiam aget annum unum, & sequentes duos, tres Quadragesimas, & legitimas ferias.

Qui

Qui homicidii auctor fuit, ob consilium quod dedit, erit in pœnitentia quadraginta dies in pane & aqua cum septem sequentibus annis.

Qui insidiatus est alicui, ut ab aliis occidatur, licet ipse non occiderit; pœnitentiam aget quadraginta dies in pane & aqua, & septem seqnentes annos observabit.

Qui accusavit aliquem, ob eamque accusationem occisus est, quadraginta dies in pane & aqua cum septem sequentibus annis in pęnitentia versari debet. Sin autem ob accusationem debilitatus est; tres Quadragesimas pęnitebit per legitimas ferias.

Qui insanus homicidium perpetravit, leviorem pęnitentiam explebit.

Qui publice pęnitentem occiderit, tamquam de homicidio sponte commisso duplicem pęnitentiam aget.

Qui furem aut latronem interfecerit; quadraginta dies ab Ecclesiæ ingressu abstinebit, & præterea in tertia feria, & in sexta, & in sabbato ieiunabit.

Si quis casu homicidium fecerit, pęnitens erit quadraginta dies in pane & aqua: his peractis biennio ab oratione fidelium segregatus non communicabit, neque offeret. Post biennium in communionem orationis suscipietur, offeret autem, non tamen communicabit. Post quinquennium ad plenam communionem recipietur: a cibis abstinebit arbitratu Sacerdotis.

Qui hominem tamquam feram aliquam latentem inopinato occiderit, quadraginta dies pęnitentiam aget in pane & aqua, & quinque sequentes annos arbitratu Sacerdotis.

Si plures homines unum per rixam adorti occiderint, quicumque eorum plagam ei inflixerit, tamquam homicida pęnitentiam aget.

Qui homicidio, quod postea factum est, consenserit; pęnitentiam aget annis septem, tres in pane & aqua; sin autem voluerit, nec vero potuerit; tres tantum annos. Si quis nolens homicidium patrarit, pęnitebit quinque annis, & duobus in pane & aqua.

Si quis aliquem vulneraverit, vel ei aliquod membrum præciderit; pęnitentiam aget anno uno per legitimas ferias; sique cicatrix gravis est, ut vulneratum deformem reddit (*reddat*); quadraginta etiam dies pęnitebit in pane & aqua.

Si quis ictum proximo dederit, nec nocuerit; tridui pęnitentiam aget in pane & aqua: Clericus unius anni & mensium sex.

Si quis aliquem per iram percutiens debilitaverit; soluta medicamenti impensa, si laicus est, pęnitens erit quadraginta dies in pane & aqua; si Clericus, duas Quadragesimas; si Diaconus, septem mensibus; si Presbyter, uno anno.

Si quis Episcopus homicidium fecerit, in pęnitentia sit quindecim annis, dignitatisque gradu amoveatur, vitæque suæ cursum peregrinando conficiat.

Presbyter pęnitens erit annos duodecim: quatuor ex his in pane & aqua, & Sacerdotis gradu privetur: Diaconus annos decem; tres ex his in pane & aque: Clericus inferioris ordinis annos septem; tres in pane & aqua.

Si

Si quis fratri suo, quem oderit, reconciliari non vult; tamdiu in pane & aqua pœnitentiam aget, quoad reconcilietur.

PRAECEPTUM VI.

Non furaberis.

CANONES POENITENTIAE,

si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.

Qui furatus est aliquid de Ecclesiæ supellectili, vel thesauro; quod sustulit; reddet; & tres carinas cum septem sequentibus annis pœnitebit.

Qui sacras Reliquias furatus est, illis restitutis, septem carinas ieiunabit.

Pecuniam ecclesiasticam furatus, quadruplum reddet; si quid item de ministerio Ecclesiæ aliquo modo surripuerit, pœnitens erit annos septem.

Si quis vel ecclesiasticas obligationes rapuerit, vel rapientibus consenserit; quadruplum restituat, & canonice pœnitens erit.

Sacrilegus, rerumve ecclesiasticarum invasor, uno anno extra Ecclesiam Dei maneat: secundo anno pro foribus Ecclesiæ sine communione maneat; tertio anno in Ecclesia inter audientes sit sine oblatione; carneque, vinoque abstineat, præterquam in Pascha, & die Natali: quarto anno, si fructuosus triennio pœnitentiæ fructus extiterit, communioni fidelium restituatur, ea lege ut spondeat, se in posterum tale quidquam non commissurum, ac præterea sine esu carnis, & potatione vini, usque ad septennium pœnitens permanebit.

Qui Ecclesiam incenderit, illam restituet, pœnitentiam aget annos quindecim, & pretium det pauperibus. Itidem qui incendio consenserit.

Si quis malo studio, vel odio, vel ulciscendæ iniuriæ causa, incendium commiserit, committive iusserit, curaverit, aut incendiario auxilium, vel consilium scienter dederit; excommunicatur; si mortuus erit, christiana sepultura carebit. Nec vero absolvetur, nisi damnum pro facultatibus resarciverit; iuretque, se in posterum tale facinus numquam admissurum. Pœnitentia præterea hæc ei constituetur, ut Hierosolymis, aut in Hispania in servitio Dei totum annum permaneat.

Si quis sepulcrum violaverit, pœnitens erit annos septem, e quibus tres in pane & aqua.

Qui sepulcrum infregerit, ut defuncti sepulti vestimenta furaretur, pœnitens erit annos duos per legitimas ferias.

Qui de oblationibus quæ Ecclesiis factæ sunt, aliquid retinuerit, pœnitens erit dies quadraginta in pane & aqua.

Qui

Qui decimam sibi retinuerit, aut dare neglexerit; quadruplum restituet, & pœnitentiam aget dies viginti in pane & aqua.

Qui hospitalis domus administrator aliquid de administratione subtraxerit; restituet quod abstulit, pœnitensque erit annos tres.

Qui pauperem oppresserit, eiusque bona abstulerit; reddet ei suum, & pœnitens erit dies triginta in pane & aqua.

Clericus furtum capitale faciens, septennii pœnitentiam explebit, laicus quinquennii; & quod furatus est, reddat.

Si quis per necessitatem cibum, vel vestem furatus sit, in pœnitentia erit hebdomadas tres; si reddiderit, ieiunare non cogitur.

Qui fregerit noctu alicuius domum, aut aliquid auferet; pretium reddet, & pœnitentiam aget annum in pane & aqua; si non reddit, annos duos.

Si quis furtum de re minori semel, aut bis fecerit; restituta re, pœnitentiam aget annum unum.

Qui rem inventam non reddit, furtum commisit: idcirco tamquam de furto pœnitentiam aget.

Si quis usuras accipit, rapinam facit: ideoque quicumque illam exegerit, pœnitentiam aget annis tribus, uno in pane & aqua.

PRAECEPTUM VII.

Non mœchaberis.

CANONES POENITENTIAE,

si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.

Si laicus solutus cum femina soluta concubuerit, pœnitens erit annos tres, & quanto sæpius, tanto maiori pœnitentia afficietur. Itidem qui cum ancilla coierit.

Uxor, conscio viro mœchata, ne in obitu quidem communicabitur: si dignam pœnitentiam egerit, post decem annos sacram communionem sumet.

Si quis uxorem nolentem adulterium perpetrare coegerit, pœnitentiam aget dies quadraginta in pane & aqua, & septem præterea annos, e quibus unum in pane item & aqua.

Si quis coniugem fornicari consenserit, diebus omnibus vitæ in pœnitentia erit arbitrio periti Sacerdotis.

Vir solutus, si cum alterius uxore adulterium commiserit, pœnitentiam aget annos septem; mulier quinque.

Mu-

Mulier soluta cum alterius marito adulterium patrans, pœnitentia afficietur decennali; ille quinquennali.

Si quis maritus semel lapsus est, pœnitentiam aget annos quinque.

Si sæpius mœchatus est, in fine mortis est conveniendus: sique promiserit se cessaturum, dabitur ei communio.

Qui sæpe fornicatur, laicus cum laica, pœnitentiam aget tres annos.

Si quis uxorem simul, & concubinam habuerit, in pœnitentia erit annos septem, & amplius pro ratione culpæ.

Maritus si ancilla concubina utitur, pœnitentiam aget annum unum, Quadragesimas tres, & legitimas ferias tribus mensibus. Illa, si invita violatur, quadraginta dies; si consentiens, Quadragesimas tres, & legitimas ferias.

Qui cum uxore sua turpiter concubuerit, pœnitens erit quadraginta dies.

Si quis adolescens cum virgine peccaverit; pœnitentiam aget annum unum.

Qui puellam, aut mulierem libidinose obtrectaverit, si Clericus est, quinque dies; si laicus, tres dies pœnitentiam aget; Monachus, vel Sacerdos, a ministerio suspensus, pœnitens erit dies viginti.

Si quis in balneis cum muliere se laverit, pœnitentiam aget triduo.

Qui concupierit virginem, quam postea uxorem duxerit, pœnitentiam aget annum unum per legitimas ferias; si vero non duxerit, annos duos per legitimas ferias.

Si quis mulierem aliis desponsatam in matrimonium duxerit, eam dimittet; & pœnitens erit quadraginta dies in pane & aqua cum septem annis sequentibus.

Vidua, quæ stuprum admiserit, pœnitentiam aget annum totum, & præterea in altero anno dies ieiuniorum.

Si quis cum uxoris suæ sorore per imprudentiam fornicationem admiserit; pœnitentiam sibi indictam aget, si probaverit, se tale scelus inscienter fecisse. Cum duabus sororibus fornicatus, pœnitentiam aget toto suæ vitæ tempore. Item

Qui cum duabus sororibus, vel cum noverca, vel cum sorore sua, vel cum amita, vel cum nuru, vel quod denique incestum admiserit; ab ingressu Ecclesiæ abstinebit annum unum: quo anno præter festos dies pane solum, & aqua utetur, arma non feret, osculum nemini præbebit, sacram communionem nisi pro viatico non sumet, sex deinde annis Ecclesiam ingredietur; sed carne, & vino, & sicera non utetur, nisi festis diebus. Postea vero duobus annis quando carne vescetur, a potu vini abstinebit: quod si biberit, carne non vescetur, nisi dominicis diebus, & præcipuis festis: deinde usque ad obitum perpetuo præter festos dies a carne abstinebit. Tres legitimas ferias singulis hebdomadis ieiunabit, & Quadragesimas tres singulis annis legitime custodiet.

Qui

Qui incestum fecerit, ei alii annorum duodecim, alii quindecim, alii decem, alii septem pœnitentiam constituunt.

Quicumque Sacerdos spiritualem filiam violaverit, dignitatis honorem amittet; & perpetuam pœnitentiam aget.

Qui item Sacerdos hoc facinus admiserit, omni muneris sui functione mulctatus, pœnitentiam etiam peregrinando aget annos quindecim: deinde in Monasterium abiens toto vitæ tempore ibi Deo serviet: femina autem res suas in eleemosynam pauperibus conferet, in Monasterioque Deo serviet omnibus vitæ suæ diebus.

Si Episcopus hoc admiserit, pœnitentiam aget annos quindecim.

Qui Monialem violaverit, pœnitens erit annis decem.

Presbyter, si fornicationem admiserit, sponte confessus pœnitentiam aget annos decem hoc modo: tribus mensibus a ceteris remotus pane & aqua ieiunabit, diebus autem festis modico vino, pisciculis, & legumine utetur: sacco indutus humi cubabit, diu noctuque misericordiam Dei implorans. Deinde unum annum & sex menses in pœnitentia, ieiunioque panis, & aquæ explebit, præter festos dies, in quibus vino, & sagimine, caseo, ovisque canonice uti poterit. Finito primo anno & dimidio, sacræ communionis particeps fiet, psalmos in choro ultimus canet, officia minora geret. Postea vero quam septimum pœnitentiæ annum expleverit, omni quidem tempore præter paschales dies, singulis hebdomadis per legitimas ferias in pane & aqua ieiunabit.

Qui cum brutis coierit, pœnitentia afficietur annorum decem, & diuturniori etiam pro personæ conditione.

Qui contra naturam coierit; si servus est, scopis castigabitur, & pœnitebit annos duos; si liber est, & matrimonio iunctus, annos decem; si solutus, annos septem: pueri dies centum: laicus matrimonio coniunctus si in consuetudine habet, annos quindecim: si Clericus, de gradu amotus, ut laicus pœnitentiam aget: qui cum fratre tale scelus admiserit, ab omni carne abstinebit, pœnitensque erit annos quindecim: si Clericus, diuturniori, & graviori pœnitentia afficietur.

Mulier in se, aut cum altera fornicans, pœnitentia afficietur duorum annorum. Vir se inquinans primo dies decem; si iterum, dies viginti; si tertio, dies triginta: sique nefarie agere perget, pœnitentiæ accessio ei fiet; si puer, dies quadraginta; si maior quindecim annis, dies centum.

Puer parvulus oppressus a maiore, hebdomadam ieiunabit; si consenserit, dies viginti; si coinquinatus erit, dies centum; si voluntatem suam expleverit, annum unum.

Qui complexu feminæ, vel osculo polluitur, pœnitentiam aget dies triginta; qui contactu inverecundo, menses tres.

Qui

Qui concupiſcit mente, ſed non potuit; dies decem pœnitentiam aget.

Qui turpiloquio, aſpectuque polluitur negligens, nec vero peccare voluit; pœnitentiam aget dies viginti: ſi vero impugnatione tentationis, & cogitationis inquinatur, pœnitebit item dies viginti.

Quicumque lenocinium exercuerit, pœnitentiam aget annos duos per legitimas ferias. Item

Qui hoc facinus admiſerit, ſacram communionem non accipiet niſi in fine.

Si quæ mulier ceruſſa, aliove pigmento ſe oblinit, ut aliis viris placeat; pœnitentia afficietur annorum trium.

PRAECEPTUM VIII.

Non falſum teſtimonium dices.

CANONES POENITENTIAE,

ſi quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.

Qui affirmarit verum quod falſum eſt; pœnitentiam aget ut adulter, ut homicida, qui ſponte id facinus admiſerit.

Qui falſo teſtimonio conſenſerit, pœnitens erit annos quinque.

Qui proximo falſum crimen obiicit, pœnitentia afficitur ut falſus teſtis.

Qui proximo peccatum imputarit, priuſquam ſeorſum eum arguerit; primum illi ſatisfaciens, pœnitentiam aget tres dies.

Si quis contra proximum lingua laſcivus erit, triduana pœnitentia expiabitur.

Si quis murmuraverit, iudicio Sacerdotis pœnitentiam aget pro culpæ gravitate.

Si quis convicium manifeſtum fratri intulerit, diuturna expiabitur pœnitentia pro modo peccati.

Si quis facile detraxerit, falſumque in hoc dixerit; pœnitens erit dies ſeptem in pane & aqua.

Qui falſitatem, fraudemve in ponderibus, & menſuris admiſerit, pœnitens erit in pane & aqua dies viginti.

Falſarius, in pane, & aqua pœnitentiam agat quamdiu vivit.

PRAE-

PRAECEPTUM IX.

Non concupiſces rem proximi tui.

CANONES POENITENTIAE,

ſi quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.

Rem alienam nefarie concupiſcens, avaruſque pœnitens erit annis tribus.

Qui aliena furari concupiſcit, furtum eſt; qui item aliena rapere cupit, rapina eſt: qui res Eccleſiæ furari appetit, ſacrilegium eſt: ideo cum nefarie concupiſcendo graviter peccet, ut peccati mortalis pœnitentiam aget Sacerdotis arbitratu.

Qui rem aliquam proximi pretioſam invenire cupit, ut illam ſibi retineat, mortale peccatum concipit, cuius pœnitentiam aget, ut ſupra dictum eſt de furto.

PRAECEPTUM X.

Non deſiderabis uxorem proximi tui.

CANONES POENITENTIAE,

ſi quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.

Si quis concupiſcit fornicari; ſi Epiſcopus, pœnitens erit annos ſeptem; ſi Presbyter, quinque; ſi Diaconus, vel Monachus, tres, e quibus unum in pane & aqua; ſi Clericus, aut laicus, annos duos.

Si quis in ſomnis ex immundo deſiderio polluitur; ſurgat, & cantet ſeptem Pſalmos pœnitentiales.

Si Clericus, aut laicus ex mala cogitatione, concupiſcentiaque ſemen effuderit; pœnitens erit dies ſeptem.

CANONES POENITENTIAE

De ſeptem peccatis capitalibus.

Capitalia peccata, quæ principalia etiam vocantur, utpote e quibus omnia vitia principium habent, ſunt ſuperbia, vanagloria, avaritia, luxuria, invidia, ira, gula, & acedia.

Pro

Pro capitali, mortalique crimine pœnitentia ſeptem annorum indicitur, niſi peccati gravitas, & perſonæ ſtatus ſeveriorem, diuturnioremque pœnitentiam requirat.

Pro capitali crimine pœnitentiam aget, laicus annos quatuor, Clericus quinque, Subdiaconus ſex, Diaconus ſeptem, Presbyter decem, Epiſcopus duodecim.

Sed demonſtratæ iam paullo ante ſunt pœnitentiæ, quæ ex canonum diſciplina conſtituuntur fere pro peccatis mortalibus, quæ ex his ſeptem capitalibus vitiis originem trahunt. Pro gulæ autem vitio ſunt hi præcipui pœnitentiæ canones.

CANONES POENITENTIAE

De gula, & ebrietate.

Sacerdos imprudenter ebrius factus, pane, & aqua pœnitentiam agàt dies ſeptem; ſi negligenter, dies quindecim; ſi per contemptum, dies quadraginta.

Diaconus, & alius Clericus ebrius factus, arbitrio Sacerdotis pœnitens erit.

Monachus ebrius, pane, & aqua menſibus tribus; ſi Clericus, viginti dies.

Laicus ebrioſus graviter arguatur, & pœnitentiam agere a Sacerdote cogatur.

Qui humanitatis gratia alium inebriare cogit, pœnitentiam aget dies ſeptem; ſi per contemptum, dies triginta.

Qui ad bibendum invitat pluſquam naturæ ſatis eſt, pœnitentiam agat.

Qui præ ebrietate, & crapula vomitum fecerit, ſi Presbyter, aut Diaconus, pœnitentiam agat dies quadraginta.

Si Monachus, aut Clericus, dies triginta.

Si laicus, dies quindecim.

Si laicus, item a vino, & carne abſtineat dies tres.

Si quis gulæ cauſa ante horam legitimam ieiunium fregerit, duos dies pœnitentiam aget in pane & aqua.

Si quis nimio cibo ſe ingurgitaverit, ut inde dolorem ſenſerit, unum diem pœnitentiam aget in pane & aqua.

CANONES POENITENTIAE

De variis peccatis.

Si quis Sacerdos Miſſam canit, neque communicat; per annum pœnitentiam agat, nec vero interea celebret.

Sacerdos excommunicatus, si celebrat; tribus annis pœnitens sit, hebdomadisque singulis, feria secunda, quarta, & sexta, a vino, & carnibus ieiunet.

Sacerdos, Sacerdotii sui gradu, ordineque in perpetuum amotus, si celebrare audet, privatur communione corporis, & sanguinis Iesu Christi, usque ad ultimum diem, & in excommunicatione est, viaticum tantum in fine sumens.

Si gutta sanguinis Christi in terram cadit; Sacerdos in pœnitentia sit quinquaginta dies; si super altare, & ad pannum unum transit, diebus duobus; si usque ad pannos duos, diebus quatuor; si usque ad tres, diebus novem; si usque ad quatuor, viginti diebus.

Si incaute dimisit, quamvis nil nefandi acciderit; tribus mensibus a sui muneris administrarione amovetur.

Qui per ebrietatem Eucharistiam vomit; si laicus est, quadraginta diebus; si Clericus, sexaginta; si Episcopus, nonaginta diebus; si infirmus, pœnitentiam agat diebus septem.

Scienter rebaptizatus, si propter hæresim hoc scelus admittit, pœnitentia afficiatur septem annorum, quarta, & sexta feria ieiunans, tribus item Quadragesimis pane & aqua.

Si vero pro munditia hoc facere putarit, eum pœniteat tribus annis: quod si ignoranter, non peccat; sed ideo non promovendus, licet sit excellens.

Si Episcopus, Presbyter, Diaconusve sponte est rebaptizatus, quamdiu vivit, pœnitens sit; alii vero Clerici, & Monachi, & Moniales, ab hæreticis volentes rebaptizari, pœnitentiam agant duodecim annis.

Sacerdos qui interest clandestinis desponsationibus, per triennium ab officii sui administratione amovetur.

Sacerdos qui palliis altaris mortuum involvit, pœnitens sit decem annis & quinque mensibus; Diaconus autem annis tribus, & sex mensibus.

Qui legata pia Ecclesiæ non solvit, uno anno pœnitens erit per legitimas ferias.

Qui vir faciem suam transformaverit habitu muliebri, & mulier habitu viri; emendationem pollicitus, annis pœnitens sit tribus.

Infirmos, aut vinctos visitare negligens, pœnitentiam aget dies decem, pane & aqua victitans.

DECLARATIONES.

Confessarius, cum ex iis quæ conscripta sunt, intelligat pro ratione & temporum, & personarum diversas pœnitentias fuisse, earumque redimendarum certam rationem adbibitam esse; arbitrio tamen suo illis omnibus mitigandis, moderandisque aget, ut initio traditum est.

De pœnitentia per legitimas ferias constituta, Confessarius animadvertat, eo nomine intelligi feriam secundam, quartam, & sextam, canonum legibus pœnitentiæ, ieiunioque præscriptam.

Carinæ ieiunium, quod aliquando pœnitentiali canone cavetur, id appellatur quod per quadraginta dies in pane & aqua fiebat, ut sæpe numero Buchardus interpretatur. Carinam alii dicunt, quidam carenam, alii carentenam, alii quadragenam.

Pœnitentia per tres Quadragesimas indicta, ita intelligitur, ut cui imponebatur, is in anno pane & aqua ieiunaret Quadragesimas tres: quarum prima est ante diem Natalem Domini; altera ante Pascha Resurrectionis; tertia, quæ scilicet per dies tredecim ante diem festum sancti Ioannis Baptistæ agebatur, quemadmodum ex Concilii Salegustadiensis decreto perspici potest.

CAPUT IV.

Quamquam exterior pænitentiæ disciplina mutata sit, idem tamen Ecclesiæ spiritus perseverat.

I. LEX satisfaciendi pro patratis delictis divina est. *Facite fructus dignos pœnitentiæ*: Luc. III. Eadem nunc ac olim satisfaciendi necessitas. Idem spiritus, eadem Ecclesiæ mens in præsenti sæculo ac in primo. Porro sicut lex satisfaciendi divina est, ita divina lex est, ut delictorum enormitati quantitas respondeat satisfactionis, iustitiæ regulis absolute spectatis. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Qui itaque secus agerent, & pro gravissimis, aut continuatis fere periuriis, blasphemiis, adulteriis &c. leves imponerent pœnitentias, de eorum numero essent de quibus Christus IESUS indignanter pronuntiat Matth. XV. *Cæci sunt, & duces cæcorum: cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt*: & Ieremias Propheta *cap.* VI. clamat: *Curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia dicentes, Pax pax, & non erat pax.*

II. Ipsa satisfactionis notio hanc veritatem confirmat. Quid enim satisfactio est nisi rei debitæ integra solutio, & iniuriæ alteri illatæ compensatio secundum iustitiæ æqualitatem? Perspicue hoc declarat Lib. I. *Cur Deus homo* cap. XI. S. Anselmus, inquiens: *Peccare quippe nihil aliud est quam Deo non reddere debitum . . . Hunc honorem debitum qui Deo non reddit, aufert Deo quod suum est, & Deum exhonorat. Quamdiu autem non solvit quod rapuit, manet in culpa: nec sufficit solummodo reddere, quod ablatum est; sed pro contumelia illata plus debet reddere quam abstulit. Sicut enim qui lædit salutem alterius, non sufficit,*

si salutem restituat, nisi pro illata doloris iniuria recompenset aliquid; ita qui honorem alicuius violat, non sufficit honorem reddere, si non secundum exhonorationis factam molestiam aliquid, quod placeat illi quem exhonoravit, restituat . . . Sic ergo debet omnis qui peccat, honorem, quem rapuit, solvere; & hæc est satisfactio quam omnis peccator debet Deo facere.

III. Hanc satisfactionem, quam olim Ecclesia a Spiritu sancto directa voluit, etiam hodie vult, nempe solutionem debiti integram, quoad fert humana imbecillitas. An hodie minorem iniuriam adulterium, homicidium, fornicatio, periurium, blasphemia Deo irrogant quam olim? Severior ne duodecim primis Ecclesiæ sæculis divina iustitia quam ætate nostra? Clementior ne Deus nunc quam olim? Exterior ergo tantum satisfactionis forma mutata est, secus spiritus & substantia eiusdem. Sanctissimi Patres, & Episcopi tot sæculis canonicas satisfactiones pœnitentibus imposuerunt, non ex arbitrio, sed criminum gravitate, & divinæ iustitiæ læsione spectatis. Mutata tempora sunt; at Ecclesiæ spiritus idem perseverat. Vetusti rigoris remissionem benigne tolerat clementissima mater; at non propterea diminutum est satisfactionis debitum.

IV. Quid quod hominum morbi, infirmitates, concupiscentia, ceteræque effrenatæ appetitiones non blandiori mitiorive remedio nunc ac olim egent? Satisfactiones autem non modo institutæ sunt, ut violata divina iura resarciant, verum etiam ut peccandi propensionem coerceant, & flagitiorum radices evellant. Numquid in præsentia minori zelo Ecclesia ardet spirituales fidelium morbos sanandi? Inventa ne aliquá nova medicina superbiæ deprimendæ, concupiscentiæ frenandæ, avaritiæ extinguendæ? Sicuti novus opinandi modus irrepsit, quo quisque suas propugnat cogitatiunculas; ita ne inventa nova ars est, qua carnis rebellio sine labore & dolore comprimatur; qua superbia, ambitio, fastus, & ceteræ depravatæ cupiditates absque difficultate, & quidem gravissima coerceantur? Amentes ne fuerunt tot sæculorum pœnitentes, qui sine necessitate ieiuniis, flagellis, cinere, & cilicio in corpus proprium sævierunt? Nec est quod reponatur, id ex redundantia præstitisse. Quoniam, nisi eiusmodi remediis sordes animæ expiarent, ad sacram mensam non admittebantur.

V. Falluntur ergo, & quidem turpiter, qui antiquos canones tantorum Patrum auctoritate, & reverentia consecratos, existimant sic abolitos esse, ut Sacerdotes, nullo ad eosdem respectu habito, pro gravissimis flagitiis leves quasdam pœnitentias possint iniungere. Quem perniciosum abusum, & sacrilegam corruptelam semper deploravit Ecclesia, quæ semper pristinum inculcare fervorem, quoad patitur temporum calamitas, non cessat illo ipso tempore quo mitiores ætatis nostræ satisfactiones tolerat. Ex multis documentis unum transcribo ex Concilio Parisiensi VI. ubi *Lib. I. cap.* XXXII. hæc habentur. „ Quoniam

„ multi Sacerdotum partim incuria, partim ignorantia, modum pœnitentiæ reatum suum confitentibus, secus quam iura canonica decernant, imponunt, „ *utentes scilicet quibusdam codicillis contra canonicam auctoritatem scriptis, quos* „ *Pœnitentiales vocant*, & ob id non vulnera peccatorum curant, sed potius fo„ ventes palpant, incidentes in illud propheticum: *Væ qui consuunt pulvillos* „ *sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ad decipiendas animas*: omnibus „ nobis salubriter visum est ut unusquisque Episcoporum in sua parochia eosdem „ *erroneos codicillos diligenter perquirat, & inventos igni tradat*, ne per eos ul„ terius Sacerdotes imperiti homines decipiant. Sacerdotes porro qui *aut mune*„ *ris, aut timoris, aut certe favoris causa*, tempora, modumque pœnitentiæ ad „ libitum pœnitentium indicunt, audiant quid Dominus per Ezechielem Prophe„ tam terribiliter dicat: *Hæc dicit Dominus Deus: Quia locuti estis vana, & vi*„ *distis mendacium: ecce ego ad vos* &c. "

VI. Compertum itaque exploratumque, spiritum mentemque Ecclesiæ nullam subiisse mutationem; & idem nunc ac olim satisfactionis debitum esse: cum nec divina iustitia mitior, nec Dei misericordia maior, nec peccatorum malitia levior, nec carnis, & humanarum passionum victoria facilior, aut blandior evaserit. Forma, methodus, ratio satisfactionis, & solutionis debiti variata est; verum divinæ iustitiæ iura violata æque in præsentia, ac primis Ecclesiæ sæculis, resarcienda sunt. Olim absolutionem solutio præcedebat; nunc subsequitur: olim gradus quatuor in solutione servandi præscripti erant; nunc penitus obsolevere: & hanc mutationem ratam habet Ecclesia. Olim quantitas satisfactionis, pro quolibet peccato mortali solvendæ, taxata erat; & ab ea recedere Confessariis vetitum erat. Hanc taxationem numquam alio decreto mutavit Ecclesia, sed prudentiæ Sacerdotum reliquit, ut pro temporum, & personarum diversitate attemperare rigorem valeant, semper tamen respectu habito & ad antiquos canones, & ad criminum maiorem, vel minorem enormitatem, ut ex Concilio Tridentino, eiusque Catechismo, & aliis Conciliis mox palam fiet. Aliqua ergo antiquæ disciplinæ in exhibenda pro peccatis satisfactione habenda ratio est. Abrogati sunt gradus pœnitentium, anticipatio solutionis ante absolutionem, & nonnulla alia exterioris mœstitiæ signa obsolevere. Summa insuper clementia tolerat Ecclesia mensuræ olim præscriptæ pœnitentiæ solvendæ diminutionem. Tolerat, inquam, ut Sacerdotes queant pœnitentium imbecillitati attemperare & ieiuniorum asperitatem, & precationum diuturnitatem, & eleemosynarum quantitatem. At summis votis cupit benignissima mater, ut, quantum humana infirmitas sinit, Confessarii studeant ad antiquorum canonum normam pœnitentium suorum mores informare; illosque animare ad dignos pœnitentiæ fructus divinæ iustitiæ exhibendos. Quoniam Ecclesiæ spiritus idem semper fuit, est, & erit,

erit, ut penitentes debita, quoad possunt, Deo solvant, & opportunis remediis carnem, & concupiscentiam frenent.

VII. Multa hic promenda essent contra non paucos novissimos Casuistas, qui antiquorum canonum auctoritatem tantum non contemnunt, ex S. Carolo Borromæo. Sed pauca adiiciam. *Exulcerantur* (inquit S. Archiepiscopus in oratione ad Concil. Mediolanense VI.) *animi quorumdam dictitantium : Non ferunt hæc tempora veterum canonum, & antiquæ Ecclesiæ medicamenta. Immo ardentius prosequamur, quoniam hæc una medicina est præstantissima, maximeque opportunum id remedium, ut quibus olim rationibus disciplina ecclesiastica fuit, & propagata fuit, iisdem ipsis & instauretur, & propagetur.* In concione vero ad Concilium II. *filios perditionis* appellat illos qui aiunt : *Non ferunt hæc tempora veterum canonum severitatem. Sic iam diu viximus : sic vixerunt, ita egerunt qui ætate antecesserunt : vitæ institutum nihil est quod mutemus. At nos hæc, atque adeo alia huiusmodi contemnamus* &c. Matthæus Giberti Episcopus Veronensis in suis constitutionibus cap. XVIII. tit. 6. *Confessarii canones pœnitentiales quasi quasdam regulas ediscant... ut sciant illos postea sapienter & discrete moderari secundum peccati circumstantias, & contritionis qualitatem.* Sic locuti SS. Episcopi ætati nostræ propinquiores. Hos audito, secus Casuistas illos qui oppositum docent.

C A P U T V.

Expediat ne in præsens publica pœnitentia.

I. PRimum penitentiæ publicæ tria delicta obnoxia legimus, nempe idololatriam, homicidium, & adulterium. Post ob morum pravitatem alia adiecta fuere. Disputant Theologi in utramque partem, fuerint ne peccata occulta penitentiæ publicæ obnoxia? Utraque pars non contemnenda argumenta promit, quæ recensere operæ pretium non existimo. Sunt qui utramque sententiam conciliant exemplo hodiernæ disciplinæ. Canones hodierni, qui in atrociora quædam crimina penas excommunicationis & irregularitatis decernunt, ipso facto subeundas, æque ligant homicidas, simoniacos &c. occultos, ac publicos : cum solo discrimine, ut tum solum suspendatur effectus, cum servari nequit absque infamiæ, aut alterius gravioris incommodi periculo. Idem ergo dicendum de veteri disciplina videtur. Verum, ut ut hac de re sit, illud discutiendum nobis est, expediat ne in præsens penitentia publica?

II. Quæst. unic. *Utrum peccata publica pœnitentia publica expianda sint etiam ætate nostra?* Resp. Affirmativa sententia mihi vera videtur. Et, missis antiquis Patrum documentis, pauca illorum produco qui sunt ætati nostræ propin-

quiores. Principio tamen auctoritas S. Pauli *I. ad Timoth. v.* praecedat. *Peccantes coram omnibus argue, ut & ceteri timorem habeant*. Memoriae commendanda est ratio haec, *ut & ceteri timorem habeant*. Cardinalis Gropperus in Institutione catholica dolet, quod poenitentia publica *inexcusabili prorsus negligentia, aut imperitia Sacerdotum in Latina Ecclesia iam in totum pene exoleverit. Oportet ut qui publice peccat, publica multetur poenitentia.*

III. Petrus Soto, strenuus adversus Lutheranos Ecclesiae catholicae vindex, & Tridentini Concilii Theologus in *Institut. Sacerdot. lec.* 2. gemebundus scribit: *Si hoc fieret, hoc exemplo viderent omnes, quanti peccata fiant in Ecclesia, & quam dura sit pro illis suscipienda poenitentia: atque ita ab eis deterreretur populus, & ad Dei timorem excitaretur. Aperte enim videmus, quantum horum obliteratio in Ecclesia detraxerit dignae aestimationi peccatorum, & timori Dei. Quapropter cuperent multi illa poenitentiae publicae tempora restitui.*

IV. Legati missi a Carolo IX. ad Concilium Tridentinum inter alia reformationis capita, haec proposuerunt, inquit Carolus Vittassius. *Quoniam saepe ob unius enorme delictum affligeretur universus populus, quem de proximi peccatis sollicitum esse oportet, restituantur Ecclesiae catholicae, non solum illa antiqua propter graves, & publicas offensas poenitentia publica; sed etiam ad iram Dei placandam ieiunia, & luctus publici.*

V. Et reipsa Concilii Tridentini Patres haec pia, & iusta Gallorum vota exaudiere. Nam *sess.* XXIV. *cap.* VIII. *de reform.* haec statuerunt. *Apostolus monet publice peccantes palam esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publice, & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos, commotosque fuisse non sit dubitandum; huic condignam pro modo culpae poenitentiam publice iniungi oportet, ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suae emendationis testimonio ad rectam revocet vitam.*

VI. Catechismus eiusdem Concilii *II. Part. cap.* v. §. 67. haec habet. *Praeterea poenitentiae nostrae exempla alios docent, quomodo ipsi vitam instituere, & pietatem sequi debeant. Cum enim poenas pro peccatis nobis irrogatas ceteri homines intuentur, & summam cautionem sibi in omni vita adhibendam, & mores pristinos corrigendos esse intelligunt. Quare* (N. B.) *sapientissime illud ab Ecclesia observatum est, ut cum ab aliquo publice flagitium commissum esset, publica etiam poenitentia ei indiceretur, ut ceteri timore perterriti, deinceps peccata diligentius vitarent: quod etiam in occultis criminibus, quae graviora essent, interdum fieri solitum erat. Sed in publicis, ut diximus, hoc perpetuum fuit, ut qui ea commiserant, antequam publicam poenitentiam suscepissent, non absolverentur. Interim vero Pastores pro eorum salute Deum rogabant, atque ut ipsi etiam poenitentes idem facerent, eos hortari non desinebant.*

VII.

VII. Patres Tridentini Concilii, eiusdemque Catechismi publicæ pœnitentiæ imponendæ necessitatem in verbis S. Pauli Apostoli fundant, & in ipsa peccati publici natura. Publicum enim scandalum publica auferri pœnitentia debet. Porro ita hanc publicæ pœnitentiæ iniungendæ necessitatem commendant, ut solis Episcopis facultatem tribuant commutandi interdum hanc publicam pœnitentiam in secretam, quando & temporum, & personarum circumstantiæ ita postulant.

VIII. Tridentini Concilii doctrinam omnes celebriores Ecclesiæ promovere curarunt. In Italia S. Carolus Borromæus continuo post absolutum Concilium Tridentinum in Concilio Mediolanensi I. hæc statuit. *Iidem* (Confessores) *quemadmodum a sacra Tridentina Synodo iussum est, publice peccantibus publicam pœnitentiam imponant. Neque illud pœnitentiæ genus, nisi data ab Episcopo facultate, secreta alia pœna commutare audeant.* Et hoc vehementius urget in aliis posterioribus Conciliis III. & V. & in monitis ad Confessarios, ubi & ipsis Regularibus idem vetat.

IX. Tridentini Concilii doctrinam ad exemplum S. Caroli promoverunt Cardinalis Moronius an. 1565. in Synodo Mantuana *can.* xv. Ptolomæus Gallius Cardinalis in Sipontina an. 1567. Paulus de Aresio Cardinalis in Placentina an. 1570. Cyprianus Palavicinus in Genuensi an. 1674. Dominicus Bollanus in Brixiensi an. 1674. Marsilius Columna in Salernitana an. 1579. Alexander Vidicionus Episcopus Lucensis in Statutis an. 1586. Antonius Maria in Amerina an. 1596. Hieronymus Bernerius in Ausculana an. 1596. Petrus Uzimbardus in Aretina an. 1597. Ioannes Fontana in Ferrariensi an. 1612. Bonifacius Caietanus in Tarentina an. 1614. Caracciolus in Propeensi an. 1618. Franciscus Iustinianus in Tarvisina an. 1619.

X. Carolus Vittasse de satisfactione recenset Synodos Galliæ, Hispaniæ, Germaniæ, aliarumque nationum. Denique plures Theologi, etiam mitiores, unaque doctiores hanc ipsam doctrinam propugnant. Tannerus *Tom. IV. disput.* VI. *quæst.* VIII. *concl.* 6. AEgidius Conink *Tom. II. disp.* X. *dub.* 8. *concl.* 6. Vasquez in *III. Part. quæst.* XCIV. *de satisfact. art.* 2. *dub.* 2. Suarez in *III. Part. dis.* XXXVIII. *sect.* 6. omnes Soc. Iesu percelebres Theologi. Doctor eximius Suarez laudat pro hac sententia S. Thomam in *IV. dis.* XIV. *quæst.* 1. *art.* 5. *quæstiunc.* 1. *ad* 1. & *dis.* XVII. *quæst.* III. *art.* 4. *quæstiunc.* 4. *ad* 4. Alensem *IV. Part. quæst.* 14. *mem.* 6. *art.* 1. Paludanum *dist.* XIV. *quæst.* VI. Argentinensem *art.* 3. Durandum *quæst.* IV. Dominicum Soto *dist.* XIX. *quæst.* II. *art.* 5. S. Antoninum *III. Part. tit.* XIV. *cap.* XVII *§.* 6. & alios. Graviores autem ex iunioribus Theologi, Morinus, Merbesius, Iuveninus, Natalis ab Alexandro, Habert, Vittasse, ceterique plures in eamdem concedunt sententiam.

XI. Hactenus doctrinam certam, & regulas generales ex Scripturis, Patribus, &

& Conciliis haustas dedi. Quid vero in praxi expediat, definiri generatim nequit. Totum hoc ex prudentia christiana Sacerdotum pendet. Id semper prae oculis habendum, quod scandalum publicum, & damna spiritualia proximo irrogata compensanda omnino sunt. Quando vero circumstantiae tales occurrant quae ab hoc debito eximant, ad prudentes, doctos, piosque Confessarios attinet iudicare.

CAPUT VI.

De qualitate, quantitate, & tempore satisfactionis iniungendae poenitentibus.

I. QUaest. I. *Quotuplex sit satisfactionis genus?* Resp. Duplex satisfactionis genus poenitentibus iniungendum distinguitur a Concilio Tridentino. Alterum ad novae vitae instaurationem, & infirmitatis sanitatem ordinatur. Alterum praeteritorum criminum vindictam, & castigationem spectat. Prior medicinalis poena, posterior vindicativa appellari solet. Medicinalem peritus medicus, vindicativam aequus & integerrimus iudex praescribit: idcirco Confessarius in hoc sacramento & medici, & iudicis personam sustinet.

II. Medicus corporum ille est optimus, non qui plurimos infirmos visitat, non qui nominis celebritate clarus nobiliores visitat aegrotos, & infirmorum aures eruditis de medicina sermonibus, & blandiloquentia demulcet; sed qui plures sanat infirmos. Similiter optimus Confessarius ille non est qui doctius, accuratiusque de conscientiae casibus disputat, aut plurimorum poenitentium turba numerosa circumdatus omnes absolvit; sed qui poenitentium morbos sanat, & congrua sanitati confirmandae remedia praescribere novit, ut fusius *Lib. sequent.* dicturus sum.

III. Porro, ut Confessarius intelligat, quantae necessitatis sit poenitentiae medicinalis applicatio, prae oculis habeat Tridentini *sess.* XIV. *cap.* VIII. verba sequentia. *Magnopere a peccato revocant, & quasi freno quodam coercent hae satisfactoriae poenae, cautioresque, & vigilantiores in futurum poenitentes efficiunt; medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque vero securior ulla via in Ecclesia Dei umquam existimata fuit ad amovendam imminentem a Domino poenam, quam ut haec poenitentiae opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad haec, quod dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Iesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quod si compatimur, & conglorificabimur.*

IV.

IV. Heinc colligant Confessarii, num per unum & alterum B. Virginis Rosarium, Litanias, Psalmum habitus vitiosi expellantur. Videant, quid ad concupiscentiam coercendam, ad libidinem domandam prosint breves quædam precatiunculæ. Quid ergo præstare Confessarius debet? Mox dicam.

V. Quæst. II. *Quid observare Confessarius debet in medicinali pœnitentia iniungenda?* Resp. Primum omnium penitius tenetur inspicere, quodnam vitium capitale occupet pęnitentis cor, & sedem velut in eodem locatam habeat; uno verbo; quodnam sit vitium, seu passio dominans & tyrannidem exercens. In illo spectabit superbiam, in hoc avaritiam; in uno inanem gloriam, in altero luxuriam; in hoc acediam, in illo iram &c. Interrogabit pęnitentes, cur lapsi sint in talia odii, vindictæ, furti, libidinis, intemperantiæ flagitia? Reponet ille: Quia contemptui habitus fui & despicatui, famamque meam læsam existimavi. Ecce superbiam. Reponet alter: Rapui, defraudavi, debita non solvi: quia, inquiet ille, sustinere statum meum debeo: quia, reponet alter, & alii mihi damna intulere. Respondet alter: Fornicatus, męchatus sum, quia efflictim depereo illam, quia æstu libidinis ardeo. Et hæc dicet: Consensi in fornicationem, in adulterium, quia alia via in publicum ornata, ut meum decet statum, prodire nequeo. Hi avari, superbi, inanis gloriæ cupidi, ambitiosi, luxuriosi sunt.

VI. Quamvis ergo eadem flagitia forinsecus in pœnitentibus appareant, non iisdem curanda remediis sunt: quia ex diversa radice venefica proficiscuntur. Do exemplum. Homo adulterium, aut fornicationem perpetrat ex impetu libidinis: socia mulier ex impetu superbiæ & ambitionis, ut inde pretium seu munera capiet, quibus luxum, & vanas pompas foveat. Ergo fornicatori, seu adultero crebra ieiunia, & disciplinæ (barbarum nomen) iniungi debent. Adulteræ e contrario seu fornicatrici vestium humilitatem & modestissimum ornatum præscribere, luxum, pompas, fastum, accessum ad publicos congressus interdicere severe debes. Avaro liberales eleemosynas, & primum omnium debitorum promptam solutionem, & damnorum compensationem. Ne multa. Vitio dominanti, quod deprehendis in pęnitente, oppositæ virtutis officia præscribe, habita semper & personarum, & temporum ratione. Communiter vero omnibus, plebeiis & idiotis exceptis, præscribe pias meditationes passionis Christi Iesu, æternitatis, vitæ brevitatis, fugacis & elabentis vanitatis &c. sanctorum librorum lectiones, quotidianum conscientiæ examen, actuum amoris Dei, & contritionis exercitia, confessionis frequentiam sub pio doctoque Sacerdote, propositorum in dies singulos innovationem, iaculatorias preces, & id genus similia. A doctrina P. Tamburini, docentis, non esse inculcandum pœnitentibus ut præcipue doleant de flagitiis quibus sunt *valde addicti*, prorsus caveto. Illius verba supra adduxi, & refutavi. Sed audi in *Instruct. sacram. pœnit.* S. Carolum Borromæum. *Eam pœnitentiam* im-

imponet, ut in hebdomada mane certis diebus (id quod in singulos dies etiam faciendum esse, gravissime B. Chrysostomus monet) santa meditatione proposita solemnem illam sponsionem quam per compatres in baptismo sancte fecerunt, redintegrent, intime Deum precando: in qua precatione firmo stabilique animi proposito statuant se Christo Domino adhaerere, renuntiareque iterum atque iterum saeculi pompis, operibus tenebrarum, & diabolo in primis, cui se adversarios esse & professi sunt, & profitentur perpetuo.

VII. Altius meditandam inculca solemnem baptismatis professionem Christo Domino adhærendi, pugnandique adversus mundum, carnem, & diabolum, illis potissimum qui honorem & honestatem iactant, quos pudet haberi mendaces, fidei datæ fractores, & perduelles: illis feminis, quæ nihil impensius prosequuntur quam pompas, & vanitates, quibus solemni ritu in baptismate renuntiarunt.

VIII. Quæst. III. *In quantitate pœnitentiæ vindicativæ præscribenda respicere ne ad sacros canones, & criminum enormitatem Confessarii debent?* Resp. Negant Casuistarum plures; sed adfirmant Concilium Tridentinum, eiusdem Catechismus, innumeræ Synodi & provinciales, & diœcesanæ, S. Antoninus, S. Carolus Borromæus, ceterique Sancti, & graviores Theologi omnes. Concilium Tridentinum *sess.* XIV. *cap.* VIII. hæc præscribit. *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares, & convenientes satisfactiones iniungere, ne si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem.*

IX. Clara hæc sunt & luculenta. At quomodo scire Confessarius potest mensuram pœnitentiæ criminum gravitati congruæ? Respondet eiusdem Catechismus *Part. II. cap.* V. *§. 79.* his verbis. *In irroganda autem satisfactionis pœna Sacerdotes nihil suo arbitratu statuendum esse, sed omnia iustitia, prudentia, & pietate dirigenda existimabunt. Atque ut hac regula peccata metiri videantur, & pœnitentes suorum scelerum gravitatem magis agnoscant, operæ pretium erit, eis interdum significare, quæ pœnæ quibusdam delictis ex veterum canonum præscripto, qui pœnitentiales vocantur, constitutæ sint. Igitur universæ satisfactionis modum culpæ ratio temperabit.*

X. Animadvertas velim, Tridentini Concilii doctrinam non ad disciplinam attinere, sed authenticam esse divini mandati interpretationem. *Debent ergo Sacerdotes* &c. Hanc Concilii doctrinam universalis Ecclesiæ traditio confirmat. Cursim aliqua delibo. Cyprianus *Lib. de lapsis* inquit: *Pœnitentia crimine non sit minor.*

S. Ba-

S. Basilius in *Psal.* XXXIX. hæc inter alia scribit : *Magnum est & grave peccatum? Multa opus habet confessione, lacrymis amarulentis, peracri contentione vigiliarum, indivulso, & continenti ieiunio. Levis est, nec intoleranda offensio : huic quoque exæquetur pœnitentia.* S. Ambrosius ad Virginem lapsam *cap.* VIII. inquit : *Grandi plagæ alta & prolixa opus est medicina. Grande scelus necessariam habet satisfactionem.* Hac voce loquuntur Patres omnes.

XI. Tridentinum Concilium inquit : *Quantum spiritus, & prudentia suggerit.* S. Thomas in *Suppl. quæst.* XVIII. *art.* 4. *ad* I. respondet, *quod arbitrium illud debet esse divino instinctu regulatum.* Doctrina hæc, alioquin Confessariis omnibus formidanda, summopere meditanda est. Vacuum omnium humanorum affectuum sit oportet iudicium illud. Non amor alliciendi, non timor amittendi pœnitentes, non gloriola & aura mundi, sed sola spiritualis pœnitentis salus, & Dei gloria dirigere iudicium illud debet, non secus ac iudicium impertiendi absolutionem, & dispensandi vota. En rationem quam ibidem assignat S. Thomas in corp. *Dicendum, quod Sacerdos operatur in usu clavium sicut instrumentum, & minister Dei. Nullum autem instrumentum habet efficacem actum, nisi secundum quod movetur a principali agente. Et ideo dicit Dionysius in fine eccles. hierar. quod* sacerdotibus utendum est virtutibus hierarchicis, quomodo divinitas eos moverit. *In cuius signum Matth.* XVI. *ante potestatem clavium Petro traditam fit mentio de revelatione divinitatis ei facta : & Ioan.* XX. *præmittitur potestati remissionis Apostolis datæ Spiritus sancti donum, quo* filii Dei aguntur. *Unde* si quis præter illum motum divinum uti sua potestate præsumeret, non consequeretur effectum, *ut Dionysius dicit* (ibid.) *& præter hoc a divino ordine averteretur, & sic culpam incurreret. Et quia pœnæ satisfactoriæ infligendæ, medicinæ sunt, sicut medicinæ in arte determinatæ non omnibus competunt, sed variandæ sunt secundum arbitrium medici non propriam voluntatem sequentis, sed scientiam medicinæ*; ita pœnæ satisfactoriæ in canonibus determinatæ non competunt omnibus; sed variandæ sunt secundum arbitrium Sacerdotis divino instinctu regulatum. *Sicut ergo medicus aliquando prudenter non dat medicinam ita efficacem, quæ ad morbi curationem sufficiat, ne propter debilitatem naturæ maius periculum oriatur;* ita Sacerdos divino instinctu motus non semper totam pœnam quæ uni peccato debetur, iniungit, *ne infirmus aliquis ex magnitudine pœnæ desperet, & a pœnitentia totaliter recedat.*

XII. Potissimæ regulæ in imponenda pœnitentia servandæ, explicatæ hic ab Angelico sunt. Non modo ad criminis enormitatem, sed etiam ad pœnitentium personas, seu personarum qualitatem, nempe ad naturæ imbecillitatem, ad paupertatem, ætatem, & præsertim vitiosas propensiones, & veneficas radices respiciendum est. *Quia* (subdit S. Thomas in IV. dist. XX. quæst. I. art. I.) *peccato unius difficilius potest resisti quam peccato alterius; sicut iuveni pro fornicatione imponitur*

nitur maior pœnitentia quam seni, quamvis minus peccet: vel quia in uno peccatum est periculosius, sicut in Sacerdote, quam in alio: vel quia multitudo magis prona est ad illud peccatum.

XIII. S. Carolus Borromæus, regulas, quas in præscribendis pęnitentiis servare Confessarii debent, exponit. Et in primis antiquorum canonum scientiam commendat, atque Confessariis inculcat, ut inde iniungendæ pęnitentiæ normam accessant. Hæc enim docet in Instruct. Confess. *Patres*, inquit, *docuerunt, quam necessaria admodum sit Sacerdotibus qui in audiendis peccatorum confessionibus versantur, canonum pœnitentialium scientia. Etenim si omnia quæ ad pœnitendi modum pertinent, non prudentia solum ac pietate, sed iustitia etiam metienda sunt, certe norma hæc e canonibus pœnitentialibus sumatur oportet.*

XIV. Prudentia vero summa Confessarios monet ut antiquorum canonum severitatem attemperent, deliniant, minuant, prout fragilitas pęnitentium, & temporum ratio, & aliæ circumstantiæ postulant. *Canonum pœnitentias* (inquit in Instruct. pęnit.) *ut tempora ferunt, pro caritate, & prudentia sua minuet, prout peccati, & peccatoris circumstantiæ requirent; in quibus rationem etiam habebit contritionis eius qui peccavit. Demonstrabit tamen iis qui gravius peccarint (quo magis scelerum suorum magnitudinem agnoscant) quanta ipsis pœnitentia ex canonum regulis imponenda esset. Nec vero putent sua peccata levia esse, quia parva illis pœnitentia data est; sed hoc factum esse, ne eam quæ pro culparum ratione iniungenda erat, deserant cum periculo salutis suæ. Proinde pœnitentes ideo hortandi erunt, ut præter pœnitentiæ opera imposita, plura etiam alia præstare conentur.* Nihil sapientius dici potest. Peccata hodie non minus quam olim, ut alias dixi, lædunt divina iura; nec minores hodie quam priscis temporibus pęnitentias exigit iustitia divina.

XV. Quæst. IV. *Utrum pœnitentia iniuncta a Confessario impleri ante absolutionem debeat?* Resp. AEmulanda est Ecclesiæ disciplina. Absolute sacramenti ratio postulat ut pęnitentia impleatur tempore a Sacerdote præscripto. Nullum autem in Scriptura præceptum est ut impleatur sive ante, sive post absolutionem. Quamobrem Sixtus Papa IV. an. 1478. hanc Petri Oxomensis thesim diris devovit. *Non sunt absolvendi pœnitentes, nisi peracta prius pœnitentia imposita.* Rursus Alexander VIII. inter plures propositiones sequentes damnavit. 16. *Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio, natura rei idipsum quodammodo dictante.* 17. *Per illam praxim mox absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus.* 18. *Consuetudo moderna sacramenti pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.* Has theses P. Viva tribuit Arnaldo, & Estio. In nullo tamen Moralistarum, neque in Merbesio, neque in Gennetto, neque in Natali Alexandro, neque in Iuvenino, neque

que in Antoine, neque in ceteris catholicis Casuistis, qui *Rigoristæ* imperite nuncupari a Benignistis solent, reperiuntur. Merito autem proscriptæ sunt, cum nulla lex divina, ut dictum est, ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni præcipiat. Inhærendum ergo Ecclesiæ disciplinæ quæ hodie obtinet.

XVI. Quæst. V. *Utrum liceat aliquando Sacerdoti iniungere partem pœnitentiæ ante absolutionem implendam?* Resp. Sæpe occurrunt rationes ob quas non modo possit, sed debeat Sacerdos iniungere pęnitentias congruas ante absolutionem implendas. Quando pęnitentes irretiti sunt habitibus vitiosis; quando soliti fuere negligere pęnitentias in præcedentibus confessionibus iniunctas; quando signa sufficientia veræ conversionis non exhibent; quando ieiunia quadragesimalia, cum possent, non servarunt, quando longas inimicitias foverunt: in his & similibus casibus debet Sacerdos ex fructibus pœnitentium eorumdem contritionem colligere: antequam eos solvat, liget, & congruas pęnitentias imponat ante absolutionem implendas; ut fusius infra de absolutione impertienda recidivantibus, & consuetudinariis dicam.

CAPUT VII.

S. CAROLI BORROMAEI doctrina practica ex Tridentino hausta Confessariis proponitur tamquam norma iniungendæ pœnitentiæ satisfactoriæ. Adhortatio ad Confessarios.

I. SIngularis Dei providentia S. Carolum Borromæum, ceu antiquæ sanctitatis imaginem, nostræque pietatis exemplar, excitavit, qui Concilii Tridentini doctrinam latius explanaret, ne perniciosa plurium Sacerdotum lenitas, sacri illius Cœtus canones & decreta paucis concepta obscurare posset. Quare licet non pauca hactenus illius celeberrimi Cardinalis & Archiepiscopi documenta dederim, pretium operæ existimo eiusdem regulas, quas Confessarii in pęnitentiis, criminum enormitati, quoad licet, paribus, imponendis servare debent, isthuc transcribere.

II. Hæc autem S. Archipræsul Confessariis, & Parochis servanda *Act. Part.IV. in instruct. pęnit.* præscribit.„ Maxime videant ne pro peccatis gravibus levissimas „ pęnitentias imponant, id quod & Confessoribus, & pęnitentibus periculosum „ est; cum id a sacris litteris, & a Conciliorum decretis, & a SS. Patrum sen„ tentia alienum sit. Nam divinæ litteræ ab iis qui pęnitentiam agunt, hoc ef„ flagitant, ut fructus dignos pęnitentiæ faciant, utque ad Dominum convertan„ tur in ieiunio, fletu, & planctu. Et vero qui peccatis gravibus leves quosdam

„ pę-

„ pęnitentiæ modos imponunt, *hi*, canon inquit, *consuunt pulvillos secundum* „ *propheticum sermonem sub omni cubito manus*, *& faciunt cervicalia sub capi-* „ *te universæ ætatis ad capiendas animas*. Immo Concilium Tridentinum do- „ cet *alienorum peccatorum participes fieri eos* Confessores qui, dum cum pęni- „ tentibus indulgentius agunt, levissima quædam opera pro gravissimis delictis „ iniungunt."

III. Hac generali regula Parochos, & Confessarios monet, ne se decipi patiantur a blandiloquentia illorum Casuistarum qui nimia indulgentia consuunt pulvillos sub omni cubito manus. Non eos excitat, ut a tetro Rigorismo, sed a nimia lenitate, in quam natura ipsa propendet, sibi caveant. Porro ne datam præceptionem generalem in vanos detorquere sensus, ut consuescunt, queant, peculiarem satisfactionum iniungendarum normam adiicit continuo ibidem inquiens.„ Ut verbi gratia pęnitens vestium sericarum usu, aut ornamento, con- „ viviorum apparatu, venatione aliquo certo tempore abstineat. *Ut egentibus ho-* „ *minibus cibum suppeditet*, *ac ministret*: *pedes item lavet*. *Ut peregrinos pro facul-* „ *tatum ratione hospitio excipiat*. *Ut in publica domo*, *hospitali*, *locove pio aliquot* „ *dies operam navet*. *Ut visitet qui in carcere sunt*, *eosdem consoletur*, *& cum per* „ *facultates potest*, *alat certo præstituto tempore*. *Ut se per aliquot dies in Monaste-* „ *rium aliquod*, *aliumve semotum locum abdat*, *ubi pœnitens vivat*. Ut aliquot die- „ bus carne, & vino item abstineat. Ut certis diebus, præsertim feria quarta, „ sexta, & sabbato, ieiunet; vel etiam *vescatur solum pane*, *& aquæ potu utatur*. „ Ut certo aliquo tempore non equitet, *ut humi aliquamdiu iaceat*, *cubetve*. Ut „ cilicium aliquot dies induat, & alia eiusmodi."

IV. Quamquam recensita regula singulares imponendarum satisfactionum modos spectet; nihilosecius sanctus Archipræsul enucleatius declarat pro culparum, personarumque diversitate pęnitentias præscribendas esse, sic ibidem pergens. „ *Ita ut superbis humilitatis opera*, *carnis voluptatem sectantibus ieiunia*, *abstinentiam*, „ *cilicii gestationem*, *aliamque corporis macerationem pro peccati gravitate indicat*. „ *In oratione negligentibus*, *ut singulis diebus mane saltem*, *& vespere* orationi va- „ cent. Feria secunda, & aliis certis feriis pro defunctis orent: certis item defi- „ nitisque diebus devote visitent stationales, & præcipuæ devotionis Ecclesias, & „ altaria, præsertim in Quadragesima, & Adventu. Mundi pompas, choreas, a- „ liaque opera Satanæ consectantibus eam pœnitentiam imponet, ut in hebdo- „ mada mane certis diebus (id quod in singulos dies etiam faciendum esse gra- „ vissime B. Chrysostomus monet) sancta meditatione sibi proposita solemnem il- „ lam sponsionem quam per compatres in baptismo sancte fecerunt, redintegrent, „ intime Deum precando: in qua precatione firmo, stabilique animi proposito „ statuant se Christo Domino adhærere, renuntiareque iterum sæculi pompis, o-

„ pe-

„ peribus tenebrarum, & diabolo in primis, cui se adversarios esse & professi „ sunt, & profitentur perpetuo."

V. Ne vero mollioris Ethices patroni nonnulli cavillari possint, hæc ex solis antiquis canonibus pęnitentialibus derivata esse, atque adeo obsoleta, sciant, sanctum Carolum regulas istas ex ipso œcumenico Tridentino Concilio, ceu ex limpidissimo fonte, hausisse. Tridentinum vero hanc doctrinam, ab Evangelio, ab Apostolis, a Patribus, a prioribus Conciliis acceptam, & hominum malitia, & plurium Sacerdotum ignavia quandoque neglectam, redintegrasse, atque confirmatam Pastoribus populo Dei inculcandam tradidisse.

VI. Paucis Tridentini Concilii capita, unde ultimæ ætatis nostræ Apostolus Borromæus suas præceptiones arcessivit, perstringam. Sacra Synodus *sess.* XIV. *can.* 13. & 14. & *cap.* VIII. contra Lutherum, fide catholica credendum sanxit, pœnitentiam, non in melioris vitæ constitutione tantum, sed in pristinis peccatis lugendis, ieiuniis, eleemosynis, aliisque pietatis operibus sitam esse, Patrum antiquorum, & ipsius Evangelii auctoritate allegata. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* An aperta & Ecclesiæ, & Concilii ludificatio non esset Lutheri, & novatorum de pœnitentia hæreses verbis damnare, re tamen & facto probare, uti faciunt illi qui pro enormium flagitiorum satisfactione paucas precatiunculas, levesque pectoris tunsiones imponunt? Subdit ibidem Concilium: *Debent Sacerdotes Domini . . . . pro qualitate criminum* &c. *Quod divinæ iustitiæ ratio exigere videtur.* Breviloquentia Tridentini Patres rationem reddendæ satisfactionis pro criminum enormitate ab ipsius divinæ iustitiæ legibus repetunt; immo addunt ibidem. *Et divinam clementiam decet ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta peccata leviora putantes, velut iniurii, & contumeliosi Spiritui sancto in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ. Procul dubio enim magnopere a peccato revocant, & quasi freno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt.*

VII. Non iustitiæ modo, sed ipsius divinæ clementiæ ratio postulat ut tales affligentes satisfactiones pœnitentibus, gravissimis flagitiis onustis, iniungantur, quæ eos a repetendis culpis absterreant, coerceantque. Iudicium, o Confessarii, vosmetipsi ferte, num leves precationes, paucæ coronulæ, aliqua rosaria comprimere carnem, exagitare sensus, perterrefacere animum pravis habitibus inquinatum valeant, & tantum incutere terrorem, ut & culparum enormitatem patefaciant, & in easdem relapsum impediant. Ipsi iudicate, an leves pœnitentiæ, quæ pro adulteriis, fornicationibus, periuriis, aliisque istiusmodi sceleribus hodiedum & a non paucis Casuistis præscribuntur, & a plurimis Confessariis reipsa iniungi solent, non adimant sceleribus horrorem, & non adiiciant peccatoribus ad eadem renovanda animos. Ipsimet iudicate, an hæc hodierna plurium indulgentia

tia *occasionem* non præbeat peccatoribus, ſicuti Tridentinum ait, *ut in graviora peccata labantur, & Spiritui ſancto iniurii & contumelioſi audacius* evadant. Ita Concilium, ita Patres omnes clamant. *Facilitas veniæ* (inquit Ambroſius in Pſal. cxviii.) *incentivum tribuit delinquendi. Medicus ipſe, ſi ſerpentis interius inveniat vulneris cicatricem, cum debeat reſecare ulceris vitium, ne latius ſerpat, tamen a ſecandi, urendique propoſito lacrymis inflexus ægroti, medicamentis tegat quod ferro aperiendum fuit: nonne iſta inutilis miſericordia eſt, ſi propter brevem inciſionis vel exuſtionis dolorem corpus omne tabeſcat, vitæ uſus intereat?*

VIII. Luculentius ibidem Concilium declarar, huc ſpectare ſatisfactionum impoſitionem debere, *ut vitioſos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollat*. Quis communi ſenſu præditus aſſerere auſus fuerit, inveteratos luxuriæ, ſuperbiæ, avaritiæ, ebrietatis, maledicentiæ habitus eradicari poſſe aliquibus precibus lectitandis? Quis non videat, voluptuoſis ſeveras carnis afflictationes, ſuperbis humilia officia, maledicis alieni honoris compenſationes, avaris largiores eleemoſynas iniungendas eſſe? Ita ſanxit ibidem Concilium. *Neque vero ulla via in Eccleſia Dei umquam æſtimata fuit ad amovendam imminentem a Domino pœnam, quam ut hæc pœnitentium opera homines vero animi dolore frequentent.* Quæ ſunt opera hæc quæ cum dolore frequentare pœnitentes debent? Audi Deum ipſum *III. Reg. cap.* xxi. loquentem, & narrantem Achabi pœnitentiam. *Cum audiſſet Achab ſermones iſtos, ſcidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, ieiunavitque, & dormivit in ſacco, & ambulavit demiſſo capite.*

IX. Tandem quorſum ſacrum Concilium adverſus novatores peccatorum confeſſionis neceſſitatem, *non in genere dumtaxat, ſed in ſpecie, & ſigillatim* ſanxit? Audi quam aſſignat *ſeſſ.* xiv. *cap.* v. rationem. *Conſtat enim Sacerdotes iudicium hoc incognita cauſa exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem illos IN POENIS INIUNGENDIS ſervare potuiſſe, ſi in genere dumtaxat, & non potius in ſpecie ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſſent.*

X. An Rigoriſmi notam inurent Caſuiſtæ aliqui œcumenico Tridentino Concilio? An Rigoriſtam traducent S. Carolum Borromæum? An univerſæ Eccleſiæ, a qua deſcripta doctrina manavit, Rigoriſmi labem aſpergent? An clamabunt alii, Lutheraniſmum re & facto invehere illos qui leviſſimas iis peccatoribus, & peccatricibus, quæ illecebroſam, luxurioſam, ſuperbam vitam ludis, obſcœnis colloquiis, comœdiis, comeſſationibus deditam vivunt, ſatisfactiones, pauculas nempe aut pſalmorum, aut roſariorum orationes, imponunt? An dicturi ſunt, iſtos Sacramentum *pœnitentiæ* in ſacramentum *confeſſionis* ſeu *narrationis* ſcelerum transformaſſe? Ut graviſſimus Theologus ait, *verſamur his temporibus in enumeratione peccatorum, non in deteſtatione.*

XI. Expergiſcimini tandem aliquando, o Confeſſarii. Os meum, o viri Dei, & mi-

ministri præclari, pateat ad vos. Mentem vestram vos torquetis in evolvendis *Summis*, & *Summulis*, & *Medullis recentibus* Casuistarum plurium, ut discatis quid sit mortiferum, quid veniale, quæ circumstantiæ mutantes speciem, quæ aggravantes: ne multa: toti estis in deprehendendis morbis, & ægritudinibus. Quantum vero temporis hactenus impendistis, ut quæ sint efficaces medicinæ, quæ valida medicamina, quæ opportuna medendis peccantium infirmitatibus remedia, perdisceretis? Frustra vera & valida morbis curandis antidota in plurium horum librorum lectione inquiritis. Immo nimium ibi blandas dulcesque offendetis medicinas, quæ vulnera non curant, sed fovent, quæ morborum radices non evellunt, sed amplificant. Quid de illis medicis ipsi diceretis qui morbis pernoscendis totam navarent operam, medicinarum vero & remediorum, quæ sunt sanandis ægrotis consentanea, studium negligerent? Aures ergo arrigite: & vocem Patrum Tridentinorum, sanctorumque Thomæ de Villanova, Francisci Salesii, Caroli Borromæi, Ven. Bellarmini, & aliorum Episcoporum serio audite: remedia quæ isti præscribunt, modum, rationemque medendi infirmas oves vestras ab his addiscite. Sanctorum Patrum, & Episcoporum ore ad vos Ecclesia loquitur. Si vocem Ecclesiæ audieritis, si eiusdem sacros canones memoriæ, & usui commendaveritis, sanabuntur oves vestræ, & felices vos eritis Pastores.

CAPUT VIII.

Cardinalis de AGUIRE *pœnitentiæ imponendæ regulas proponit.*

I. QUoniam summi momenti est argumentum quod tracto; ideo operæ pretium existimavi sapientum virorum auctoritate illud confirmare. Doctissimus Cardinalis de AGUIRE, non celeberrimi Benedictini Ordinis modo, sed Purpuratorum etiam Patrum illustre decus, & ornamentum, *dissert.* VIII. *de instauratione priscorum canonum*, *excurs.* 4. omni argumentorum genere evincit, animarum arbitros sacrorum canonum studio obnoxios esse. „ Sed ne (inquit) „ quis existimet illos prorsus antiquatos fuisse, oportet in primis habere præ oculis doctrinam illam S. Thomæ quodlib. IX. art. 15. loquentis de antiquis canonibus, quibus pluralitas beneficiorum prohibetur (ac proinde de aliis similibus, „ cum eadem ratio sit) his verbis. *Quantum ad hoc quod iura illa antiqua con-„ tinent ius naturale, abrogari non possunt per contrariam consuetudinem, utpote „ irrationalem. Quantum autem ad hoc quod solum de iure positivo continent, „ possunt esse abrogata: præcipue si dissimulantes hanc contrariam consuetudinem,* „ *in*

„ *in quorum potestate est ius positivum mutare, intendunt per talem dissimulatio-* „ *nem antiqua iura mutare*. Idipsum dici debere circa antiquos canones pœni- „ tentiales, eadem auctoritas, & ratio manifesta extorquent. Verum præterea ex- „ hibebo nonnulla testimonia gravissima, nostro tempori proximiora, quibus eo- „ rum studium, consideratio, & observantia accommodata hisce sæculis lauda- „ tur, & commendatur etiam circa pœnitentiam sive satisfactionem proportione „ imponendam. "

II. Plura S. Caroli Borromæi testimonia allegat. Animadvertit, priscorum canonum observationem refriguisse, præsertim post celebratum Concilium Viennense Generale sub Clemente V. sed postea magna ex parte instaurandos canones curasse Patres Tridentinæ Synodi potissimum *sess.* XXII. Transcribit decreta, eaque exponit, sicut & declarationes eiusdem Catechismi.

III. Deinceps *excurs.* 5. hæc adiicit. „ Quidquid vero sit de solemnitate illa, „ & diuturnitate satisfactionum, priscis canonibus præscripta in vindictam gra- „ viorum criminum . . . saltem exacta eorum notitia deservire in praxi potest „ Confessariis tum ad aliqualem proportionem servandam in pœnitentiis impo- „ nendis; tum præterea ut ipsis pœnitentibus repræsentent malitiam & gravita- „ tem quorumlibet peccatorum mortalium, quibus non solum inimicitia cum „ Deo contrahitur, & æterna mors, sed etiam in hac vita mortali tam longa, „ tam terribilis, tam formidanda vindicta imponebatur per sacros canones. Il- „ lam olim Christiani post baptismum lapsi exacte subibant, & humillime tole- „ rabant, non solum in foro externo, sed interno quoque, ut loquitur doctissi- „ mus Archipræsul Antonius Augustinus &c. . . . Ad hoc enim tenemur omnes „ iure divino sæpe in sacris libris expresso de faciendis dignis fructibus pœniten- „ tiæ; immo & forsitan iure naturali, quod dictat Deo graviter offenso deberi „ dignam satisfactionem iuxta gravitatem, & numerum peccatorum . . . Perma- „ nent similiter adhuc, & æternum permanebunt decreta illa, & dogmata Ec- „ clesiæ circa pœnitentiam a Sacerdotibus administrandam, & a lapsis post ba- „ ptismum agendam, quæ videntur spectare ad ius divinum, & continentur in „ allegata, ac lectu dignissima *sess.* XIV. Concilii Tridentini. "

IV. Post exscripta Concilii verba sic pergit. „ Exscripsi verba hæc Concilii „ Tridentini, quamvis omnibus obvia in eius actis, ut etiam hoc loco legeren- „ tur. Magnus enim timor est, plurimos Confessarios aut ea non legere, aut „ non considerare, dum experimento constat, ab iis absolvi sæpe, imposita le- „ vissima satisfactione, multos reos gravissimorum scelerum, quorum ipsi parti- „ cipes efficiuntur, teste Concilio. Nequeunt enim non communicare peccatis „ alienis, nec vitare possunt indignationem iustam Dei, quando tam exiguo, „ tam nullo fere zelo divini honoris tanguntur, ut gravissimas divinæ maiesta-

„ tis

„ tis iniurias minime vindicandas curent acri quodam supplicio, & quodammodo „ iniuriæ proportionato. Videntur quoque tum Confessarii ipsi, tnm pseudopœnitentes, qui eorum debilitatem agnoscunt, pro nihilo reputare offensas graves „ illatas Deo, quasi perfunctoria quadam, & nullius pene momenti satisfactione „ expiari possint. Insuper & pœnitentibus tribuunt Confessarii prædicti ansam „ relabendi tam levi satisfactione iniuncta. “

V. Hanc ego præcipue rationem serio meditari Sacerdotes Deî, & animarum curatores vellem. Videbant olim a primis unguiculis Christiani fornicationes, adulteria, periuria, blasphemias, mollitiei crimina, severa & diuturna pœnitentia castigari. Oculis spectabant pœnitentes cinere aspersos, ciliciis & disciplinis obstrictos, inter gemitus, & planctus squallidos, sacramentorum frequentia interdictos. Ex lugubri spectaculo, quod ab infantia videre assueti erant, horrorem concipiebant maximum adversus flagitia: & dum mortaliter peccabant, semetipsos enormis sceleris sontes, seque severo dignos supplicio reputabant. Contra evenit ætate nostra. Confessarii, legentes Casuistas plurimos, non modo vestigium non offendunt sacrorum canonum; sed invectivas in iisdem legunt contra Theologos illos qui aliqua saltem in parte renovare eorumdem observantiam vellent. Atque adeo addiscunt ex Casuistis, quod paucis precatiunculis in Ecclesia, ubi sunt plenariæ indulgentiæ, recitatis, exactius satisfit Deo quam severa & diuturna canonica pœnitentia: & his arbitrariis opiniunculis imbuti, scelestissimis adulteris, fornicatoribus, periuris, feneratoribus paucas pro satisfactione preces imponunt. Christiani similiter tantam absolvendi facilitatem, & tam levium satisfactionum praxim spectantes, omnem peccandi horrorem exuunt, & vix malum esse peccatum existimant.

VI. Verum arrigite aures, o Confessarii, & serio audite doctissimum Cardinalem, qui *loc. cit.* sic persequitur. *Rogo ego Sacerdos nimium indignus* (& ego indignissimus rogo cum ipso) *& olim, ac diu forsan minus caute versatus in excipiendis confessionibus multorum, & remissus in satisfactionibus imponendis: rogo, inquam, per viscera misericordiæ IESU CHRISTI quosvis alios Confessarios, ut reflectamus omnes ad præiacta verba Concilii Tridentini, immo Spiritus sancti in ea dogmatica sessione loquentis. Consideremus identidem illorum gravitatem: & si forte in ea parte deliquimus, ac alienorum peccatorum participes facti fuimus ob imbecillitatem ac desidiam nostram, faciamus dignos pœnitentiæ fructus, studeamusque de cetero ut & alii pariter illos faciant. Alioquin & ipsi pseudo-pœnitentes ob desidiam nostram relabentur, diceturque de nobis multo potiori iure quam de Sacerdotibus quibusdam Hispaniæ in hoc canone* XII. *Concilii Toletani III. Sæpius laicis tribuendo desidiose pœnitentiam, ad lamentanda rursus facinora post acceptam pœnitentiam relabuntur.* Hæc pauca ex præstantissimo Cardinali,

non minus morum sanctitate, quam purpura celebratissimo, delibasse sufficiat.

CAPUT IX.

Sub examen inducuntur plures laxæ opiniones iuniorum Moralistarum, La-Croix, Francolini, Sporer, Lugo, ArdesKini, *& aliorum, de satisfactione.*

I. P. Claudius La-Croix *Lib. VI. part.* 11. *num.* 1255. *§.* 5. hæc scribit. „ *Rigo-* „ *ristæ dicunt* caussam relaxandi disciplinam quoad pœnitentias esse refri- „ gescentem caritatem fidelium. *Sed contra est*, nam potius inter causas fuit. „ 1. Ne confessio ab hæreticis impugnata velut impossibilis, per duras pœni- „ tentias magis redderetur odiosa. 2. Quia successu temporis plures fuere Sacer- „ dotes, apud quos frequentarentur confessiones ad emendationem utilissimæ, & „ qui in hoc foro interno aliter mederentur peccatis *per medicinas benigniores*. „ 3. Quia animadversum est, *benignas pœnitentias* plus prodesse quam rigidas, „ quod per benignas magis *allicerentur* fideles ad sacramentum pœnitentiæ, & „ Eucharistiæ. 4. Quia occasione belli sacri contra Turcas *inductus est usus in-* „ *dulgentiarum*, qui .... est modus satisfaciendi pro peccatis *utilior* & *certior* „ quam *observatio canonum pœnitentialium*. 5. Quia successu temporis instituti „ sunt Ordines religiosi, qui sunt status pœnitentium utilissimi. Vide *Francoli-* „ *num* Cler. Rom. *Part. II. cap.* 1. " Fusius has rationes exaggerat P. Balthasar Francolinus *cit. Lib. II. cap.* 1. *Cler. Rom.*

II. Non ergo quia caritatis, & pœnitentiæ fervor refrixit; sed quia refervet caritas, quia ardet spiritus sanctitatis ætate nostra; ideo laxata est disciplina sacrorum canonum? *Rigoristæ dicunt*, *caussam relaxandi disciplinam esse refrigescentem caritatem fidelium*. Sed hæc sunt somnia Rigoristarum. Ita ne vero? *Rigoristæ* ergo sunt Patres Synodi Tridentinæ, eiusdemque Catechismi? Rigoristæ sanctissimi Ecclesiæ Episcopi, S. Carolus Borromæus, Cardinalis Denof, & Cardinalis Carpegna, qui canones pœnitentiales, collectos a S. Carolo, Romæ sub Innocentio XII. edi curavit? Rigorista Cardinalis Aguire, universus Clerus Gallicanus, qui horum canonum, & Instructionum S. Caroli observantiam inculcant? Hi ne omnes *Rigoristæ?* Sed loquantur Patres Catechismi Tridentini II. Part. cap. v. §. 67. *Verum postea tantum de veteris disciplinæ severitate remissum est, atque ita CARITAS REFRIXIT, ut iam plerique ex fidelibus ad peccatorum veniam impetrandam nullum intimum animi dolorem, atque gemitum cordis necessarium putent; sed illud satis arbitrentur, si speciem tantum dolentis habeant.*

Si

Si ergo cum sanctis Patribus omnibus asseramus, disciplinam satisfactionis mitiorem evasisse ex caritatis remissione, tetram *Rigorismi* notam nobis impingent PP. Francolinus, & La-Croix? Et hi sunt Scriptores modestissimi?

III. Sed breviter in examen veniant rationes Francolini, & La-Croix. Non est, inquiunt 1. laxata disciplina, quia *refrixerit* caritas; sed ne confessio, ab hæreticis impugnata *velut impossibilis, per duras pœnitentias redderetur odiosa*. Næ ista egregia ratio? Sancti ergo Ecclesiæ Patres antiquæ aureæ ætatis, qui adversus Novatianos, negantes scilicet clavium potestatem, ad supremum rigoris gradum disciplinam satisfactionis promoverunt (nusquam enim magis quam sæculo III. satisfactionis rigor comparuit) impossibile reddiderunt sacramentum pœnitentiæ? Sed ultra pergamus ad 2. rationem. Sacerdotes multiplicati arcanum invenere medendi animabus per *medicinas benigniores?* Hoc *benignitatis* antidotum potentius, validius ad expellendos animarum morbos latuit tredecim sæculorum Patres? Scilicet, reponit P. La-Croix. Audi 3. rationem. *Quia animadversum est, benigniores pœnitentias plus prodesse quam rigidas, quod per benignas magis allicerentur fideles ad sacramentum pœnitentiæ, & Eucharistiæ.* Fausta animadversio! Magis ergo confirmatur, universam antiquitatem ante novum opinandi modum tenebrarum caligine circumfusam fuisse. Alliciuntur sane fideles per benignas medicinas aliquarum precationum ad frequentandas confessiones, & Eucharistiam. Quid, si reponerem cum Cardin. Bellarmino, S. Thoma Villanovano, S. Francisco Salesio, & Sanctis aliis infra citandis, *allici* peccatores per *benignas pœnitentias*, & faciles absolutiones ad frequentanda sacrilegia? Enimvero numquid hæc repetita applicatio *medicinarum benignarum* sanat infirmitates? Numquid mores reformat? Quod in aliqua circumstantia opportunior sit benigna quam severa satisfactio, nemo nec antiquorum, nec iuniorum sanæ mentis negavit umquam. At regula absoluta, & generalis, qua intrepide P. La-Croix cum Francolino præfert pœnitentias benigniores severioribus, adversa mihi videtur communi Ecclesiæ sensui, salvo meliori iudicio.

IV. Ratio 4. severiore digna examine esset. *Quia*, inquit, *occasione belli sacri contra Turcas inductus est usus indulgentiarum, qui secundum dicenda a num.* 1314. *est modus satisfaciendi pro peccatis UTILIOR, AC CERTIOR quam observatio canonum pœnitentialium*. Quis hæc legere valet, quin scandalum patiatur, & concitationem? Qui ergo contritus & confessus post patrata adulteria, fornicationes, blasphemias, homicidia &c. ingreditur, solemnis festi occasione, templum, visitat altaria, preces recitat per unam aut alteram horam, ne dicam per quadrantem, ut indulgentias lucretur, securius Deo satisfacit quam si per septem, per decem, per viginti annos, quam si per totam vitam ieiuniis, flagellis, lacrymis, & gemitibus carnem suam crucifigeret coram universo fidelium cœtu?

Usus indulgentiarum est modus satisfaciendi pro peccatis *utilior, ac certior quam observatio canonum pœnitentialium?* Certiores ne sunt pœnitentes, se assequi indulgentias visitando Ecclesias, quam certiores sint se satisfacere illi qui ieiuniis, flagellis, eleemosynis, lacrymis, & prolixis meditationibus carnem suam affligunt, concupiscentiam deprimunt, appetitiones coercent? *Utilior, & certior est modus indulgentiarum quam observatio canonum pœnitentialium?* Quid igitur Concilium Tridentinum definivit: *Debent ergo Sacerdotes pro qualitate criminum* &c. *convenientes satisfactiones iniungere, ne . . . levissima quædam opera pro gravissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur?* Levius ne opus quam visitare aliquod templum acquirendæ indulgentiæ caussa? Quid ergo Tridentini Patres iterum *sess.* XXV. in decreto de reform. *cap.* XVIII. statuerunt: *Sciant universi, sacratissimos canones exacte ab OMNIBUS, & quoad eius fieri poterit, indistincte observandos?* An inter sacros canones, pœnitentiales non numerantur? Temperatum illorum rigorem omnes aiunt. At eorumdem neglectum suadere, quod indulgentiarum usus sit utilior, ac certior modus satisfaciendi, non videtur errore vacuum. Quid? Errarunt ergo propinquioris ætatis nostræ Patres, præsertim Antoninus, Carolus Borromæus, Thomas Villanovanus, Patres & Concilii, & Catechismi Tridentini, & ceteri omnes posteriorum temporum Doctores sancti, uno ore canonum pœnitentialium scientiam Confessariis inculcantes, monentesque ut illos fidelibus recordentur, ut illorum rigorem temperent, prout in Domino iudicaverint? Si usus indulgentiarum *modus utilior ac certior est quam observatio canonum pœnitentialium*; exulent ab Ecclesia catholica ieiunia, disciplinæ, cilicia, ploratus, & gemitus. Omnes Confessarii mittant suos pœnitentes, enormium flagitiorum fontes, post peractam confessionem, ad lucrandas indulgentias levissimo onere recitandi aliquot precatiunculas ad altare alicuius Sancti, cuius festum celebratur. An iste novus opinandi modus sit & evangelicæ veritati, & sanctorum omnium Patrum doctrinæ adversus; an tum hæreticis, tum fidelibus scandalum præbeat; meum non est iudicare: illi ad quos pertinet, iudicium ferant.

V. Ratio 5. non est minus venusta. *Quia successu temporis instituti sunt Ordines religiosi, qui sunt status pœnitentium utilissimi. Vide Francolinum Cler. Rom.* An sæculis quibus florebat canonum pœnitentialium observantia, non refulgebant innumeræ sanctorum Monachorum, & Anachoretarum phalanges? Sanctiores ne, pœnitentiores ne, pauperiores ne nostræ ætatis Claustrales, quam antiqui Cœnobitæ, & Anachoretæ, viventes tempore quo severior vigebat pœnitentialium canonum disciplina? Asperior ne Religiosorum ultimæ ætatis vestitus forma? Severiora ne ieiunia? Austerior ne temperantia? Humiliores ne domorum fabricæ? Longior ne a sæculi negotiis separatio? Maior ne divitiarum,

&

& humani favoris contemptio? Verum sint, per me licet, sanctiores antiquis moderni Claustrales: propterea ne adulteri, fornicatores, homicidæ, avari benignioribus medicinis sanari valent? P. La-Croix ad P. Francolinum remittit lectores suos. Verum, si omnia Auctoris istius commenta expendere vellem, nimium volumen excresceret. Nonnullas Doctorum sententias præter morem congerit P. La Croix, de quibus paullo post dicam.

VI. Quæst. I. *Quid dicendum de opinione* Sporer, Lugo, *& aliorum, docentium; nullam aut modicam iniungendam esse pœnitentiam, dum pœnitentes confitentur ad indulgentiam lucrandam?* Resp. P. Patritius Sporer *Part. III. cap. IV. quæst. I. §. 3. num. 45. pag. 237.* hæc scribit. „ Excusatur Confessarius, ut *nullam*, vel *levissimam* „ pœnitentiam iniungat . . . Quando quis lucratur indulgentiam plenariam, pot- „ est dimitti sine ULLA ALIA MINUTA pœnitentia; cum per illam indulgen- „ tiam satisfiat debito pœnæ. Etsi autem id raro pro certo, sufficit quod proba- „ biliter credatur. " Credere probabiliter debet Confessarius, singulos in particulari pœnitentes suos rite confessos esse, & gratia sanctificante præditos: idcirco poterit omnes dimittere absque *ulla minuta* pœnitentia. Hæc opinio falsa & laxa est. Seraphicus Patriarcha Franciscus, lumine cælesti perfusus, intellexit ex 24. millibus hominum Assisium confluentium quatuor aut sex, ni fallor, lucratos fuisse indulgentiam illam plenariam. Debitum satisfactionis exhibendæ Deo certum & liquidum est, & iure divino solvendum. Indulgentiarum assecutio incertissima: & pauci sunt qui eas assequantur. Debitum autem certum solutione incerta non extinguitur. P. Sporer hanc suam opinionem adoptavit ex Lugo *disp.* XXVII. *sect. 2. a num. 21.*

VII. Quæst. II. *Quid dicendum de opinione, qua* de Lugo *defendit, non posse Confessarium obligare pœnitentem lucrantem indulgentiam ad satisfactionem neque ut medicinalem?* Resp. Ut consuetos clamores, & imposturas, quibus nonnulli vociferantur, me Casuistarum opiniones truncatas promere, declinem, hanc de Lugo opinionem ob oculos pono, prout illam rescribit P. Dominicus Viva *quæst.* VI. *de pœnit. art. I. num. I.* his verbis. „ Immo Lugo *disp.* XXVII. *sect. 2. num. 24.* „ putat, eum qui lucratur indulgentiam plenariam, non obligari ad pœniten- „ tiam, *etiamsi detur in medicinam*: quia medicus non præcipit, sed suadet re- „ medium, & solus iudex præcipit pœnam. Quare si non tenetur pœnitens ra- „ tione indulgentiæ ad pœnam, quæ præcipitur, nec tenebitur ad medicinam, „ quæ solum suadetur; nisi forte aliquando ad illam obligetur iure naturali, ne „ facile labatur. "

VIII. Verba de Lugo *loc. cit.* hæc sunt. „ Dicunt, pœnitentiam non solum „ imponi ad satisfaciendum, sed etiam in medicinam &c. . . . Respondetur, im- „ poni quidem frequenter ut medicinam. Confessarius tamen non potest obliga-

„ re, nisi quatenus illam imponit in pœnam peccati. Sicut licet iudex debeat „ procurare quod pœna delinquentis sit talis, ut simul sit medicina in futurum; „ non tamen posset imponere illam pœnam, nec verberare reum, si pœna fuis- „ set a Principe condonata. Sic Sacerdos, qui simul est medicus, & iudex, pot- „ est punire peccata imponendo pœnam pro illis, quam, quia medicus est, de- „ bet simul curare, quod sit talis, ut sit etiam remedium, & medicina in futu- „ rum. Ceterum si pœna totaliter condonetur, non potest obligare ad medici- „ nam: quia medicus ut medicus non obligat, sed consulit. Quod semper in- „ telligendum de medicina, non simpliciter necessaria ad vitanda peccata fu- „ tura. "

IX. Ratio ista est, supra quam dici potest, venusta, & acuta. Medicus ut medicus consulit, non iubet. Ergo quid? Ergo si Confessarius ut iudex remittit pœnam satisfactoriam, nequit ut medicus iniungere pœnitentiam medicinalem, opportunam ad curandos animæ morbos. Eccur? Quia medicus ut medicus non iubet, sed consulit. Consilia autem Confessorum implere pœnitentes non tenentur; sed tantum præcepta Confessarii ut iudicis. Confessarii autem sub præcepto iniungere pœnitentias valent solum ut iudices, nequaquam ut medici. Ergo quando non iniungunt pœnitentias satisfactorias, ut iudices, non possunt iniungere pœnitentias medicinales, ut medici: quia in confessionario dignitas iudicis prævalet officio medici. Iudicium lector ferat in hanc doctrinam: ego enim infra in eam pauca dicam.

§. I.

MONITUM ANTICASUISTICUM

ex divina Scriptura, & Patrum doctrina. Testimonia quæ refert P. La-Croix, *expenduntur.*

I. Admissa recensita doctrina La-Croix, Sporer, de Lugo, & aliorum plurium recentiorum, actum est de tertia sacramentali parte. Christiani communiter confitentur illis festis & solemnibus diebus in quibus hodie omnes fere Ecclesiæ, ubi confessiones fiunt, indulgentiarum privilegio fruuntur. Confessarii ergo nequeunt ullas pœnitentias neque *minutas*, neque ut *satisfactorias*, neque ut medicinales iniungere, excepto casu, inquit Lugo, in quo remedium ad vitandam aliquam occasionem proximam, graveque periculum peccandi esset simpliciter necessarium. *Quia hæc obligatio* (inquit loc. cit. num. 24) *non oritur ex præcepto Confessarii, sed ex iure ipso naturali.* Verum & hic singularis casus com-

communiter eluditur. Quia, inquiunt Probabilistæ plures, si probabile est te lapsurum in peccatum, constitutum in tali periculo; probabile etiam est te non lapsurum. Et tum nec iure narurali, nec ex præcepto Confessarii astringeris ad suscipiendam pœnitentiam neque ut satisfactoriam, neque ut medicinalem. Quam sint & Scripturis sanctis, & Patrum, & Concilii Tridentini doctrinæ, & Ecclesiæ catholicæ spiritui recensitæ opiniones casuisticæ adversæ, nemo non videt.

II. P. La-Croix præter morem aliqua Sanctorum dicta congerit, quæ benignitatem præferunt; sed graviora, & frequentiora, quæ & severitatem satisfactionis inculcant, & crudelem laxitatem, ac sævam benigitatem Confessariorum altius exaggerant, silentio obvolvit. Producit ex P. Francolino *Lib. III. cap.* 11. *§.* 2. *de discipl.* testimonium S. Antonini, qui *III. Part. tit.* XVII. *cap.*XX. inquit: *Etsi Sacerdos non possit gaudere de omnimoda purgatione eius, saltem gaudeat quod liberatum a gehenna transmittat ad purgatorium. Itaque nullo modo debet permittere, peccatorem desperatum recedere a se, sed potius imponat ei unum* Pater noster, *vel aliud leve, & quod alia bona opera quæ fecerit, & mala quæ toleravit, sint ei in pœnitentiam.* S. Bernardinus Senensis de Confess. ait: *Potius imponat unum* Pater noster, *vel quod semel de septimana vadat ad Ecclesiam, vel aliquid levius.* Nonnulla alia similia refert La-Croix ex Bernardo, Francisco Salesio, S. Thoma de Villanova, & Gersonio.

III. Illudit lectoribus, nisi fallor ego, P. La-Croix, dum ex recensitis exemplis regulam generalem eruere, & suadere Confessariis studet in confirmationem laxioris disciplinæ de satisfactione iniungenda. Omnes tum antiqui, tum recentes cum Tridentino Concilio aiunt, *rationem habendam esse pœnitentis.* Si infirmus pœnitens sit, aut debilis, ieiuniis, ciliciis, disciplinis; si pauper, eleemosynis gravari non debet. Omnes fatentur, numquam occasionem desperationis porrigendam esse pœnitentibus; sed animandos pusillanimes, recreandos mœstos, erigendos afflictos, qui velint sincere se se in Deum a via mala convertere. Hæc omnia certa sunt apud omnes. Quid inde? Propterea ne regula generalis constituenda laxandæ absolute disciplinæ indiscriminatim respectu omnium? Dixi, P. La-Croixium, Francolinum, & alios non paucos fucum facere lectoribus, dum Sanctorum dicta pro aliquo casu detorquent ad generalem regulam confirmandam; & alto silentio obvolvunt quæ iidem sancti Doctores absolute docent contra laxatam satisfactionis disciplinam. Debuissent PP. Francolinus, & La-Croix post transcriptum testimonium ex S. Antonino *III. Part. tit.* XVII. *cap.* XX. producere in medium quod ibidem *seq. cap.* XXI. *§.* 5. scribit. *Quamvis pœnitentiæ iniungendæ a Confessore pœnitentibus hodie sint arbitrariæ, & ad arbitrium iudicis, idest Confessoris imponendæ . . . tamen ut Sacerdos circa huiusmodi dispensationem cautius arbitretur, notandi sunt casus in quibus per CANONES certæ pœnitentiæ*

im-

imponuntur. Nam & CANONES pœnitentiales tenetur scire Sacerdos, alias vix in eo nomen Sacerdotis constabit: dist. XXXVIII. *Quæ ipsius.* Si Sacerdos ignorans canones, Sacerdotis nomen indigne sustinet; quid dicendum de novissimis Doctoribus casuistis esset, qui eosdem canones ignorantes tractatus edunt de sacramentali pœnitentia? Quid de iis Casuistis dicendum, qui sacrorum canonum ignorantiam promovent reipsa; cum doceant *utiliorem* & *certiorem modum* inventum hodie esse satisfaciendi per indulgentias quam per canonum observantiam?

IV. Opponunt Francolinus, & La-Croix S. Bernardini Senensis in favorem disciplinæ benignæ dictum, quo erigi afflicti, & pavidi debent. Sed rescribere debuissent quæ S. Bernardinus docet *Tom. III. serm.* 111. *post* 5. *Domin.* ubi inquit: *Occurrit in confessione, sicut in mercatoribus vendentibus pannos eiusdem bonitatis, conditionis, & solutionis, & unus vendit pannum suum pro minori pretio quam alter: certe ille mercator habebit maiorem concursum qui vendit minori pretio quam qui vendit maiori. Ita hodie* (N. B.) *accidit in confessione. Quia Confessores qui dant minores pœnitentias, habent maiorem concursum quam dantes magnas, & sic fit mercatura de pœnitentiis: & sic peccatores decipiuntur, &* (N. B.) *mittuntur ad inferos; & isti qui vadunt ad tales qui dant minores pœnitentias caussa evitandi bonos Confessores, causa non habendi congruas pœnitentias, & magnas, non plus contritionis habent quam DIABOLUS. Quia Confessor cæcus non facit conscientiam feminæ de suis vanitatibus, nec quærit, nec examinat* (N. B.) *de debitis circumstantiis peccatorum; sic mergitur in profundo, & se mergendo, te pariter trahit ad æternum supplicium, nisi per medium iustitiæ tibi consulat. Nec valet dicere: Ista est consuetudo patriæ, quod feminæ vadant caudatæ: nec enim est consuetudo approbata, sed corruptela.*

V. Hæc rescribere ex S. Bernardino debuissent laudati Auctores. Si Christiani, qui caussa habendi minores pœnitentias vadunt ad Confessarios æquo benigniores, non plus contritionis habent quam diabolus; quali contritione, & animarum zelo arderent illi Confessarii qui benigniores darent pœnitentias, ut allicerent ad confessiones, morum reformatione neglecta?

VI. Opponit P. La-Croix cum P. Francolino pauca verba S. Thomæ Villanovani, quæ vitanda extrema rigoris, & laxitatis significant. Sed cur simul non rescripsere prolixam illam & vehementem S. Præsulis declamationem adversus Confessariorum laxitates in pœnitentiis iniungendis? *Quid* (clamat S. Archiepiscopus ser. VI. Quadrag. post IV. Dom.) *Quid Ecclesiam Domini hodie perdit, nisi Confessariorum, & Pastorum blandiens adulatio, deliniens, demulcensque assentatio? . . . . O miseri animarum non curatores, sed interfectores, non consultores, sed deceptores! Quid respondebitis Domino pro grege quem vestris blanditiis decepistis,*

stis, vestris consiliis iugulastis? Hæc rescribenda fuissent, & plura alia quæ infra dabo.

VII. His cursim delibatis, nunc ostendendum breviter est, indicatas recentiorum opiniones repugnare Scripturis sanctis, & communi Ecclesiæ doctrinæ. Et principio ipse summus Pontifex Innocentius III. cap. *Cum ex eo* de pœnit. & rem. *ait, per indiscretas & superfluas indulgentias, satisfactiones sacramentales enervari.* Ergo, inquit Lugo *loc. cit. num.* 23. ideo enervantur, quia *aufertur obligatio implendi pœnitentias: alioquin, si manet obligatio implendi illas, saltem ratione medicinæ, nihil prorsus enervabitur satisfactio.* Consecutio hæc ineptissima, & sensui Ecclesiæ hostiliter repugnans est. Quid? Ecclesia indulgentiarum concessione aufert pœnitentias medicinales, quibus concupiscentia coercetur, superbia deprimitur, & carnis rebellio redigitur in servitutem? Ut mea minima opinio præfert, hæc doctrina omnia iura naturalia & divina, ipsasque Scripturas pervertere videtur. Nam ex una parte indulgentiæ plenariæ obviæ in Ecclesia sunt; ex altera parte usus indulgentiarum est modus certior satisfaciendi, & aufert de medio vel ipsas pęnitentias medicinales, efficacissimas ad passiones frenandas. Hi sunt canones novi, quos citati recentiores pro fidelium conscientiis moderandis edidere. Tu, lector cordate, vide num hæc nova doctrina hodiernæ praxi respondeat.

VIII. Nos e publico suggestu totis lateribus declamamus, pęnitentias exteriores, sicut, proportione servata, interiores, esse de iure tum naturali, tum divino. Siquidem tam corpus, quam anima in peccata externa conspirant. Ergo sicut animus per dolorem internum conteratur necessum est, ita corpus per exteriorem pęnitentiam affligatur oportet. Ratio ista ex ipso naturali divinoque iure hausta est. Clamat quippe Paulus Rom. VI. *Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiæ in sanctificationem.* Verum Christiani, indicatis Casuistarum opinionibus imbuti, deridunt conciones nostras; nullumque, aut parvum colligimus profectum.

IX. Clementissima mater Ecclesia usu indulgentiarum adiuvat pęnitentes, non fovet otiosos. Nec ipsi iusti semper assequuntur plenarias indulgentias, sed ii dumtaxat qui laboriosis operibus aptos ad tantum beneficium se reddidere; ut sapienter advertit Cardinalis Caietanus *tract. x. de indulg. contra Lutherum.* Quemadmodum enim in purgatorio degentes illi nostris adiuvantur suffragiis qui sibi, dum vixerunt, ut prodessent meruere; ita de indulgentiarum thesauro illi participant qui pro viribus satisfacere propriis operibus non prætermittunt. Cedo: est debitor qui totum solvere debitum nequit, potest tamen partem. Occurrit ditissimus, & liberalissimus Christianus, qui suis divitiis iuvare hunc debitorem deliberavit ad integram debiti solutionem domino exhibendam. Quid tum debitor?

Quid?

Quid? Quia invenit benefactorem tam splendidum, tam liberalem, debiti partem, quam propriis bonis solvere ipse poterat, solvere recusat. Ad summum paucos solidos numerare contendit eo fine ut benefactor suus totum & integrum solvat debitum alioquin gravissimum. Vah debitorem vaferrimum, nequissimum, indignissimum! En veram imaginem & descriptae doctrinae casuisticae, & Christianorum qui propriis ieiuniis, eleemosynis, precibus, meditationibus, vigiliis, sin totum, saltem magnam debiti partem solvere possent, & omnia solvere recusant; sed contendunt clementissimam benefactricem Ecclesiam ex thesauro meritorum Christi, Martyrum, & Confessorum integrum debitum solvere. Ad summum ipsi paucos solidos, seu precatiunculas ad aliquod altare recitare consentiunt, ut thesaurus ad totam solutionem numerandam aperiatur. Quis hanc audacem, & stultam imaginationem, commentumque vanissimum non improbat? Intelligis nunc quam sint communi sensui adversae opiniones Sporer, La-Croix, Francolini, Lugo, & caeterorum?

X. Missis itaque similibus Casuistis, audi piissimos, unaque doctissimos Cardinales & Episcopos. Baronius ad an. 1078. num. 71. ait: *Sedis Apostolicae indulgentias iis communicari qui, quantum suppetunt vires, bene operari non praetermittunt; non autem ignavis, otiosis, ac neglgentia torpescentibus*. Piissimus Bellarminus, Soc. Iesu splendor & ornamentum *Lib. II. de Indulg. cap.* VI. inquit, *indulgentias dari diligentibus, negari negligentibus*. Cardinalis Le-Camus *const. synod. tit. V. art. 3. de indulg.* primum ait, *perversam esse doctrinam, qua indulgentiarum sacrilegus fit abusus, cum peccatoribus persuadetur, quod ad faciendam poenitentiam minime teneantur*: paullo post docet, quod *iubilaea, & indulgentiae a SS. Pontificibus iis solis concedantur qui ad proficuum eorum usum disponunt se se per veram poenitentiam, quique caritate iungente, ut magnus quidam Pontifex ait, membra sunt Christi, ita ut applicatio meriti sanguinis Iesu Christi, Sanctorumque cum ipso in caelis regnantium SUPPLEMENTUM SIT insufficientiae satisfactionum nostrarum*.

XI. Arrige aures, lector, animumque in hanc doctrinam intendito, quae tam vera est, quam falsae, quas indicavi, opiniones Casuistarum. Indulgentias clementissima Ecclesia mater dispensat in supplementum insufficientiae nostrae; minime vero nos liberat quin illam debiti partem solvamus quam paupertas nostra solvere valet. Falsitas ergo, ut mitissime loquar, est manifesta, quod usus indulgentiarum debitum auferat poenitentiae satisfactoriae. Alioquin, ut iam dixi, repetendumque saepius est, peccatores vel sceleratissimi liberi omnino essent a quavis poenitentia tum satisfactoria, tum medicinali, illa quae in bulla indulgentiarum praescribitur, excepta. Quia in magnis praesertim civitatibus vix est hebdomada, ne dicam dies, absque indulgentia plenaria in hac aut illa Ecclesia. Superflua quoque essent suffragia pro defunctis, quibus in articulo mortis impertita esset in-

indulgentia plenaria. Et licet certum non sit illos plenarias indulgentias fuisse assecutos, sufficit, inquit P. Sporer, *probabiliter* credere, illos indulgentias eiusmodi obtinuisse, ut ab onere satisfactionis exempti iudicentur. Quae hinc necessario proficiscuntur absurda, & tertiam sacramenti partem sublatam esse, & Christianos ad peccandum ansam accipere, & alia id genus, nemo non videt.

XII. Tandem praefatae Casuistarum opiniones videntur Ecclesiae invidiam conflare, eiusque splendori tenebras offundere. Quandoquidem haeretici ansam inde arripiunt calumniandi Ecclesiam, quod suis indulgentiis incentivum praebeat delinquendi, viamque aperiat latissimam ad poenitentiae disciplinam abolendam. Clamabunt: Quid tantopere contra protestantes vociferantur Catholici ob negata opera satisfactoria? Illi ipsi tandem aliquando ad visitationem unius templi parum distantis totum negotium poenitentiae satisfactoriae revocant & restringunt. Nos facillime respondemus, hanc esse novatorum calumniam: quia opiniunculae quorumdam Casuistarum non sunt doctrina totius Ecclesiae. Quomodo heinc eluctari citati Causuistae valeant, ipsi viderint. Calumnias istas labefactavit Tridentinum Concilium *sess.* XIV. *c.* 8. sicuti vidimus supra.

§. II.

Regulae practicae a Confessariis observandae in poenitentiis satisfactoriis iniungendis. Lugo, Tamburini, & aliorum regulae reiiciuntur.

I. HActenus dictum est, Confessarios debere pro qualitate criminum, & poenitentium facultate convenientes poenitentias iniungere, ne pro gravissimis delictis leves poenitentias imponendo, alienorum peccatorum participes efficiantur, ut Tridentinum Concilium definivit. Porro, ut aliquam satisfactioniis iniungendae mensuram statuere Confessarii valeant, debent, sicuti Catechismus Tridentinus, S. Carolus Borromaeus, aliique sancti Episcopi docent, sacros poenitentiales canones callere, & inde aliquam regulam pro taxatione formanda eruere. Licitum est istorum canonum rigorem temperare *arbitrio* (inquit S. Thomas in Suppl. quaest. XVIII. art. 4. ad 1.) *divino instinctu regulato.*

II. Haec omnia optima sunt & vera, inquies. At quid in praxi agendum? Consuetudo universalis fere obtinet levissimas poenitentias imponendi. Ieiunia aut in pane & aqua, aut consueta, acceptare poenitentes recusant. Eleemosynis erogandis pauci idonei sunt. Tempus precationibus impendendum deest. Haec autem sunt tria satisfactionis genera iniungenda. Si ieiunia iniungimus, abeunt absque

abso-

absolutione pœnitentes, & Confessarios ineptos inveniunt & indoctos, a quibus absolvuntur.

III. De Lugo *disp.* xxv. *de pœnit. sec.* 5. *num.* 60. monet. „ Primo loco attendi debet ad utilitatem spiritualem pœnitentis, ne scilicet laquei ei iniiciantur, ut „ nova peccata committat. Ex hoc potissimum capite excusari potest *hodierna praxis, qua leves pœnitentiæ imponuntur pro gravissimis peccatis* : id enim sæpe fit „ propter spiritualem infirmitatem pœnitentium, quia gravioribus pœnitentiis „ scandalizabuntur, & *vel confessionem fugient, vel certe Confessarios ineptos adi-* „ *bunt*, qui eos curare nesciunt." Hæc & alia de Lugo verba transcribit P. Tamburinus *Lib.* IV. *meth. confess. cap.* 1. *n.* 12. ubi sic concludit : *Hæc prudenter de Lugo.*

IV. Prudens ergo regula est *leves pœnitentias imponere pro gravissimis peccatis* ? Imprudenter ergo Tridentini Patres id cavendum monent. At nisi leves pœnitentiæ imponantur pro gravissimis peccatis, pœnitentes *confessionem fugient, vel certe Confessarios ineptos adibunt, qui eos curare nesciunt.* Hæc periodus arcani fecunda est. Iniunguntur ergo leves pœnitentiæ pro gravissimis flagitiis, ne pœnitentes fugiant ? Confessarios ineptos adibunt, qui eos curare nesciant ? Confessarii ergo apti, docti, eruditi sciunt curare morbos inveteratos, habitus altius radicatos, levibus, blandisque medicinis? Cedo : Confessarii inepti aut proportionatas delictis pœnitentias imponent, aut leves. Si primum; imbuti sunt Conciliorum, & Ecclesiæ doctrina. Si secundum; idem præstabunt quod docti, & apti. Verum habet. Sed isti Confessarii mellifluam loquendi rationem, vim persuadendi, alliciendi, hortandique pœnitentes, methodumque delicatam præscribendam pro spirituali cura ignorant. E contrario Confessarii docti, & eloquentes, licet leves imponant pro gravissimis peccatis satisfactiones, nihilominus mellifluis exhortationibus ad frequentanda sacramenta invitant, alliciuntque.

V. Cum hæc serio ad sanctarum Scripturarum, Patrum, & Concilii Tridentini, eiusque Catechismi normam perpendo, undique angustiis me exagitatum sentio. Illinc clamari audio : Damnabis ne tot Confessariorum praxim ? Heinc vocem tonantem sentio : Erravit ne Paulus, erravit Ioannes, dum tam severe puniere incestuosum, & furem ? Errarunt ne Ecclesiæ Patres, Cyprianus, Gregorius Thaumaturgus, Basilius, Ambrosius, Augustinus, & duodecim sæculorum Doctores, postremæ ætatatis nostræ Patres Tridentini, Carolus Borromæus, S. Thomas de Villanova, Bellarminus, Denhof, Aguire, ut mittam anteriores, Thomam Aquinatem, Bonaventuram, Antoninum, ceterosque innumeros Episcopos, & Cardinales sapientissimos ?

VI. Sanctissimi Ecclesiæ Patres, Apostolis propinquiores, furentis persecutionis tempore Christianos infirmos, non indulgentiæ lenocinio, sed pœnarum severitate coer-

coercebant. Ob unum peccatum mortale nunc 10. nunc 15. annos, flagellis, ciliciis, ieiuniis in pane & aqua, cinere afperfos, & ad Ecclefiæ fores plangentes, proftratos, publicæ contemptioni expofitos, plectebant delinquentes. Unde, quæfo, tantæ feveritatis difciplinam, nifi ab Apoftolis, atque adeo ab ipfo Chrifto didicere? Non verebantur fanctiffimi viri ifti pœnitentium fugam, nec eorumdem defperationem; fed hæc erant illorum ratiocinia. Peccatum letale animæ infirmitas mortalis eft, quæ mentem obtenebrat, cor corrumpit, paffiones omnes ad tumultum, ad rebellionem concitat & armat, in ultimos animi receffus venenum effundit, profundiores radices agit, illecebrarum & voluptatum carnalium appetitiones irritat, & peccatorem mundi ac diaboli fervituti vinculis fortioribus devincit. Quis porro mentis compos fibi in animum induxerit, ut credat paucis momentis, aut diebus has radices evelli, hæc vincula frangi, has veneficas qualitates & maculas ablui poffe? Neque enim expelli hæc omnia poffunt, nifi contrariis virtutum officiis, nifi fortiffimis propofitis, nifi carnis & paffionum conflictatione, & quidem diuturna. Quid quod peccata plurima non modo peccantes ipfos, fed ceteros quoque inficiunt, fafcinant, & ad peiora patranda flagitia provocant? Ergo neceffaria eft fatisfactio, quæ criminis gravitati aliquo modo refpondeat. Neceffarium eft remedium, quod infirmitatis gravitatem & periculum patefaciat, tum peccatoribus ipfis, ut refipifcant, tum fanis & innocentibus, ut fibi caveant. Et revera tum Chriftiani, recogitantes quod ob unicum adulterium interdicta facramenta erant, & profpectantes adulteros, fornicatores, periuros pœnitentes cinere afperfos, barba & capillis hirfutos, ieiuniis, & flagellis macilentos, lacrymantes, & plorantes, horrorem peccati, eiufque enormitatem concipiebant, Hæc feveræ pœnitentiæ fpectacula præfentia æternas futuras pœnas, & perpetuam vifionis Dei privationem portendebant. His imaginibus præventi iuvenes longius a peccandi periculis fe continebant: & revera numquam rariora & pauciora peccata quam tempore quo fevera canonum pœnitentialium difciplina vigebat.

VII. E contrario ætate noftra res fuccedit. Vident iuvenes, vident adolefcentes, ut iam dixi, & dicendum fæpius eft, Chriftianos in theatris, in comœdiis, in faltationibus procari, fornicari, mœchari, & fimul pluries quotannis confiteri, abfolvi aliquarum precationum pœnitentia peracta. Vident, non per annos, fed per luftra plura in perpetuo & confeffionum, & relapfuum circulo amafios, amafiafque circumvolvi. Numquam frequentia facramentorum maior; numquam fcelera latius quam ætate noftra manarunt. Quid heinc? Chriftani pueri & iuvenes, iftius confuetudinis, confociandi facramentorum frequentiam cum frequentia relapfuum in eadem fcelera, imaginibus alti & educati, nullum peccati horrorem concipiunt. Quid fit Dei offenfa, penitus ignorant; & cœpit apud ipfos licitum

tum fieri quod publicum est. Familiaria, splendida, & fere laude digna crimina iisdem apparent. Si Confessarius, Tridentini doctrina imbutus, pro criminum qualitate pœnas imponat, ut ait De Lugo, scandalizantur, fugiunt, & alios adeunt Confessarios. Hi, ut fugientes oves colligant, eos absolvunt.

VIII. Unde (repeto) amabo te, Patres nostri sanctissimi hanc satisfactionis formam didicere? Unde, nisi ab Apostolis ipsis, quibus proximi fuere, atque adeo ab ipso Christo? Unde nos religionem christianam accepimus? A Patribus, a maioribus nostris, atque adeo ab Apostolis, & a Christo Domino. Exterior pœnitentiæ disciplina variationi obnoxia est; at spiritus pœnitentiæ, peccati gravitas, magnitudo divinæ offensæ, debitum satisfaciendi immutabilia sunt. Religio nostra, lector cordate, non est inventum humanum, ad regulas prudentiæ politicæ expolitum; sed donum Dei est nobis sub deposito custodiendum, a Christo, ab Apostolis, a Patribus, ab Ecclesia traditum.

IX. Omnia quæ opponuntur in præsentia, & naturæ imbecillitas, & concupiscentiæ rebellio, & ad malum pronitas, severissime examinarunt Patres, præsertim Cyprianus adversus Lucianum. Variationem disciplinæ exteriorem, nempe præmittendi absolutionem satisfactioni, & negligendi ritus illos plangentium, prostratorum, consistentium, aliosque satisfactionis non modo tolerat, sed probat Ecclesia. Tolerat etiam diminutionem rigoris pœnitentiæ quam iniungi canones pœnitentiales præscribunt, ut alias dictum est. At numquid probat Ecclesia quod pro *gravissimis peccatis leves imponantur pœnitentiæ*, ut plures recentiores Casuistæ cum Lugo docent? Numquid probat Ecclesia, quod solis indulgentiis peccatorum infirmitates curentur?

X. Verum, ut recentiores Casuistæ citati intelligant, quam sint illorum recensitæ opiniones non modo antiquis, verum etiam modernis Patribus adversæ, unum ex plurimis in medium produco doctissimum, unaque piissimum Cardinalem Bellarminum, cui nihil præter antiquitatem deest, meo quidem iudicio, ut Pater Ecclesiæ sit & appelletur. Gemit, & plorat ipse super laxata pœnitentiarum disciplina. Sic enim *conc.* IX. *Dom.* IV. *Adventus* de satisfactione scribit. „ Olim, cum multo melius Christiani intelligerent necessitatem pœnitentiæ quam „ nos faciamus; cumque apud se cogitarent, ac perpenderent, quanto facilius „ hic in terris quam in purgatorio satisfieri possit, pœnitentias longissimas atque „ asperrimas septem, quindecim, viginti, triginta annorum, interdum totius vitæ „ libentissime admittebant, & explebant, & toto illo tempore ieiunabant frequenter, orabant frequentius, non utebantur balneis, non equis, non curribus, non „ vestibus pretiosis: abstinebant a ludis, iocis, theatris: denique tota vita eorum „ nihil nisi luctus, & humilitas, & pœnitentia erat . . . *At vero hodie ita delicati, ita teneri effecti sumus, ut vix paucorum dierum ieiunia pro multis sceleri-*

„ *bus*

„ *bus, atque delictis sustineri possint. Cilicia vero, & cineres, vigiliæ, humicubatio-*
„ *nes, flagella, & aliæ carnis afflictiones non solum in moribus nostris, sed vix*
„ *IAM IN LIBRIS reperiuntur.*

XI. Et post allata testimonia Concilii Toletani ad Scripturam sanctam caussam appellat, sic persequens sermonem suum. „ Sed quid ait Scriptura? *Qui timet* „ *pruinam, irruet super eum nix.* Nos exiguæ, & brevis pœnitentiæ austeritatem „ formidamus; & in pœnas atrocissimas, & longissimas purgatorii, vel gehennæ „ incurremus. Legi aliquando, extitisse nobilem quemdam adolescentem delica„ tum, qui, cum vitam valde severam arripuisset, & eo nomine ab amicis, & „ affinibus reprehenderetur, eique corpusculi infirmitas, & teneritudo obiiceretur, „ sapientissime respondit in hunc modum: Ego propterea vitam istam duram, & „ laboriosam arripui, quod meæ imbecillitatis & teneritudinis optimæ conscius „ essem. Cum enim cogitarem tam tenerum corpusculum non bene ferre posse „ purgatorii, vel gehennæ supplicia, ego delicatus hæc minora & meliora elegi, „ ut illa graviora, & maiora evaderem. “

XII. Porro sic concludit sapientissimus Purpuratus. „ *Unde igitur tantus tepor* „ *in nobis, tanta teneritudo, nisi ex eo quod solitudinem cordis non intramus; quod* „ *non intelligimus, nec intelligere cupimus quid sit Deum offendere? Et quid hinc* „ *sequitur, nisi ut quamplurimi TURMATIM in gehennam descendant, & non so-* „ *lum ex his qui non confitentur, sed etiam qui male confitentur? Vere dico vobis,* „ *dilatavit infernus animam suam, & descendunt ad eum sine numero.* “

XIII. Rigorista ne Bellarminus? An sola Bellarmini auctoritas non prævalet sexcentis Tamburinis, La-Croixiis, Sporeriis, Vivis, & his similibus? Sed Bellarminus hæc in concionibus docet. Fateor. Alia ne in pulpito, alia in confessionario doctrina theologica? Fulgentiori ne luce cælesti perfusi fuere Caramuel, Diana, Leander, Escobar, Tamburinus, quam Bellarminus, quem publicæ adorationi cito proponendum solemni ritu speramus? quam S. Carolus Borromæus? quam Patres Tridentini? quam ceteri Sancti? Verum ne quis suspicari valeat, nos ad rigidiora declinare, regulas practicas in pœnitentiis iniungendis servandas pro nostra tenuitate dabimus. Hactenus enim generatim & universe locuti sumus.

§. III.

REGULA PRIMA GENERALIS.

XIV. PRimum omnium serio introspiciat Confessarius cordis conversionem a statum pœnitentis, eius mores, consuetudines, indolem, habitus expendat. Si deprehendat pœnitentem sincero cordis dolore tactum, & ex signis colligat eum vere, sincere, & constanter esse in Deum conversum, virtutis amore captum, & vitiorum horrore perterrefactum; lætus sit, & absque ulla anxietudine convenientes pœnitentias imponat pro criminum enormitate. Pœnitentes enim sincere conversi, parati cum Davide in flagella sunt. Nulla est pœnitentia quam isti libenter non suscipiant, si conscii propriorum criminum gravitatis vere contriti fuerint. Quid? Omnes sincere conversi mortem potius subire atrocem vellent quam peccata patrare: & postea recusabunt ieiunia, disciplinas, cilicia, preces, eleemosynas, & similia, ea moderatione præscripta, quæ nec sanitati, nec statui officiant? Immo isti omnia quæ præstare valent, quam libentissime, carne licet repugnante, suscipient. Verum habet, inquis, quando revera contriti sint. At si reipsa vere contritos & conversos, amoreque virtutis & peccati odio succensos non deprehendis, absolutionem iisdem impertiri nequis. Sunt, reponis, attriti quantum sat est ad absolutionem; sed delicati, imbecilles, parum in virtute firmati. Si rigidas iisdem iniungo pœnitentias, iugum excutiunt, & in desperationem labuntur, latiusque frena iniquitati remittunt. Præstigia, & fascinia hæc sunt. Extrema, reponis, laxitatis, & rigoris vitanda. Audio. Omnes vociferantur, via regia, idest media, incedendum, declinatis extremis. Sed paucissimi sunt qui hanc viam mediam noscant; sed quisque pro arbitrio fingit. Idcirco sequentes regulas dabo.

§. IV.

REGULA SECUNDA

satisfactionis iniungendæ pœnitentibus nobilibus.

XV. FInge, Christianos altioris subsellii, nobilesque plurimos hanc vitam ducere. Vestium luxum, & pompas induunt, opipara convivia parant, gulæ, ludisque indulgent. Nobilium matronarum congressus, theatra, comœdias frequentant. Maiori noctis parte vigilant, saltant, potant, tripudiant. Fornicationes & adulteria frequenter perpetrant, ut cetera flagitia, periuria, odia, in-

vidiamque sileam. Finge, inquam, hanc esse istorum vitam. Quæ pro adulteriis, fornicationibus, pollutionibus, tactibus, aspectibus, alloquiis impudicis, & turpibus opera satisfactoria his iniungenda? Hanc ego illis iniungerem pœnitentiam. Primum omnium matronulas amasias obligarem ut pompas, luxum, fastumque deponerent, ut intra domi confinia se continerent, a virorum familiaribus congressibus omnino seiunctas; ut humilem, modestamque, & proprio statui consentaneam vestitus formam imposterum induerent. Idem, proportione servata, præscriberem viris. Hæc non tam sunt opera iniungenda in pœnam criminum, quam officia vi professionis christianæ implenda; nihilosecius loco pœnitentiæ iniungerem. Post adderem, ut quot horas insumere consueverunt in theatris, ludis, conversationibus, totidem impenderent partim in christianis meditationibus, in sanctorum librorum lectione, aliisque opportunis precationibus, partim aut in re domestica curanda, aut in honesta applicatione proprio statui convenienti. Deinde pro numero fornicationum, adulteriorum, aliorumque criminum ieiunia servanda præscriberem. Si nobiles pœnitentes essent formosuli, & torosuli, seu firmæ valetudinis, ieiunia plus minusve iuxta & criminum, & pœnitentium conditionem iniungerem in pane & aqua: si valetudinis non adeo robustæ forent, consueta ieiunia præscriberem, adderemque eleemosynas moderatas, Ecclesiarum, & sacramentorum frequentiam plus & minus pro circumstantiarum varietate.

XVI. Quid est quod contra hanc satisfactionis regulam obtrudere vel benigniores Casuistæ valeanr? Rigorismum redolet, inquiunt, & vix quinque in centum ex nobilibus pœnitentibus se huic regulæ subiicient. Sed quid allegare contra illam iure valent? Vigilant ultra mediam noctem, ne dicam ad auroram fere usque, ut mundo, ut diabolo inserviant: cur nequeunt saltem temporis medietatem impendere, ut divinam vindictam piis meditationibus placent? Torquent corporis sanitatem libidine & crapula: cur non poterunt concupiscentiam ieiuniis coercere? Fovent carnis appetitiones lectisterniorum mollitie: cur duriori cubatione comprimere carnis rebelliones recusant? Si pecuniis abundant, ut in flagitiorum pretia solvant; cur impotentes erunt ad eleemosynas? Valetudinarii ab implendis ieiuniis, pauperes ab eroganda eleemosyna excusare se iure possunt. Verum modo de iis solis sermo est qui sanitate, & pecuniis abundant ad opera mundi & diaboli peragenda, & quidem graviora, & sanitati molestiora quam quæ ego præscribo pro delictorum solutione iure divino debita. Nihil ergo solidi opponere valent, cur ego pœnitentiæ mensuram diminuere debeam, aut possim. Disciplina hodierna benigna est. Regula a me præscripta benignissima est. Canones pœnitentiales modo quatuor, modo septem, modo quindecim annos in continuis vigiliis, ieiuniis, eleemosynis, cinere, & cilicio transfigendos

 im-

imponunt. Ego ita tempero hunc rigorem, ut imponam pro quolibet adulterio quatuor ieiunia in pane & aqua, aut ieiunia consueta: si medietatem temporis insumpti in theatris, ludis, conviviis, saltationibus, applicandam decerno precibus, meditationibus, nosocomiorum & infirmorum visitationibus, aliisque piis operibus, nec vigesimam partem satisfactionis a sacris canonibus taxatae impono. Quin non modo tempero, sed vix partem minimam antiquae poenitentiae iniungo.

XVII. Insistunt. Hanc poenitentiam, licet moderatam, non suscipient poenitentes. Et ego quaero caussam repugnantiae. Impotentiam ad ieiunandum, ad eleemosynas, ad vigilias, ad visitationem infirmorum obtrudere vere nequeunt; cum vigilent in theatris, & ludis, visitent amasias, pecuniosa tributa eisdem solvant, & libidine corporis sanitatem extenuent. Haec omnia comperta & manifesta sunt. Ergo, dum praefata ieiunia, eleemosynas, meditationes, infirmorum visitationes, aliaque pietatis opera recusant, sunt poenitentes hypocritae, larvati, sepulcra dealbata, mendaces excusantes excusationes in peccatis. At fugient, & adibunt alios Confessarios blandis poenitentiis eosdem absolventes. Verum habet, & reipsa sic evenit. At, positis iis quae dicta sunt, sacrilegae sunt absolutiones, nullae confessiones, & poenitentes eiusmodi turmatim in gehennam descendunt, inquit Bellarminus. Quoties enim debitores solvere quod revera possunt recusant, ficti, mendaces, & clementia indigni sunt.

XVIII. Quid quod praefatas poenitentias non modo implere astringuntur, ut delictorum poenam solvant, verum etiam ut malignas morborum reliquias aboleant, ut contra peccata futura se muniant? Necessariae sunt poenitentiae istae, non solum ut satisfactoriae, sed etiam ut medicinales: quoniam contraria contrariis curantur. Quid? Libidinosos torosulos absque ieiuniis, avaros & prodigos absque eleemosynis, luxus, pomparum, ambitionis, vanitatis idololatras absque humilitatis exercitio, absque vestitus modestia curabis, ad Deum convertes, per viam paradisi duces? Chimaerae chimaerarum istae sunt. Ignorarunt Apostoli, ignorarunt Patres omnes, ignorarunt Concilia omnia hanc medendi artem. Sed, ut ad incitas te redigam, haec praxis, qua permulti Confessarii utuntur imponendi poenitentias leves pro gravissimis peccatis, reformat ne reipsa dictorum poenitentium mores, luxum, & pompas matronarum; eliminat ne adulteria, fornicationes, pollutiones, avaritiam, superbiam, & cetera crimina? Heus tu! Contendis ne impeccabiles fieri poenitentes? Non id contendo; sed aio, sacramentum poenitentiae iustificare peccatores contritos: iustificatio autem christiana permanens, & natura sua stabilis est. Relabi interdum possunt, sed raro id occurret: quia qui vere iusti sunt, omnia quae enumeravi, peccandi illicia, & pericula declinant, a mundi, & diaboli praestigiis, seductionibus longius vivunt. Con-

Contra vero modetni pœnitentes hodie confitentur, communicant, & post paucos dies, ne dicam cras, eamdem vivendi formam resumunt, ad amasias, ad theatra, ad ludos, ad convivia, ad saltationes, ceterasque mundi illecebras, non secus ac antea redeunt. Næ isti pœnitentes veri?

XIX. Rursus insistis. Facillime hæc omnia in cella sua Theologus scribit. At; si interdicamus pœnitentibus altioris ordinis theatra, comœdias, spectacula, ludos, comessationes, familiarem cum matronulis conversationem, eisdem inservire & famulari; si iisdem luxum, pompas, vanitatem vestium prohibeamus; si pro adulteriis, fornicationibus &c. ieiunia, & quidem in pane & aqua, eleemosynas, ægrotorum visitationes, lectionem Scripturæ sanctæ, & meditationes iniungamus; vacua prorsus confessionalia nostra similium pœnitentium remanebunt, deserta templa. Ita eveniet. Quid inde? Sacrilegia ne, & crimina criminibus accumulanda, ne huiusmodi pœnitentium concursus amittatur? An nostram, non Dei gloriam; an propria emolumenta, non animarum salutem quærimus? At si confiteri quater saltem in annum omittunt, peiores fiunt, habenasque ad omnia scelera laxant, aut Confessarios ineptos adibunt. Tu de tua administratione sacramentorum, non de alienis sceleribus rationem redditurus eris. Tuum est impedire ne sacramenta profanentur. Si pœnitentes obstinatiores evadere sponte velint, ipsi, non tu, pœnas dabunt.

XX. Praxis iniungendi pro gravissimis peccatis leves pœnitentias est potissima omnium malorum scaturigo. Hoc benignitatis illicio maiora saltem impedire mala Casuistæ, & Confessarii plures sibi blandiuntur, sic ratiocinantes. Dum pœnitentes sacramenta frequentant, suasque devotiones festis solemnioribus exercent, ut minus, pauciora flagitia perpetrant, populum ædificant, religionis cultum fovent, & tandem seniores facti, veri pœnitentes evadunt, & in osculo Domini decedunt.

XXI. Hoc est præstigium, hæc hallucinatio omnium gravissima. Religio nostra, ut dixi, non est humanum inventum ad politica boni & æqui artificia excogitatum; sed sacrum mysteriorum, & præceptorum depositum, nobis custodiendum a Christo Iesu, ab Apostolis, a Patribus traditum. Similium ratiociniorum, & eiusmodi praxis vestigia nulla vel in Scripturis, vel in Patribus, sive antiquis, sive ætati nostræ proximis apparent. Casuistæ, & Confessarii, qui eiusmodi praxi maiora pio zelo impedire scelera sibi illudunt, ad omnia scelera, & ad ipsius religionis iacturam atque exitium viam nolentes aperiunt. Nam & scelerum horrorem auferunt, & peccandi incentivum præbent. Ex hac larvatæ benignitatis praxi iusti fideles scandalum patiuntur: ceteri fideles sibi persuadent christianam professionem sitam esse in perpetuo scelerum, & confessionum circulo. Ad sacramentum pœnitentiæ requiri non morum emendationem, sed oris promissionem cre-

credunt: sinceram pœnitentiæ imaginem prorsus ignorant, & spectrum fucatæ pœnitentiæ sibi formant. Et hac erronea persuasione decepti, sacrilegiorum sæpe plaustris onusti, in æternam fornacem corruunt. Tandem hæretici derisui habent similes auriculares confessiones cum perpetuis criminibus fœderatas.

XXII. Paucis nunc expositam habes lugubrem funestamque novæ benignitatis praxim, omnium malorum perniciosissimam. Quis tibi, inquis, talis horrendæ picturæ colores porrexit? Patres omnes. Non versamus modo, lector christiane, aliquem casum particularem excogitatum a Casuistis, qui aiunt, Doctores temporum tractare casus temporum, sed punctum disciplinæ explicamus, quod ipsis primis sæculis in discrimen adductum fuit. Audi ergo iterum unum pro omnibus Cyprianum, mirum in modum omnia quæ dixi, confirmantem, *Lib. de lapsis prope medium*, ubi sic clamat. *EMERSIT enim, fratres dilectissimi, novum genus cladis, & quasi parum persecutionis procella sævierit, accessit ad cumulum sub misericordiæ titulo malum fallens, & BLANDA pernicies. Contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem, temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio: irrita & falsa pax, periculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Non quærunt sanitatis patientiam, nec veram de satisfactione medicinam. Pœnitentia de pectoribus excussa est, gravissimi, extremique delicti memoria sublata est. Operiuntur morientium vulnera, & plaga letalis, altis & profundis visceribus infixa, dissimulato dolore, contegitur.*

XXIII. Sic loquuntur Patres sancti, sapientiæ divinæ luce perfusi. Plura ibi adiicit Cyprianus, quæ infra dabo. Quid ad hæc nonnulli Casuistæ, novæ praxis propugnatores? Habenda est temporum & personarum ratio. Fateor. Et ut undique versum (lubet enim rem hanc plenius excutere) pateat praxis huiusce blanda pernicies, paucis te urgeo. Fieri ne potest ut pœnitentes venerea lue inquinati, crapulæ, intemperantiæ, pompisque addicti, illicio muliercularum capti, avaritiæ, & superbiæ æstu ardentes, blandis medicinis, & mitissimis antidotis curentur? His utere. Longius amanda ieiunia, cilicia, flagella, cineres, eleemosynas, vigilias, & cetera severa remedia, quæ his ægrotis medendis ut necessaria præscribunt divinæ Scripturæ, Apostoli, & Patres cuiusque ætatis omnes. Hæc omnia negligito, hæc omnia longius proiicito, si paucis precatiunculis, levibusque pectoris tunsionibus curare recensitas ægrotorum infirmitates vales. Quis enim medicus adeo aut demens, aut ferox, qui, cum sanare aut levibus, aut nullis medicinis infirmos valeat, severa & molestissima adhibere remedia velit? Quis chirurgus tam fatuus, & furens, qui potens solo oleo curare vulnera, infundere acetum ex mera sævitia constituat? Eam ergo benignam benignissimam pœnitentiam iniunge quæ ad restituendos veræ, & non fictæ sanitati infirmos

tuos

tuos opportuna & efficax est. Quid benignius, quid mitius, quid suavius desiderare a me potes?

XXIV. Verum enimvero, si divinæ Scripturæ, si Concilia, si Patres omnium sæculorum, si Sancti ætati nostræ proximi, si experientia luculentissime evincunt, hanc casuisticam praxim esse ineptissimam & ad solvendam delictorum pœnam, & ad curanda putida vulnera; si ipsa quotidiana visibilis experientia testatur, eiusmodi leves & blandas pœnitentias aliud non esse quam peccandi incentiva, quam decipiendi præstigia, quam ultimum omnium malorum exitium: quid mihi auctoritatem quorumdam Casuistarum obtrudis? Sis cum pœnitentibus nobilibus, & pauperrimis etiam benignus, mansuetus, blandissimus: totis eloquentiæ nervis, ac blandiloquentiæ vi ad sinceram stabilemque conversionem hortare: & si id assecutus fueris, magnus mihi eris Apostolus. At tandem aliquando intellige, te AEthiopem lavare, & aquam cribro colligere, si credis fœtida luxuriæ ulcera curari, indomitas effrenatasque avaritiæ, superbiæ, & invidiæ passiones aliquibus precationibus, mellitisque sermonibus aut coerceri, aut deliniri. Frenis validissimis ieiuniorum, disciplinarum, eleemosynarum, & meditationum æternitatis tremendæ opus est ad tam efferatas cohibendas belluas. Verum eo malorum res nostra devenit, ut nec remedia, nec vitiorum pœnas pati amplius velint homines plures. Obdurati peccatores, ut conscientiarum aculeos quoquomodo retundant, ad Confessarios accedunt, scelera pandunt; at delictorum debita solvere, & remedia, quibus revera sanentur, audacissime respuunt. Casuistæ vero, & Confessarii non pauci, pio salvandi omnes Christianos zelo succensi, eas blandas medicinas applicant quæ latuerunt Patres nostros. Omittunt moderatas pœnas iniungere; fidemque adhibent excusationibus pœnitentium, qui difficiliora superant, & graviora subeunt incommoda, ut mundo, & diabolo inserviant. Caveant itaque Confessarii ne animas proprias damnationi æternæ exponant falsa persuasione salvandi alienas. Peccatores robusti ad iugum iniquitatis portandum, & infirmi ad sustinendum iugum Christi, quamvis confiteantur, diaboli, non Dei filii sunt. Nihil negligas, ut eos Deo lucreris; at noli sacramentorum sanctitatem profanare, & Evangelii vigorem infringere benignitatis falsæ obtentu: quia benignitas hæc & tibi, & pœnitentibus his fictis perniciosa est, quando morum reformatio sacramentorum frequentiam non consequitur.

§. V.

REGULA TERTIA

satisfactionis iniungendæ pœnitentibus mercatoribus, advocatis, ceterisque eiusdem ordinis.

XXV. MErcatores, & advocati avaritiæ vitio obnoxii sunt. Quemadmodum enim qui cum feminis conversantur, labendi in peccata luxuriæ periculo subiacent; sic qui pecunias quotidie tractant, easque ut accumulent, commercia exercent, facile avaritiæ præstigiis capiuntur. Eo vero periculosius est vitium istud, quo occultiores sunt latebræ quibus absconditur. Istis igitur iniungendum primo est quotidianum conscientiæ examen super iis quæ ad suas attinent professiones. Rationes instituant, debitaque cum Deo contracta supputent ea solertia & diligentia qua solent propriæ negotiationis contractus, credita, & debita scripturæ consignare. Eleemosynæ istis iniungendæ semper sunt; prout illorum status fert.

XXVI. Advocati, & qui curiæ inserviunt, fraudibus, insidiis, dolis subiecti sunt, indigentque & hi quotidiano conscientiæ scrutinio, & caritatis exercitio erga proximum. Iniungendum istis ut pauperes oppressos defendant, protegantque. Hæ sunt pœnitentiæ medicinales contra vitia quæ comitari professionem solent.

XXVII. Confessarius itaque duo præ oculis habere debet. 1. Statum seu professionem pœnitentis, & peccata sive omissionis, sive commissionis quæ patrari a talibus solent; & præsertim in omissiones inquirat eorum qui præsident aliis: istorum enim plurimi ob peccata omissionis, quæ ut aquam bibunt, damnantur. 2. Expendat peccata personalia. Si enim hi fornicatores, adulteri, periuri fuerint, communes pœnæ ieiuniorum, eleemosynarum, meditationum, vigiliarum infligendæ sunt.

§. VI.

REGULA QUARTA

satisfactionis imponendæ plebeiis, ceterisque postremæ classis hominibus.

XXVIII. QUI aut in agris, aut in officinis continenter laborant, famulantur, inserviunt, non sunt communiter apti sive ieiuniis, sive elee-

eleemosynis. Dixi communiter: nam & istorum plures valent eiusmodi praestare opera, quae iniungi poterunt pro criminum gravitate, & circumstantiarum diversitate.

XXIX. Poenitentiae istis iniungendae, erunt communiter precationes, mane & sero diligenter recitandae, nunc brachiis decussatis vel extensis, & genibus nudatis, nunc prostrato corpore pro criminum maiori vel minori gravitate. Iubeat ut victimas laborum omnium Deo offerant singulis diebus, & ut hanc oblationem saepius per diem innovent, aspirationes frequenter repetant, & sero Deo gratias agant; ut incommoda, molestias, adversitates forti animo in propriorum criminum poenitentiam sustineant. Si isti in aliquod nefandum crimen labantur, poterit prudens Confessarius iniungere ut pane & aqua contenti sint: si id labores non permittant, poterit iubere abstinentiam a vino, aut ab obsonio, aut humicubationem: ea denique imponat quae affligendae concupiscentiae opportuna iudicabit.

§. VII.

REGULA QUINTA

satisfactionis iniungendae feminis.

XXX. Feminarum vitia sunt ambitio, luxus, pompae, fastus, nuditas pectoris, & nimia pulchritudinis ostentatio, scandala seductionis. Feminis igitur quae contra christianae modestiae regulas se se ornant, quae viros versuta arte ad peccandum alliciunt, ornatum vanum primum omnium interdicat. Si scandalo viris fuere, si lapsae sunt in carnis peccata, in adulteria, in fornicationem, non modo vestitum modestum, quem vel ipsa femina innocens & casta induere tenetur, sed humilem etiam, &, quantum status patitur, vilem, & pauperem praecipiat. Haec est propria feminarum poenitentia, opportuna ad coercendam earumdem ambitionem, luxum, vanitatem, ambitionem, superbiam, & ad reparanda scandala, nuditate, fucis, & ementita venustate inducta.

XXXI. Deinde in criminum vindictam ieiunia, & quidem severa, plus minusve pro flagitiorum diversitate praescribat, preces, vigilias, & meditationes, prout expediens iudicaverit. Oculorum evagationem prohibeat, solitudinem, sexui alioquin propriam, praescribat.

§. VIII.

§. VIII.

REGULA SEXTA BENIGNITATIS

servandæ in satisfactione iniungenda pœnitentibus omnibus.

XXXII. PLenus suavitatis, mansuetudinis, comitatis, & quasi dixerim illecebrarum sit Confessatius oportet. Altius menti infixum habeat S. Pauli monitum ad Gal. VI. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis.*

XXXIII. Medicina corporalis, etiamsi infirmus reluctante voluntate illam deglutiat, parere sanitatem potest. At si peccator curari renuit, nihil medicinæ sive severæ, sive benignæ prosunt. Benignitas itaque Confessarii huc collineare omnem industriam suam debet, ut pœnitentem persuasum efficiat necessitatis implendi pœnitentiam præscriptam. Porro, ut ex parte sua ea omnia patientia summa præstet, hoc pacto alloqui pœnitentem poterit. Nemo te melius vulnera infirmitatis tuæ, & radices agnoscit. A tot annis in hoc vitiorum cœno volutatus es. Remedia, quæ hactenus adhibuisti, vana, & inania. Confessiones ob relapsuum frequentiam probabiliter sacrilegæ. Ego, qui in hoc negotio nihil prius cordi habeo quam animæ tuæ salutem, quam summopere aveo, post seriam considerationem, pœnitentiam quam præscripsi, iudico necessariam. Quid est quod illam respuis? Vis ne æternum perire? Salvari ergo sincere constanterque vis? Curandus ergo necessario est animæ tuæ morbus, & Deo offenso satisfaciendum. Porro si medicina, quam pro infirmitatis cura exhibeo, nimium tibi aspera est, habes ne tu aliam meliorem, & sanitati recuperandæ efficaciorem? Si habes, illam expone. Tute iudex, sicut accusator, caussæ tuæ esto. Ego meum tuo iudicio subiicere volo. An eris animæ tuæ proditor, & deceptor? Si pœnitens suggesserit pœnitentiam quam tu opportunam iudicaveris, eam illi præscribe, inquiens: Utinam possem absque ulla pœna te iustum efficere, & curru, ut vulgo dicitur, in cælum ducere. Pœnitentiam quam tumet ipse tibi imponis, ego probo. Si ineptam agnoveris, ostende eidem, quam sit deceptus. Nullum non moveas lapidem, ut pœnitentem tuum veritatem doceas, instruas, & ad curandam infirmitatem suam inflammes.

XXXIV. Benignitas ergo tua non casuistica, sed evangelica sit: idest, lenitas, quam Apostolus commendat, non est indulgentia assentatrix, ut satisfactiones ad genium pœnitentium minuat, ne pœnitentes fugiant, scandalumque patiantur; sed est spiritus mansuetudinis & caritatis, quæ omnia suffert, ut lucretur

tur fratrem suum. Ostende quanta passus hactenus sit, ut vitiis & diabolo inserviret, ea rationum momenta illi expone quæ supra descripsi. In his, & similibus sita sit lenitas, & suavitas tua. Longius a te abeat benignitas illorum Casuistarum qui solo indulgentiarum usu, & levibus quibusdam pœnitentiis curare mortiferas infirmitates contendunt. Si hanc methodum servaveris, etiamsi pœnitentem tum lucratus non fueris, tamen a te ædificatus discedet, & forte verbi Dei semen, quod hodie seminasti, tempore dabit fructum suum. Tandem considera paucos esse electos, multos præscitos. Quare non omnes qui ad sacramentum accedunt, ex illis sunt qui sanari debeant. Cave ergo ne sacramenta polluenda exponas. Plura alia adiicere possem; sed prudens Confessarius ex iis quæ dixi, sufficienter colliget quas cuique pœnitenti applicare satisfactiones debeat.

§. IX.

Raro Confessarii æquo severiores, frequentissime æquo laxiores sunt in pœnitentiis iniungendis. Querimoniæ sanctorum Patrum cuiusque sæculi sunt adversus Confessarios non rigidos, sed laxos.

XXXV. Rigor cum humana natura pugnat. Rigorista odium, invidiam, contemptionem universi humani generis subit. Ergo qui nimium rigorem ex arbitrio exercet in pœnitentes, aut monstrum humanitatis est, aut dementia, vel crassa ignorantia laborat. E contrario benignitas, clementia, suavitas secundum naturam est; plausum, acclamationem, favorem, & totius mundi præconia sibi comparat. Ergo Confessarii natura sua propensi sunt ad benignas pœnitentias iniungendas: natura sua propensi sunt ad declinandam Rigorismi invidiam odiumque, & ad promerendas laudes, acclamationes, & plausum universalem, ut fusius dicam infra.

XXXVI. Increpationes Tertulliani, Cypriani, Basilii, Ambrosii, & aliorum Patrum adversus Confessarios laxos, & palpones supra dedi. Nunc aliorum paucas rescribam.

XXXVII. S. Leo Papa *epist.* lxxix. inquit: *Abiicienda prorsus pestifera hæc a pastorali vigore patientia, quæ sibimet, peccatis aliorum parcendo, non parcit.* Hormisda Papa *epist.* quæ habetur *Tom. V. Biblioth. PP.* clamat. *Quæ est ista inimica benignitas, palpare crimina, & vulnera eorum usque ad diem iudicii incurata servare? Vere dico, quia illi ipsi quibuscum periculosa & falsa misericordia indulgere videmur, cum ante tribunal Christi pro tantis peccatis damnandi advenerint, contra nos ipsos causas dicturi sunt, dicentes, quod, dum aut asperitatem lin-*

linguæ eorum expavimus, aut falsa blandimenta, & periculosas adulationes ipsorum libenter accepimus, nos eos, dum inutiliter indulgemus, in peccatis permanere, aut ipsa etiam peccata augere permiserimus.

XXXVIII. Petrus Damianus, non minus sanctitate quam purpura celebris, in suo Gomorrhiano acriter invehitur adversus Confessarios benigno-laxos. *Hæc* (inquit cap. 11.) *impia pietas non vulnus amputat, sed, ut augeatur, fomitem subministrat . . . Cave ab his* (subdit cap. xi.) *quicumque es, ne te sirenarum carmen mortifera suavitate demulceat, ne navim tuæ mentis in scyllæ voraginis profunda demergat*. Et tandem ser. lxx. *In pœnitentiæ virtute caligant oculi plurimorum, qui vel discretione privati, vel assentatione seducti, privatam gratiam præferunt veritati*. Gratiam & favorem inire ab hominibus potens illicium est.

XXXIX. Cardinalis Camusius in *const. synodal. tit.* vi. *artic. 6. sec. 6.* omnium malorum sentinam ait esse Confessariorum laxitatem. *Nullum abusum Concilia, sanctique Episcopi novissimorum sæculorum tantopere deplorarunt, sicut pœnitentiæ relaxationem, cuius non superest nisi exterior superficies, & nomen apud Christianos: eo quod paucissimi sint Sacerdotes qui salutares, & convenientes imponant, sicut & peccatores qui eas acceptent. Hunc abusum Sancti pronuntiant causam esse malorum omnium, & scandalorum, quæ in domum Domini turmatim introierunt, omnemque decorem sponsæ ipsius deformaverunt.*

XL. Episcopus Attrebatensis in *regul. pœnit.* quas 30. Episcopi adoptarunt, *reg.* 145. hæc habet. *Si Confessarii impensius vacarent legendæ Scripturæ sacræ, quæ verus fons est Moralis christianæ, ubique deprehenderent, pœnitentiam conversionis esse sociam. Si vitas lustrarent Sanctorum, ex ipsis nec unum invenirent absque labore salutem consecutum. Si Patres de pœnitentia tractantes consulerent, in omnibus rigorem inspicerent. Si veteres omnes hac de re agentes evolverent, nullum ex ipsis comperirent mollioris erga criminosos praxeos patronum. Si ergo mollior quisque Confessarius suum agendi modum conferat cum doctrina Scripturæ, Conciliorum, Patrum, circa qualitatem doloris, & satisfactionis; vel Scripturam, Concilia, Patres damnabit, vel molliorem suum agendi modum, si propriam amet salutem, emendabit.*

XLI. Heu! quoties hoc formidandum dilemma mecum lacrymabundus profunda meditatione revolvi, expendi, expavi. Aut Scripturæ, Concilia, & Patres omnes improbandi; aut recentiorum Casuistarum plurimi reiiciendi. Clamant Scripturæ, Concilia, & Patres omnes: Cave a Laxistis, cave a Benignistis Prophetis, qui consuunt pulvillos sub omni cubito carnis, qui favorem hominum captant. Contra vociferantur Casuistæ plurimi: Cave a Rigorismo, cave a Rigoristis, cave ab illis qui imponunt onera importabilia, & in animas fragiles sæviunt. Hic tremebundus & cogitabundus mecum ratiocinor. Cui parti adhærebo?

bo? Scripturis proculdubio, Conciliis, & Patribus. At etiam Casuistæ laxiores a se stare Patres, Concilia, & Scripturas contendunt. Quid mihi ergo agendum? Quid, si errem in puncto a quo pendet æternitas? Mentem converto ad disciplinam practicam, ad ipsam sacramentorum frequentiam, & mores pœnitentium. Hæc omnia sub oculos cadunt. Et video luce meridiana clarius, Laxismum quaquaversum dominari, grassari, & inundare. Rigorismum nullibi, sive in praxi, sive in libris Catholicorum, qui communiter sunt in manibus, comperio. Post hanc maturam seriamque meditationem errare Casuistæ plures in nimia indulgentia mihi videntur. Et cum Scripturis, Conciliis, & Patribus concludo: Cave a Laxistis, cave a Benignistis illis qui pro gravissimis peccatis leves iniungunt pœnitentias. Testimonia SS. Bernardi, Antonini, Thomæ de Villanova, Caroli Borromæi, Cardinalis Bellarmini supra dedi, & infra dabo.

CAPUT X.

De obligatione pœnitentium acceptandi satisfactionem impositam a Confessariis pro peccatis mortiferis. Plurium Casuistarum laxæ opiniones refelluntur.

I. QUæst. I. *Tenentur ne sub mortali pœnitentes acceptare pœnitentiam pro gravibus peccatis impositam?* Resp. Salmanticenses morales *tract.* VI. *cap.* X. *punct.* 4. non teneri pœnitentes, ex aliis Casuistis advertunt, ad eam acceptandam, quando constaret esse iniustam; astringi vero illos, quando non constaret de excessu. Animadversio hæc quam sit cauta, ceteri iudicent. Pœnitentes ne iudices mensuræ pœnitentiæ iniungendæ? At possunt occurrere Confessarii indocti, & imprudentes, qui iniustas pœnitentias imponant? Non repugno. Sed ne tunc quidem pœnitentes evadere iudices debent, sed doctum adire Confessarium, qui recte iudicet. Quid, si pœnitentiæ forent iniustæ, quia nimis leves? Iniustitia enim tam ob defectum, quam ob excessum contingere potest.

II. De satisfactione iusta disputant recentiores. Pro opinione negante obligationem sub peccato mortali pœnitentiam acceptandi, citantur ab iisdem Salmanticensibus Scotus, Gabriel, Io. Medina, Ruiz, Navarrus, Armilla, Zerola, Villalobosius, Caietanus, & alii. Hæc opinio prorsus falsa & laxa est.

III. Communis & vera Theologorum sententia defendit, astringi pœnitentes sub mortali ad acceptandam pœnitentiam impositam pro culpis mortiferis a Confessario. Hoc luculentum ex Evangelio est, cum Christus Dominus facultatem impertierit solvendi, & ligandi. Concilium autem Tridentinum *sess.* XIV. *cap.* VIII. *& can.* XV. potestatem ligandi exponit de iniunctione satisfactionis. Nulla autem

esset

esset ligandi potestas, si liberi ab acceptatione pœnitentes forent. Nec in re aperta vacat diutius immorari.

VI. Quæst. II. *An pœnitens possit absque peccato mortali ante absolutionem declinare sententiam huius Confessarii, aliumque adire?* Resp. Salmanticenses *loc. cit. n.* 59. negant cum Lugo, Castropalao, Suarez, Coninch, posse id fieri absque rationabili, & legitima causa. Verum, inquiunt, non peccabit mortaliter pœnitens, si inchoatam confessionem relinquat, & alium Confessarium legitimum & prudentem quærat; sed erit tantum culpæ venialis, & cuiusdam irreverentiæ, & indecentiæ reus. Ego distinguerem. Si pœnitens evidenter advertat, Confessarium esse ignorantem, nescientem distinguere inter lepram & lepram, & ineptum ad conscientiam suam dirigendam; tum nullius culpæ reum reputarem pœnitentem qui, debito obsequio servato, sine absolutione abiret, & quæreret Confessarium doctum, & pium. Nonne Confessarius potest absque irreverentia contra sacramentum dimittere pœnitentem indispositum? Cur ergo non poterit pœnitens absque irreverentia contra sacramentum recedere, si evidenter illi constaret, Sacerdotem ineptum esse ad iudicium formandum? E contrario si pœnitens abrumperet confessionem, ut inveniret alium Confessarium, qui iniungeret minores & benigniores pœnitentias ob gravissima crimina; tum non liberarem hunc pœnitentem a gravi culpa, immo tamquam indispositum ad sacramentum iudicarem.

V. Quæst. III. *An probabilis sit opinio negans pœnitentem teneri ad satisfactionem impositam a Confessario suscipiendam?* Resp. P. Patritius Sporer *Part. III. cap. IV. q. 1. §. 4. num.* 548. „ Sententia sane gravium Doctorum, Soti, Caietani, „ Sylvestri, Medinæ, ac Navarri Man. cap. XXVI. num. 20. nimirum liberum esse „ pœnitenti acceptare, vel repudiare pœnitentiam a Confessario impositam, etsi „ maxime post Tridentinum non intrinsece, *tamen extrinsece probabilis ad hoc ser-* „ *vire* potest Confessario, ut NEMINEM sine absolutione remittat, qui eam sen- „ tentiam secutus, nollet acceptare pœnitentiam impositam, paratus Deo satisfa- „ cere in hac, vel in altera vita, *dummodo aliquam vel LEVISSIMAM pœniten-* „ *tiam subire velit, v. g. aliquot* Pater, *&* Ave, *tunsionem pectoris &c.*"

VI. Præfata opinio, non modo sive intrinsecus, sive extrinsecus probabilis non est; sed est evidenter falsa, improbabilis, & Concilio Tridentino manifeste contraria. Hæc enim opinio destruit forum pœnitentiæ, aufert a Confessariis potestatem ligandi. Quoniam si pœnitentes non tenentur parere, Confessarii nequeunt præcipere. Clausula adiecta nimis inepta & perridicula est. *Dummodo aliquam vel levissimam pœnitentiam subire velit, v. g aliquot* Pater, *&* Ave, *tunsionem pectoris &c.* Qui fornicationes, adulteria, aliaque gravissima scelera perpetravit, tenetur subire aliquam satisfactionem levissimam, nempe *tunsionem pectoris*, levissimam ne? *aliquot Pater & Ave*. Iudicent pii doctique lectores, an eiusmodi opiniones

sint

sint omnium malorum origines. Tot Confessarii minus periti, legentes eiusmodi Doctores, reipsa imponunt levissimas pœnitentias pro gravissimis delictis, & absolutionem impertiunt peccatoribus evidenter indispositis. Apti ne ad sacramentum pœnitentiæ illi sunt qui recusant, quoad possunt, Deo satisfactionem reddere, & medicinas ad curandos inveteratos morbos necessarias audacter respuunt?

VII. P. Thomas Tamburinus *Lib. IV. Meth. cap.* 11. *num.* 7. refert Victoriam, & Vasquezium, docentes, esse de fide, quod Sacerdos possit obligare ad aliquam pœnitentiam, & Suarez dicit contrariam opinionem esse temerariam. Nihilominus P. Tamburinus resolvit. „ Aliis vero videtur etiam post Tridentinum esse „ probabilis, quia non videtur Tridentinum damnare voluisse opinionem quam „ doctissimi viri sequebantur . . . Ex qua opinione sequitur quod si esset pœni„ tens aliquis qui nollet acceptare, paratus in purgatorio solvere, non esset ex „ hoc præcise censendus indispositus (nisi forte recusaret pœnitentiam etiam par„ vam, quod esset signum non veri doloris) nec propter hoc solum esset sine ab„ solutione dimittendus. " Quid, si Cyprianus, si Chrysostomus, si Ambrosius talia audissent paradoxa? Citatur pro hac opinione Caietanus. Si eam docuit, manifeste erravit; sicut errare aio Sporer, Tamburinum, & alios talia docentes.

VIII. P. Claudius La-Croix *Part.II. num.* 1260. docet cum P. Busembau, esse absolvendum pœnitentem qui velit acceptare levem pœnitentiam, inquiens *Immo, notat Busembau cum aliis apud Lohn. non esse dimittendum pœnitentem qui admittere vult pœnitentiam saltem levem*. En quomodo iuxta istos Casuistas pœnitentes constituuntur iudices pœnitentiæ imponendæ. Non est dimittendus pœnitens qui admittere vult pœnitentiam *saltem* levem? At pœnitens iste enormium criminum reus est, laborat morbis gravissimis, indiget validis medicinis. Nihil refert. Videndum ne sacramentum reddatur odiosum, & ne pœnitentes in desperationem labantur. Profecto cavere Sacerdos debet ne aut sua imprudentia, aut nimio rigore odiosum efficiat sacramentum, aut in desperationem detrudat pœnitentes. Verum si pœnitentes satisfactiones proportionatas & criminum malitiæ, & eorum morbis acceptare nolint, sed velint *saltem pœnitentiam levem*, non sunt dimittendi? Isti ne sincere attriti, vel contriti? Isti ne ingenui debitores, qui, quod possunt, reddere nolunt? Eiusmodi ne opiniones Evangelio, Concilio Tridentino, & Ecclesiæ spiritui consentaneæ?

IX. Quæst. IV. *An omittens pœnitentiam impositam pro peccatis mortalibus primo confessis peccet mortaliter?* Resp. Communis sententia docet, quod pœnitens teneatur sub mortali implere pœnitentiam gravem iniunctam pro peccatis mortiferis primo confessis; si vero omitteret partem levem totius pœnitentiæ, a mortali eum excusat. Quid, si pœnitentia tota imposita pro peccatis mortalibus primo confessis sit in se levis, puta psalmi *Miserere*? Peccabit ne tum mortaliter

pœni-

pœnitens illam omittens? Negant Salmanticenses *tract.* VI. *cap.* X. *punc.* 4. *num.* 61. & citant de Lugo, Coninch, Aversa, Bonacina, Castropalaum, & alios. Quoniam, inquiunt, levis materia non suscipit gravem obligationem.

X. Præfata sententia duplici titulo mihi falsa est. Primo quia Confessarius levem pœnitentiam pro peccatis mortalibus primo confessis iniungens, alienorum peccatorum particeps efficitur. Secundo quia pœna pro mortiferis delictis primo confessis imposita suapte natura gravis est. Et licet Confessarius imponeret pro dictis criminibus psalmum *Miserere*; hæc tamen pœnitentia, cum sit tota pars sacramenti, pœna gravis esset. Delicta enim gravia, numquam antea subiecta clavibus, gravem postulant pœnam. Errat Sacerdos, existimans taxatam pœnam unius *Miserere* esse gravem. Propterea ne levis evadit pœna? Levis utique est pœnitentia unius psalmi *Miserere* absolute considerata; peccatque Sacerdos, nisi circumstantiæ excusent, in hac pœnæ mensura constituenda. At error, & peccatum Sacerdotis non tollit quin pœnitentia imposita sub ratione satisfactionis debitæ peccatis mortiferis primo confessis sit gravis, ut sic dicam, formaliter. Ne multa. Pœnitens qui omitteret totam pœnitentiam iniunctam pro peccatis mortalibus primo confessis, peccaret, ut ego quidem arbitror, mortaliter, sive pœna ista materialiter & in se gravis esset, sive levis: quia sub ratione satisfactionis, & prout est pars integralis sacramenti, gravitatem præfert.

XI. Quæst. V. *Quando pœnitentia iniungitur ob peccata venialia, vel mortalia prius confessa, tenetur ne pœnitens sub gravi adimplere?* Resp. Negant Suarez *dis.* XXXVIII. *sec.*7. Granados *tract.*XII. *disp.*VI. Lyman *de pœnit. cap.*XV. Diana *P.III. tract.*IV. Filliucius, Villalobosius, & alii, quos citant Salmaticenses *loc. laud. n.* 62. quia, inquiunt, nimis durum esse videtur quod pœnitens subeat gravem obligationem ob peccata levia, aut peccata iam confessa, & punita. Locus iste topicus, arcessitus a nimia duritie aut rigore, pluries explosus est. Sacramenta instituta a Christo Domino non sunt affectibus humanis administranda, sed iuxta regulas ab eodem, & ab Ecclesia præscriptas.

XII. Præfata sententia mihi falsa est, & opposita vera, quam defendunt & ipsi Salmanticenses, allegantque plures iuniores. Ratio evidens est: quia licet peccata aut venialia, aut mortalia iam confessa, non sint materia necessaria; posito tamen quod confiteri pœnitens velit, & sacramentum suscipere, partes quas sacramentum requirit, implere debet. Satisfactio autem pars est integralis sacramenti pœnitentiæ. Ergo pœnitens ad eam implendam astringitur. Gravitas illius obligationis, non a duro, vel blando, ut cum Elizalde loquar, sed a sacramenti natura repetenda est.

XIII. Quæst.VI. *Quo tempore implere satisfactionem pœnitens debet?* Resp. Leander, Diana, & alii Probabilistæ docent, posse per annum pœnitentem satisfactionem differre

ferre, quando Confessarius tempus non definivit. Hæc opinio, ut ex se patet, & falsa, & magnopere laxa est. Quando Confessarius tempus definit, intra hoc tempus agenda satisfactio est. Quando tempus non præfinit, cum primum pœnitens potest, solvere debitum astringitur.

XIV. Si Confessarius pœnitentiam illiget huic diei, v. g. veneris, vigiliæ B. Virginis, aut alterius Sancti, tali die exequi pœnitentiam, sive ieiunium, sive preces, sive quid aliud pœnitens debet. Si pœnitens aut ob impotentiam, aut ob malitiam, aliamve caussam omittat tali die pœnitentiam, aliqui Casuistæ exemptum ab onere implendi alio tempore talem pœnitentiam asserunt; sed talis opinio falsa est. Quia licet pœnitentia illigetur tali diei ob specialem cultum erga B Virginem, passionem Christi, aliumve Sanctum; hic tamen non est finis præcipuus; sed est quædam circumstantia, qua neglecta, aut spreta, consistit finis primarius satisfaciendi. Pœnitens tenetur implere iniunctam satisfactionem omnibus circumstantiis circumscriptam, puta preces flexis genibus & nudatis, capite inclinato, tali die &c. uti præscriptum a Confessario est. Qui oblitus est implere ieiunium feria sexta impositum, alia feria sexta illud exequi tenetur.

XV. Quæst. VII. *Quid de commutatione pœnitentiæ dicendum*? Resp. Primum certum est, pœnitentem non posse sibi iniunctam satisfactionem aut commutare, aut alium substituere qui loco sui satisfactionem impleat. Quamobrem Alexander VII. damnavit hanc 15. thesim. *Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat*.

XVI. Confessarius quisque commutare pœnitentiam valet, audita tamen peccatorum, ob quæ imposita pœnitentia fuit, confessione. Quid, si pœnitentia imposita sit a superiore ob peccata reservata? Salmanticenses *tract. VI. cap. X. punc. 6. num. 73.* reputant esse *probabile* quod inferior Confessarius queat commutare satisfactionem impositam a Superiore ob peccata reservata: & laudant *Antonium a Spiritu sancto*, *Castropalaum*, *Bonacinam*, *Sa*, & alios. Sed hanc opinionem reiiciunt graviores Theologi, Suarez, Valentia, Gonet, & alii plures, & quidem merito. Quoniam sicut delictum, ita & eiusdem pœna superiori reservata est: accessorium enim sequitur principale. Nec alicuius momenti est, quod obtrudunt, peccata reservata semel confessa non esse amplius reservata. Quid enim ex hoc infertur? Quod si iterum subiiciantur clavibus, iterum valeat Confessarius alia pœnitentia punire. Ceterum pœnitentia, imposita a superiore ob hæc peccata reservata, nullo modo subiacet amplius iudicio inferioris Confessarii. Nam peccata ut reservata puniri debent peculiari pœnitentia. Porro solus superior peccata reservans est iudex pœnæ iisdem debitæ.

XVII. Confessarius extra confessionem commutare pœnitentiam nequit, sive a se, sive ab alio Confessario impositam: quia pœnitentia hæc sacramentalis est.

Continuo post impertitam absolutionem, antequam pœnitens discedat, poterit in aliquo casu Confessarius proprio pœnitenti commutare, augere, minuere pœnitentiam: quia idem iudicium reputatur. Absolute tamen ante absolutionom hæc omnia præstare Confessarius debet.

XVIII. Disputant Casuistæ, num, facta commutatione pœnitentiæ, possit pœnitens, quam maluerit, eligere. Affirmant Salmanticenses *loc. cit. num.* 77. cum Suarez, Bonacina, Lessio, & aliis: quia, inquiunt, commutatio est facta in favorem pœnitentis. Absolute hoc verum reputo. At in praxi, si pœnitens exequi primam pœnitentiam valet, cur commutationem petit? Neque enim ista commutatio arbitraria est, ut pœnitens pro libito eligere alterutram valeat; sed ideo commutatur, quia prima absque gravi & peculiari difficultate executioni mandari non potest. Quare si primam pœnitens eligeret, indicaret se commutatione non indiguisse. Ceterum, ut dixi, semper primam implere potest.

XIX. Quæst. VIII. *Debet ne pœnitens, ut commutationem pœnitentiæ ab alio Confessario obtineat, peccata ob quæ imposita fuit, iterum confiteri?* Resp. Negant Marchantius, Diana, Leander, & alii plures, aiuntque sufficere ut pœnitens, declarata pœnitentia, exponat rationes cur implere eam nequeat: quia, inquiunt, in hac commutatione non agitur de peccatis ob quæ iniuncta pœnitentia fuit, neque de iustitia qua imposita est; sed de infirmitate, difficultate, aut morali impossibilitate talem pœnitentiam implendi, seu de rationibus cur commutari illa debeat in aliam. Hæc opinio probabilis in praxi reputatur, saltem per principia extrinseca, a Salmanticensibus *loc cit. num.* 79. a Busembau, Laymano, & Lugo, ut testatur etiam P. La-Croix *num.* 1295. nec hanc practicam improbabilitatem refellit, sed tantum ait contrariam esse longe probabiliorem. Quare iuxta principia probabilistica poterit pœnitens alterutram eligere.

XX. Secunda sententia, quam communiter Theologi defendunt, sola vera est; & prior penitus falsa, & improbabilis per principia sive intrinseca, sive extrinseca. Ratio est manifesta. Quia alter Confessarius ideo commutare pœnitentiam potest, quia recognoscere caussam valet. Caussam autem recognoscere nequit, peccatis incognitis. Præterea quomodo prudens, & proportionata hæc commutatio esse potest, nisi constet, quæ vindicta debita peccatis sit, & quæ medicina necessaria sit pœnitenti? Si commutatio fiat ab eodem Confessario, sufficit ut notitiam peccatorum habeat, & status pœnitentis; licet notitia non sit adeo exacta.

XXI. Quæst. IX. *Quid dicendum de opinione quam refert* P. La-Croix, *de versuto peccatore eadem peccata iterum confitente, & tacente priorem confessionem, ut commutationem accipiat?* Resp. Communis sententia est, Confessarium, sive eumdem, sive diversum debere scire, se velle commutare priorem pœnitentiam. Quia, nisi revocetur prior obligatio, semper remanet. Nequit autem revocare illam

Iam Confessarius, nisi sciat, se velle revocare. Sed occurrit pœnitens versutus, & vafer. Confessus est peccata sua, accepit pœnitentiam quæ ei non arridet. Adit alterum Confessarium, confitetur eadem peccata, & tacet priorem confessionem. Accipit pœnitentiam: eam cum prima confert, deinde eam quæ sibi magis arridet, eligit. Licite ne fieri hoc potest? Respondet P. La-Croix. „ Tamen „ Dicastillo num. 119. putat non esse improbabile quod confitens eadem peccata „ *possit tacere, & postea peragere pœnitentiam quam voluerit, primam, aut secundam* „ *tantum.*" Hoc pacto agere emptores solent: officinas explorant, mercium pretia percontantur, & ubi minus deprehendunt pretium, ibi emunt. Quare merito dicit S. Bernardinus Senensis: *Occurrit in confessionibus, sicut in mercatura* &c. Si hic secundus Confessor graviorem imponeret satisfactionem, posset adire tertium Confessarium, confiteri sua peccata, & *tacere* duas priores confessiones, & post tertium, quartum, & quintum, donec tandem inveniret aliquem benignissimum medicum, qui suavem medicinam præscriberet. Et quod priora sacramenta mutila absque parte integrali maneant, nihil refert. Hanc Dicastilli opinionem, quam more suo lectoribus proponit, quin illam refutet P. La-Croix, falsam, improbabilem, pœnitentium versutiæ faventem, sacramentorum dignitati infestam, salvo meliori iudicio, existimo.

XXII. Caussæ commutandi pœnitentiam sunt, inquit P. La-Croix ibidem *num.* 1300. ex Lohner, si pœnitens a tempore iniunctæ pœnitentiæ lucratus sit indulgentias; si multa bona opera fecit; si cum maiore fervore, aut cum minori periculo peccandi executurus est hanc novam materiam &c. Regulæ particulares assignari nequeunt. Caussa vera commutandi pœnitentias est maior spiritualis profectus pœnitentis, quatenus opportunior illius statui, & infirmitati præberi medicina valet. Indulgentiarum acquisitionem non reputarem iustam caussam commutationis. Libenter tum viri, tum mulieres Ecclesias circumirent, altaria visitarent, aliquibus precationibus recitatis, ut declinarent ieiunia, eleemosynas, aliaque pietatis opera, quæ carnem affligunt, quæ concupiscentiam cohibent, quæ superbiam ambitionemque humiliant. Quare Confessarius in commutatione hac statum, infirmitatem, & indigentiam pœnitentis in primis consideret; eamque substituat pœnitentiam quæ & delictis, & infirmitati curandæ, & viribus pœnitentis cognoverit aptiorem.

XXIII. Quæst. X. *Quænam sunt caussæ excusantes a pœnitentia implenda*? Resp. Salmanticenses *loc. cit. num.* 80. respondent, primam esse, si constet pœnitentiam esse iniustam; laudantque Conink, Layman, Palaum, & alios. Addunt ex Layman, quemlibet virum probum & doctum, immo ipsum pœnitentem, si talis sit, posse iudicare, utrum Confessarius erraverit pœnitentiam imponendo. Quisque communiter se doctum, probumque reputat in hac materia. Quare caussam istam,

ut ineptam, & periculi plenam, reiicio. Secunda cauſſa eſt, ſi pœnitenti ſit moraliter impoſſibilis executio pœnitentiæ impoſitæ. Si tamen dividua pœnitentia ſit, eam implere partem debet quam poteſt. Tertia, ſi pœnitentiæ impoſitæ, puta Religioſo, uxori, ſervo, peregrinandi, ieiunandi &c. ſuperior, maritus, domini impediant executionem. Verum tum peti commutatio a Confeſſario debet. Si pœnitens oblitus pœnitentiæ ſit, tum adire Confeſſarium debet, ut, ſi recordetur, pœnitentiam patefaciat. Si etiam Confeſſarius oblitus peccata fuerit, tum denuo confiteri peccata debet, ut congruam pœnitentiam accipiat; & manifeſtare, an oblivio fuerit nec ne culpabilis.

XXIV. Quæſt. XI. *An pœnitentiæ ideo ſint ſuſpectæ, quia a Mendicantibus iniunguntur?* Reſp. Hanc calumniam impactam olim fuiſſe Mendicantibus, conſtat ex theſi ſequenti, quæ eſt 23. ab Alexandro VIII. damnata. *Parochianus poteſt ſuſpicari de Mendicantibus, qui de eleemoſynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, ſeu ſatisfactione ad quæſtum ſeu lucrum ſubſidii temporalis.* Vetuſta hæc calumnia eſt, quam primum omnium Mendicantibus impegit Guillelmus a S. Amore; eamque profligarunt B. Albertus Magnus, S. Thomas, S. Bonaventura, & tandem innovatam proſcripſit Alexander VIII. Sicuti extremæ temeritatis eſt & malitiæ tale de Mendicantibus iudicium formare; ita iis ſummopere vigilandum eſt, & cavendum ne ullam ſimilis ſuſpicionis occaſionem exhibeant. Et hanc diligentiam, & cautionem illos adhibere, præſumere omnes tenentur. Illorum profeſſionis ſanctitas, vitæ auſteritas, doctrinæ ſoliditas, continua inter doctos converſatio, & alia plura rationum momenta, quæ P. Viva in commentariis in hanc propoſitionem indicat, evincunt calumniæ atrocitatem. Plura tamen ibi narrat de S. Thoma P. Viva ex Moya, ex Cardenas, quæ vera non ſunt.

CAPUT XI.

De indulgentiis.

I. Pauca verba de indulgentiis faciam. Concilium Tridentinum *ſeſſ.* xxv. hæc in ſuo decreto ſtatuit. *Cum poteſtas conferendi indulgentias a Chriſto Eccleſiæ conceſſa ſit, atque huiuſmodi poteſtate divinitus ſibi tradita, antiquiſſimis etiam temporibus illa uſa fuerit; ſacroſancta Synodus indulgentiarum uſum chriſtiano populo maxime ſalutarem, & ſacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Eccleſia retinendum eſſe docet, & præcipit, eoſque anathemate damnat qui aut inutiles eſſe aſſerunt, vel eas concedendi in Eccleſia poteſtatem eſſe negant: in his tamen concedendis moderationem, iuxta veterem, & probatam in Eccleſia conſuetudinem, adhiberi cupit; ne ni-*

nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur. Abusus vero &c. Tria Concilium statuit. 1. potestatem a Christo Ecclesiæ datam concedendi indulgentias. 2. salutares maxime eas esse christiano populo. 3. in harum largitione moderationem, certosque fines tenendos.

II. Primi, qui Ecclesiæ potestatem concedendi indulgentias negarunt, fuerunt Montanistæ, & Novatiani. Post, nempe sæculo XII. Valdenses, sæculo XV. VVicleffistæ, & Hussitæ, sæculo XVI. Lutherani bellum adversus indulgentias instaurarunt.

III. Quæst. I. *Quid indulgentiarum nomine intelligatur?* Resp. Indulgentia est *remissio pœnæ temporalis, quæ post remissam culpam luenda remanet, extra sacramentum concessa ab eo qui potestate præditus est.* Est 1. *remissio pœnæ temporalis*, quia per indulgentias neque culpa, neque pœna æterna remittitur. 2. *extra sacramentum*, ut distinguatur ab illius pœnæ remissione quæ fit per sacramentum. 3. *ab eo qui potestate præditus est*, quia bona communia in thesauro Ecclesiæ reposita dispensari nequeunt, nisi ab eo qui auctoritatem habet.

IV. Quæst. II. *Quid sit Ecclesiæ thesaurus, & quæ illius bona?* Resp. Thesaurus Ecclesiæ sunt bona spiritualia, quorum distributio Ecclesiæ concredita est. Bona hæc sunt Christi Domini merita, & Sanctorum omnium. Merita Sanctorum in thesauro Ecclesiæ reponuntur, non ut aliquid addatur meritis infinitis Christi IESU; sed ut pateat Sanctorum communio in Ecclesia, quæ est corpus mysticum Christi Domini, & ipse eiusdem caput, quod perficit membra sua, quibus veluti instrumentis utitur. Omnia enim Sanctorum merita ab ipso capite Christo valorem suscipiunt, & cum meritis Christi coniuncta, non sunt aliquid maioris pretii, aut existimationis, quam sint Christi merita separata ab illis; cum hæc sint emanationes ab ipso Christo, qui ut caput fidelibus membris spiritum tribuit & motum.

V. Disputant Theologi, concurrant ne dicta merita ad indulgentias per modum impetrationis, aut solutionis; sed hæc disputatio levioris momenti est: utroque enim modo concurrere, probabilius videtur. Quod primo modo concurrant, nulla est disputatio. Quod similiter secundo modo operentur, etiam constare videtur: quia iusti non pro se tantum, sed etiam pro aliis satisfacere valent quantum ad debitum pœnæ temporalis; immo & mereri de congruo peccatoribus possunt pœnitentiæ donum. Hæc autem iusti non præstant, nisi in virtute meritorum Christi, cuius spiritu aguntur, tamquam eiusdem membra viva. Siquidem *hic est unus* (inquit Augustinus Lib. cont. Parmen.) *verusque mediator noster, & advocatus, pro quo nullus interpellat, sed ipse pro omnibus, aliquando quidem per membra corporis sui, quæ pro se invicem sollicita sunt.*

§. I.

De indulgentiarum existentia.

VI. QUæst. unic. *Est ne de fide extare in Ecclesia potestatem concedendi indulgentias, earumque usum salutarem fidelibus esse*? Resp. Affirmant Catholici omnes, & utramque partem definivit Concilium Tridentinum in rescripto decreto. Et prima pars constat ex Evangelio Matth. xvi. *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælis.* Ex quibus verbis Patres omnes colligunt potestatem collatam Apostolis, & eorum successoribus iniungendi pœnitentibus satisfactorias pœnitentias, & relaxandi. Testimonia Patrum brevitatis caussa omitto, cum obvia sint.

VII. Hæc eadem veritas confirmatur ex apostolica, & perpetua traditione. S. Paulus *II. Cor.* 11. erga incestuosum Corinthium hac usus indulgentia est, ne, inquit, *abundantiori tristitia absorberetur.* Quæ verba S. Ioannes Chrysostomus *hom.* iv. *in II. ad Cor.* sic exponit. *Ex ea re docemur, quod non solum ad peccatorum naturam, verum etiam ad mentem, habitumque pœnitentium oportet moderari disciplinam.* Indulgentiarum usum sæculo 11. probavit Tertullianus *Lib. ad martyres cap.* 1. antequam ad Montanistas transiret. S. Cyprianus scribit, ad martyrum preces Ecclesiam in more habuisse remittere pœnas pœnitentibus. Insuper martyres monet, ne indiscriminatim pro omnibus, sed pro iis tantum indulgentiam postularent qui exemplo incestuosi Corinthii pœnitentiæ fructus ederent. *Credo* (inquit epis. xiii.) *ut qui libellum a martyribus acceperunt, & auxilio eorum adiuvari apud Dominum in delictis suis possunt, si premi infirmitate aliqua, & periculo cœperint, exomologesi facta, & manu eis a vobis in pœnitentiam imposita, cum pace a martyribus sibi promissa ad Dominum remittantur.*

VIII. Quoniam vero multi plus iusto benigniores & laxiores etiam tum reperiebantur, qui indulgentiarum usu fovebant ignaviam pœnitentium, hæc Cyprianus *epis.* x. addit. *Credideram quidem Presbyteros, & Diaconos, qui illic præsentes sunt, monere eos & instruere plenissime circa Evangelii legem, sicut in præteritum semper sub antecessoribus nostris factum est, ut Diaconi ad carcerem commeantes martyrum desideria consiliis suis, & Scripturarum præceptis gubernarent. Sed nunc cum maximo animi dolore cognosco, non tantum illic vobis non suggeri divina præcepta, sed adhuc potius inveniri, ut ea quæ a vobis ipsis & circa Deum caute, & circa Sacerdotem Dei honorifice fiunt, a quibusdam Presbyteris resolvantur . . . Illi contra Evangelii legem, contra vestram quoque honorificam petitionem, ante actam pœnitentiam, ante exomologesim gravissimi atque extremi delicti factam, ante manum ab Episco-*

scopo, & Clero in pœnitentiam impositam, offerre lapsis pacem, & Eucharistiam dare, idest sanctum Domini corpus profanare . . . . Oro vos, quibus possum precibus, ut Evangelii memores, & considerantes quæ & qualia in præteritum antecessores vestri martyres concesserint, quam solliciti in omnibus fuerint, vos quoque sollicite, & caute petentium desideria ponderetis, utpote amici Domini, & cum illo postmodum iudicaturi inspiciatis & actum, & opera, & merita singulorum; ipsorum quoque delictorum genera, & qualitates cogitetis, ne si quid abrupte & indigne vel a vobis promissum, vel a nobis factum fuerit, apud gentiles quoque ipsos Ecclesia nostra erubescere incipiat. Hunc eumdem abusum eliminandum Tridentini Patres decreverunt, ut hæreticis blasphemandi ansa eriperetur.

IX. Sæculo IV. Concilium Ancyranum, & Nicænum cum iis pęnitentibus indulgentius agendum statuerunt qui & labores, & fervorem pęnitentiæ præferebant. Quam disciplinam confirmarunt SS. Basilius, Gregorius Nyssenus, & Concilium Quini-Sextum sæculo VII. Sæculo VIII. indulgentiarum usus latius patuit. Sæculo vero XI. & XII. magnopere invaluit occasione Terræ sanctæ recuperandæ a Saracenorum tyrannide.

X. Secunda pars necessario primam consequitur. Nam quis effutire audebit; potestatem a Christo impertitam inutilem esse? Quis dixerit, frustra hac potestate usos Apostolos fuisse? Nec veritas hæc longiore indiget probatione; cum & ex iis quæ dicta sunt, proficiscatur, & sit in Concilio Tridentino definita.

§. II.

Indulgentiæ remittunt pœnam temporalem, sive iniunctam, sive iniungendam.

XI. UT iam indicavi, indulgentiæ nec culpam, nec pęnam æternam remittunt. Quoniam culpæ, & pęnæ æternæ remissio est effectus sacramenti, vel contritionis perfectæ extra sacramentum. Remittunt ergo indulgentiæ pęnam temporalem. At disputant in utramque partem Theologi, num remittant solum pęnas iniunctas in confessione, an etiam iniungendas. Utrasque remitti docet S. Thomas in Suppl. quæst. XXV. art. I. *Quidam dicunt, quod non valent ad absolvendum a reatu pœnæ quam quis in purgatorio secundum iudicium Dei meretur; sed valent ad absolvendum ab obligatione qua Sacerdos obligavit pœnitentem ad pœnam aliquam, vel ad quam etiam obligatur ex canonum statutis. Sed hæc opinio non videtur vera. Primo quia est expresse contra privilegium Petro datum, cui dictum est (Matth. XVI.) ut quod in terra remitteret, in cælo remitteretur. Unde remissio quæ fit quantum ad forum Ecclesiæ, valet etiam quantum ad forum Dei. Et præterea Ec-*

clesia huiusmodi indulgentias faciens magis damnificaret quam adiuvaret : quia remitteret ad graviores pœnas, scilicet purgatorii, absolvendo a pœnitentiis iniunctis. Et ideo aliter dicendum, quod valent & quantum ad forum Ecclesiæ, & quantum ad iudicium Dei ad remissionem, & absolutionem, sive sit iniuncta, sive non. Hanc sententiam communiter Theologi defendunt. Siquidem potestas data a Christo Domino *Matth.* XVI. absoluta est, & nulla limitatione coercita. Nec occurrit in traditione aliquod fundamentum restringendi hanc potestatem ad pęnas in sacramento iniunctas. Quamvis enim interdum reperiantur indulgentiæ concessæ sub hac formula *de pœnis iniunctis*; communiter tamen & absque hac formula conceduntur. Bonifacius VIII. in extrav. *Antiquorum*, Clemens VI. in extrav. *Unigenitus*, Sixtus IV. in extrav. *Quemadmodum*, & alii Pontifices summi in suis Bullis hanc formulam omittunt, & plenissimas indulgentias, nimirum quantum clavium potestas se extendit, concedunt. In hypothesi vero quod indulgentiæ concederentur sub hac formula *de iniunctis*, Cardinalis Bellarminus *Lib. I. de indulg. cap.* VII. negat illas extendi ad pęnas iniungendas; Suarez *disp.* I. *sec.* 3. & alii plures adfirmant. Mihi probabilior apparet sententia Bellarmini. Verum dissidium istud parvi momenti est.

§. III.

De utilitate, & effectibus indulgentiarum. Parum prosunt iis qui, quoad possunt, laboriosis operibus satisfacere divinæ iustitiæ non curant. Plurium Casuistarum laxæ opiniones refelluntur.

XII. CAsuistarum non pauci falsam, ut ego quidem arbitror, ideam indulgentiarum formant, & opera satisfactoria ita extenuant, ut fere de medio tollant. P. Claudius La-Croix cum P. Francolino, & aliis plurimis docet; ut vidimus supra, usum indulgentiarum esse modum utiliorem, & certiorem satisfaciendi pro peccatis, quam sit observatio canonum pęnitentialium. P. Leander colligit omnes Casuistarum laxiores opiniones, quæ, si admittantur, exularent ab Ecclesia opera satisfactoria præter illa quæ præscribuntur in Bullis indulgentiarum. Istorum opiniones paucas infra dabo.

XIII. Ut istarum opinionum falsitas sub initium pateat, vera idea indulgentiarum iuxta sensum & spiritum sanctæ matris Ecclesiæ exhibenda est. Itaque nos peccatores impares sumus ad pretium solvendum pro debitis contractis cum divina iustitia ob peccata post baptismum commissa; partem tamen istius debiti nostris laboriosis operibus solvere valemus. Clementissima mater Ecclesia thesau-

rum

rum meritorum Christi, B. Virginis, & Sanctorum aperit, ut id suppleat quod nos ob infirmitatem & imbecillitatem reddere non possumus. Indulgentiæ igitur sunt in supplementum infirmitatis nostræ. Nos non liberant ab ea solvenda debiti parte quam possumus; sed supplent id quod, attenta nostra imbecillitate, reddere non valemus. Duo hic habes summopere adnotanda. I. Indulgentias valde salutares, & utiles esse: quia Deo solvunt illam temporalis pęnæ partem quam in hac vita vix possumus, & in altera gravissimis suppliciis purgatorii solvere deberemus. II. Hoc pacto indulgentias non enervare Ecclesiæ disciplinam; non fovere pœnitentium ignaviam; sed imbecillitatem nostram erigere, spiritum inflammare nostrum, ut id quod possumus, alacrius, & celerius reddamus.

XIV. Cardinalis Caietanus sapienter more suo & contra Lutherum articulum indulgentiarum propugnat, & pro fidelium instructione optimas tradit regulas *tract. de indulg. quæst.* 1. ubi hæc habet. „ Sunt (pœnitentes) duplicis ordinis. „ Quidam solliciti ad satisfaciendum per seipsos pro peccatis suis; quidam negli-„ gentes satisfacere per seipsos. *Primi* condignas pœnitentias vel petunt a Con-„ fessoribus sibi imponi, parati eas implere; vel sponte illas assumunt, dum con-„ tinuo student per sua sancta opera satisfacere, ieiunando, orando, eleemosynas „ dando &c. *Secundi* vero levissimam pœnitentiam aut rogant, aut læti susci-„ piunt, & cum illam impleverint, quam sciunt esse minimam, non curant „ amplius de satisfaciendo: & hi sunt quibus indulgentiæ non prosunt iudicio „ meo. Nullus enim, indignus aliena satisfactione pro pœna sibi debita, conse-„ quitur veraciter fructum indulgentiæ. Sed quilibet negligens satisfacere per se „ ipsum, est indignus aliena satisfactione pro pœna propriis peccatis debita. Er-„ go nullus, negligens satisfacere per seipsum, acquirit fructum indulgentiæ. Præ-„ terea in qualibet bene ordinata Republica, quantumcumque rationabilis adesset „ quandoque causa dispensandi communem thesaurum in cives gravatos ære alie-„ no, negligentes tamen solvere, indigni censerentur adiutorio thesauri. Ex eo „ enim quod possunt de suo solvere, & non curant, indignos se reddunt tali „ sublevamine: & nisi tales pro indignis haberentur, foveretur negligentia, quo-„ niam alii horum exemplo ad similem negligentiam provocarentur. Legis au-„ tem est facere, non negligentes, sed virtuosos. Cum igitur Ecclesia sit a Deo „ ordinata, æquum non est, ut spiritualis dispensatio thesauri negligentes satisfa-„ cere pro dignis habeat: hoc enim vere esset enervare satisfactiones pœniten-„ tiales. Non prosunt igitur indulgentiæ negligentibus satisfacere per se ipsos, „ quoniam indigni sunt indulgentia .... Parati autem ad satisfaciendum per „ se ipsos sunt, non qui negligunt per seipsos satisfacere; sed illi soli quorum „ voluntas sic est ad satisfaciendum parata, quod non retardat opus, nisi impe-„ dita.“

XV.

XV. Hæc Cardinalis Caietani doctrina adeo est & Ecclesiæ spiritui, & communi sensui conformis, ut hæc sola sufficiat ad labefactandas plurium Casuistarum opiniunculas. Celeberrimus Episcopus Bossuetus in sua *Instruct. pro indulg.* ex ipso sacro Tridentino Concilio regulas haurit, Caietani doctrinæ consentaneas, quæque mirum in modum Ecclesiæ spiritum patefaciunt. Animadvertit *punct.* 1. Ecclesiam spiritum rigorismi nobis explicare in præfato Concilio *sess.* XIV. *cap.* 11. ubi hæc habentur. *Alius est præterea baptismi, alius pœnitentiæ fructus. Per baptismum enim Christum induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam, & integram peccatorum omnium remissionem consequentes: ad quam tamen novitatem, & integritatem per sacramentum pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus, & laboribus, divina id exigente iustitia, pervenire nequaquam possumus; ut merito pœnitentia laboriosus quidam baptismus a sanctis Patribus dictus fuerit.*

XVI. Post hoc testimonium populum suum alloquitur ferventissimus Episcopus his verbis, quæ ex Gallico idiomate sic latine reddo. „ Audite, filii, Ecclesiæ matris vestræ verba. Illa vobis proponit *magnos fletus, magnosque labores, baptisma laboriosum:* illa vos edocet, *divinam iustitiam id exigere*. Hic Ecclesiæ rigor a suo primo spiritu oritur, qui numquam extinguetur. Nec ipsa umquam cessabit bellum indicere laxitati. Quid refert cum Concilio mollitiem detestari hæreticorum, qui sanctos satisfactionum rigores reiecerunt; si nos in similem languorem incidamus, & id reipsa contemnamus quod verbis confitemur? "

XVII. Post breves, sed unctione cælesti perfusas, divinoque igne succensas adhortationes, Concilii rationes, quibus sacros Ecclesiæ rigores iustos evincit, populo suo proponit doctissimus Episcopus *punct.* 2. Primam rationem a divina iustitia, alteram ab ipsa clementia Dei Concilium repetit *sess.* XIV. *cap.* VIII. his verbis. *Sane & divinæ iustitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter vero, qui semel a peccati, & dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritus sancti dono, scienter templum Dei violare, & Spiritum sanctum contristare non formidaverint.*

XVIII. Altera ratio ab ipsa Dei clementia arcessita, quamque continuo ibidem Concilium subiicit, eiusmodi est. *Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut, occasione accepta, peccata leviora putantes, velut iniurii, & contumeliosi Spiritui sancto in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ.* Duas alias rationes ibi adiicit Concilium, nempe pœnas satisfactorias nos a peccatis patrandis coercere, similesque Christo efficere; quas brevitatis gratia omitto. Deinde concludit Concilium, debere Sacerdotes Dei pro criminum gravitate, & pœnitentium facultate convenientes pœnitentias imponere.

XIX. Hæc rationum momenta adeo ineluctabilia sunt, ut nulla queant subti-

li

li interpretatione eludi. Quoniam vero vix umquam pœnitentiæ criminum gravitati æquales aut imponuntur a Sacerdotibus præsertim ætate nostra, aut sponte suscipiuntur a nobis, sive ob virium imbecillitatem, sive ob vitæ brevitatem, sive ob spiritus languorem, diminutumque caritatis fervorem; idcirco clementissima mater nostra thesaurum suum aperit, ut nostram suppleat inopiam, & integrum pœnarum debitum, quod ob indicatas caussas solvere integrum non valemus, ipsa reddat. Porro quis sibi in animum induxerit, ut credat, Ecclesiam, dum inexhausti thesauri sui divitias pro nobis effundit, velle aut socordiæ nostræ inservire, aut peccandi liberius ansam præbere? Hæc autem præstaret, si nos ab solvenda, quam possumus, pœnarum parte eximeret.

§. IV.

Breviter indicantur rationum momenta, quæ evincunt, parum illis profuturas indulgentias plenarias qui pro viribus Deo satisfacere negligunt.

XX. Argumentum quod tractamus, non a ratiunculis humano cerebro excogitatis, sed ab ipsis divinis Scripturis, & Ecclesiæ traditione pendet. Porro Evangelium intonat: *Facite fructus dignos pœnitentiæ*. S. Paulus non indulsit Corinthio incestuoso, nisi post diuturnam, austerissimamque pœnitentiam: & hanc Pauli disciplinam æmulati semper sunt SS. Ecclesiæ Patres. Sanctum hunc Ecclesiæ rigorem, a divinis Scripturis haustum, nemo Catholicorum improbare ausus fuit. Ab Apostolorum tempore ad sæculum circiter XIV. nullam plenariam, & generalem pro omnibus indiscriminatim fidelibus indulgentiam concessam legimus. Pontifices autem, qui plenarias dispensare indulgentias cœperunt, & illi qui earumdem usum frequentiorem effecere, testati sunt, se nolle sacros pœnitentiæ rigores relaxare, nec Ecclesiæ disciplinam enervare. Quid heinc necessario consequitur? Hoc sane, quod Ecclesia divitias thesauri sui illis distribuere intendit qui, quoad possunt, satisfacere suis laboriosis operibus non omittunt.

XXI. Et profecto alia via non patet, qua immunem ab omni censura vindicemus adversus hæreticos frequentem hodiernum indulgentiarum usum, nisi, ut meæ imbecillitati videtur, asseramus, Ecclesiam hodie facile dispensare eiusmodi plenarias indulgentias, iuxta cuiuscumque dispositionem, fervorem, studiumque satisfaciendi propriis laboriosis operibus. Quid enim discriminis inter Catholicos, & hæreticos esset, si per indulgentias plenarias liberi nos essemus a satisfactionum onere? Nullum ferme, nisi quod hæretici plenariam indulgentiam a Christo ob-

obtinerent media Sacerdotis benedictione; nos vero hanc plenariam indulgentiam assequeremur a Christo medio summo Pontifice cum onere aut recitandi quinque *Pater*, & *Ave*, aut flectendi genua ad benedictionem Superioris, aut offerendi aliquod numisma in eleemosynam. Porro quis non videat levissimum esse discrimen istud? Quis, hoc tantillo discrimine dumtaxat admisso, Catholicorum argumenta adversus novatores propugnare poterit? Rationabile ne fuisset bellum, pro articulo satisfactionum adversus Lutheranos, & Calvinistas susceptum, si res tandem huc recideret, ut nos vel brevissima precatiuncula, vel levissima eleemosyna, aut aliqua genuflexione, plenarie pro gravissimis sceleribus satisfacere Deo possemus?

XXII. Quid quod a nimia crudelitate, & tyrannidis specie excusari non posset antiqua Ecclesia XII. & fere XIV. sæculorum, quæ indulgentias non dispensando, fideles non exemit ab operibus satisfactoriis. Idem tunc ac nunc thesaurus divitiarum meritorum Christi, B. Virginis, & Sanctorum: eodem omnino divino Spiritu Ecclesia regitur in præsentia ac olim. Adulteria, fornicationes, homicidia, & cetera mortifera crimina non sunt nunc minoris malitiæ ac erant olim. Nec minor in Deo, & in Ecclesia clementia, aut severior iustitia olim ac nunc. Ergo eodem spiritu nunc Ecclesia ac olim indulgentias dispensat, onere nempe relicto satisfaciendi pro viribus Deo operibus satisfactoriis: & solum, ut dictum est, divitiis thesauri sui supplet inopiam nostram; illudque pretium Deo exhibet quod reddere paupertas nostra nequit. Doctrina hæc hausta est ex ipso Concilio Tridentino, ut constat ex recitatis decretis, & in decreto *sess.* XXV. hæc perspicue docent Tridentini Patres de indulgentiis. *In his tamen concedendis moderationem iuxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem adhiberi cupit; ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur.*

XXIII. Quando indulgentiarum usus frequenter esse cœpit, qui eas sibi acquirere volebant, iis peregrinationes, suscipiendæ militiæ labores, pericula, expensæ, & innumera sustinenda incommoda erant. Si, ut contendunt Casuistarum plures, fideles gravissimorum scelerum rei, peracta confessione, plenariam indulgentiam obtinerent visitando hanc aut illam Ecclesiam, nimium facilis esset indulgentiarum acquisitio. Quis dissitas peregrinationes ad celebriora sanctuaria, ad loca sancta susciperet? Quis hoc anno sancto, quo scribimus, Romam pergeret, iubilæi lucrandi caussa? Licet enim suspendantur hoc anno indulgentiæ; tamen, antequam annus incipiat, & continuo ac desierit, tantumdem indulgentiarum acquirere fideles possent. Immo minus provide suspenderentur indulgentiæ, si tam facile acquiri possent, visitando vicinam Ecclesiam, ac pergendo Romam. Hoc autem suspicari de Ecclesia absurdum est. Ergo indulgentiæ plenariæ prosunt pro dispositione, & fervore suscipientium.

XXIV.

XXIV. Denique, si per plenarias indulgentias, hodie ubique fere obvias, exempti pœnitentes essent ab operibus satisfactoriis, extrema consequeretur morum dissolutio. Adulteri, fornicatores, periuri, blasphemi, ceterique scelestiores in dies peiores evaderent. Nam opera satisfactoria non modo debitum pro pœna temporali solvunt; sed simul illos cohibent, ne in futura relabantur peccata. Sublatis autem his validissimis remediis, humanæ appetitiones impotentius sceleribus habenas laxarent; & torpor, socordia, otium, mollities usquequaque grassarentur. Neque dicas, Casuistas ipsos benigniores confiteri necessitatem satisfactionum medicinalium. Nam tum solum asserant imponendas esse pœnitentias medicinales, cum aliquod grave periculum particulare relapsus iure naturali auferendum est, ut vidimus supra. Nec advertunt, peccatum quodlibet mortale malignas in anima qualitates relinquere etiam post deletam per sacramentum maculam. Idcirco peccatores omnes medicinalibus pœnitentiis modo magis modo minus pro criminum, & status diversitate indigent. Quare si consisterent plurium Casuistarum opiniones, quod indulgentiæ plenariæ liberant pœnitentes ab operibus satisfactoriis, funestissima consequerentur absurda, & hæreticis amplior pateret locus nobis insultandi, quod voce defendamus dogma pœnitentiæ satisfactoriæ, reipsa autem a nobis parvi fiat & contemnatur.

XXV. Oppones. Cur indulgentiæ plenariæ nuncupantur, nisi quia omnem pœnam temporalem prorsus pleneque remittunt? Resp. Indulgentiæ idcirco vocantur plenariæ, quia totam pœnam remittunt, si potestas Ecclesiæ concedentis spectetur: idest, Ecclesia aperit suum thesaurum, plenamque remissionem temporalis pœnæ ex parte sua impertitur; ita ut si fideles sint optime ad tantum beneficium parati, plenum, & integrum illud suscipiant. At dicimus, illos fideles dispositos ad hoc beneficium suscipiendum non esse qui sua opera satisfactoria coniungere ad plenam debiti solutionem recusant. Plenaria dicitur indulgentia, quatenus plene & integre supplet id quod tibi deficit ad integram satisfactionem. Est plenaria, non excludendo, sed includendo opera tua satisfactoria. In memoriam revoca exemplum indicatum a Cardinali Caietano. Christianus civis ditissimus patrimonium fundis fructiferis, & numquam interituris ditissimum Reipublicæ legat, ut singulis annis pauperum civium debita solvantur. Si debitores reperirentur qui, sin minus totum, saltem debiti portionem solvere possent, & recusarent, vellentque pecuniis suis lautius vivere, splendidius vestire, & deliciis affluere, ut ex publico ærario integrum debitum solvatur: Vah, clamares, debitores versutos, vafros, & nequissimos! Indigni hi sunt dicto privilegio, immo ob eorum nequitiam severe plectendi. Ideo ne piissimus testator ærarium suum legavit Reipublicæ, ut similium debitorum versutiam, socordiam, mollitiem, ignaviam, & avaritiam foveret? Mens testatoris fuit illis succurrere debitoribus

qui

qui reapse solvendo non sunt, nihilque non agunt, ut propriis pecuniis debita sua solvant; at penuria oppressi aut parum, aut nihil reddere valent.

XXVI. Similes omnino his debitoribus versutis sunt illi pœnitentes qui ex clementia Ecclesiæ thesaurum suum aperientis ad supplendum id quod illis deest pro integra debiti satisfactione, ingrati, & versuti facti, sensus demulcent suos, corpus saginant, illecebris & oblectamentis indulgent, ut integrum debitum ex inexhausto thesauro meritorum passionis Christi, & Sanctorum solvatur. Possent isti propria ieiunia, eleemosynas, vigilias, flagella, disciplinas, aliaque pietatis opera contribuere ad solvendam debiti portionem. At inquiunt: Thesaurus Ecclesiæ inexhaustus est, Pontifices summi eiusdem dispensatores plenariam nobis impertiunt debitorum remissionem, paucarum precum conditione adiecta. Quid ergo sævire in corpora nostra ultra debemus? Hi ne privilegio Ecclesiæ digni? Istis ne Ecclesia merita passionis Christi, & martyrum applicare intendit? Prudentes ne Reipublicæ moderatores illi forent qui indiscriminatim pœnas gravissimis sceleribus debitas remitterent?

XXVII. Insistis. Superfluæ ergo sunt plenariæ indulgentiæ. Falleris. Plenaria est ex parte concedentis: plenaria est ex parte suscipientis, quando is tanto devotionis fervore, tanto caritatis affectu, & tantis pietatis operibus se disponit; ut ei reipsa tota remittatur pœna. Plenaria semper est respectu concedentis; at raro plenaria est respectu suscipientis: quia raro contingit ut pœnitentes ea exequantur quæ ad plenariam remissionem necessaria sunt.

XXVIII. Si plura cupis, lege *Cl. P. Eusebium Amort* amicum meum, qui in suo de indulgentiis integro volumine fuso calamo *Part. II. sect. 4.* hanc spartam illustrat, cuiusque sæculi adductis testimoniis sanctorum Ecclesiæ Patrum, & graviorum Theologorum, quos ad septuaginta numerat; illorumque testimonia refert, quæ omnia in fonte se attente legisse testatur §. 261. excepto Cardinali Denhoff Episcopo Cæsenatensi. Istius ego testimonium unicum transcribam ex §. 10. suæ percelebris pastoralis instructionis, quam in manibus habeo. Est autem eiusmodi.

XXIX. „ Cavete vobis ab abusu, quem Sacerdotes nonnulli invehunt, qui „ tempore iubilæi, aut occasione plenæ indulgentiæ, gravissimorum criminum „ reis levissimas satisfactiones decernunt, hoc nimirum obtentu, quod eiusmodi „ indulgentiæ, si opera in concessionibus summorum Pontificum adsignata accu„ rate persolvantur, simul cum culpa pœnam etiam penitus aboleant. Hæc „ enim agendi ratio adversatur menti S. Ecclesiæ: quæ quidem cupit filiis suis „ beneficio indulgentiæ opem ferre, ut pœnæ debitum exsolvant; cui solvendo „ impares sunt, nonnulli quidem virium inopia, alii vero vitæ termino prohibi„ ti: quare complures non adimplent pœnitentiam delictis suis convenientem:

„ sed

„ sed eximere non vult ab obligatione legis divinæ, quæ idoneos pœnitentiæ „ fructus facere iubet; neque desides reddere aut tardiores in operibus satisfa- „ ctionis, quæ tantopere & in sacris Scripturis, & a Sanctis Patribus commenda- „ ta sunt, sedulo exercendis. Ideo Concilium Tridentinum tradit, nusquam esse „ in Ecclesia semitam tutiorem, qua liceat evadere supplicia quæ Deus peccan- „ tibus minatur, quam ut crebro quis in huiusmodi operibus pœnitentiæ agendis „ occupetur, idque cum vero & sincero doloris affectu. *Neque vero securior ul-* „ *la via in Ecclesia Dei umquam existimata fuit ad amovendam imminentem a Deo* „ *pœnam, quam ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequen-* „ *tent*. Sessione XIV. cap. VIII. de pœnitentia.

„ Hanc Ecclesiæ mentem multoties indicant summi Pontifices in suis indulgen- „ tiarum litteris, quibus eas impartiri se *vere pœnitentibus* aiunt: his verbis si- „ gnificantes sinceram omnium delictorum detestationem, firmum animi proposi- „ tum deinceps non relabendi, & voluntatem Deo apposite satisfaciendi. Quum „ lapsus ad hunc modum animo est comparatus, & suis partibus sedulo defun- „ gitur, ut divinam iustitiam placare queat, Ecclesia velut pia mater in auxi- „ lium accurrit, ut indulgentiæ beneficio, quod restat debiti, solvat: vel ple- „ ne, si plena est; vel in tantum, quantum illa confert. Hinc usuvenit ut ple- „ na indulgentia non omnibus, qui, exuto peccandi affectu, præscriptas condi- „ tiones ad amussim præstiterunt, ex asse cedat in plenam solutionem: quia „ non omnium eadem est debitorum ratio; neque eodem omnes studio pro vi- „ ribus egerunt, ut ea diminueretur: quarum rerum beneficii dispensator sem- „ per rationem habere censendus est. Ita docet S. Bonaventura. *Indulgentiæ*, in- „ quit, *quantum est ex potestate dantis, tantum valent, quantum promittunt. Non* „ *tamen cuilibet valent tantum, nec æqualiter omnibus; sed secundum existimatio-* „ *nem eius, quam habuit, vel habere debuit qui indulgentiam fecit: quam non* „ *oportuit exprimere, quia omnes fideles debent illud in corde præsupponere, quod* „ *dona & miserationes S. Spiritus donentur cum æquo libramine*. In IV. Sentent. „ dist. XX. quæst. VI. sub finem.

„ Idem colligitur e constitutionibus quibusdam summorum Pontificum, ubi ex- „ presse pronuntiant hanc sibi esse intentionem. Liquet in decreto Bonifacii VIII. „ quod incipit ANTIQUORUM, *Extrav.* de pœnit. & remissione, ubi promul- „ gando indulgentiam iubilæi universalis, *Unusquisque tamen plus merebitur*, ait, „ *& indulgentiam efficacius consequetur, qui Basilicas ipsas amplius & devotius* „ *frequentabit*. Et in statuto Innocentii IV. edito in primo Concilio Lugdunensi, „ quo plenam concedit indulgentiam iis qui sumptus conferent in bellum sa- „ crum, aitque, unumquemque lucrifacturum *iuxta quantitatem subsidii, & de-* „ *votionis affectum*. His autem satis indicant plenæ indulgentiæ quemque fie-

„ ri

„ ri participem tum secundum modum operum pœnitentiæ quæ fecerit, tum „ secundum piæ devotionis fervorem: atque ea ratione imminui debitum satis- „ factionis.

„ Cardinalis Baronius, vir sane magnus, & qui Ecclesiæ de indulgentiis sen- „ tentiam apprime noverat, postquam indulgentiam a Gregorio VII. concessam „ Episcopo Lincolniensi, ea lege, ne opera pœnitentiæ negligantur secundum „ cuiusque facultatem, suis Annalibus ad A. MLXXIII. N. LXXI. inseruisset, „ ait, sanctum Pontificem hanc legem, seu conditionem adiecisse: *ut appareat* „ *Sedis Apostolicæ indulgentias illis communicari qui, quantum suppetunt vires,* „ *bene operari non prætermittunt; non autem ignavis, otiosis, ac negligentia tor-* „ *pescentibus.* Eiusdem sententiæ fuit Cardinalis Caietanus, qui, citata formula „ iam memorata, *Vere pœnitentibus*, qua Pontifices Romani uti solent, ait, *in-* „ *dulgentias non consequi pœnitentes negligentes, sed pœnitentes sollicitos, qui so-* „ *li sunt vere pœnitentes.* Deinde explicat huius doctrinæ utilitates; ad cuius „ normam, ut observat, *solvuntur omnes quæstiones, tam de nimis largo Dei fo-* „ *ro, quam de omittendis suffragiis pro plenarie absolutis in morte, quam de ad-* „ *miratione sapientum, & oblocutionibus detrahentium: & excitantur fideles ad* „ *pœnitentiæ opera. Nec aliquid adimitur efficaciæ indulgentiarum; sicut nibil* „ *adimitur efficaciæ sacramentorum, ex hoc quod oportet accedentes ad illa esse* „ *bene dispositos, si fructuosa sibi esse volunt. Soli siquidem indigni indulgentia,* „ *ab illius fructu iuxta hunc dicendi modum excluduntur.* Tract. x. de suscipien- „ tibus indulgentias quæst. I.

„ Ecclesia hodiedum indulgentiæ munera dispensat eadem qua olim mentis „ intentione. Nam in iubilæo commendat opera ad satisfaciendum idonea, pu- „ ta ieiunia, eleemosynas, preces, & Ecclesiarum visitationes. In reliquis autem „ plenis indulgentiis iubet ut præstitis e præscripto operibus, pœnitentiæ sacra- „ mentum adeatur. Ita credentibus modum suggerit, quo indulgentiæ donum si- „ bi comparent, sive ad supplendam satisfactionem dudum inchoatam, sive ad „ eluendum pœnitentiæ neglectum; nempe faciendo opera pœnitentiæ, quæ in „ Bullis pontificiis designantur, & vehementi dolore peccata sua detestando. Igi- „ tur quum hæc opinio videatur menti Ecclesiæ magis consentanea, concludi- „ mus cum S. Bonaventura, in IV. Sent. dist. xv. part. I. art. I. quæst. III. *Ideo* „ *sanum consilium est quod homo semper pœniteat.*

„ Idem placuit S. Thomæ: idque omnino vobis in cathedra confessionis am- „ plectendum est, & sequendum. *Consulendum est*, inquit, *eis qui indulgentiam* „ *consequuntur, ne propter hæc ab operibus pœnitentiæ iniunctis abstineant; ut et-* „ *iam ex his remedium consequantur, quamvis a debitis pœnæ essent immunes:* „ *& præcipue quia quandoque sunt plurium debitores quam credant.* In IV. Sent.

„ dist.

„ dist. xx. quæst. 1. art. 3. quæstiuncula 1. ad 4. Cardinalis Bellarmini doctrina dogmati Doctoris Angelici plane accinit. *Omnino*, ait vir colendissimus, *sic accipiunt prudentes Christiani pontificias indulgentias, ut simul etiam studeant dignos fructus ferre, ac pro suis peccatis Domino satisfacere*. Lib. I. de indul. „ cap. XII. “

XXX. Sola auctoritas istius Cardinalis & Episcopi, iuncta auctoritati Sanctorum, quos indicavi, prævalet sexcentis Casuistis. Ad illud commune axioma, *Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant*, obvia est responsio, si omnes conditiones necessariæ adsint, nempe & auctoritas legitima in concedente, & dispositio in suscipiente.

§. V.

Plures quæstiunculæ de his qui indulgentias concedere, & suscipere valent.

XXXI. QUæst. I. *Qui sunt indulgentiarum legitimi dispensatores?* Resp. Caussa princeps indulgentiarum est Christus Dominus. In terris autem iure tum divino, tum canonico universalis indulgentiarum legitimus dispensator est summus Pontifex, cui in Petro dictum est: *Tibi dabo claves regni cælorum. Quodcumque solveris in terra, erit solutum* &c. Iure quoque canonico eidem asserta, & confirmata est potestas ista in Concilio Lateranensi IV. in quo Episcoporum auctoritati multum detractum est. *Quia per indiscretas & superfluas indulgentias* (inquiunt Patres cap. LXII.) *quas quidam Ecclesiarum Prælati facere non verentur, & claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur; decernimus, ut cum dedicatur Basilica, non excedatur indulgentia ultra annum* &c. Refertur canon iste in cap. *Cum ex eo*, tit. *de pœnit.* Qua de re vide Fagnanum in dictum caput. Et in Concilio Constantiensi statutum est, ut suspectus de hæresi interrogetur, *utrum credat quod Papa omnibus Christianis vere contritis, ac confessis ex causa pia, & iusta concedere possit indulgentias in remissionem peccatorum?* Quas indulgentias concedere Archiepiscopi, & Episcopi possint, mea non interest discutere.

XXXII. Quæst. II. *Valent ne indulgentiæ sine legitima caussa concessæ?* Resp. Finis concedendæ indulgentiæ est, inquit Clemens VI. in Extrav. *ut cunctorum fidelium augeatur devotio, fides splendeat, spes vigeat, caritas vehementius incalescat*. Convenit penes omnes, indulgentias sine caussa concessas, non esse coram Deo ratas. Quoniam dispensatio in iis quæ iuris divini sunt, sine caussa data, prorsus irrita est. Pœna autem temporalis, quæ post dimissam culpam superest, iure divino expianda est. Ergo sine legitima caussa auferri nequit. Disputant in utramque par-

partem Theologi; sed hanc controversiam dispicere mea non interest. Vide Bellarminum *Lib. I. de indulg. cap.* XII.

XXXIII. Quæst. III. *Quinam sint apti indulgentiis suscipiendis?* Resp. Soli fideles baptizati, & culpæ mortalis expertes sunt indulgentiarum capaces. Prima pars patet: quia Ecclesia in non baptizatos iurisdictionem non habet. Secunda quoque pars est manifesta: quia indulgentiæ remittunt pœnam temporalem: hæc autem pœna remitti, quamdiu culpæ reatus manet, non potest. Quamobrem Pontifices summi non concedunt indulgentias nisi contritis, & confessis.

XXXIV. Quæst. IV. *Requiritur ne status gratiæ ad opera perficienda quæ in Bullis indulgentiarum iniunguntur?* Resp. Non est necesse ut singula opera in Bullis præscripta, fiant in statu gratiæ; dummodo impleantur animo pœnitenti, & affectu ab omni peccato mortali divulso. Et hoc patet ex veteri disciplina, secundum quam Episcopi lapsorum pœnitentiam, lacrymas, & ieiunia prius probabant, & postea ad martyrum preces absolutionem impertiebantur. Requiritur tamen status gratiæ, saltem cum ultimum opus impletur: quia tunc indulgentia sortitur effectum suum. Hæc est communis opinio. Caietanus, & Navarrus aliter sentiunt: & S. Carolus *part.* VII. *Act. Eccl. Mediolan.* consulit ut ante stationes confessio sacramentalis præmittatur. Spectandæ, ad hoc quod attinet, circumstantiæ. Nam si essent peccatores inveteratis flagitiis irretiti, tum prius deberent præmittere opera laboriosa, quibus se iuxta prudens Confessarii consilium disponerent, Deumque sibi propitium reddere studerent.

XXXV. Quæst. V. *Qui sunt in statu gratiæ, tenentur ne ad sacramentalem confessionem, ut fructum indulgentiæ assequantur?* Resp. P. Suarez *disp.* LII. *sec.* 3. & alii docent, eum qui ante Iubilæum rite confessus fuit, nec postea relapsus sit, non teneri ad novam confessionem. Verum, cum in Bullis indulgentiarum inserta hæc clausula sit, *contritis, & confessis*, communis sententia docet, præmittendam esse sacramentalem confessionem, quoties præfata clausula sit Bullis inserta. Et hæc est communis fidelium praxis.

XXXVI. Quæst. VI. *An si opera præscripta ad indulgentiam non solum in peccato, sed etiam cum peccato fiant, prosint ad indulgentiam?* Resp. Adfirmat Leander *disp.* XIV. *quæst.* XLIII. dummodo fiant cum intentione lucrandi indulgentiam, & in fine ultimi operis sit homo constitutus in gratia. Citat pro hac opinione *Suarez*, *Henriquez*, *Filliucium*, *Dianam*, & alios. Hæc opinio falsa, laxa, & spiritui Ecclesiæ adversa est.

XXXVII. Quæst. VII. *An quando in concessione indulgentiæ indeterminate & absolute præscribitur eleemosyna, facienda sit secundum qualitatem personæ?* Resp. Negat ibidem *quæst.* L. Leander, & citat *Suarez*, *Filliucium*, *Bonacinam*, *Dianam*, & alios; aitque sufficere *quamcumque eleemosynam minimam & parvam etiam a divite*

per-

persona datam ad lucrandas indulgentias. Hæc quoque opinio falsa & laxa est. *Quando* (inquit S. Thomas in Suppl. quæst. xxv. art. 2. ad 3.) *datur indulgentia indeterminate ei qui dat auxilium ad fabricam Ecclesiæ, intelligitur tale auxilium quod sit conveniens ei qui auxilium dat: & secundum hoc plus vel minus de indulgentia consequitur.* Heinc collige, S. Thomam docere, fideles assequi indulgentias plus minusve, prout magis aut minus operibus pietatis se disponunt.

XXXVIII. Quæst. VIII. *An ad lucrandas indulgentias sufficiat quæcumque etiam minima & brevis oratio?* Resp. Adfirmant Bossius, Filliucius, Diana, quos citat, & sequitur Leander *quæst.* lxv. aiuntque sat esse recitare ad singula altaria semel orationem dominicam, & angelicam. Hæc opiniuncula falsa est, & communi fidelium sensui adversa, destruitque disciplinam pœnitentiæ satisfactoriæ. Addit Leander *quæst.* lxvi. sat esse fundere preces ex voto, vel ex præcepto pœnitentiæ debitas, quæ est laxitas adiecta laxitati. Innumeras alias quæstiunculas versant Casuistæ de visitantibus altaria extra, vel intra Ecclesiam, de visitantibus quinquies idem altare, cum aliquo capitis, aut corporis motu, & de sexcentis aliis, quæ piget referre. Passim enim laxitas serpit, & opera vere satisfactoria, si istorum plurium consisterent opiniones, in nihilum occiderent. Verum ex iis quæ dicta sunt, corruunt omnes laxæ opiniones nonnullorum Casuistarum.

XXXIX. Quæst. IX. *Possunt ne indulgentiæ extendi ad animas purgatorii?* Resp. Negant novatores Lutherani, & Calvinistæ post Albigenses, & Valdenses. Sixtus IV. damnavit propositionem Petri Oxomensis, negantis indulgentias mortuis prodesse. Catholicorum omnium sententia est, indulgentias extendi ad animas in purgatorio extantes.

XL. Indulgentiæ non conceduntur mortuis per modum iudicii, & absolutionis: quia Ecclesia exercere iudicium nequit in illos qui suæ iurisdictioni non subiacent, ut sunt mortui. Istis itaque conceduntur *per modum suffragii.* Nomine autem suffragii Theologi intelligunt subsidium ecclesiasticum, quod conferri potest aut merendo per opera, aut impetrando per orationes, aut satisfaciendo per tolerantiam adversitatum; ut communiter Auctores explicant.

XLI. Probatur autem indulgentias prodesse defunctis. Concilium Tridentinum licet hoc punctum non attigerit, tamen *sess.* xxii. *de sacrificio. Missæ cap.* ii. & *sess.* vi. *de iustif. can.* xxx. definit, animas fidelium quæ in purgatorio detinentur, viventium suffragiis, & Missæ sacrificio iuvari posse. Si autem animæ mortuorum viventium eleemosynis, ieiuniis, & precibus iuvari queunt per modum impetrationis; quidni & per modum solutionis, ac satisfactionis? Veritatem hanc explicat S. Thomas in Suppl. quæst. lxxi. art. 10. *Dicendum, quod indulgentia alicui prodesse potest dupliciter: uno modo principaliter, alio modo secundario. Principaliter quidem prodest ei qui indulgentiam accipit, scilicet qui facit hoc pro quo indulgen-*

tia datur; ut qui visitat limina alicuius Sancti. Unde cum mortui non possint facere aliquid horum pro quibus indulgentiæ dantur, eis directe indulgentiæ valere non possunt. Secundario autem, & indirecte prosunt ei pro quo aliquis facit illud quod est indulgentiæ causa: quod quandoque contingere potest, quandoque autem non potest, secundum diversam indulgentiæ formam. Si enim sit talis indulgentiæ forma, Quicumque facit hoc, vel illud, habebit tantum de indulgentia, *ille qui hoc facit; non potest fructum indulgentiæ in alium transferre: quia eius non est applicare ad aliquem intentionem Ecclesiæ, per quam communicantur communia suffragia, ex quibus indulgentiæ valent, ut iam supra dictum est .... Si autem indulgentia sub hac forma fiat*, Quicumque fecerit hoc, vel illud, ipse, & pater eius, vel quicumque alius ei adiunctus, in purgatorio detentus, tantum de indulgentia habebit, *talis indulgentia non solum vivo, sed etiam mortuo proderit. Non enim est aliqua ratio quare Ecclesia transferre possit communia merita, quibus indulgentiæ innituntur, in vivos, & non in mortuos. Nec tamen sequitur quod Prælatus Ecclesiæ possit pro suo arbitrio animas a purgatorio liberare: quia ad hoc ut indulgentiæ valeant, requiritur causa conveniens indulgentias faciendi, ut supra dictum est.*

XLII. Accedit perpetua Ecclesiæ traditio, qua habetur, incruentum Missæ sacrificium pro defunctis oblatum semper fuisse. Tertullianus ipse narrat, Ecclesiam pro defunctis orare consuevisse. *Pro defunctis* (inquit Lib. de coron. milit. cap. III.) *pro natalitiis oblationes annua die facimus*. S. Augustinus *ser.* XXXII. *de verb. Apost.* docet. *Orationibus sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salutari, & eleemosynis quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuvari, ut cum iis misericordius agatur a Domino quam eorum peccata meruerunt. Hoc enim a patribus traditum universa tenet Ecclesia*. Quid desiderari luculentius potest?

XLIII. Disputant Theologi, prosint ne indulgentiæ defunctis ex iustitia, an ex misericordia? Et sententia mihi probabilior docet, indulgentias iisdem prodesse ex liberali Dei benignitate, & misericordia. Quoniam nullam habemus expressam promissionem aut pactum, quo Deus sese obstrinxerit ad acceptanda ex iustitia eiusmodi suffragia. Quærunt insuper nonnulli, utrum plenariam indulgentiam, quam sibi quis iniuncta opera adimplens applicavit, possit eamdem numero pro defunctis offerre: & negantem sententiam veram omnino iudicamus: quoniam ex unica indulgentia semel alicui applicata nihil superest quod prodesse alteri possit.

XLIV. Quæst. X. *Si pro anima defuncti offeratur sacrificium ad altare privilegiatum, evolat ne continuo anima in cælum?* Resp. Cardinalis Bellarminus *Lib. I. de indulg. cap.* XIV. ait, quæstionem hanc esse omnium difficillimam. Quamvis enim dubitare non liceat, quia indulgentiæ prosint animabus purgatorii; non adest tamen certum fundamentum determinandi, quantum illis prosint; & an illico ac-

cepta-

oblatum est sacrificium, liberentur a purgatorio. Plures quidem adfirmant; at plures etiam negant. Et quia ego, quid verosimilius sit, ignoro, rem indecisam relinquo.

XLV. Quæst. XI. *Quotuplex sit indulgentia?* Resp. Multiplex est indulgentiarum species. Aliæ sunt indulgentiæ pro vivis, aliæ pro defunctis. Rursus aliæ temporariæ, quæ dantur ad definitum tempus; aliæ perpetuæ, nullo termino circumscriptæ. Tandem aliæ plenariæ, aliæ partiales. Istis pars, illis tota pœna remittitur.

XLVI. Indulgentiæ partiales, quæ ad plures dies, vel annos dantur, respectum habent ad antiquos canones pœnitentiales, qui tot dies, aut annos pœnitentiæ iniungebant. Quare Estius in *IV. dist.* XX. *§.* X. animadvertit, in indulgentiis quæ concedunt per tot dies, aut annos pœnæ remissionem, non esse referendam hanc pœnam ad illam quæ luenda esset in purgatorio, ac si indulgentia quadraginta dierum tolleret pœnam quadraginta dierum alterius vitæ; sed ad pœnam quæ in hoc sæculo iuxta canonum pœnitentialium præscriptum sustinenda esset. Unde postea consequitur, indirecte hanc pœnæ remissionem extendi ad minuendam pœnam in purgatorio luendam. Quanto enim magis in hac vita minuitur debitum pœnæ temporalis, tanto quoque minor pœna remanet sustinenda in altera vita.

XLVII. Indulgentiæ plenariæ sunt duplicis generis. Aliæ absolute tales, quæ totam pœnam remittunt illis qui ad tantum beneficium suscipiendum dispositi & præparati sunt. Ante bellum sacrum contra Turcas, & Albigenses, plenarias & generales indulgentias vix concessas legimus, ut supra dixi. Quare Cardinalis Bellarminus *Lib. cit. cap.* XII. inquit, *veteres parcissimos fuisse in indulgentiis conferendis*. Neque heinc sequitur, improbandum esse (quod absit) usum indulgentiæ plenariæ, qui a tot sæculis obtinet in Ecclesia, quæ divino Spiritu directa liberaliore misericordia succurrere filiis suis consentaneum ducit.

XLVIII. Alia est indulgentia, quæ Iubilæum vocatur, a voce Hebraica *iobal*, quæ idem significat, ac remissio, seu libertas, qua Iudæi quolibet anno quinquagesimo possessiones suas recuperabant, si forte necessitate compulsi easdem vendidissent, ut habetur *Lev. cap.* XXV. servi quoque pristinam acquirebant libertatem. Bonifacius VIII. an. 1300. centesimo quoque anno recurrente celebrandum determinavit annum Iubilæum Christianorum. Clemens VI. an. 1350. illum reduxit ad annum quinquagesimum. Urbanus vero VI. an. 1389. decrevit quolibet anno trigesimo tertio recurrente celebrandum esse Iubilæum in memoriam 33. annorum, quos Christus duxisse in terris creditur. Tandem Paulus II. an. 1470. Iubilæum celebrandum statuit quolibet anno vigesimo quinto recurrente: & hunc ritum nunc Ecclesia observat. Indulgentia Iubilæi præter relaxationem totius pœnæ, communem omnibus indulgentiis plenariis, aliis fruitur privilegiis, ut eligendi

quemlibet Confessarium ex approbatis, qui absolvere valeat a censuris, & peccatis reservatis, votaque commutare in alia pia opera, excepto voto castitatis perpetuæ, & Religionis.

XLIX. Pontifices summi etiam extra annum sanctum, seu Iubilæum concedere indulgentias plenarias solent ad instar Iubilæi, & cum iisdem privilegiis ob publicas gravesque caussas. Plura hic dicenda occurrerent de Iubilæo; cum innumeras pene quæstiunculas Casuistæ instituant. Verum plus iusto volumen excresceret, si ea omnia dispicere vellem quæ disputari ab illis solent. Idcirco eadem prætereo, præsertim quod plurima magis ad vitilitigandum, quam ad docendos fideles normam, qua cum fructu suscipere indulgentias debent, inserviant.

§. VI.

MONITUM

circa praxim.

I. Missis itaque disputationibus, quæ mentem torquent, pauca sub disputationis finem dicamus, quæ cor inflamment ad indulgentiarum fructum securius comparandum. Et ut ultima primis respondeant, spiritus pœnitentiæ idem nunc est in Ecclesia ac olim; licet austeritates externæ temperatæ & diminutæ sint. Ecclesia benigna clementique indulgentiarum concessione non eo tendit, ut socordiam, ignaviam, & nimiam Christianorum teneritudinem palpet, ut disciplinam pœnitentiæ relaxet; sed ut spiritum instauret & succendat. Quantum clementissima mater exterioris austeritatis remittit, tantum interioris devotionis, & divini amoris in se accendere filii debent, ne tantæ matris clementia abutantur ad vindictam & supplicium.

II. Animadvertit laudatus Bossuetus *loc. cit. punct.* 8. eo nos ducere indulgentias debere, ut caritatem erga Deum, & proximum accendamus, quoniam huc lex revocatur universa. Eadem olim ac nunc misericordia, iustitia, & vindicta divina: eadem luxuriæ, avaritiæ, blasphemiæ, periurii, adulterii, & aliorum criminum malitia & enormitas: idem in peccantibus satisfaciendi debitum: eadem pœnarum pro iisdem adulteriis, fornicationibus, periuriis mensura. Diminutæ sunt exteriores afflictiones vigiliarum, ieiuniorum, cinerum, & humiliationum. Alterutrum ergo: aut compensandum solutionis pretium ardentiore caritatis interioris fervore, & aliarum virtutum modestiæ, castitatis, misericordiæ, humilitatis officiis: aut decoctiores dicendi hodierni pœnitentes sunt, larvati, & ficti. Eadem nunc ac olim infirmitas gravissima libidinis, superbiæ, concupiscentiæ. Ergo eadem necessitas medicinæ aptæ & idoneæ his morbis sanandis.

III.

III. Expergiscimini filii hominum. *Usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quaeritis mendacium?* Planior ne blandiorque hodie paradisi via quam tempore illo quo Christus sui sanguinis effusione illam resperſit? Usquequo clementia matris Ecclesiae abutimini ad perniciem, damnationemque? Supplet illa impotentiam nostram; & quod reddere inopia nostra non valet, incredibili clementia thesauri sui divitiis solvit. At ideo ne nos liberat, ut ab iis omnibus reddendis quae reddere paupertas nostra potest, immunes simus? An exemplum liberalitatis, clementiae, & indulgentiae matris erga nos non urget, non impellit nosmetipsos ad maiorem erga Deum cultum, obsequium, devotionem, & erga fratres nostros effusiorem liberalitatem, amorem, & beneficentiam? Indulgentias plenarias nos a Christi Vicario libenter suscipimus; & contra, nos, quae nobis a fratribus debentur, saevissima austeritate exigimus, illorumque inopiae, & egestati opportunum impertiri subsidium recusamus? Istae ne dispositiones assequendis indulgentiis plenariis idoneae?

IV. Audite Christi redargutionem adversus similes debitores. Parabola est aptissima ad explicandam hallucinationem Christianorum, qui, dum plenariam ingentium debitorum remissionem obtinere ab Ecclesia confidunt, socordiores fiunt in solvendo quod possunt, & severiores in exigendo quae reddi sibi ab aliis nequeunt. Hoc autem pacto Christus *Matth. cap.* XVIII. istos redarguit, contunditque. *Ideo assimilatum est regnum caelorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis. Et cum coepisset rationem ponere, oblatus est ei unus qui debebat ei decem millia talenta. Cum autem non haberet unde redderet, iussit eum dominus eius venumdari, & uxorem eius, & filios, & omnia quae habebat, & reddi. Procidens autem servus ille, orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Misertus autem dominus servi illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei. Egressus autem servus ille invenit unum de conservis suis qui debebat ei centum denarios: & tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes. Et procidens conservus eius, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit; sed abiit, & misit eum in carcerem donec redderet debitum. Videntes autem conservi eius quae fiebant, contristati sunt valde: & venerunt, & narraverunt domino suo omnia quae facta fuerant. Tunc vocavit illum dominus suus, & ait illi: Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit & te misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum? Et iratus dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum. Sic & Pater meus caelestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.*

V. Dediscite ergo seducentem illam persuasionem, quod paucis precatiunculis aliquot *Pater*, & *Ave* possitis & remissionem poenarum, quae gravissimis flagitiis debentur, & vim roburque domandi efferatas concupiscentiae, avaritiae, &

superbiæ bestias, assequi valeatis. Resipiscite tandem aliquando ; & si clementissima mater Ecclesia afflictiones corporis temperat, ac delinit, tanto amplius ferveat in corde caritas in proximum, liberalitas, clementia, mansuetudo, ceteræque virtutes animi.

VI. Heinc collige, quam sint & Evangelio, & Ecclesiæ spiritui adversæ quorumdam Casuistarum opiniones. In quo isti constituunt pœnitentiam interiorem animi? In attritione formidolosa, in dolore ex solo gehennæ timore concepto, & divinæ caritatis prorsus vacuo. Quid de pœnitentia exteriore docent ? Aiunt, *benignas pœnitentias plus prodesse quam rigidas, quod per benignas magis alliciantur fideles ad sacramenta pœnitentiæ, & Eucharistiæ . Quia occasione belli sacri contra Turcas inductus est usus indulgentiarum, qui est modus satisfaciendi pro peccatis UTILIOR AC CERTIOR quam observatio canonum pœnitentialium* . Itaque iuxta laudatos iuniores, interior spiritus fervor deferbuit, & caritatis etiam imperfectæ necessitas a sacramento pœnitentiæ exclusa est. Spiritus languidissimus pœnitentiæ exterioris, indulgentiarum usu nutritur, paucis precatiunculus in altarium visitatione effusis. Hic ne Christianismi spiritus ? Hæc ne germana pœnitentiæ christianæ imago? Crudelis ergo tyrannidis arguendi sunt omnes Ecclesiæ Patres, immo Ecclesia ipsa, quæ & olim, & hodie ignorat benignas paucarum precum pœnitentias efficacius conducere ad morum reformationem ? Quod benignæ pœnitentiæ, & faciles absolutiones alliciant ad confessionem, & Eucharistiam, nemo inficiabitur. At quod hic sit modus utilior, & certior Deo satisfaciendi pro peccatis, quod hic modus sit opportunior ad vitia eradicanda, ad sanandos inveteratos animæ morbos, & ad salvandos fideles, numquam concedam . Vide quæ supra dicta sunt adversus hunc modum *utiliorem & certiorem*. Hæc nova benignitas quorumdam Casuistarum ad frequentanda sacrilegia sæpe conducit, non ad sancte & cum fructu suscipienda sacramenta.

VII. Huic dissertationi finem imponat doctissimus Episcopus Bossuetus, qui *loc. cit. punct.* 7. & *seq.* suam concludit instructionem. Pauca ego latine reddita excerpam. „ Doctrina Concilii Tridentini in adducto decreto sat est ut instauretur in pra-
„ xi tum pœnitentiæ, tum indulgentiarum priscus Ecclesiæ spiritus. Opus minime est
„ texere curiosam indulgentiarum historiam, neque gradus indicare, quibus la-
„ xatus est vetus canonum vigor. Neque discutiendum est, subsistant ne aliquo
„ modo in præsentia canones isti, & num Ecclesia in indulgentiis concedendis
„ ad eosdem respiciat, ut Doctores communiter existimant . Indulgentiæ plena-
„ riæ oppositæ indulgentiis 7. annorum, 14. annorum, 20. annorum, 20. die-
„ rum. 40. dierum, aliisque similibus, indicare videntur, canones pœnitentiales
„ non esse penitus oblivioni traditos, cum ad illos in his indulgentiis respiciat .
„ Verum, his scholarum quæstionibus missis, ut ea quæ ædificationi nostræ in-

„ ser-

„ serviunt, meditemur, Concilium Tridentinum abunde nobis ostendit, Ecclesiam „ ius conservare & intentionem habere exercendi suos sanctos rigores, & iniungendi pœnitentias *convenientes & proportionatas:* pœnitentias quæ nos conformes efficiant Christo crucifixo, & satisfacienti pro nobis iustitiæ Patris sui: „ pœnitentias quæ licentiæ frenum iniiciant, & quæ non modo nobis adversus „ vitiosos habitus remedio sint, sed etiam Deo satisfactioni in vindictam & punitionem præteritorum criminum. En specimen paucis perstrictum doctrinæ „ Concilii Tridentini *sess.* XIV. *cap.* II. & VIII. An hoc non sufficit, ut intelligamus, perpetuum esse Ecclesiæ propositum continuandi vetustum ius quo prædita est, & severe exercendi in pœnitentes iustitiam, quam Deus in eiusdem „ manibus deposuit. Hæc Concilii doctrina virtute continet totam antiquorum „ canonum austeritatem. Peccatorum quæ Christiani perpetrant, minor non est „ gravitas: ingrati animi scelus in Spiritum sanctum, quem in baptismate susceperunt, haud est minus horrendum: Dei iustitia suas regulas non immutavit: „ pravorum habituum inclinatio non est minus perniciosa, nec peccandi licentia „ minus formidanda quam primis sæculis. Ecclesia in Concilio Tridentino has „ omnes rationes confirmat tanto robore, ut nihil cedat iis quæ Patres adduxere. Neque pœnitentia est secundus baptismus, nisi hoc pretio, &, ut Concilium dicit, nisi sit *magnis nostris fletibus, & laboribus* sociata: neque erit *baptismus laboriosus*, qui nos ad pristinam morum puritatem, & integritatem „ reducat. Quod si vigor antiqui spiritus Christianismi toto suo robore consistit, „ semper opus habemus indulgentia, & clementia Ecclesiæ . . . . Omnia in his „ Concilii decretis redolent & pietatem, & antiquitatem; nec satis admirari valemus sive sapientiam Ecclesiæ, sive eiusdem doctrinæ puritatem. Et principio „ constat, sanctum Concilium omnia revocare ad veterem disciplinam in Ecclesia, & in Conciliis approbatam. Atqui spiritus antiquorum Conciliorum, & „ præ aliis Nicæni, totus in eo est, ut iisdem indulgentias concedat qui spiritus „ fervore delinitam corporis austeritatem compensant. Heinc consequi apparet, „ eumdem quoque esse hodie Ecclesiæ spiritum, ut scilicet fideles hunc spiritum „ instaurantes, ardentius ament, dum plus accipiunt, quemadmodum Christus „ proprio ore pronuntiavit. Secundo Concilium optat indulgentiarum moderationem, *ne nimia facilitate disciplina enervetur*. Et, ut ea prætereamus quæ Pastorum vigilantiam spectant, nihil validius occurrit ad impediendam hanc funestam disciplinæ relaxationem, quam ut fideles indulgentiarum usu spiritus „ fervorem Evangelio, & antiquitati consentaneum instaurent."

LIBER

LIBER SECUNDUS

DE MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIAE.

DISSERTATIO PRIMA.

CAPUT I.

Quam sit sublimis Confessarii dignitas. De eiusdem dotibus generatim disseritur.

I. ME sub istius Tomi initium præfatum fuisse memini, omnes Theologiæ morum tractatus ad pœnitentiæ sacramentum plus minusve viam sternere; nunc autem subdo, omnia quæ hactenus de sacramento pœnitentiæ scripsi, huc tandem recidere, ut probus, fortis, doctus, prudensque Confessarius occurrat qui recte administrare tantum sacramentum didicerit. Si peritos in arte raros & paucos quælibet professio numerat; quot supputabit ars artium, qualis est conscientiarum regimen, & animarum sanctificatio? Nulla in christiana Republica præstantior dignitas, nullum sublimius ministerium, nullus eminentior gradus in terra illo cui hæret peccata dimittendi facultas. *Quis est hic qui etiam peccata dimittit?* clamabant Iudæi. Infinitam Dei personam sustinet Confessarius, dum tribunal erigit, & aperit, ut iudicium in læsæ divinæ maiestatis reos formet, sententiamque aut absolutionis peccata dimittendo, aut condemnationis beneficium retinendo pronuntiet. Nemo qui post baptismum peccavit, ab hoc tribunali liber. Omnes catholicæ societatis potestates, ipsique Episcopi, Archiepiscopi, atque Pontifices summi profunda humilitate genua flectunt Confessario, secretiora conscientiæ arcana eidem revelant, eiusque personam, tamquam vices Dei gerentem, venerantes, peccatorum remissionem corde contrito, oreque supplici efflagitant.

II. Confessarii patriæ christianæ patres, publicæ tranquillitatis conservatores, flagitiorum vindices, sanctitatis custodes, & instauratores strenui appellari iure valent. Hi enim civilem societatem atque felicitatem promovent, dum subditos obedire Principibus, iisdem tributa solvere, eorum parere legibus & mandatis cogunt: Principes in subditos, iustos, clementes, providosque efficiunt: inter cives re-

reciprocam benevolentiam & iuſtitiam promovent. Peccata aut ſubditorum in Principes, aut Principum in ſubditos, aut civium in cives plectunt, caſtigant, pœnaſque pro illis infligunt. Concionatores, ceterique ſacri miniſtri hortari voce, ſuadere eloquentiæ robore, & ſanctioris vitæ exemplo allicere, invitare fideles ad ſua obeunda munia valent; at Confeſſarii ſub pœna carceris, & quidem perpetui, negando indignis, & obfirmatis legum tranſgreſſoribus abſolutionis beneficium, adigere eos valent ad propria præſtanda munera.

III. Si Dei vices in hoc miniſterio gerunt, ſi Dei officium exercent peccata dimittendo; ſi curare infirmorum morbos, ſi debellare ſuperbos, ſolari mœſtos, coercere libidinoſos, in ordinem redigere pervicaces debent: quæ ſit oportet illorum vitæ ſanctitas, pectoris fortitudo, qui zeli æſtus, qui caritatis ardor, quæ manſuetudinis ſuavitas, quæ animi clementia, quæ ſpiritus libertas? Exprimant, ſicut in miniſterii altitudine, ita in morum ſanctitate ipſius Chriſti perſonam neceſſum eſt. Refulgere iſti debent, ut miniſtri vere divini. Nihil in hoc miniſterio gerendo humani, nihil quod mundum aut temporalem felicitatem redoleat, apparere debet. Si iudices ſunt, & vindices iniquitatis & iniuſtitiæ, ſi ſanctitatis magiſtri, ſi infirmitatis medici, ſi difficillimarum quæſtionum definitores, ſi diſſidiorum arbitri pacificatores; iuſtitiam, ſanctitatem, prudentiam, dexteritatem, cumulatamque præſeferant doctrinam neceſſum eſt.

IV. Hæc pauca præludii loco perſtringere operæ pretium exiſtimavi, ut lector in libri limine quamdam altiſſimi miniſterii ſinceram formare imaginem valeat; atque hanc veritatem altius animo impreſſam habeat, videlicet ex Confeſſariorum prudentia, zelo, fortitudine, ſanctitate, & doctrina, mundi reformationem, animarum ſalutem, humanæ ſocietatis tranquillitatem, æternamque felicitatem ſummopere pendere.

V. Verum enimvero ſi tantis coruſcare dotibus Confeſſarii debent, qua, amabo te, ſcientia & eruditione, quo animi candore, qua prudentia, qua gerendarum rerum dexteritate, qua invicta animi fortitudine ornati ſint oportet illi qui docendi imbuendique Confeſsarios ipſos munus ſuſcipiunt? Hæc ego, dum ſerio meditor, cor palpitat, pavet animus, totis artubus contremiſco, atque auribus meis inſonare videtur divinum oraculum: *Dixit autem peccatori Deus: Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* Ut mihi, quoad poſſum, caveam, quotidie Chriſtum IESUM cum in manibus ad altare tremebundus teneo atque adoro, (humillime utinam & digne) deprecor, ut mentis meæ diſſipare tenebras, purgare a partium ſtudio animum, ſuaque divina luce perfundere mentem meam velit, ne errem ipſe, aliiſque ſim errandi cauſa, & magiſter. Rurſus lectores meos tum in præfatione generali ad *Tom. I. in Decal.* tum in ea quæ huic volumini præmiſi, admonui, monitumque in eorumdem

dem mentem revoco, ne scriptis meis plus fidei adhibeant quam quod rationum momenta evincunt. Nihil personæ meæ miserrimæ, nihil nominis mei auctoritati deferant, oro obtestorque. Si viderint doctrinam meam esse Scripturis divinis, Doctoribus sanctis, Ecclesiæ sensui conformem, illam amplectantur; si secus, reiiciant. Nolo ut auctoritatem personæ meæ umquam traducant in medium, qua opinioni alicui probabilitatem concilient; sed documenta tantum quæ promo, allegent. Doctrina enim Christi confirmari homunculi, qualem me esse scio, auctoritate dedignatur. Neque enim veritatis eorum quæ aut scripsi, aut scripturus sum, vadem apud Deum me constituere volo. Illud nunc a lectore peto efflagitoque, ut precibus suis errorum meorum veniam a clementissimo Christo IESU Redemptore nostro impetrare pro sua erga me caritate & benignitate non cesset. Dotes Confessarii peculiares, quas nunc explicandas aggredior, his versibus continentur.

Sit probus, & fortis, Confessor, sitque peritus,
Discretus, patiens, mitis, pius, atque fidelis.

CAPUT II.

Spiritus fortitudinis, & libertatis, qua Confessarius exercere tenetur suum ministerium, omnia, sive temporale emolumentum, sive Magnatum & Principum aut plausum, aut contemptionem, sive populi ludibria despicari debet. Germani characteres, quibus Christus suos veros ministros a falsis distinguit.

I. Confessarius homo Dei sit oportet, cum officium Dei exerceat, Deo sic infinita sua clementia disponente. Deus autem, ut Deus, super omnia resplendet, quia omnia ex nihilo omnipotentia sua eduxit. Hæc imago, quoad patitur humana conditio, referenda a Confessario est, ut scilicet super omnia erectus, omnia quæ in mundo sunt, contemnat. Hac fortitudine & libertate Paulus ad Philippenses *cap.* III. animatus inflammatusque clamavit: *Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam*. Nihil in terris erat quod allicere spem, quod inflare ambitionem, quod perterrefacere fortitudinem Pauli valeret. Heinc Cæsareæ catenis ligatus coram Præside Felice, & Drusilla eius uxore disputavit *de iustitia, & castitate, & iudicio futuro*; ut habetur *Act.* XXIV. Felicem, a quo iudicandus erat, redarguit,

guit, quod iniustitia immani provinciam opprimeret, ut refert Cornelius Tacitus *Lib. V. Hist.* Drusillam, profligati pudoris feminam, tribusque infandis coniugiis contaminatam, de castitate disputando increpuit. Nihil invictus Christi miles Præsidis aut favorem, aut sævitiam, nihil furentem effrenatissimæ feminæ iram moratus est; sed utrumque invicta libertate & exquisita prudentia correxit, atque futuri iudicii repræsentatione perterrefecit.

II. Confessarii ergo, & Concionatores non magnatum, non matronarum, non Principum aut favorem & gratiam quærere, aut contemptionem & exilium pavere in divino obeundo ministerio debent. Sententiam supremi Magistri & Principis Christi Iesu pectore insculptam teneant. *Qui me erubuerit, & sermones meos, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua*: Luc. cap. IX. Et iterum Matth. X. *Omnis enim qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.*

III. Cessarunt a multis sæculis contra altissima Christi mysteria persecutiones; at successere bella, & quidem intestina, adversus sanctissima Christi præcepta, morumque integritatem. Prælia opinionum ardent, quæ humanis appetitionibus favent, plausum, & acclamationem populorum sibi conciliant. Nisi Dei ministri pro tribunali sedentes fortes sint & robusti, atque, ut Propheta ait, ænea fronte obarmati ad præliandum bellum Domini, actum de christiana lege est. Innumera sunt Patrum testimonia, quæ hanc fortitudinem Christi ministris inculcant.

IV. S. Augustinus *ser.* I. *in Psal.* LXVIII. clamat. *Frontosus esto, quando audis opprobrium de Christo: prorsus esto frontosus. Quid times fronti tuæ, quam signo Crucis obarmasti?* Rursus in *Psal.* XXXIX. fusiore oratione hanc fortitudinis & libertatis dotem inculcat. *Dicant ergo labia quod habet cor: hoc contra timorem habeat cor quod dicunt labia: hoc contra simulationem habeant labia quod credit cor. Aliquando enim timor est, & non audes dicere quod nosti, quod credis: aliquando simulatio est: dicis, & non habes in corde. Consentiant labia tua cordi tuo.*

V. S. Gregorius Magnus *Epis. Lib. I. epis.* V. hoc fortitudinis & libertatis spiritu succensus, de semetipso inquit: *Nihil in hoc mundo appetens, nihil pertimescens videbar mihi in quodam rerum vertice stare, ita ut in me pene impletum crederem quod pollicente Domino ex Propheta didicissem*: Sustollam te. *Super enim ipsam altitudinem terræ sustollitur qui & ipsa quæ alta & gloriosa præsentis videntur sæculi, per mentis despectum calcat.* Quæ sint terræ altitudines, quæ fastigia pertimescenda, clarius exponit *Lib. XXXI. Moral. cap.* X. ubi clamat: *Altitudines terræ sunt lucra mercium, blandimenta subditorum, divitiarum abundantia*

tia, honor, & sublimitas dignitatum: quæ, quisquis per ima adhuc desideria incedit, eo ipso alta æstimat, quo magna putat; at si semel cor in cælestibus figitur, mox quam abiecta sint; cernitur, quæ alta videbantur.

VI. Quam necessaria hæc libertas, hæc fortitudo sit Confessariis, & Dei ministris ætate nostra, paucis ostendam. Vidisti, lector, propriis oculis, quo disciplina pœnitentiæ ab uno potissimum cum dimidio sæculo redacta sit. Finge sequentem casum. Aperit Confessarius sacrum tribunal, sedetque iudex, ut reos absolvat. Confluunt fulgidæ matronarum, magnatumque turbæ, quæ & in vestium splendore, & in incessus gravitate maiestatem quamdam spirant, sibique obsequium, favoremque conciliant. Confessarius videt ad pedes suos provolutas, & prostratas, tanti nominis personas, quæ & timorem incutere, & spem suscitare non levem possunt. Pomparum splendor oculos perstringit, favor & gratia humanitatem demulcent. Nonnumquam pœnitentes isti & istæ, quo exteriori refulgent apparatu, eo interius sordent sceleribus. Si Confessarius liberali manu absolutionis beneficium dispensat, sibi & matronas, & magnates devincit, dulce amicitiæ fœdus stringit, clientum affluentiam firmat & auget, videtque se in amplo templo undique circumdatum & universali plausu acclamatum, ceu sapientem, prudentem, celeberrimumque ministrum, qui sociare mundum cum Evangelio suavi dexteritate didicit. E contrario si absolutionem denegat, continuo se despicatum, desertam Ecclesiam suam, derelictum tribunal experitur. Cedo: si Confessarius amoris proprii lenociniis, si spei, & timori mundano, si humanitatis præstigiis obnoxius sit, quid de illo, quid de salute clientum ominandum? Ut vero hos intimos & extimos persecutores sævissimos devincat, superet, debellet, quæ pectoris fortitudo, qui libertatis spiritus non requiritur? Si gloriolæ amor, si plausus, si humani respectus, si occultissimæ ambitionis fascinium mentem perstringit; perit Confessarius, æternum naufragantur pœnitentium turbæ.

VII. Persecutores, quos hactenus indicavi, eo ætate nostra immaniores sunt & potentiores, quo altius dominantur opiniones laxæ, benignitatis larva incrustatæ, quæ theatrorum comœdiarumque frequentiam, quæ matronularum, & magnatum platonicos amores, quæ luxum & pompas, ludos & cetera delirantis mundi oblectamenta exquisitis commentis perhonestant. Ab adolescentia assueti pœnitentes isti sunt una copulare Ecclesiarum, & amasiarum, sacramentorum, & comœdiarum frequentiam. Si Confessarium dissolvere hanc lucis & tenebrarum societatem, hoc monstrosum vanitatis & sanctitatis fœdus voluerit, continuo audit *Rigorista*, *Tutiorista*, *Iansenista*; & tamquam inhumanus conscientiarum carnifex, tamquam perridiculus reformator traducitur, contemnitur, diffamatur.

VIII. Primis Ecclesiæ sæculis Nerones, Domitiani, Diocletiani, ceterique efferatii

rati leones non ex insidiis, & per cuniculos, sed recta Christi milites aggrediebantur. Persecutionis caussa manifesta erat. Aut Christo renuntiandum, aut idolis litandum. Nullus erat ambigendi locus. At ætate nostra martyrii caussa occulta, ambigua, & utramque in partem de ea disputatur. Opiniones mundo & carni faventes suos habent patronos, suasque rationes, quæ tanto potentius menti arrident, quanto benignius cupiditati indulgent. Accedit multitudinis auctoritas, quæ instar rapidi torrentis secum omnia abripit, ita ut, si fieri possit, in errorem inducantur electi ipsi.

IX. Hæc duo persecutionis genera distinguit Augustinus. Intestinus præstigiator propriæ gloriolæ, amor præstandi ceteris, & occupandi prima subsellia, delinit plus iusto, & attemperat Christi Theologiam hominibus; & Confessarios, sin minus expresse & palam, reipsa & subdole sic loquentes inducit, inquit *Lib. Pastor. cap.* III. S. Doctor. *Securi estote. Deus neminem perdit. Tantummodo fidem christianam tenete. Non perdet ille quos redemit: non perdet pro quibus sanguinem suum fudit. Et si spectaculis volueritis oblectare animos vestros; ite, quid mali est?* Nonne palam hæc talia loquuntur hodie? Quid mali præferunt oblectamenta theatrorum, comœdiarum, saltationum? *Ite, quid mali est?* Persequitur S. Doctor. *Magna est Dei misericordia, quæ totum ignoscat. Coronate vos rosis, antequam marcescant . . . . Hæc si dixerimus, forte congregabimus turbas ampliores: & si sint quidam* (Rigoristæ) *qui nos sentiunt hoc dicentes non recte sapere, PAUCOS offendimus, sed MULTITUDINEM conciliamus.* Multitudo præsertim matronularum, magnatum, & cuiusque conditionis blandiloquos nostros, & benignos sermones amore proprio partos audit. Pauci evangelicæ legis gnari offenduntur; sed interim multitudo confluit, plaudit, nobisque acclamat. Viden', quam sit immanis, quam sæva, quam subdola, quam continua persecutio isthæc?

X. Auctoritas postea multitudinis, consuetudo, & mos universalis tyrannus est Neronibus, Diocletianis, & Domitianis truculentior & sævior, qui continenter vociferatur, subdit in *Psal.* LXXIII. Augustinus. *Non enim cessat & modo serpens insusurrare, & dicere: Numquid vere damnaturus est Deus tantas turbas? Liberaturus est paucos? Quid est aliud quam facite contra præceptum, non morte moriemini? sed quomodo TUNC, sic & NUNC. Si feceris quod suggerit diabolus, & contempseris quæ præcipit Deus, veniet iudicii dies, & invenies verum quod minatus est Deus, & falsum quod pollicitus est diabolus.* Rursus in *Psal.* XLIII. refert S. Doctor hanc insidiosam persecutionem. *Quam multi hoc faciunt, & quis non facit? Numquid omnes perditurus est Deus?* O magna tentatio! o magna persecutio! clamat alibi Augustinus. Quomodo vincenda, quomodo superanda? *Dilectores mundi* (persequitur Augustinus in Psal. CXXXVI.)

ali-

aliquando interrogant nos, & dicunt nobis, Exponite rationem . . . Quid respondemus? Audi responsum Augustini, quod continuo ibidem exhibet. *Babylonia te portat, Babylonia te continet, Babylonia te nutrit, Babylonia de te loquitur. Non nosti capere, nisi quod fulget ad tempus: æterna meditari ignoras, non capis quod interrogas.* Verum insistit, & furit persecutor amor proprius. Si hoc pacto respondemus, despicimur, deridemus, diffamamur tamquam Rigoristæ, templa nostra vacua, *confessionaria* nostra deserta fiunt. Magna tentatio! magna persecutio! *Vere Fratres* (pergit ibidem Augustinus) *sic est.* Sed *incipite velle prædicare veritatem quantulamcumque nostis, & videte, quam necesse sit ut tales patiamini irrisores, & exactores veritatis plenos falsitatis . . . Sed vide, quomodo verseris inter eos, ne, si amantur a te, & affectas amicitias eorum, & times talibus displicere, incipiat te delectari Babylonia, & obliviscaris Ierusalem. Hoc ergo timens, vide quid subiiciat, vide quid sequatur . . .* Si oblitus fuero tui, Ierusalem &c. *Ecce inde erat civis ille qui Dominum interrogavit:* Magister bone quid faciam, ut vitam æternam consequar? . . . *Et Dominus dixit illi quiddam de Canticis Sion, & noverat quod non caperet. Sed exemplum dedit nobis, quomodo multi quærant quasi consilium ad vitam æternam; & tamdiu nos laudant* (N. B.) *quamdiu respondemus quid quærunt. Sed cum inter istos obstrepentes versamini, obstringite vos non eis velle placere, ne obliviscamini Ierusalem hic agentes in terra. Si oblitus fuero Ierusalem, obliviscatur mei dextera mea.*

XI. Audisti tremendam formidandamque persecutionis vim? audisti, qui sint persecutores nostri, Neronibus, Diocletianis, Iulianis efferatiores, quia insidiis, & blanditiis pleniores? His insidiis diabolus seduxit parentes nostros; his insidiis tempore Augustini mundi plausus, terrenæ gloriæ splendor, turbarum acclamationes viros Dei seducere pertentabant. *Quomodo tunc, sic & nunc*, sic ætate nostra, in qua MODUS opinandi irrepsit evangelicæ simplicitati, & sanctorum Patrum doctrinæ adversus, modus qui est omnium laxitatum scaturigo, ut inquit Alexander VII. Et tamen, *Cavete*, a nonnullis, qui pro hoc opinandi modo veluti pro aris, & focis belligerant, inclamatur, *cavete a Rigorismo, cavete a Rigoristis.* Quam exclamationem, monitumque numquam neque in Scripturis divinis, neque in Patribus sanctis invenire potui. Contra vero: Cave a blandiloquis Prophetis, cave ab illis qui consuunt pulvillos sub omni cubito carnis, passim in Scripturis sanctis, & Patribus occurrunt. *Pseudoprophetæ semper dulcia pollicentur*, inquit Hieronymus: & S. Ioannes Chrysostomus: *Hæc est pseudoprophetarum nota, si ab omnibus hominibus benedicantur.*

XII. Et ut hoc evincam, probo tertiam, quam proposui, argumenti mei partem, videlicet, characteres sinceros quibus Christus suos distinguit ministros, esse mundi & turbarum persecutiones; plausus vero, & acclamationes mundanorum ho-

hominum esse prærogativas pseudoprophetarum. Audiamus Christum Iesum *Matth. cap.* v. sic loquentem. *Beati estis, cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me. Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis*. Beatos Christus pronuntiat ministros suos Sacerdotes, quos mundani homines insectantur, propterea quod arctam Evangelii viam, & divinam doctrinam carni & sensui contrariam promovent, inculcant, defendunt. E contrario miseros illos declarat quibus filii sæculi plaudunt, benedicunt, quod opinionibus benignis & laxis demulceant illorum sensus, pruriantque auribus. *Væ, cum benedixerint vobis homines: secundum hæc enim faciebant pseudoprophetis patres eorum*: Luc. vi. Prædixit Christus, operarios suos a se missos in messem suam, omnibus sæculis, omni ætate passuros mundanorum hominum dicteria, ludibria, persecutiones. Hæ sunt dotes, hi characteres, quibus Christi ministri distinguuntur. Gaudentes ibant Apostoli, quoniam digni habiti fuere propter Iesum contumelias pati. Acta omnium Sanctorum revolvantur: perrari occurrent qui veritatem Christi prædicantes, tela declinaverint persecutionum.

XIII. Quæ cum ita se habeant, quis ferret homunciones illos qui sæpe blaterant, non esse contradicendum laxis doctrinis, quæ omni sæculo habuere strenuos, prævalidos, atque potentes patronos, formidandos, pavendosque, quorum oppositores vix umquam in hoc mundi theatro propitiam experti sortem sunt? Qui talia eructant, ignorant prima Evangelii elementa, mundi præstigiis obcæcantur, indigne nomen profitentur christianum. Eiusmodi dicta tolerari in Paganis possent: in Christianorum ore deliria sunt, ne dicam blasphemiæ. Dum prudentes apparere isti ambiunt, se dementes apud Deum, & apud viros vere christianos perridiculos se patefaciunt. Videndum, num caussa quæ propugnatur, sit revera Christi caussa, num doctrina quæ defenditur, sit evangelica, num opiniones quæ oppugnantur, sint æternæ Christianorum saluti exitiosæ. Videndum, num christiano spiritu, & iuxta exempla Scripturarum, & SS. Patrum normam propugnentur. Quando hæc omnia occurrant, deridenda est mundi potentia, floccifaciendæ hominum artes & insidiæ. Non in hoc sæculo, sed in futuro laborum præmium expectandum. Si Apostoli, si Martyres, si sancti Dei viri omnes istorum pseudoprudentum, & vanorum hominum consilia audiissent, ubi resonaret Christi nomen, ubi refulgeret religio christiana? *Ubi enim spiritus Domini, ibi libertas*, inquit S. Paulus *II. Cor. cap.* iii. Paulus autem, inquit Chrysostomus *hom.* ii. de laudibus Pauli, *tyrannos, ac populos spirantes furorem, esse veluti quosdam culices existimabat; mortem vero, & cruciatus quasi ludum putabat esse puerorum, dummodo propter Christum aliquid sustineret*. Quid quod Paulus non præsidibus, non tyrannis modo, sed ipsi Petro Apostolorum Principi excel-

celso animo simulque humili ac modesto in faciem restitit? *Si tu, cum Iudæus sis, gentiliter vivis, & non iudaice: quomodo gentes cogis iudaizare?* Galat. II. Verum infra de hoc sermo redibit.

CAPUT III.

De caritate seu probitate Confessarii; quibusve coniecturis hæc dignoscatur.

I. Axioma illud tritum & vulgare, *Nemo dat quod non habet*, tempestivum est, & quammaxime opportunum argumento nostro illustrando. Confessarius caritatis ignem accendere in suis pœnitentibus debet. Si ipse refrigescat, quomodo communicare ceteris calorem poterit? Iubet Deus ut proximum diligas sicut te ipsum; atque adeo ut aliorum saluti, quemadmodum tuæ, prospicias. Si tuam negligis salutem; numquid alienæ curam habebis? *Regula tui* (inquit Augustinus) *in proximum amoris ea est dilectio qua te ipsum prosequeris*. Audies frequenter nonnullos similia eructantes. Quamvis ille homo sit in sui ipsius regimine minus providus, mundo, & mundi oblectamentis, ludis, conviviis addictus; tamen, quæ ministerii sacri sunt, quæ ad officium attinent, exacte implet, gregem pascit, & munia Confessarii, Parochi, Episcopi adamussim exequitur. Sophismata hæc sunt crassæ ignorantiæ, & cæcitatis paradoxa. *Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit?* inquit *Eccles. cap.* XIV. Quam veritatem optime illustrat S. Bernardus ad Brunonem Coloniensem epist. VIII. *Horreo, fateor (sic enim tibi, ut mihi, loqui debeo quod sentio) horreo, inquam, considerans, unde, & quo vocaris; præsertim cum nullum intercurrerit pænitentiæ tempus, per quod utcumque huiuscemodi periculosissimus transitus fiat: & quidem rectus ordo requirit ut prius propriam, deinde alienas studeas curare conscientias. Primus quippe pietatis gradus est, de quo scriptum est:* Miserere animæ tuæ placens Deo. *Ex hoc autem ad miserandum proximum, recto iam tramite caritas ordinata procedit: quippe quem ad sui quisque mensuram amare præcipitur. Quod si in hunc modum, quo te hactenus ipse amasti, & tibi committendos amaturus es, malo ego quidem tibi non committi, quam sic diligi. Si autem te prius diligere didicisses, & me forsitan scires amare.*

II. Hæc Christi caritas & probitas non modo ita fulgere in Confessario debet, ut a peccatis mortiferis abstineat, verum etiam ut affectum ad peccata venialia evellere studeat. Si enim pœnitentes suos per viam christianæ perfectionis ducat oportet; quomodo præstare id poterit, si ipse hanc viam ignoret? Quomodo dux belli ad repellendos hostes milites dirigere suos potest, si ipse præire nesciat?

Con-

Confessarius itaque quotidiano virtutum exercitio proficere in via Domini studeat, si defungi cum fructu suo ministerio velit. Egregie hoc argumentum illustrat S. Bernardus *ser.* XVIII. in Cantica. *Quod tuum est, spargis, & perdis, si priusquam infundaris tu totus, semiplenus festines effundere. Quamobrem, si sapis, concham te exhibebis, non canalem: hic siquidem pene simul recipit & refundit; illa vero, donec expleatur, expectat, & sic quod superabundat, sine suo damno communicat. Verum canales multos hodie habemus in Ecclesia, conchas vero perpaucas. Tantæ caritatis sunt, per quos nobis fluenta cælestia emanant, ut ante effundere, quam infundi velint, loqui, quam audire, paratiores, & prompti docere, quam non didicerunt, & aliis præesse gestientes, qui seipsos regere nesciunt. Ego nullum ad salutem gradum pietatis illius gradui anteponendum existimo, quem sapiens posuit dicens:* Miserere animæ tuæ placens Deo. *Quod si non habeo nisi parumper olei, quo ungar, putas tibi debeo dare, & remanere inanis? Servo illud mihi, & omnino, nisi ad Prophetæ iussionem, non profero. Si institerint rogitantes aliqui ex his qui forte existimant de me supra id quod vident in me, aut audiunt aliquid ex me, respondebitur eis:* Ne forte non sufficiat nobis, & vobis; ite potius ad vendentes, & emite vobis. *Et nihilominus caste imitans illum de cuius plenitudine omnes accepimus, disce & tu non nisi de pleno effundere: nec manat ille in rivum, nec in lacum extenditur, donec suis satietur aquis. Non pudeat concham non esse suo fonte profusiorem.* Quid, si non modo conchæ non essent, sed neque canales apti, & præparati ad dona Spiritus sancti suscipienda ministri Dei? Quid, si illi ipsi essent desideriorum carnalium, & humanarum appetitionum mancipia, gloriæ, dignitatum, & graduum cupidi? Sane nec conchæ, nec canales opportuni forent. Caritate ergo & probitate resplendeant Confessarii necessum est.

III. Si aliquo gravi scelere irretiti essent, priusquam in sacro tribunali conscientiarum arbitri sedeant, sacra exomologesi suam purgare conscientiam studeant: alioquin tot peccata committerent, quot pœnitentes absolverent iuxta graviorum Theologorum placitum. Si necessitas urgeat audiendi confessiones, & Confessarii copia non adsit, tunc conteri debent. Probabilistæ non pauci contendunt, sat esse contritionem, etiamsi confitendi opportunitas adsit. Modo difficillimam esse contritionem afferunt, modo facilem, prout conceptæ benignitati, qua præventi sunt, conducere iudicant.

IV. Requiritur insuper, Sacerdotem nulla esse censura innodatum. Valide utique absolvit excommunicatus, suspensus, interdictus, nisi sit nominatim denuntiatus, & notorius Clericorum percussor; ut definitum est cap. *Ad evitandum* in Concilio Constantiensi: gravissimum tamen crimen perpetrat qui censuris innodatus confessiones excipit, & pœnitentes absolvit.

Gg ij CA-

CAPUT IV.

De prudentia Confessarii. Regulae huiusce prudentiae exercendae.

I. SE ignorantes confitentur plures absque pudore; nemo vero se imprudentem recognoscit; immo quisque sibi dedecori verteret imprudentem haberi. Et tamen tum scientiae, tum artes omnes acquiri industria & diligentia ab omnibus fere plus vel minus valent; prudentia vero comparari minime potest, nisi singulari Dei providentia donatum ingenium sit huic virtuti comparandae opportunum aptumque, nisi ab ipsa natura mentem, ut vulgo etiam dicitur, *quadratam* sortitus homo sit. Heinc est, nullam mercem esse prudentia rariorem; & tamen, ut dixi, omnes istius thesauri ditissimos se iactant. Acute & opportune Seneca *epist.* LVI. scribit. *Si quis in theatro iuberet coriarios omnes surgere, illi soli surgerent: similiter si fabros ferrarios, textores, aut alios generatim: si vero prudentes, aut iustos iubeat surgere, omnes illico surgerent.* Quoniam omnes se prudentes, nemo se imprudentem reputat. Quamquam acquiri prudentia, nisi mentis & naturae fundus singularis insit, non possit; perficitur tamen plurimum experientia, diligentia, & studio. Prudentiae perficiendae necessaria est mens acuta, perspicax, & solida, quae futura praevideat; memoria tenax, quae praeterita eventa praesentia habeat, quorum recognitione, & comparatione de futuris deliberare queat. Plures docti esse possunt, & non raro sunt imprudentes; at nemo retuso ingenio prudens esse valet. Nihilosecius quo homines esse ignorantiores solent, eo se prudentiores existimant. Praerogativam scientiae plurimis cedunt; at prudentiae dotem sibi intrepide arrogant. Distinguenda duplex prudentia esset. Una negativa, qua praediti illi sunt qui nihil aggrediuntur, nihil moliuntur, & obmutescere solent, non pro temporum opportunitate, sed quia reipsa inepti sunt, & mente spirituque destituti. Hoc vitio isti carent, quod non sint loquaces; & propterea cuiusdam prudentiae speciem praeferre videntur. Si integrum de prudentia volumen conflarem, nihil lector proficeret, nisi esset talentis ad id necessariis, nempe acuto ingenio, naturae temperamento aequabili, animo moderato, affectuum dominio, aliisque dotibus, praeditus.

II. Prudentia Confessariis necessaria non tam industria comparanda est, quam a Deo infundenda. Pro ea igitur obtinenda inges preces, humilitatis cultus, caritatis officia requiruntur. Ab hac prudentia saepe poenitentium salus aeterna pendet. Qui duos hostes efficere amicos contendit, magna sit dexteritate praeditus necesse est. Si minus circumspectus sit, inimicitiam potius firmat quam benevolen-

lentiam fubftituat. Confeffarius pacificator eft peccatorum cum Deo . Si in hoc pacis negotio gerendo procurandoque minus cautus fit, nihil affequetur. Verbum unicum, aut plus iufto afperum, & extra tempus, aut elatiori voce prolatum, una oculorum revolutio, fuperciliorum contractio, geftus, motus, fufpirium intempeftivum, & fimilia confundere, deprimere, exafperare pœnitentem, altiffimum converfionis negotium deftruere, aut impedire queunt. Sed hæc infra magis enucleabo, & ad praxim redigam. Paucas nunc regulas affignabo.

III. REGULA PRIMA eft, ut Confeffarius, antequam Dei tribunal afcendat, omnes carnis, mundi, fpei, & timoris affectiones prorfus exuat, Dei armaturam, fortitudinis fpiritum, & redundantis mifericordiæ evangelicæ, non humanæ, ornamentum induat, cum fuper throno non folum iræ, fed clementiæ & vindictæ fimul federe arbiter debeat. Evangelicæ doctrinæ fpiritum, & medullam in mentem revocet. Evangelicas trutinas, non fallaces probabilitatis ftateras, in manibus firmas teneat. Illud melius iudicet quod propius ad incorruptam Evangelii fanctimoniam accedit; illudque peius quod longius ab evangelica veritate abeft. Id altius recogitet, eo fine fe illuc conferre, ut peccatores in gratiam & amicitiam Dei reftituat, efficiatque conformes imagini Filii fui.

IV. REGULA SECUNDA. Confeffarius in primis exploret indolem, & qualitates pœnitentis, & pro temperamenti diverfitate alliciat, incitet, animet ad nudandam confcientiam, intimiorefque receffus, & occultiora vulnera aperienda, omniaque manifeftanda Dei vices gerenti. Si pudorem, & quamdam repugnantiam deprehenderit, folertia, dexteritate, & manfuetudine erigat, adiuvet, animos adiiciat. Cum ad fextum decalogi mandatum ventum fuerit, linguam optime inftructam adhibeat: verbis utatur quæ caftimoniam oleant: caveat fummopere ne ignoratorum criminum notitiam inducat, aut quid curiofius interroget. In hoc negotio ftudeat fummopere brevitati: in id incumbat, ut emolliat cor pœnitentis, & pus, faniefque fponte fua effluet, & continuo brevique manu vulnera claudet, ne aures & mentem tum loquentis, tum audientis inquinent. Temperabit, aut continuabit interrogationes fuas, prout prudentia fuggefferit.

V. REGULA TERTIA. Dolorem expendat pœnitentis, videatque, fit ne conceptus ex amore Dei fuper omnia. Si viderit pœnitentes hoc amore carere, ad eum illos incitet, ac inflammet. His immenfa Dei beneficia, & in primis mortem illam crudeliffimam quam Iefus Chriftus pro nobis oppetiit, illis inferorum fupplicia, extremi iudicii terrorem proponat: varia variis adhibeat incitamenta, ftimulis diverfis urgeat pro pœnitentium diverfitate. Alios terreat, alios animet. Incipiat, natura ipfa duce, ab imperfectioribus actibus, a timore fuppliciorum afcendat ad fpem; at non intercipiat iter, donec ad caritatem tandem pervenerit. Quod in peccatoris converfione locum habere duæ folæ theologicæ virtutes,

 fides,

fides, & spes, secus caritas, debeant; res est quæ Scripturis sanctis omnino adversa mihi videtur. Peccator per unum, per duos, per quatuor annos Deum non amavit. Prima illius peccata omissionis sunt, non amasse Deum: positiva crimina sunt Deum odisse eiusdem mandata conculcando: & peccator iste in Dei amicitiam redire debet, quin Deum ex toto corde, & super omnia amet? An tot omissionum pœnitere peccator sincere potest, nisi primum omnium Deum amare incipiat? Per accidens hoc se habet, inquient Casuistæ Attritionarii, ad sacramentum pœnitentiæ rite suscipiendum. Verum, missis his disputationibus, eo industriam omnem suam Confessarius dirigat, ut hanc sinceram peccatoris conversionem perspectam, quoad fieri potest, habeat. Hanc vero vivam pœnitentiæ plantam ex fructibus cognoscet. Instruet pœnitentes suos, veram conversionem sitam haud esse vel in pectoris tunsionibus, vel in criminum narratione, vanisque pollicitationibus Sacerdoti factis. Nam & Pharisæi, & Sadducæi sanctitatem præferentes ad baptismum Ioannis suscipiendum accedebant; at fructus pœnitentiæ dignos non edebant. Sed de hoc iterum sermo redibit.

VI. Duas recensitas regulas confirmo auctoritate S. Thomæ, qui in *IV. dist.* XIX. in Magistri textum hæc scribit. *Sacerdos debet perscrutari conscientiam peccatoris in confessione, quasi medicus vulnus, & iudex causam: quia frequenter quæ præ confusione confitens taceret, interrogatus revelat. Sed tamen in interrogationibus faciendis tria sunt attendenda. Primo, ut quilibet peccator interrogetur de peccatis quæ consueverunt in hominibus illius conditionis abundare: non enim oportet quod a milite quæratur de peccato Clericorum, aut Religiosorum, & e converso. Secundo, ut non fiat explicita interrogatio de peccatis, nisi de illis quæ omnibus manifesta sunt: de aliis autem adinventionibus peccatorum, ita debet a longinquo fieri interrogatio, ut, si commisit, dicat, si non commisit, non addiscat. Tertio, ut de peccatis præcipue carnalibus non descendat nimis ad particulares circumstantias: quia huiusmodi delectabilia, quanto magis in speciali considerantur, magis concupiscentiam nata sunt movere. Et ideo potest contingere ut Confessor talia quærens & sibi, & confitenti noceat; & sic quandoque deficiant in suo scrutinio scrutantes iniquitates.*

VII. Similia docet S. Carolus Borromæus in instructionibus de sacramento pœnitentiæ. *Prudens cautusque erit in interrogationibus, ne rudibus præsertim, atque utriusque sexus iunioribus ad novum & numquam antea attentatum scelus occasionem aperiat, atque det: hi tamen de peccatis, quorum nullam in confessione mentionem fecerunt, & in quibus probabiliter existimari possunt deliquisse, prudenti cautione interrogandi erunt, ne aut pudore, aut ignorantia celent peccata.*

VIII. REGULA QUARTA. Prudentia Confessarii in hoc maxime elucere debet, quod patientia vere christiana, & mansuetudine evangelica suscipiat, audiat, tractetque pœnitentes suos. Confessariis potissimum quadrat dictum Apostoli: *Patien-*

tientia vobis necessaria est. Si pœnitentes deprehendant ex gestu, verbo, motu, vultusque mutatione, tædio & fastidio affectum Confessarium, animos despondent, linguæ eorum steriles fiunt, & vix audent confessionem persequi; præsertim si crimina enormia, & nefanda sint. Ita ergo Sacerdos præsentiam personæ suæ componat, ut gravitas & lenitas, ut patientia & caritas, ut iustitia & clementia simul confœderatæ resplendeant. Hinc consequetur ut pœnitentes, Confessarium ita compositum spectantes, venerationem & confidentiam, reverentiam & fiduciam concipiant. *Confessiones æquo animo* (inquit S. Carolus in instruct. Confess.) *audiant, nec pœnitentes inconfessos dimittant ex labore, quem fugiunt; nec ægre eos audire quoquomodo significent: sed e contra efficiant ut pœnitentibus innotescat, sibi gratissimos esse pro eorum salute labores.*

IX. Has dotes ut assequatur Confessarius, iugi, ferventique oratione implorare a Deo illas debet, quemadmodum se fecisse S. Ambrosius *Lib. II. de pœnit. cap.* VIII. testatur. *Sum*, inquit, *minimus omnium Episcoporum, & infimus merito. Tamen quia ego & laborem aliquem pro sancta Ecclesia tua suscepi, hunc fructum tuere; ne quem perditum vocasti ad Sacerdotium, eum Sacerdotem perire patiaris: ac primum, ut condolere norim peccatoribus affectu intimo. Hæc enim summa virtus, quia scriptum est*: Et non gaudebis super filiis Iuda in die perditionis eorum. *Sed quotiescumque peccatum alicuius lapsi exponitur, compatiar: nec superbe increpem; sed lugeam, & defleam: ut dum alium fleo, me ipsum defleam dicens*: Iustificata est magis Thamar quam ego. *Fortasse adolescentula lapsa sit occasionibus, quæ delictorum fomites sunt, decepta, ac præcipitata sit: peccamus & seniores. Repugnat in nobis lex huius carnis legi mentis nostræ, & captivos nos trahit in peccata, ut faciamus quod nolumus. Illi de ætate suppetit excusatio, mihi iam nulla: illa enim debet discere, nos docere. Ergo* iustificata est magis Thamar quam ego. *Incusamus alicuius avaritiam: recordemur, si nihil ipsi avare fecimus. Et si fecimus . . . dicamus singulis*: Iustificata est magis Thamar quam ego. *Si commoti fuerimus in quemquam graviter, leviorem causam laicus habet quam Episcopus, eo quod commotus egerit aliquid: retractemus nobiscum, & dicamus: Iustificatus magis iste, qui vi commotionis agitur, quam ego.*

X. REGULA QUINTA. Cum benignitatis oleo, ne peccator desperet, coniungat prudens minister severitatis acetum, ne plaga tabescens periculosior fiat. Postquam patientia, & mansuetudine peccata audivit, & salubria monita dedit, imponat satisfactionis pœnam, applicet curandis vulneribus remedia, & pharmaca efficacia, & consentanea statui, ætati, valetudini, criminumque gravitati, passionum furori, aliisque circumstantiis plus & minus, prout evangelica suggesserit prudentia. Si pœnitentes difficiles se præbent iugo satisfactionis subeundo a se prudenter imposito, dubitandi fundamentum adest de eorum dispositione, nisi

evidentes rationes allegent. Communiter ad veras, prudentesque satisfactiones pœnitentes obstupescunt, easque recipere variis prætextibus recusant, quod ob similia crimina ab aliis Confessariis minus peritis leves acceperint. Animo tuo hoc hæreat altius infixum: Confessarii plurimi deficiunt, utinam & non delinquant in nimia satisfactionum benignitate: pauci, & raro ætate nostra ob excessum peccant. Plura de satisfactione agens adduxi SS. Patrum testimonia. Unum & alterum nunc transcribo.

XI. S. Cyprianus *epist.* lv. hanc benignitatis, & iustæ vindictæ societatem fuse describit, & *Lib. de lapsis* hæc inter plura alia habet. *Si iudicium nostrum voluerint experiri, veniant. Denique si qua illis excusatio, & defensio potest esse, videamus quem habeant satisfactionis suæ sensum, quem afferunt patientiæ fructum. Nec Ecclesia isthic alicui clauditur, nec Episcopus alicui denegatur. Patientia, & facilitas, & humanitas nostra venientibus præsto est. Opto omnes in Ecclesiam regredi: opto universos commilitones nostros intra Christi castra, & Dei patris domicilia concludi. Remitto omnia, multa dissimulo studio, & voto colligendæ fraternitatis, etiam quæ in Deum commissa sunt, non pleno iudicio religionis examino, delictis plusquam oportet remittendis pene ipse delinquo. Amplector prompta, & plena devotione cum pœnitentia revertentes, peccatum suum, satisfactione humili & simplici confitentes.* Quod Cyprianus de se timebat, puto vix esse Confessarium, qui solidius formidare & exclamare non debeat: *Delictis plusquam oportet remittendis pene ipse delinquo.* Si enim S. Martyr, tanta divinæ lucis copia perfusus, quique tanta severitate, iuxta illius temporis disciplinam delicta puniebat, nimiæ indulgentiæ & laxitatis crimen reformidabat; quantum verendum nobis est, qui vix centesimam pœnæ partem imponimus pro iisdem criminibus? Numquid nos Cypriano doctiores? Numquid nos fulgentiore lumine illustrati? Sed audiamus ipsum Clerum Romanum, qui *epist.* xxxi. ad Cyprianum hæc scribit. *Absit ab Ecclesia Romana rigorem suum tam profana facilitate dimittere, & nervos severitatis eversæ fidei maiestate dissolvere; ut cum adhuc non tantum iaceant, sed & cadant eversorum fratrum ruinæ, properata nimis remedia communionum, utique non profutura, præstentur, & nova per misericordiam falsam vulnera veteribus trangressionis vulneribus imprimantur, ut miseris ad conversionem maiorem eripiatur & pœnitentia.* Hæc & alia plurima, quæ infra referam, si animo a præiudiciis vacuo meditatus fuisset P. Francolinus, forte non ita intrepide vociferatus fuisset: *Cave a Rigorismo: cave a Rigoristis.* Nam, ut alias dictum, & dicendum sæpius est, passim in Scripturis, passim in Patribus, in Conciliis omnibus e contrario exclamatur. *Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & cervicalia &c. Væ Prophetis insipientibus, qui dicunt, Pax pax, & non est pax. Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt. Propter pugillum hordei, & fragmen panis vivificarunt animas quæ non vivunt.* Hæc, &

& sexcenta similia occurrunt in Scripturis divinis. Eodem zelo detonant Patres cuiusque ætatis. *Pulvillos quippe sub omni cubito manus ponere* (inquit S. Gregorius II. Part. Pastor. cap. IX.) *est blanda adulatione refovere. Quasi enim pulvillo cubitus, vel cervicalibus caput iacentis excipitur, eum correptionis duritia peccanti subtrahitur, eique mollities favoris adhibetur, ut in errore molliter iaceat, quem nulla asperitas contradictionis pulsat.*

XII. REGULA SEXTA. Confessarius pœnitentium familiaritatem declinet. Munera ab iisdem absolute non recipiat.

Munera, crede mihi, placant hominesque, deosque.

Sed, missis ethnicis Poetis, Spiritus sanctus *Deut. cap.* XVI. inquit: *Non accipies personam, nec munera: quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum.* Ut diximus sub initium, Confessarius personam Dei, & iurisdictionem, atque potestatem Dei exercet, dum peccata remittit. Nihil ergo in hoc sacro ministerio sive ante, sive post agere debet, quod illud humanum, & mundi illecebris inquinatum efficiat.

XIII. REGULA SEPTIMA. Prudentia Confessarii summopere elucere debet in feminarum confessione. Eva suis blanditiis Adamum seduxit. Ad mulieres audiendas obarmet se Confessarius, & divinis præsidiis se muniat, ac si serpentis sibilos excipere deberet. Alitus, vox, suspiria, lacrymæ ipsæ feminarum veneficia & præstigia sunt, quæ magnetica quadam vi cor humanum inficiunt. Tractet Confessarius mulieres ea cautione & circumspectione qua illas tractaret, si peste, si lue immanissima infectæ forent. Recordetur, plures in ipso tribunali ex iudicibus reos æternæ mortis evasisse, & periisse. Nullam cum iisdem familiaritatem ineat: quia spiritu incipere, & in carnem desinere solet. Illa intima communicatio, & totius interioris animi manifestatio, qua feminæ Confessario vulnera sua exponunt, superat illam quæ cum maritis ipsis intercedit. Nisi tota in Deum ordinata sit, si quidquam humani immisceatur, omnia in corruptionem recident. Numquam Confessarius, infirmitatis caussa excepta, illarum domos adeat, numquam & numquam, inquam, cum iisdem colloquia familiaria misceat, nisi de iis quæ ad animæ salutem necessaria sunt. In tribunali nec verbum de rebus quæ ad æternæ salutis negotium non attinent, habeatur. Gravitatem semper cum mulieribus præferat Confessarius, munuscula ab eisdem non accipiat. Numquam illas audiat, nisi precibus munitus, & Dei præsentia obarmatus. Sermones semper breves sint. Praxis, inquies, & fere universalis contraria est. Non me latet. At non me latent etiam plura absurda. Consule tibi, & numquam severioris supercilii cum feminis adhibiti te pœnitebit; familiaritatis vero pœnas dabis. Illud altius animo tuo insculptum hæreat. *Melior est iniquitas viri quam mulier benefaciens:* Eccli. XXXII. Mulierculαrum linguæ, laquei sunt, quibus dæmon ani-

animas cupit, & irretit, & non raro iugulat. Sis æneus, & ferreus: tenella mulierculæ verba te emollient. Sis pulvere aridior, sint casti pœnitentis tuæ, & aqua simpliciores mores; familiaria tamen cum illa colloquia lutum conflabunt. Lugubria historiarum monumenta lapsus gravium etiam virorum ex mulierum necessitudine spiritualis regiminis fuco tecta perhibent. Heinc Patres clamant: *Brevis & rigidus cum mulieribus sermo est habendus*. Factæ sunt mulieres propter virum; idcirco illius societate magnopere, & alloquiis gaudent: & quæ in mundo homine carent, illum in sacro templo reperire student. Mulieres devotæ Confessarios suos ardentiori dilectione prosequi solent quam uxores maritos. Heinc illæ placendi Confessariis sollicitudines & zelotypiæ, ne aliæ apud ipsos favore & gratia magis præstent. Heinc in Confessariis non paucis tam heroica pseudopatientia in audiendis illarum longissimis sermonibus, seu verius confabulationibus. Tempore quo Confessarius unius devotæ femellæ confessionem audit, viginti viros sanctificaret. Et tamen numquam illa contenta, semper conqueritur, te ab illa alieno esse animo; propterea tuis commodis, & honori inservit, ut existimari a te mereatur. Animæ revera christianæ in suis tentationibus, molestiis, & afflictionibus, orationis scutum sumentes ad Deum confugiunt, a quo lumen, & opem efflagitant: ab eo sperant propriarum infirmitatum levamen, tentationum victoriam, & perseverantiæ gratiam. Mulierculæ devotæ omnem suam fiduciam collocant in colloquiis cum Confessario. Millies eadem repetunt, quæ audiri, nisi aliquis intimus affectus, eo potentior, quo occultior, & pietatis larva contectus, molestiam devinceret, minime possent. Quo frequentiora sunt alloquia, eo reciprocæ dilectionis flamma ardentior erumpit, firmatur mutua adhæsio, roboratur necessitudo, & verus caritatis spiritus in dies languet. Carne enim & spiritu invicem belligerantibus, numquam pars altera vincit, quin altera succumbat, & debilitetur. Vitia ipsa sibi perenne bellum gerunt. Abstinent a vanis solatiis, a mundi oblectamentis & præstigiis mulieres devotæ, quia affectus & adhæsio ad Confessarium est vitium dominans, atque triumphans. Plura dicenda forent, nisi graviora instarent. Cum prudens Confessarius hanc ægritudinem deprehendit (& facillime deprehendere illam valet) continuo ad alium Confessarium devotam pœnitentem, quam sibi valde adhærescentem cognoscit, remittat. Nisi hoc uti separationis remedio velit, summopere verendum est ne & Confessario, & pœnitenti ea eveniant quæ parere utriusque sexus familiaritas consuescit.

CA-

CAPUT V.

De scientia Confessarii. Nonnulla P. La-Croix, Gobat, *& aliorum axiomata, tamquam evangelicæ simplicitati contraria, refelluntur.*

I. A Qua mihi hæret, & vix, unde orsa capere in negotio non minus implicato quam gravissimo debeam, lumen affulget. Confessarius iudex sedere debet, ut crimina contra legem Dei patrata iudicet, vindicetque. Exacta ergo plus minusve, & quantum humanæ ferunt vires, legis istius scientia necessaria illi est. Ubinam lex ista? In Scripturis sanctis, in Evangelio, in apostolicis libris? Libros ergo istos diurna nocturnaque manu versare Confessarius, & doctrinæ capita in iisdem contenta, quæ mandata legis continent, callere astringitur, antequam iudex sedeat ad sententiam in istius legis transgressores pronuntiandam. Obvia hæc sunt. Quilibet artifex artis suæ regulas habere perspectas debet. Nemo in bello dux præficitur, nisi qui rei militaris gnarus fuerit. Neque hæc maiori explicatione egent.

II. Attente legi præcipuos Moralistas, qui præ ceteris hodie sunt in Confessariorum manibus, Lugo, Salmanticenses, Leandrum, Sporer, Viva, La-Croix, & alios, qui omnes de Confessarii scientia disputant. Istorum nemo ad legem in sacris codicibus addiscendam, ad Patres, ad Concilia te mittit. Omnes adfirmant requiri in Confessario scientiam, qua discernere sciat inter peccata mortalia & venialia in his quæ communiter occurrunt, inquiunt Salmanticenses *tract.* VI. *cap.* XII. *punct. num.* 4. & citant Lugo, Granadum, Dicastillum, Antonium a Spiritu sancto, & alios similes. Similia docent Sporer, Viva, Leander, Bonacina, & communiter Casuistæ.

III. P. Claudius La-Croix, qui præ ceteris omnium Casuistarum opiniones collegit, *Lib. VI. part.* II. *num.* 1788. hæc scribit. „Putant *Lamas*, & *Stoz* ad hoc „munus (Confessarii) satis DOCTOS esse illos qui integram SUMMAM CA„SUUM diligenter *legerint*, vel attente AUDIERINT *explicari*. Quod si quis de „seipso dubitet, sistat se examinatoribus ab Episcopo, vel Superiore constitutis: „qui si eum satis scire iudicent, potest acquiescere, & cum fiducia in Deum ag„gredi functionem, quamvis omnium maximam, & gravissimam. *Stoz*, *Sporer*."

IV. Quis legere hæc potest, quin commoveatur? Sat ergo erit legere *Summam Lamas*, quæ laxarum opinionum compendium est, vel eiusdem explicationem attente audire? Axioma adeo laxum est, ut, cum vel ipsis lectoribus admirationem ingesturum prævideret P. La-Croix, idcirco subdiderit: *Si quis de se ipso dubitet*, *sistat*

sistat se examinatoribus &c. Et si approbatus fuerit, ascendat tribunal Dei, aggrediatur opus omnium maximum. At plurimæ casuum Summæ non verbum Dei, ad cuius amussim ferre iudicium debet Confessarius, sed hominum opiniones, & quidem non paucas laxissimas, & scandali plenas continent: quamobrem eam Sanctorum scientiam non exhibent, quæ satis sit ad tantum ministerium rite recteque exercendum.

V. Pergit idem *P. Claudius La-Croix* instruere Confessarium in scientia comparanda pro audiendis confessionibus: & hanc regulam subiicit ibidem *num.* 1791. *pag.* 284.

VI. *Recte notat* GOBAT tract. VII. num. 321. *Confessarium debere scire SENTENTIAS PLURES, quæ vere probabiles sunt, circa materias morales, eo quod sæpe, ubi non agitur de valore sacramenti, non possit, nec expediat pœnitentes dirigere SECUNDUM UNICAM DOCTRINAM; tam parum, quam medicus possit omnes unica medicina sanare; sed pro diversitate subiecti, & circumstantiarum debet has aut illas applicare; attamen observare debet hoc quod dixi num.* 1737. Hoc ultimo loco, ad quem te remittit P. La-Croix, luculentius explicat, se non de varietate remediorum, sed de diversitate sententiarum loqui, ut mox clarius patefaciam. Mirificam nunc regulam expendamus. Crumenam ergo plurium sententiarum plenam habere Confessarius debet, & pro diversitate pœnitentium illas expendere. Non expedit pœnitentes dirigere secundum *unicam doctrinam?* Non unica ergo lex Dei, non unica doctrina Christi, non unicum Evangelium, non una fides, non unum baptisma? Siste gradum, & meditare quæ scribit P. Gobat *tract.* VII. *num.* 321. „ Plurimum iuvat ad prudenter administrandum hoc „ sacramentum habere in recenti memoria, & usu quasdam regulas, documen- „ ta, seu APHORISMOS, sparsa hinc inde per libros sapientissimorum Theolo- „ gorum. " Quinam isti sapientissimi Theologi? Caramuel, Diana, Leander, Sanchez, Burgaber, Tamburinus, Escobar, Bonacina.

VII. Sed audiamus unum ex aphorismis quem P. Gobat *ibidem num.* 325. assignat. „ Quandoquidem in Clypeo clem. iudicum ostendemus, esse moraliter fe- „ re certum, per se loquendo, licere utramlibet ex duabus opinionibus vere & „ practice probabilibus sequi; & tamen certum est etiam quandoque ratione va- „ riarum circumstantiarum incumbere Confessario obligationem una potius quam „ altera utendi: *idcirco notent Confessarii* verissimam doctrinam P. Lessii, quam „ tradit in præf. sui oper. de iur. & iust. *scilicet contrariarum opinionum practice* „ *probabilium cognitionem esse* COMMODISSIMAM, & *fere necessariam conscientiæ* „ *foro*. Quare non censeo illos Confessarios sat bene suo officio fungi posse qui „ sunt, ut dici solet, tantum unius sententiæ doctores. "

VIII. Duo hic docet P. Gobat, alterum verum, alterum falsum. Verum dicit,

cit, dum ait, crumenam *contrariarum opinionum practice probabilium* plenam, esse COMMODISSIMAM. Quid enim commodius quam abundare variis monetis, seu opinionibus, & quidem *contrariis*, & iuxta personarum ac temporum circumstantias varias, modo unam, modo alteram expendere, prout commodius cadit?

IX. Alterum falsum est, nempe quod Confessarii qui reiecta hac *contrariarum opinionum* praxi, utuntur unica doctrina evangelica, vel quam iudicant Evangelio propinquiorem, non sat bene fungantur officio suo. Quid? An Christus Dominus severissime non præcepit sermonis simplicitatem: *est, est; non, non?* An Paulus cum ceteris Evangelistis, & Apostolis non præcipit ut idipsum sapiamus omnes? An Christus Dominus hanc opinionum prælia cavenda non iubet Matth. xxiv. *Videte ne quis vos seducat .... Audituri enim estis prælia, & opiniones præliorum. Videte ne turbemini. Oportet enim hæc fieri, sed nondum est finis.* Non ergo nobis opponant, quod reipsa obtinet hæc contrariarum opinionum praxis plurium Doctorum auctoritate firmata. *Oportet enim hæc fieri.* Verum sancta Romana Sedes suos fideles voce Alexandri VII. a periculo præservat, improbans *summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescentem, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus MODUS opinandi irrepsit alienus omnino ab evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum doctrina, & quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset christianæ vitæ corruptela.*

X. Ea profundiori humilitate qua valeo, peto, an modus opinandi quem proponunt La-Croix, & Gobat, non sit ille ipse quem Alexander VII. execratur? Nam Confessarius *contrarias doctrinas* adhibere debet in ipsa sacramenti pœnitentiæ administratione. Et Confessarii qui hac opinionum contrarietate non utuntur, inepti sunt officio suo, iuxta P. Gobat, & La-Croix. Ergo omnes Apostoli; omnes Patres, omnes Sancti qui hanc *contrariarum opinionum praxim* secuti non sunt, immo eam penitus ignorarunt, *non sat bene functi sunt officio suo?* Ante hunc novum opinandi modum, omnium corruptelarum fontem, omnes sapientes cæcutiere? Sed ultra pergamus.

XI. Alius *aphorismus* quem ibidem exhibet P. Gobat, est huiusmodi. Quando Confessarius videt pœnitentem, *salutis suæ admodum studiosum, valdeque cupidum perfecte adimplendi vel in omnibus rebus, vel in certis quibusdam voluntatem divinam, communiter consultum est ut hic cum tali procedat secundum doctrinas tutiores, adeoque rigidiores: censetur enim ita tacite velle eiusmodi pœnitens. Et quidni huic optimæ opinioni laudabilissimæque voluntati acquiescat Confessarius?* Scelestissimus esset Confessarius, ni acquiesceret huic laudabilissimo aphorismo, quo Christianos revera iustos & probos sibi conciliat. At istæ doctrinæ tutiores, & rigidiores sunt ne veræ? Immo verissimæ. Recte & bene.

XII.

XII. Tertius aphorismus quem *ibidem num. 326.* porrigit Confessario P. Gobat ; eiusmodi est. „ Ita etiam propter eamdem omnino rationem mitigandæ sunt „ aut potius deserendæ opiniones severæ , quando ita expedit ad salutem pœni- „ tentis. Et sicut idem Coninch num. 73. monet Confessarium numquam debere „ talem pœnitentiam iniungere quam credat pœnitentem non esse perfecturum ; „ *ita nec Confessarius debet pœnitenti aliquam e probabilibus sententiis tamquam* „ *necessario sequendam proponere , si videat illum eam repudiaturum* . Quare du- „ bitandum non est quin Confessarius in lege caritatis possit quandoque impin- „ gere, dum *Catonianam* severitatem imitatur, insuper habita lenitate *Cæsariana*; „ ut si præfracte neget absolutionem reo confesso , cum impertiri possit ex OPI- „ NIONE PROBABILI. " Primum hæc doctrina absolute prolata P. Gobat damnata certo est ab Ecclesia ; sed excusandus Auctor est , ad hoc quod attinet , quia ante damnationem scripsit . Ideo P. La-Croix , qui post damnationem scripsit, adiecit particulam, *ubi non agitur de valore sacramentorum* . Addit quoque La-Croix *loc. cit.* cum eodem Gobat . *Medicus non potest omnes unica medicina sanare ; sed pro diversitate subiecti & circumstantiarum debet has aut illas applicare* . Duo omnino diversa confundunt hi Auctores . Remedia applicanda pro pœnitentium diversitate confunduntur cum diversitate sententiarum , quæ agunt de honestate vel malitia actionum . Unica Christi doctrina , ut ex Tridentino Concilio explicatum est, præscribit, ut pro pœnitentium facultate , statu , ætate, infirmitate &c. applicentur diversa remedia . Nemo de hoc ambigit , perperamque obtruduntur ad incrustandam falsam, &, ut mitissime loquar , offendiculi plenam assignatam regulam de pluralitate doctrinarum de eiusdem actionis malitia & honestate . Spiritus ergo doctrinæ P. Gobat , & P. La-Croix est , ut Confessarius habeat *plures sententias, & non unicam doctrinam* circa idem omnino testamentum, circa eumdem omnino contractum , circa eamdem omnino actionem bonam , vel malam . Ne vero cavillari de more adversarii possint, me integre laxas opiniones Casuistarum non recensere , adverto P. La-Croix remittere Lectorem ad ea quæ *loc. cit.* docet *num.* 1737. Hic autem docet, Confessarium debere sequi opiniones illas quæ sunt pro valore sacramenti , deinde quæ sunt pro maiore utilitate pœnitentis : utiliores autem iudicant Probabilistæ quæ sunt benigniores . *Præterea* , inquit, *si possit , debet sequi tutiores : nam sine iusta causa velle se , aut pœnitentem exponere periculo erroris quamtumvis materialis , est imprudentia . Unde, si pœnitens ostendat se paratum ad sequendum id quod est probabilius , vel tutius , tenetur Confessarius per se loquendo eum dirigere secundum opiniones probabiliores, & tutiores . Quomodo autem Confessarius possit aut debeat* SE ACCOMMODARE OPINIONI POENITENTIS , *dixi Lib. I. art. 2.* 443. Ibi autem docet, posse, & teneri Confessarium se accommodare opinioni pœnitentis etiam

etiam minus probabili, & contrariæ opinioni Confessarii probabiliori. Idem docet Gobat, & clarius.

XIII. Hæc omnia proferre debui, ne consuetam imposturam obtrudere quisquam audeat, me minus sincere transcribere opiniones laxas. Habes nunc pleno in lumine expositum spiritum Probabilismi. Confessarius, antequam ingrediatur *confessionale*, legat Dianam, Lamas, Stoz, La-Lroix, Gobat, ubi super eadem omnino actione inveniet plures sententias contrarias, probabiliores, & minus probabiles, alias faventes legi Dei, alias faventes libertati, & cupiditati pœnitentis. Si pœnitentes voluerint sequi probabiliores, & tutiores, Confessarius tenebitur secundum easdem dirigere pœnitentes. Papæ! Hoc unum deesset malorum, quod etiamsi pœnitentes vellent sequi quod probabilius & tutius est, Confessarii ab hac via securiori eosdem detruderent. Nemo hactenus id docere ausus est. Dicit tamen P. La-Croix, quod *per se loquendo* ad id Confessarius tenetur. Unde consequitur quod *per accidens* in aliquo casu possit Confessarius abducere pœnitentes, volentes sequi opiniones probabiliores & securiores, ne easdem sequantur. Si postea pœnitentes velint calcare viam blandiorem, & latiorem, tum Confessarius, reiecta *Catoniana severitate*, inquit P. Gobat, adhibeat opiniones mitiores, minusque probabiles, genio pœnitentium accommodatas, dummodo sint practice probabiles. Ut autem sint vere & practice probabiles, sat est ut doceantur a pluribus, seu a sex, vel octo Casuistis. Quare merito notat Gobat debere Confessarium, in armariolo mentis suæ habere plures sententias contrarias, quia non potest dirigere pœnitentes secundum *unicam doctrinam*. Hæc doctrina Gobat, & La-Croix, est totus spiritus Probabilismi. Quid, si Confessarius esset curtæ memoriæ, non capientis plures sententias? Tunc iuxta P. Thomam Sanchez, aliosque Probabilistas, pœnitens circumeat civitatem, donec inveniat Confessarium vastæ memoriæ, qui habeat opinionem vere probabilem sibi faventem, quæ defendatur a Lamas, Stoz, Gormaz, Leandro, Diana, Caramuele, Tamburino: sat enim est, ut propugnetur a sex, vel ab uno doctissimo. Si pœnitentes velint per arctam Christi viam ambulare, per hanc eos dirigat Confessarius. Si oppositam blandiorem latioremque calcare velint, huic se se accommodet Confessarius, dummodo fax minoris probabilitatis præcedat. Sileo plura, ne Casuistæ me tamquam declamatorem redarguant. Hæc omnia pio cordatoque lectori christiano meditanda relinquo.

XIV. Lubet huic rei finem imponere verbis sapientis Iesuitæ P. Michaelis Elizalde, qui *Lib. VI. part.* II. *quæst.* XIX. *§.* 2. sic clamat. *Numquam mirari certe satis possumus horum hominum inconsiderationem: qui hinc quidem clamant, veritatem inveniri non posse, nosque ideo lacerant, quia ad veritatem ipsam legum obligamus, eamque unicam conscientiæ regulam constituimus; aliunde vero ad omnia*

tam

tam obvios; inventuque faciles habent sapientes, & prudentes, ad quos singulos nos remittant, cum vel pueris a principio Logicæ notum sit, sapientem sine cognitione veritatis non constare. Quare vel noscunt homines nunc aliquos qui in omnibus, vel plerisque saltem quæstionibus moralibus veritatem revera ipsam legum nostrarum norint, vel nullas similes agnoscunt. Si secundum, plane nugantur, dum ad sapientes nos mittunt, ipsis primum, & a fortiori nobis, & idiotis ignotos: & quod dicunt de veritate, hoc idem de sapientibus constituere deberent, eos scilicet latere, nec inveniri posse. Sin vero homines aliquos norunt qui in omnibus, vel plerisque quæstionibus moralibus veritatem ipsam directam legum norint, profecto ineptiunt, dum aiunt veritatem vel semper, vel saltem plerumque inveniri non posse; & nos carpunt, quia ad eam obligamus: quia eundo ad hos sibi tam notos, & obvios homines veritas invenitur. Quis, oro te, eo usque desipiat, ut dicat, vinum inveniri non posse, venditores vero vini posse; divitias inveniri non posse, divites vero esse obvios, & patentes? At non minus, opinor, fatuum est, sapientes ponere, vel vocare, qui cognitione veritatis ipsius careant, quam qui divitiis careant, divites ponere, vel vocare . . .

Itaque modi prædicti exponendi scientiam Confessariorum, & Doctorum sunt insufficientissimi . . . . Deinde hi modi opinandi de communi modo, de humano modo &c. humanum sapiunt; & is finis esse videtur, ut approbetur, & salvetur quidquid omnino, vel a plerisque communiter fit: quod aliud non est quam per consuetum tamquam per regulam docere, & philosophari contra scitum. Non dixit, Ego sum; *sed* ego sum veritas. *Et iuxta illud Cypriani:* Consensere iura peccatis, & cœpit esse licitum quod publicum est. *Item iuxta illud sæpe usurpatum Augustini:* An hoc omnes non faciunt? Et quis non facit? *&c. Quasi dicas in præsenti: An omnes hoc modo confessiones non audiunt, & casus non resolvunt? Et quis non facit?*

XV. Robusta, & urgens, atque sensibus accommodata doctissimi Iesuitæ argumentatio est. Dicunt Probabilistæ, veritatem, atque adeo Deum, qui veritas est, inveniri non posse. Deinde nos ad Stoz, ad Gormaz, ad Dianam, ceterosque Casuistas omnibus obvios, inventuque faciles remittunt. Sunt ne isti Doctores veritatis? Ais? AEque ergo facile veritas invenitur, ac veritatis Doctores. Inficiaris? Inveniuntur ergo Doctores sapientes sine veritate, divites sine divitiis, venditores vini sine vino, venditores auri absque auro? Sed iterum loquatur Cl. Iesuita Elizalde, qui sic ibidem persequitur.

XVI. „ Profecto modi illi philosophandi, declarandique *Confessariorum*, & *Doctorum* sufficientiam usurpari eodem pacto potuerunt Prophetarum, & Salvatoris tempore pro sufficientia Doctorum illorum, tamque durum, & odiosum tunc fuisset plerosque illos magistros insufficientes dicere, quam modo. Cum

„ rur-

„ rursus iuxta Apostolum plurimi adulterarent verbum Dei, communis, & humanus modus tum videri potuisset, quod hi plurimi faciebant. Et si modo adessent, ne eorum tantam multitudinem insufficientem diceremus, & ad odium concitaremus, is communis modus, & plurimum probandus veniret. Idem divinissimus Apostolus coacervatos etiam magistros morum, & confusam multitudinem fore prædixit. Dicis causa fingamus, tempus illud advenisse. His sane viis de communi modo, de humano modo, & similibus eorum sufficientia probari deberet: et si quis Timotheus contradiceret, & præterea etiam increparet, omnis ei doctrina, & patientia esset necessaria. Nam omnes hos coacervatos magistros, eorumque auscultatores, qui erunt plerique, ut supra diximus, *haberet sibi valde infensos, & superbus ipse, ac intolerabilis videretur. Patet ergo ex his, & aliis obviis modis dictis taxandi sufficientiam Confessariorum, & Doctorum esse nimis humanos, & qui temporibus etiam periculosis, ac malorum magistrorum, quibus utique fortiter resistendum erit, usurpari queant, nisi aliis viis Confessariorum nostrorum, & Doctorum, vel omnium, vel plerumque sufficientia declaretur, & statuatur.* "

XVII. Paucis rem concludo. Contrariarum opinionum una sola vera est. Si hæc vera, altera necessario falsa. Duæ ergo doctrinæ oppositæ, quarum altera vera, altera falsa est, in paradisum ducunt? Falsitas in paradisum ingreditur? Error cum Deo regnat? Confessarius habere debet contrarias doctrinas de eadem re? Sileo, & lacrymor, ne dicant me satyram scribere, dum simplicissima oratione historiam casuisticam sane lugubrem identidem texo. Paradoxa typis edita, dum ob oculos ponuntur, offendunt, & horrorem ingerunt, non scriptoris narratio.

§. I.

Unde suam haurire scientiam Confessarius debet?

I. MEdicus primum omnium exactam anatomicam cognitionem totius conformationis corporis humani sanandi, nec non & partium, quibus admirabilis illa machina compacta est, comparare sibi debet. Quoniam in hac partium inter se harmonia, & consensu sanitas viget, & ex earumdem dissensione proficiscitur ægritudo. Morbus qui exterius prodit, curari nequit, nisi radix & intima caussa mali tollatur, omnesque corporeæ machinæ partes in naturalem harmoniam restituantur. Similiter Confessarius sciat primum necesse est, humanæ naturæ infirmitatem per peccatum originale inductam, cordis humani affectiones, vulnera, ulcera, secretosque recessus, desideria, appetitiones, quibus vel-

uti undarum fluctibus anima agitatur. Sciat oportet infirmitatem prævalentem in universum genus humanum esse superbiam, unde bella, inimicitiæ, odia in Deum & proximum, & cetera scelera proficiscuntur. Post exploret, quodnam in quolibet homine sit vitium, seu passio dominans. Latebras occultiores humani cordis penetrare discat. Hæc sunt veluti præambula, de quibus fuse pertracto *Tom. I. Apparat. ad Theolog. christ. diss.* I. quæ consulere poteris, ad scientiam Confessario necessariam comparandam.

II. Hanc hominum naturam vulneratam, sauciatam, lepra & peste contaminatam curare, & veluti picturam deformem horrendamque restituere ad pristinum splendorem, videlicet ad Iesu Christi exemplar reformare, debet, ut ad *Rom.* VIII. Apostolus docet. *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*. Sicut pictor qui aliquam transcribit imaginem, exemplar ob oculos habeat necessum est; ita Confessarius qui reformare deturpatam corruptamque peccatorum imaginem vult, Christi IESU fulgentissimum exemplar præsens semper habere debet. Christi IESU ergo vitam, acta, leges, mandata, consilia serio meditetur. Ubi autem discere Confessarius debet hæc quæ recensui? In Summulis, in Medullis Lamas, Stoz, Zanardi, Bonacinæ, La-Croixii, & similium, si maxima istorum voluminum pars tota conflata est ex hominum opinionibus directe contrariis? Una autem est Christi doctrina. Scripturas sanctas, & præsertim Evangelia tota mentis indagine perscrutari Confessarius debet. Pauca hic cursim indicabo, cum de hoc argumento fusiorem *cit. Tom. I. Appar. diss.* I. sermonem habeam.

III. Sanctissimus Apostolus Paulus totus est in suadendo animarum rectoribus Scripturarum studio. Sufficiat mihi ea quæ *II. ad Timoth. cap.* III. docet, referre. Prædicit primum errores, & flagitia novissimorum temporum, ad quæ nos celerrime properamus. Post ad Timotheum conversus inquit: *Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum* &c. *Tu vero permane in iis quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens a quo didiceris: & quia ab INFANTIA sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem quæ est in Christo Iesu. Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia. Ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus*. Hominem Dei appellat Paulus Christianum, qui imagine exuta terrestri, cælestem præferre debet. Hanc autem imaginem penicillo non Casuistarum, sed Evangelistarum Christus delineavit. Hos ergo adire Confessarius tenetur.

IV. Theologi communiter asserunt, scientiam Confessario necessariam esse, qua inter lepram & lepram distinguat, sciatque quæ mortalia, quæ venialia peccata sint. *Hanc communissimam sententiam* (inquit P. Elizalde Lib. VI. part. II. quæst.

quæst. XIX. §. 8.) *ego de plano suscipio totam, modo ea historiam reflexam opinionum intelligendo, totum significatum non evertat*. Casuistæ communiter, & præsertim P. La-Croix, historiam opinionum probabilium in utramque partem texunt. Et hac historia casuistica Confessarii distinguere inter lepram & lepram solent. Hanc vero scientiam reflexam penitus ego improbo, subdit P. Elizalde, tamquam Scripturæ sanctæ repugnantem. Deus enim *Deuter. cap.* XVII. hæc præscribit. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram: & iudicum intra portas tuas videris verba variari: surge, & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore: quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta LEGEM eius; sequerisque sententiam eorum: neque declinabis ad dexteram, neque ad sinistram.*

V. Laudatus P. Michael Elizaldè plures, & more suo doctissimas animadversiones in hunc textum adornat. Ne mihi succenseant Casuistæ, calamo utar huius celebratissimi Iesuitæ inquientis. „ Hic est integer textus, tritus quidem, sed „ *doctrinalissimus, at Probabilistarum maxime vias & modos ... e medio tollens...* „ Textus quidem de cognitione legis magis in specie statuit, quo tamen a fortiori in caussis fidei Orthodoxi uti passim solent. Non ergo eæ solutiones adhiberi poterunt, quibus admissis nihil ille adversus hæreticos valeat. Talis „ profecto foret NUGA illa de foro interno, & externo, quasi de hoc, non de „ illo accipiendus sit. "

VI. Paucis nunc perstringam quæ adversus Probabilismum seu historiam reflexarum opinionum opponit doctissimus Theologus. Iudicant Probabilistæ reflexistæ inter lepram & lepram beneficio opinionum oppositarum. Videmus ergo Doctorum istorum sententias, & verba variari, & a veritate declinare. Probabilistæ enim iuxta opiniones reflexas, quæ abstrahunt a veritate, iudicant inter lepram & lepram, inter peccatum & non peccatum: hi definiunt esse lepram; & hanc lepram alii vocant sanitatem. Idem homo secundum Probabilistas est leprosus & sanus, deformis & venustus; immo vi oppositarum opinionum iuxta Gobat, La-Croix, & ceteros Probabilistas lepra non est lepra, peccatum non est peccatum. Et eiusmodi reflexæ contrariæ opiniones, a veritate abstrahentes, sunt supremi iudices in tribunali Probabilismi. Deus autem clamat: *Si iudicum inter portas tuas videris verba variari; surge, ascende, quæresque ab eo indicium VERITATIS*, non reflexæ Probabilitatis.

VII. At clamant, & vociferantur Probabilistæ, inquit P. Elizalde *ibidem* §. 9. „ & vix non irrident dicentes: Num ergo singuli ituri Romam sunt, consuli-

„ turique iudicem causarum doctrinæ fidei, & morum, quærendumque iudicium „ veritatis : & quasi absurdissimum hoc esset, conquiescunt. Ceterum hoc in „ primis non nobis, sed Domino opponant, cuius est sententia. Transferant de- „ inde hos suos questus ad causas fidei, atque in ore hæreticorum reponant. „ Num ergo etiam hæreticis in incepto suo permanere liceat, ne absurdum id „ consequatur, ut singuli Romam venire cogantur? Age igitur, & tollamus „ semel iudicium in terris supremum, sicut causarum morum, ita etiam fi- „ dei. "

VIII. Verum, quomodo invenienda veritas sit in privatis morum controversiis, quin semper recursus fiat ad supremum iudicem, fuso calamo patefacio *Tom. II. Appar. diss.* III. Huic tamen incommodo obnoxii Iudæi erant. „ Rur- „ sus vero (pergit P. Elizalde) ipsi Romani Pontifices pro sua sollicitudine pa- „ storali hunc nobis laborem præcipiunt, & Bullæ constitutionesque *quotidie pro-* „ *deunt, si discere vellemus*; nec ita pridem, universis Christi fidelibus intimatus „ est mœror ille magnus Pastoris tunc in terra supremi ALEXANDRI VII. eo „ quod irrepsisset in genere *modus de moribus philosophandi ab evangelica simpli-* „ *citate, & doctrina Sanctorum alienus*. Hæc plane universalissima denuntiatio „ satis esset, ut, si quidem Romam consulere adeo durum censent, Romam „ saltem audirent, caverentque, & sibi consulerent, ut facerent sane in re- „ bus mundi.

„ Sed vero voces quasdam, murmuraque audimus res has non considerantium; „ nec considerare volentium, &, ut *vere dicam, quod sentio, scandalosa*. Et pri- „ mo quidem, quasi Doctores privati, non quæstiones, & commentarios scribe- „ rent, sed decreta, Bullas, constitutionesque expedirent, *dicere quidam non eru-* „ *bescunt, decreta esse Doctoris privati. Alii aiunt, opiniones morales damnatas* „ *tamquam ut minimum scandalosas, posse nihilominus esse veras. Alii, qui quid* „ *cathedra sit, & quid sit ex cathedra dicere, nesciunt, aiunt, Romanum Pontifi-* „ *cem ex cathedra locutum non esse. Alii eum magnam illam probabilitatem opi-* „ *nionibus adimere non posse. Alii Senatuum approbationem desiderari. Quæ sane* „ *demonstrant rerum statum miserandum.* "

IX. Hæc Probabilistarum commenta nolui ego propriis exprimere verbis; sed operæ pretium existimavi eadem rescribere doctissimi Iesuitæ P. Elizalde. Sed „ quod mirari nemo umquam satis poterit, subdit P. Elizalde, illud est quod, dum summi Pontifices damnant aliquas propositiones contra Iansenistas, Baianistas &c. summo obsequio excipiendas, improbanda vafra illa & captiosa commenta clamant, & iure quidem clamant. At cur id non præstant in caussa propria? Hæc iustissima & tristissima lamentatio mea non est, sed P. Elizalde, qui sic pergit. *Hæc rursus loquuntur homines, qui, si quid simile adversus SUOS CONTRARIOS*

EX

EX SEDE ILLA PRODEAT, *se vicisse incunctanter existimant*, *& pro summo scandalo habent*, *si similia illi obloquantur*. *Hæc ergo dum considero*, *fateor me haud ita esse stolidum*, *qui sperem*, *vi doctrinæ adversus eos conficere quidquam posse*. Ibidem.

X. Hanc iustissimam querimoniam adversus eos qui pontificia decreta, & constitutiones quæ sibi favent, summo excipiunt plausu; constitutiones vero quæ sibi incommodant, non secus ac adversarii captiosis commentis eludere conantur, sæpius repetit doctissimus Iesuita. Vide testimonium Elizalde *præf. ad Tom. I. in Decal. cap.* XII. *num.* 8.

XI. Innumera sunt omnium SS. Patrum testimonia, quæ Scripturarum studium animarum rectoribus & doctoribus inculcant. S. Augustinus *Lib. de salut. docum. cap.* IX. hæc habet. *Omnis librorum Sanctorum series ad nostram salutem scripta est . . . . Per illos nobis loquitur Deus ipse*, *& Dominus noster*, *& piæ nobis voluntatis demonstrat affectum*. *Recognoscamus*, *& recogitemus*, *quali honore nobis illius sit legatio accipienda*. *Quid*, *si legatio a Rege nobis veniret? Numquid non mox*, *aliis curis postpositis*, *prompta voluntate*, *& cum omni devotione litteras acciperemus*, *& legentes implere satageremus? Ecce de cælo Rex Regum*, *& Dominus dominantium*, *immo & Redemptor noster per Prophetas*, *& Apostolos dignatus est nobis dirigere litteras suas*, *non ut aliquod servitium sibi necessarium demandet*, *sed quæ ad salutem*, *& gloriam nobis prodesse possint*, *innotescant*. Quid igitur de illis Confessariis qui, cum super his litteris sanctis a Deo ad nos missis iudicium ferre debeant, his neglectis, ad huius aut illius Casuistæ *Summulas* se referunt plenas pugnantium opinionum, quibus peccata teguntur. Feminæ deformes refugiunt se sistere ante lucida specula, ne suas contemplentur maculas. Verum S. Augustinus *ser.* CCXXXVII. *de temp.* clamat: *Scriptura sancta sit tibi speculum*. *Speculum hoc habet splendorem: non mendacem splendorem*, *non adulantem*, *nullius personam amantem*.

XII. Possem transcribere cuiuscumque sæculi Patrum testimonia; sed brevitatis caussa unum aut alterum referam ex S. Bonaventura Doctore Seraphico, qui in prologo sui Confessionalis hæc scribit. *Cum secundum B. Gregorium cura pastoralis sit ars artium*, *regimen animarum*, *& occultiora sint vulnera cogitationum quam viscerum*, *HORRENDUM profecto est videre quosdam Sacerdotes nostri temporis*, *qui sacram Scripturam*, *in qua præfati regiminis ars SUFFICIENTISSIME traditur*, *& iura canonica*, *& scripta Doctorum*, *in quibus plenissime declaratur*, *vel per torporem legere negligunt*, *vel per ignorantiam nesciunt: & tamen cordis medicos in audiendis confessionibus se profiteri impudenter non metuunt*.

XIII. Quid plura? Sacri canones hanc eamdem scientiam necessariam Confessariis definiunt. *Dist.* XXXVIII. *cap.* I. his verbis. *Ignorantia mater cunctorum vitio-*

tiorum, maxime in Sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. Sacerdotes enim legere sacras Scripturas frequenter admonet Paulus Apostolus dicens ad Timotheum: Attende &c. *Sciant igitur Sacerdotes Scripturas sanctas, & canones, ut omne opus eorum in prædicatione, & doctrina consistat.*

XIV. Plurima omnium Patrum etiam postremæ ætatis testimonia prætereo. Conclusionem tantum rescribo P. Michaelis Elizalde *loc. cit. §. 9.* quæ est eiusmodi. „ Ecce ergo Probabilistæ, & Dominus per famulum suum Moysem sibi „ aperte contradicunt. Dominus scilicet dicit: *Si difficile* &c.... Quid est, quæso, iudicum verba variari? Est, opinor, eos discordare, & diffidere, alios lepram, alios non lepram propter difficultatem censere. Quid vero tunc facto „ opus iuxta Dominum? *Surge, ascende, quæresque iudicium veritatis.* Vos vero quid dicitis? Iudices ecce variant, *viri, ut loquimini, graves, prudentesque.* „ Num vestra vox non est: Utrumque est probabile? Et inde per reflexas habemus mox securitatem, certitudinem, & evidentiam, quantum volumus. „ Quid est *surge?* Quid est *quæres iudicium veritatis?* An si hoc requiramus, „ nos non desipimus, mundumque turbamus? " Hæc sunt communia Probabilistarum effata, hæc axiomata. *Sed ob Deus meus!* (concludit Elizalde.) *Tu, cuius verba in æternum stant, Surge, dixisti; ac ex variis discordantibusque iudicum verbis vivere prohibuisti: ipsa lex tua, quæ veritas est, requirenda est ex qua vivatur, & lepra, & non lepra dignoscatur.*

§. II.

Evangelicæ legis spiritum assequi potissimum Confessarius debet. Excusatio, qua obtruditur non omnia contineri in verbo Dei Scripturis, & traditione comprehenso.

I. SPiritus, & anima evangelicæ legis caritas est, ut Matth. XXII. habetur. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet, & Prophetæ.* Quid, Confessarii, in volvendis nonnullorum Casuistarum voluminibus mentem torquetis? In hoc totius legis exemplar animos intendite. Qui vim, & amplitudinem huius duplicis præcepti comprehendit, omnes fere legis quæstiones resolvit. Qui Deum diligit, illum cultu tum interno, tum externo colit, non blasphemus, non periurus lædit; sed omnia il-

lius

lius mandata servat. Qui proximum amat, non usuris, non iniustitiis, non fraudibus, non dolis, non contumeliis, non calumniis circumvenit, opprimitque; sed e contrario æquitatem, iustitiam, liberalitatem, aliarumque virtutum officia in eumdem exercet. Expende alterum evangelicum oraculum *Matth.* VII. quod primum confirmat. *Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est enim lex & Prophetæ. Intrate per angustam portam, quia lata & spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta, & arcta via est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui intrant per eam! Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.*

II. Confessarii qui altius animo impressas habent has divinas præceptiones, spiritum legis gustant, & universam legem penetrant. *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Eadem mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Quæ omnia eodem recidunt. Fusius hæc idem Evangelista *cap.* V. exponit. *Diligite inimicos vestros, benefacite illis qui oderunt vos: orate pro persequentibus, & calumniantibus vos . . . Vade prius reconciliari fratri tuo. Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo.*

III. Audiamus S. Paulum qui *I. Cor.* XIII. hæc loquitur. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens... Caritas patiens est, benigna est. Caritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur. Non est ambitiosa: non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum. Non gaudet super iniquitate; congaudet autem veritati. Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.*

IV. Peto a te, lector, efflagitoque ut mihi interroganti sincere respondeas, an, dum recitata divina oracula hic descripta legis, serioque animo recogitas, non commoveare? An mentem tuam quodam cælesti lumine perfusam non experiris? Te aientem sentio. Heinc ego sic argumentor. Quid, si illa legeres in fonte? Quid, si humili reverentique animo sanctum volumen in manibus acciperes, hac viva persuasione munitus, quod volumen istud divinum est, a Deo dictatum, Deique spiritu exaratum; & integra capita legeres? Recensita divina oracula, transcripta in hunc librum, multum virium amittunt, & energiæ: sunt veluti truncata, & propria maiestate ac granditate spoliata. Eccur? Quia in sua propria sede, in ipsis sanctissimis codicibus fulgent, corusćantque incredibili ornamento. Similitudines, parabolæ, & cetera alia divina eloquia, quæ antecedunt, quæ comitantur, quæ subsequuntur, divina harmonia tot oraculorum, quorum unum aliud firmat & illustrat, tanta vi animum emolliunt, tanta luce mentem perfundunt, tanta maiestate superbiam humanæ sapientiæ deprimunt, & certa quadam divina & inexplicabili efficacitate cor penetrant, ut vix fieri

possit quin doctior ex tali lectione, humili sinceroque animo peracta, evadas. Firmum animo tuo hæreat, potissimam omnium malorum, flagitiorum, & ipsius Atheismi radicem esse sanctarum Scripturarum neglectum.

V. Utique in libris sanctis non invenies casuum resolutiones plurimas, quas offendis in Diana, in Pasqualigo, in Tamburino, in La-Croix, aliisque: quia hæc sunt hominum opiniones, & prælia opinionum. Sed ibi Dei armaturam reperies, qua indutus hæc opinionum prælia in nihilum redigas. Tantam inde lucem hauries, ut omnes laxarum falsarumque opinionum tenebras dissipare queas, ut quid agendum, quid omittendum sit, certo definire ut plurimum valeas. Audi Deum *Deuter.* VI. dicentem. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota fortitudine. Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo; & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens; & ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque & movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine & ostiis domus tuæ.* Quem sensum in animum tuum ingerunt hæc verba? Nonne continenter, quoad humana conditio fert, amandum esse Deum? Perge porro. Revolve plures Casuistas. Alii dicent, hoc præceptum per se vix umquam obligare; alii solum urgere in articulo mortis; alii quolibet quinquennio, alii triennio, alii biennio, alii semel tantum in anno. Cedo: nonne, solo recitato Dei oraculo, recogitans, quod verba illa sunt verba vitæ, quæ fallere nequeunt, omnes recensitas quæstiunculas casuisticas, ut deridendas & contemnendas, reiicis, pugnantesque cum Dei verbo definis? Quando tanta emphasi a Deo iubetur, ut diligantur inimici, & sustineantur iniuriæ, non continuo execraris opiniones illorum Casuistarum qui docent, propter alapam impactam, propter pomi rapinam occidi hominem licite posse, ne honor obnubiletur? Quid, si serio mediteris Dei Scripturam dicentem, *eruendum oculum, abscindendam manum, abstinendum a specie mala*, & ea quæ ibi antecedunt & subsequuntur? An continuo non intelligis falsas esse & laxas opiniones illas casuisticas quæ licitas defendunt hodiernas choreas, promiscuas utriusque sexus conversationes, theatrorum comœdiarumque frequentiam? An legens castimoniam matrimonialem præscriptam a Paulo, non perhorresces turpitudines illas quas ut licitas permittunt nonnulli?

VI. Integrum parallelum universæ Theologiæ casuisticæ cum Scripturis sanctis instituere vellem, nisi prolixitas nimia a scopo præstituto me abstraheret. At ex iis quæ indicavi, prudens lector colliget, Casuistas non paucos super eadem lege mutuo pugnare, & opinionum prælia perpetua instituere. Quid ad te de his hominum pugnis?

VII. Legem sanctam ergo in suis fontibus consule, & meditare. Si ambiguum quidquam occurrerit super aliquo consectario inde derivato, ad spiritum legis animum

nimum intende; & quod videris huic legis spiritui esse conformius, illud amplectere. Si Probabilistas audieris, oppositum ite docebunt, nempe illam te eligere sententiam posse quæ minus legis spiritui, & magis libertati tuæ consentanea sit, ut per anfractus *Reflexarum*, ut vocant, ab eiusdem observatione immunem te efficiant. Quem opinandi modum legis simplicitati hostiliter adversari declaravit Romana Sedes voce Alexandri VII.

VIII. Opponunt. In lege non inveniuntur casus expressi, & decisi, sicut in Casuistis. Resp. Recte dicis, non inveniri in lege casus expressos & definitos, quemadmodum in Casuistis: quia aliter lex, aliter Casuistæ plures definiunt. Spiritus legis sanctæ, qui spiritus caritatis est, ut vidimus, eo totus tendit, ut cultum Dei, ut amorem Dei & proximi promoveat, ut per angustam & arctam viam deducat, & Christo Iesu te conformem reddat. Utrum spiritus Probabilismi nova sua & singulari benignitate huc te ducat, tu iudex esto.

IX. Quamquam autem in lege sancta non inveniantur expressi casus innumeri quos interminabilis illa disputandi libido peperit, paritque in dies: regulæ tamen obviæ & manifestæ ibi occurrunt, quibus casus qui communiter occurrunt, resolvantur. Qui principia alicuius scientiæ optime callet, & profunde penetrat, omnia consectaria tenet, & conclusiones etiam remotissimas, quæ inde derivantur. Idcirco Patres omnes uno ore testantur, legem universam suam Deum in duobus caritatis præceptis constituisse, quæ sunt veluti duo generalia christianæ scientiæ principia, quibus exacte cognitis, cetera quæ opponi, quæ excogitari ab humano ingenio possunt, comprehenduntur, & definiuntur. Consule *Tom. I. Appar. diss.* II. *& Tom. II. diss.* III. ubi fuso calamo hæc omnia discussa ex unanimi Patrum doctrina invenies. Obiter hic transcribo quæ S. Thomas docet I. 2. *quæst.* C. *art.* 4. *&* 22. *quæst.* XLIV. *art.* 2. ubi hæc inter alia habet. *Unde qui perfecte cognosceret principia secundum totam suam virtutem, non opus haberet ut ei conclusiones seorsim proponerentur. In operabilibus autem, in quibus præcepta legis nos dirigunt, finis habet rationem principii . . . Dilectio autem Dei finis est, ad quem dilectio proximi ordinatur.* Quam doctrinam luculentius tradit ibidem quæst. XXIII. art. 7. ad 2. *Dicendum, quod cum finis se habeat in agibilibus sicut principium in speculabilibus; sicut non potest esse simpliciter vera iustitia, aut vera castitas, si desit ordinatio debita in finem, quæ est per caritatem, quantumcumque aliquis se recte circa alia habeat* &c. Caritas purgat animum ab omni peccato, & culpabili ignorantia eorum quæ sunt necessaria ad salutem; atque adeo rectum illum constituit erga Deum, erga se, erga proximum. Porro *qualis quisque est, talis finis videtur ei, & ea quæ ad finem sunt*. Qua de re vide *cit. differt.* III. *Tom. II.*

X. Clamant obstrepuntque iterum qui assueti ab incunabulis sunt Casuistarum studio, non omnia reperiri in Scriptura sancta quæ ad mores formandos requiruntur.

runtur. Quæ persuasio, supra quam dici potest, vana est, & periculi plenissima. An Filius Dei in mundum non venit, ut illuminaret omnes homines? An Spiritum sanctum non misit, ut doceret omnia quæ sunt ad salutem necessaria, eaque in tabulis cordium inscriberet Apostolorum, qui verbo aut scripto, aut tradito ad nos transmisere? Non omnia reperiuntur in lege necessaria ad Christianorum mores formandos? Christiani ergo XIV. & amplius sæculorum in tenebris iacuere, lumine ad salutem necessario destituti? Falleris, inquiunt. Sunt principia & mandata omnia in lege; sed obscura, implicata, & impervia. Casuistæ hæc omnia novo lumine illustrant, & insurgentes difficultates resolvunt. Ita ne vero? Ego meis verbis repellere nolo commentum istud, quod *monstrum monstrorum* appellat P. Michael Elizalde *p. 3. Lib. 8. quest. 8. §. 8. pag.* 150. „ Apertis multis libris „ Moralistarum notorie constat, pene nullum usum in eis esse doctrinæ sacræ, & „ Sanctorum . . . Hi libri contrarietate, & contradictione pleni sunt: ex quo „ proinde dimidia saltem pars falsa sit oportet. Sed nulla falsitas cum sana do- „ ctrina . . . conciliari potest.

„ Dices iterum, in libro Dei, & doctrina Sanctorum deesse doctrinam necessa- „ riam salutis ad regendos populos, dirigendas conscientias. Verum ostensum est, „ hanc doctrinam numquam magis quam fidem in Ecclesia defuisse, & MON- „ STRUM MONSTRORUM esse SE NUNC VENISSE *ad dandam scientiam* „ *salutis plebi eius. Ad hoc quippe ille venit qui illuminat omnem hominem ve-* „ *nientem in hunc mundum, qui Ecclesiam ædificavit firmamentum, & columnam* „ *veritatis, cuique depositum custodiendum credidit, quod haud dubie ille servavit.* „ *Non hic doctrina, sed consideratione, & minimo saltem gradu humilitatis opus* „ *est.* "

XI. Humilitas, inquam, requiritur, quæ est primum fundamentum christiani ædificii, cuius forma caritas est. Humilitas est veluti tessera, & prærogativa christianæ professionis, quæque in nobis Christi exemplar refert. *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde*, inquit Christus. In quæ verba hæc *lib. de S. Virg. cap.* 35. scribit S. Augustinus. *Ille, ille, cui omnia tradidit Pater, & quem nemo agnoscit nisi Pater, & qui Patrem solus agnoscit, & cui voluerit revelare, non dicit:* Discite a me *mundum fabricare, aut mortuos resuscitare: sed* quia mitis sum, & humilis corde. *O doctrinam salutarem! O Magistrum, Dominumque mortalium, quibus mors poculo superbiæ propinata, atque transfusa est. Noluit docere quod ipse esset. Noluit iubere quod ipse non faceret.*

XII. En paucis delineatum christianæ legis exemplar, spiritumque expressum. Amor proprii boni initium fuit ruinæ humani generis. Caritatis amor, qui propria communia facit, qui omnia perficit, & sanctificat, est spiritus qui humanum genus vivificat. Superbia est illud originale peccatum, quod Deo principa-

tum

tum eripere pertentavit, & constitutum ordinem interturbavit. Humilitatis virtus antidotum unicum est superbiæ, quæ in omnibus peccato originali infectis dominatur, comprimendæ opportunum & necessarium. Qua de re consule *Tom.* 1. *Appar. Diss.* I. & II.

XIII. Hunc legis spiritum unde haurire poteris? Ubi depictum invenies? In nonnullis Casuistis recentioribus? Tute iudex esto. In libris quos spirituales seu asceticos vocant? Bene habet. Sed unde illi hunc hausere? Ex libris sanctis, ex doctrina SS. Patrum. Cur ergo & tu ad hos limpidissimos fontes digitum non intendis? Cedo: quis umquam rectus iudex, quis præclarus advocatus, qui iudicium super Principis lege ferre debeat, id præstabit, lege neglecta? Quis istorum contentus erit volvere leguleios, qui Casuistarum plurium more in Principum statuta opinionum centonem consarcinant? Quis, inquam, istorum adeo suæ professionis violator est, qui legem ipsam, qui statuta ipsa propriis oculis propriaque mente non expendat, ut cavillationes & sophismata leguleiorum deprehendere & refutare valeat? Et tu Dei Sacerdos, Dei vices gerens, & Dei officium exercens, & in legem eiusdem iudicium dicturus, legem in sanctis codicibus scriptam non meditaris, non expendis, sed eam negligis, & prætermittis? Eam addiscere in libris quorumdam Casuistarum audes, ubi immensa opinionum, distinctionum, speculationum, & subtilitatum farragine involutam implicatamque offendes?

XIV. Unde, amabo te, interminabiles illæ lites, quæstiones, casuumque opiniones, quæ tot Casuistarum volumina implent? Ex ambiguitate, obscuritate, & difficultate legis divinæ, quæ fidei, & morum mysteria & præcepta ad salutem necessaria præscribit? Absit blasphemia tanta, quæ divinos Scriptores carpit, ac si ipsi ignorassent legem perspicuam, claram, & fidelium captui accommodatam tradere. Sunt utique in Scriptura santa plura obscura; verum hæc S. Mater Ecclesia nobis exponit. De hoc punto vide *Tom.* 1. *Appar. Disput.* 11. Unde ergo? Ex hominum imbecillitate, ex universali morum corruptione. Plures quippe Casuistarum, videntes se reformare ad legis divinæ amussim corruptos hominum mores non posse, pio zelo salvandi omnes, legem ipsam delinire, temperare, inflectere, & ad communem ac prævalentem vivendi consuetudinem incredibili subtilitatum aggestu attemperare conati sunt. Non ergo ex legis obscuritate, sed ex praxi dominante contra legem frequenter eorum plures resolvunt, definiuntque casus, non pauci concludentes: *Sic practicavi in confessionali*. Ex hac confessionalis praxi conflata sunt plura opinionum volumina contra legem, & consentanea praxi. Multi non se sistunt ante speculum Scripturarum sanctarum, ne illico mediteutur actionum deformitatem. Adeunt Casuistarum plurium volumina, ut inveniant casuum resolutiones sibi faventes contra legem, ut inveniant opiniones quæ ostendant, legem non obligare. Hoc idem præstant litigatores. Ut loca

usur-

usurpata contra legem retinere queant, advocatos quæritant, qui acutis commentis evincant legem non comprehendere talem casum.

XV. Præter divinas Scripturas opera danda est sacris canonibus, SS. Ecclesiæ Patribus, Synodis propriæ diœcesis, & presertim Tridentinæ, ejusque catechismo, nec non summorum Pontificum decretis. Quando his præsidiis muniti sunt Sacerdotes, tum poterunt Casuistarum volumina revolvere, & deprehendere, quid conforme, quid adversus legis divinæ spiritum doceatur. Verum si legem ignorant, quomodo iudicare, quid legi consentiat, quid repugnet, valebunt? Ne itaque suspiceris, me improbare omnium Casuistarum lectionem. Fatuus essem, si id auderem. Id solum dico, primum Scripturas divinas, Patres, sacras Synodos, Episcoporum decreta esse investiganda. Post legantur etiam Casuistæ, quorum ego nec unum reiicio; sed solum recordor legendos esse magna attentione, qua deprehendatur, num doctrinam doceant Evangelio, Patribus, & pontificiis constitutionibus conformem. Quilibet Casuista aliquid luminis afferre potest. Idcirco neque illos qui plures laxas & damnatas opiniones docuerunt, penitus reiicio; huc vero conatus mei pertinent, ne illorum opiniones absque severo examine adoptentur; sed ut illorum doctrinæ, quibus resolvunt casus peculiares, conferantur cum doctrina evangelica, & SS. Patrum, ut quod verum est, seligere valeas.

XVI. Neque suspiceris, difficilem & nimis laboriosam esse istius divinæ scientiæ acquisitionem. Da mihi Sacerdotem probum, optimi sensus, seu mentis quadratæ (& nisi hæc adsint, omnia superflua sunt) & evangelicæ legis studiosum: & hunc ut optimum, doctum, prudentemque Confessorem habeto. Scientia Confessarii eo præcipue spectat, ut sciat cor pœnitentis emollire, mentem illuminare, donumque habeat persuadendi, increpandi, & conformandi suos pœnitentes ad Christi JESU exemplar. Hæc autem scientia, non a quorumdam Casuistarum libris, sed ab Evangelio hauritur. Christiani damnantur, quia observare recusant legem evangelicam, quia eiusdem spiritum ignorant. Sacerdos ille, qui sciat evangelicæ caritatis ignem in suis pœnitentibus accendere, doctus sapiensque Confessarius est. Si aliqui casus occurrant contra legem Dei, præcepta positiva Ecclesiæ, aliasque disciplinæ leges; poterit, ut dixi, consulere Casuistas, sed graviores. In manu tamen semper habeat lapidem lydium, seu amussim evangelicæ legis, & quod huic magis, non minus conformius viderit, seligat. De spiritu legis evangelicæ lege meum *Tom.* II. *Hist. Probabil. Diss.* IV. *cap.* III. ubi uberrime ex S. Thoma explicatur, in quo situs sit spiritus iste.

CA-

CAPUT VI.

Extrema laxitatis, & rigoris summo studio evitare Confessarius debet. Quam arduum, quam difficile sit inter extrema hæc medium tenere. Singulari Dei gratia opus est.

I. NIhil frequentius in ore omnium resonat quam extrema & rigoris, & laxitatis vitanda, mediumque tenendum. At nihil frequentius occurrit quam nos ipsos, qui extrema cavenda clamamus, in extrema impingere. Adversus animarum Pastores, laxitatis tabe infectos, vel nimio rigore crudeles, Deus *Ezech. cap.* XIII. fuso sermone invehitur. *Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas; & cum caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum. Et violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmen panis, ut interficiant animas quæ non moriuntur, & vivificarent animas quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis. Propter hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad pulvillos vestros, quibus vos capitis animas volantes* &c. . . . . *Et scietis quia ego Dominus. Pro eo quod mœrere fecistis cor iusti mendaciter, quem ego non contristavi* &c.

II. In præfato capite Deus Pastores tum laxioris, tum æquo severioris doctrinæ improbat. Laxones longius increpat; rigidiores sub capitis fine carpit. *Pro eo quod mœrere fecistis cor iusti mendaciter, quem ego non contristavi.* Salvator noster Pharisæos, qui, neglecto spiritu legis, nempe caritate, hominum traditionibus populum opprimebant, graviter & severe redarguit Matth. XXIII. *Alligant onera gravia & importabilia, & imponunt ea in humeros hominum.* In quem locum hæc scribit S. Ioannes Chrysostomus, seu Auctor operis imperfecti, hom. XLIV. in Matth. *Tales sunt nunc etiam Sacerdotes, qui grave pondus venientibus ad pœnitentiam imponunt. Qui dicunt, & non faciunt. Et sic, dum pœna præsens fugitur, contemnitur pœna peccati futura. Sicuti enim si fascem super humeros adolescentis, quem non potest baiulare, posueris, necesse est aut fascem abiiciat, aut sub pondere confringatur: sic & homini cui grave pondus pœnitentiæ imponis, necesse est aut ut pœnitentiam suam reiiciat, aut suscipiens, dum sufficere non potest, scandalizatus amplius peccet.*

III. S. Ambrosius *serm.* v. *in Psal.* CXVIII. Rigoristas perstringit. *Sunt etiam in nobis qui timorem Dei habent, sed non secundum scientiam, statuentes duriora præ-*

præcepta, quæ non possit humana conditio sustinere . . . quia non patiuntur naturæ, nec æstimant possibilitatem.

IV. Sed heu heu! quis est qui dignoscere inter hæc extrema medium valeat? Quis sibi securus est, ne vel nimia remissione, & indulgentia, vel æquo districtiori severitate a medio recedat? Quis ita Dei iura tueri valet, quin hominum imbecillitatem opprimat; aut ita indulgeri hominum imbecillitati, quin Dei iura violet? Nemo sane absque peculiari divinæ sapientiæ lumine, & Redemptoris nostri gratia, qua & mens nostra illustretur, & animus veritatis amore accendatur. Quare qui Confessarii munus exercent, ferventi iugique oratione opus habent, ne, dum igorantes docere volunt, veluti cæci cæcis ducatum præstent; ne, dum erigere lapsos student, ipsi prolabantur; ne denique perniciosa benignitate vulnera pœnitentium obtrectantes ægritudinem foveant, & semetipsos vulnerent.

V. Heinc colliges, quanta hallucinatione teneantur illi qui in ipso suorum operum fronte testantur, se declinatis & rigoris, & laxitatis extremis, via media, seu regia incedere. Ecquis est qui id in animo non habeat? Nemo unus. Casuistæ vel laxissimi hoc idem intendunt. Suas laxas opiniones, benignitatis & misericordiæ fuco illitas, per mediam viam ducere inter extrema rigoris & laxitatis contendunt. Rigoristæ vel sævas opiniones ab utroque extremo dissitas defendunt.

VI. Quid ergo in re tam ardua, ac perdifficili opus est? Nec enim aliquid præsidii affert exaggerare difficultatem vitandi tum scyllam, tum carybdim, nisi regulæ præbeantur, quibus hæc syrtes & scopuli reipsa declinentur. Primum Domino quisque cantet *misericordiam, & iudicium*; idest, inquit S. Gregorius Magnus in Pastorali, *insit ipsi iuste consolans misericordia, & sæviens disciplina, sicut in arca testamenti erat virga, & manna.* Necessaria est hæc misericordiæ & iustitiæ societas & harmonia, cuius exemplum nobis præbuit Christus Iesus, inquit *de Inst. Prælat. cap.* 1. S. Laurentius Iustinianus. *Hanc utique sententiam suo Dominus Iesus commendavit oraculo, cum de homine descendente ab Hierusalem in Hierico, & a latronibus vulnerato loquitur.* Transiens, inquit, quidam Samaritanus, misericordia motus, alligavit vulnera eius, vinum, & oleum infundens: *per vinum videlicet iustitiam, & per oleum misericordiam, & compassionem significans.*

VII. Hæc omnia vera, & optima sunt; at nimis universalia, & abstrusa. Ad quas regulas respicere Confessarii debent, ut ambos laxitatis, & rigoris excessus devitent? Duas assigno, *Iansenismum*, & *Probabilismum*. S. Augustinus animadvertit, Manichæum, & Pelagium pugnantes errores docuisse, formidabatque ne fideles declinantes Manichæismum, laberentur in Pelagianismum. *Inter utrum-*

que

qui sit cautus, ut sic declinet Manichaeum, ne se inclinet in Pelagium. Rursumque ita se seiungat a Pelagio, ne se coniungat Manichaeis: in Psal. cxviii. Idem ego consilium suggero in morum controversiis. *Iansenismus* nimio rigore addendo, *Probabilismus* nimia laxitate diminuendo legem Christi, a medio aberrant. Dominus autem clamat: *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo*: Deut. iv. Iansenistae impossibilia quaedam Dei praecepta constituunt: invincibilem eorumdem ignorantiam non excusare a culpa, non sufficere iudicium probabile, & probabilissimum, quo operationes dirigantur; sed requiri semper evidens & absolute certum veritatis effutiunt. Probabilistae non pauci contrario extremo, ut meae apparet imbecillitati, directe opposito adhaerent. Hi non modo non requirunt iudicium proponens id quod propinquius legi divinae accedit; sed hoc reiicientes, tamquam rigorismum, sufficere minus verisimile, minus probabile aiunt: legem, hominum disputationibus in controversiam adductam, & dubiam effectam, de medio tollunt vi *reflexarum*. Illi ad impossibilia nos urgent; hi a possibili mandatorum observantia nos liberant. Illi addunt, isti adimunt legi. Illi in desperationem, isti in praesumptionem nos impellunt. Illi nimium, isti parum nobis imponunt. Clamat autem S. Augustinus in *Psal.* cxviii. *conc.* iv. his verbis. *Parum, & nimium duo sunt inter se contraria. Parum est quod minus est quam oportet; & nimium est quod plus est quam oportet. Horum in medio modus est, quod dicitur, Satis est: & utique utile est ut in vita, & in moribus non plus quam oportet, nihil omnino faciamus.* Ab his igitur extremis desperationis, & praesumptionis, nimii terroris, & nimiae securitatis recedendum est. Probabilistae Iansenistis iure nimiam austeritatem, *Iansenistae* Probabilistis nimiam laxitatem improperant. In simili caussa haec *tract.* lxxi. *in Ioan.* scribit S. Augustinus. *Est quod invicem ex vobis alteri ex alteris admoneri utique debeatis . . . Errando in diversa itis: in medio est via quam relinquitis.* Duplici, subdit *Lib. II. contr.* ii. *epist. Pelag. cap.* ii. contraria infirmitate laborant isti, dissimili voluntate, Iansenistae mala & obfirmata, isti bona ob bonum finem, piamque intentionem deliniendi caeli viam. *Morbis inter se contrariis utrique confligunt, dissimili voluntate.* Haec extrema improbanda sunt, quia ambo contraria veritati. Media ergo Antiprobabilistarum via arripienda est, quae inter extrema rigoris, & laxitatis, quod verisimilius, quod probabilius, quod propinquius est veritati, amplectendum docet. Tene medium, si non vis perdere modum. Locus medius tutus est, inquit S. Bernardus *Lib. II. de consid.* Lege *Tom. II. Histor. Probabil. diss.* v. *cap.* ii.

CAPUT VII.

Gravius semper fuit, & potissimum hodie est periculum, ne Confessarii declinent in Laxismi, *quam* Rigorismi *extremum.*

I. PRima & urgentissima ratio quæ nos omnes impellit ad laxandam legem Dei, est sagacissimus ille præstigiator, amor scilicet proprius, amor placendi hominibus, & mundo. Homines communiter maiori ex parte arctam viam crucis, & pœnitentiæ perhorrescunt. Illos Doctores, & Confessarios depereunt, inquirunt, extollunt qui placentia loquuntur, qui cervicalia mollia, & pulvillos blandos consuunt. Illos vero qui arctam Christi viam patefaciunt, ut Rigoristas, Tutioristas, Iansenistas, reformatores, mundi novatores insectantur, maledictis proscindunt, derident, exsibilant.

II. Secunda ratio est timor eiusmodi derisionum & censurarum: quas ut evitemus, & popularem æstimationem indipiscamur, sæpe sacerdotalem vigorem, & spiritum illum fortitudinis de quo supra locutus fui, amittimus; & malumus cum multitudine Confessariorum, ac Doctorum blandiloquentium fœdus inire, quam propter veram maiorem Dei gloriam, proximorumque salutem aculeis frequentissimis contumeliæ, censuris, & sibilis derideri, & proscindi.

III. Tertium præstigium est insitum illud naturæ vehemens desiderium, quo omnes flagramus, habendi multitudinem pœnitentium, ob propriam, vel familiæ nostræ existimationem, decorem, & gloriam. Nec enim Christianorum multitudo minus viam salutis arctam quam Confessarios ejusdem viæ assertores perhorrescit. Cuiuscumque status, plebeii & nobiles, magnates & pauperes, ceterique Christiani maiori ex parte volunt & inquirunt Doctores, & Confessarios blandiloquos, indulgentes, dulces, suavissimos. Istorum splendor, favor, gratia, patrocinium, humanitatem nostram totam commovent, mentem acuunt ad ungendam, dilatandam, inflectendam, incrustandam Christi doctrinam. Nisi divinæ fortitudinis spiritu obarmati omnes simus, continuo labimur, & pulvillos molles consuimus. Diabolus nos hoc dilemmate adoritur. Aut amittendi magnates, matronæ, & totius mundi spes conculcanda; aut adhibendæ doctrinæ indulgentes, & benignæ, seu laxæ, & pro eisdem tamquam pro aris & focis nobis pugnandum est. Nisi in pectore nostro ardeat evangelicæ severitatis amor, & baptismalis professionis, qua mundo & auræ populari & sublimi renuntiavimus, studium, his diaboli, & mundi insidiis succumbimus.

IV. Quartum illicium est naturalis, & tenerrimus amor patris spiritualis in filios,

lios, & filias pœnitentes. Quemadmodum, experientia teste, parentes carnales frequentius indulgentiores quam æquo severiores erga filios sunt; ita longe frequentius nos parentes spirituales delinquimus nimia indulgentia quam rigoris excessu.

V. Quinta seductionis illecebra est naturalis commiseratio, & propensio conciliandi sibi pœnitentes, & timor eosdem turbandi, affligendi, & in desperationem trudendi.

VI. Sextum delinquendi periculum est operis facilitas, & iucunditas. Omnes ita a natura comparati sumus, ut iucundum nobis sit omnibus satisfacere, & neminem contristare. Has rationes fusius explicatas lege *Tom. II. Hist. Probab. diss.* V. *cap.* IV.

CAPUT VIII.

Sancti Ecclesiæ Patres cuiuscumque sæculi invecti acriter sunt præcipue contra nimiam indulgentiam & laxitatem Confessariorum, numquam vero aut raro contra nimiam severitatem.

I. Ignitæ S. Martyris Cypriani invectivæ contra laxitatem Confessariorum *Lib. de lapsis*, celebres sunt. Aliquas supra rescripsi, easque repetere iuvat. *Cum scriptum sit: Qui vos felices dicunt, in errores vos mittunt, & semitas pedum vestrorum turbant: Qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat, nec comprimit delicta illa, sed nutrit . . . oportet Dei Sacerdotem non obsequiis decipientibus fallere, sed remediis salutaribus providere. Imperitus est medicus qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat, & in altis recessibus viscerum virus inclusum, dum servat, exaggerat. Aperiendum vulnus est, & secandum, & putaminibus amputatis, medela fortiore curandum. Vociferetur, & clamet licet, & conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias aget postmodum, cum senserit sanitatem. Emersit enim, FRATRES DILECTISSIMI, NOVUM GENUS CLADIS . . . ACCESSIT SUB MISERICORDIAE TITULO MALUM FALLENS, ET BLANDA PERNICIES. CONTRA EVANGELII VIGOREM, CONTRA DOMINI AC DEI LEGEM temeritate quorumdam LAXATUR incautis communio* (seu peccatorum remissio) *irrita, & falsa pax, periculosa dantibus, nibil accipientibus profutura . . . . Pacem putant esse, quam quidam verbis fallentibus venditant. Non est pax illa, sed bellum . . . Quid iniuriam beneficium vocant? Quid impietatem vocabulo pietatis appellant?* Pluri-

ma alia quae ibidem S. Cyprianus adversus grassantem laxitatem scribit, praetereo.

II. S. Ambrosius in Psal. cxviii. *Consideremus etiam ne ipsum deteriorem faciamus cuius miseremur iniuste. Plerumque enim non coercere pœnitentes maioris austeritatis est, quam si ulciscaris. Traduntur enim in passiones ignominiae, qui, cum aliquid inhonestum fecerint, nullum culpae pretium referunt . . . In ipsa Ecclesia, ubi maxime misereri decet, teneri quam maxime debet forma iustitiae, ne quis a communionis consortio abstentus, brevi lacrymula atque ad tempus parata, vel etiam uberioribus fletibus communionem* (seu absolutionem) *quam plurimis debet postulare temporibus, facilitate Sacerdotis extorqueat. Nonne cum uni indulget indigno, plurimos facit ad prolapsionis contagium provocari? Facilitas enim veniae incentivum tribuit delinquendi.*

III. S. Ioannes Chrysostomus *homil. iv. in II. ad Cor.* inquit: *Nemo eum qui apud Corinthios stupri se crimine obstrinxerat, tam amabat quam Paulus, qui eum Satanae tradi iubebat. Nemo rursus tam eum oderat quam ii qui peccanti applaudebant, & obsequebantur . . . Eamdem igitur erga eos qui peccant, rationem tene. Vinculis eum qui facinus improbum admisit, coerce, usquedum ipse Deum sibi propitium ac placidum reddiderit. Si vincula ipsi iniecero, Deus iam non vinciet; sin autem in vinculis eum non tenuero, eiusmodi eum vincula manent, quae frangi nullo modo queant . . . Proinde non est quod hanc rem crudelitatis, & saevitiae esse arbitreris, sed summae clementiae & benignitatis praestantissimaeque medendi rationis, vel vulgaris erga peccatores salutem curae.*

IV. S. Leo Papa epist. lxxix. *Abiicienda prorsus pestifera haec a pastorali vigore patientia, quae sibimet, peccatis aliorum parcendo, non parcit.*

V. Hormisda Papa epist. ad univers. provinc. *Quae est ista INIMICA BENIGNITAS? Palpare crimina, & vulnera eorum usque ad diem iudicii incurata servare? Vere dico, quia illi ipsi quibuscum PERICULOSA ET FALSA MISERICORDIA indulgere videmur, cum ante tribunal Christi pro tantis peccatis damnandi advenerint, contra nos ipsos causas dicturi sunt, dicentes, quod, dum asperitatem linguae eorum expavimus, aut falsa blandimenta, & periculosas adulationes ipsorum libenter accepimus, nos eos, dum illis inutiliter indulgemus, in peccatis permanere, aut etiam ipsa peccata augere permiserimus. O pietas! o misericordia! Uni parcere, & omnes per exemplum malum in discrimen adducere. Non ita suadet sanctus, & beatissimus martyr Cyprianus, dicens: Qui peccantem verbis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat, nec perimit delicta illa, sed nutrit.*

VI. S. Isidorus *Lib. II. Sent. cap. xiii.* clamat. *Sunt qui pœnitentibus securitatem cito pollicentur, quibus bene per Prophetam dicitur:* Curabant contritionem filiae

filiæ populi mei cum ignominia dicentes, Pax, & non erat pax. *Cum ignominia igitur curat contritionem qui peccanti & non legitime pœnitenti promittit securitatem.*

VII. S. Augustinus præ ceteris Patribus invehitur contra blandiloquos divinam legem inflectentes, & humanis appetitionibus aptantes, In *Psal.* XLVIII. *conc.* I. ubi inquit. *Hoc est in hominibus magna, & usitata perversitas, quia cum debeant vivere ipsi secundum voluntatem Dei, Deum volunt vivere secundum voluntatem suam. Et cum ipsi nolint corrigi, illum volunt depravari: rectum non arbitrantes quod ille vult, sed quod ipsi volunt.* Contra istos animat Dei ministros, ut fortes invictique se præbeant, respondeantque quæ sequuntur. *Dilectores mundi aliquando interrogant nos, & dicunt nobis, expone rationem . . . Quid respondebimus? Babylonia te portat, Babylonia te continet, Babylonia te nutrit, Babylonia de te loquitur. Non nosti cavere, nisi quod fulget ad tempus, æterna meditari ignoras, non capis quod interrogas . . . Vere, fratres, sic est: incipite velle prædicare veritatem, quantulamcumque nostis, & videte quam necesse sit, ut tales patiamini irrisores, & exactores veritatis plenos falsitatis.*

VIII. Concilium Romanum VII. *Admonemus omnes qui æternæ damnationis pœnas evadere, & veræ beatitudinis gloriam cupiunt intrare, ut a falsis sibi caveant pœnitentiis . . . Unde omnia inter vos hortamur, ut in accipiendis pœnitentiis, non ad illos curratis in quibus nec religiosa vita, nec est consulendi scientia, qui animas hominum magis ad interitum quam ad salutem ducunt, teste veritate, quæ dicit:* Si cæcus cæcum ducat, ambo in foveam cadunt: *sed ad eos qui religione, & Scripturarum doctrina instructi viam veritatis, & salutis vobis ostendere valeant.*

IX. S. Gregorius VII. Lib. VII. epist. x. *Ex imperitia, & negligentia Sacerdotum; quasi ex pestifera radice, innumera mala exorta sunt; adeo ut usque ad hæc nostra tempora, inter cetera quæ male pullulant vitia, falsæ nihilominus pœnitentiæ consuetudo invaluerit.*

X. Concilium Lateranense II. can. XXI. *Quia inter cetera unum est quod sanctam maxime conturbat Ecclesiam, falsa videlicet pœnitentia, Confratres nostros & Presbyteros admonemus, ne falsis pœnitentiis animas decipi, & in infernum detrahi patiantur.*

XI. Concilium Rothomagense. *Nimia facilitate, & frequentia indulgendi omnia graviora crimina ecclesiastica disciplina enervatur, & ad ea, aut maiora perpetranda crescit hominum audacia.* Experientia testatur. Plurima alia antiquorum tum Patrum, tum Conciliorum dicta prætereo.

CAPUT IX.

Postremæ ætatis Sanctorum testimonia adversus Laxismum Confessariorum. Vanum responsum P. La-Croix *refellitur.*

I. SAnctorum Doctorum qui nobis propinquiores sunt, testimonia maiorem vim ingerent, & efficacius patefacient, non *Rigorismum*, sed *Laxismum* prævalere, & latius manare. Quare vigilantiores simus oportet, ut ab isto, qui nos undique circumdat, quam ab illo, qui longius a regionibus nostris exulat, nobis caveamus.

II. S. Thomas de Villanova *conc.* VI. *Dom.* IV. *Quadrag.* hæc scribit. *Illum qui a Domino vivificatus desiderio salutis a vitiorum sepulcro foras egreditur, vos, o Sacerdotes, solvite . . . Prius ergo vadat, & concubinam e domo expellat, pecuniam alienam restituat, contractus usurarios rumpat, famam proximi læsam, prout potest, resarciat, mercenariorum labores, & pauperum debita solvat, offenso fratri reconcilietur, & veniam petat: & tunc ad Confessarium redeat, & absolvatur. Hic rectus est ordo: hic in Lazari suscitatione a Domino servatus est. Hunc ordinem ne transgrediaris.*

III. *O medice, cur fœtentem solvis? cur indigno veniam promittis? cur, cui absolutionis beneficium exhibeas, non discernis? Duas tibi Dominus claves dedit, unam discernendi, alteram iudicandi, absolvendi scilicet, & ligandi. Et tu sine discretionis examine, neminem ligas, omnes absolvis? Una tantum clave, neque integra quidem uteris, sed dimidiata.*

IV. *Heu! Heu! ventrem meum doleo. In domo Dei horrendum vidi.* (Quid vidit, Rigorismum, an Laxismum?) *Pastores Domini sui oves iugulantes, medicos populi sui ægrotos occidentes, iudices turpibus blandientes, censores flagitia palpantes, cæcos gregem Domini dirigentes. An non horrendum hoc? . . . Ob MISERI ANIMARUM NON CURATORES, SED INTERFECTORES, NON CONSULTORES, SED DECEPTORES! Quid respondebitis Domino pro grege quem vestris blanditiis decepistis, vestris consiliis iugulastis?*

V. *QUID ECCLESIAM DEI HODIE PERDIT, NISI CONFESSARIORUM BLANDIENS ADULATIO? . . Væ miseris! . . vulnera liniunt, vermen conscientiæ extinguunt, stimulum peccati auferunt, & securos peccatores ad inferna demittunt. Qui, si timorem populo incuterent, forsitan illum a vitiis revocassent. CUI COMPARABIMUS ADULATORES ISTOS? . . similes sunt hominibus qui a ripa pereuntibus in flumine manum porrigunt, & violentia fluminis ipsi cum aliis*

aliis demerguntur. Pondere namque peccatorum assentatores suos post se peccatores in præcipitia rapiunt, & secum ad inferna deducunt.

VI. *Hæc contra Confessarios quosdam nostri temporis PIE IMPIOS, & IMPIE PIOS dicta sint, qui, ne confitentes aliqualiter contristent, illos in sua nequitia manere permittunt. At quanto melius esset ad modicum contristare quam in æternum damnare? . . . Non te pigeat, o Sacerdos, ægros moribus ad pœnitentiam contristare?*

VII. S. Carolus Borromæus in *Instruct. Part. II. cap. 1.* inquit. *Summopere cavendum est multis Confessariis ne in gravem reprehensionem inciderit eorum industria, cum de tanto numero confitentium tam exiguam emendationem videmus in iis qui toties, & tam multis annis hoc sacramentum frequentarunt.* Rursus subdit Instruct. Confess. cap. XII. *Vel incuria, vel negligentia, vel alia de causa sæpe accidit quod absolutionis beneficium iis impertiantur qui revera indigni sunt; ac proinde in eisdem sæpe peccatis hærent, cum animarum suarum lamentabili ruina.* Iterum in eadem Instruct. Confess. cap. XVII. *Atque hic vigilandum est eo diligentius, quo manifestum est hac in parte Confessarios incuria sua maximam præbere caussam, cur in omnibus fere opificiis, & exercitationibus publicis peccata gravissima inveniantur, & abusus intolerabiles.* Item *cap.* XVIII. invehitur contra eosdem Confessarios, qui absolvendi facilitate fovent luxum, pompas, & fastum. *Hac tempestate*, inquit, *luxus vestium ad summum quem conscendere potuit verticem, videtur evasisse, magna ex parte culpa & negligentia Confessariorum, qui nullo . . . cum scrupulo eos absolvunt.*

VIII. S. Franciscus Salesius in constitutionibus suis synodalibus *tit. 1. cap. V.* hæc habet. *Nihil perinde Ecclesiam dedecorat, nihil ita eius violat disciplinam, nihil ita fovet peccatores in somnolenta peccandi consuetudine, quam probrosus ille mos, quo quidam Presbyteri peccata relaxant, non tamquam iudices, qui prudenti, & gravi criminum discussione discernant, num pro eo possint pronuntiare; verum tamquam mancipia, quæ præcipiti, & adulanti indulgentia peccatoribus blandiuntur. De istis adulatoribus dicit Cyprianus, quod inducant in Ecclesiam dulcem crudelitatem, misericordiæ & clementiæ nomine palliatam. Eamque quam dant pacem* (absolutionem) *idem Cyprianus irritam esse, & falsam pacem asserit, dantibus periculosam, & nihil accipientibus profuturam . . . . Nam si detur absolutio sine spe probabili quod pœnitens stabit promissis, SANGUIS CHRISTI profanationi exponitur, & Presbyteri iteratarum prolapsionum, & illorum malorum se reos constituunt quæ ex falsis nascuntur absolutionibus. QUIBUS PERIT TUM PRESBYTERORUM, TUM POENITENTIUM INFINITA MULTITUDO.* Rigorista ne S. Franciscus Salesius?

IX. Respondet P. Claudius La-Croix *Lib. II. part. 11. num.* 1741. præfatos San-

ctos tenuisse rigorem, ubi circumstantiæ suadebant. Verum habet. Numquam enim adhibenda severitas est, nisi lege & necessitate cogente. Sed veritas facti est, hos sanctissimos viros invectos esse contra dominantem Confessariorum laxitatem. Reponit P. La-Croix, legendum esse P. Francolinum, qui exponit benignitatem horum Patrum. Mirabilis est industria La-Croix, qua lectores ab hac Sanctorum veritate abducere pertentat. Cum quid reponat ille non habeat, ad P. Francolinum lectores suos remittit: ad Francolinum, qui *Rigorismi* nos accusat, quod voluntatem constantem, & non vacillantem abstinendi a peccato mortali in pœnitente necessariam asseramus. Ad Francolinum appellat, qui, ut mitissime loquar, nimium pœnitentiæ disciplinam laxare studuit, & Patrum testimonia arbitrariis responsis eludit? P. La-Croix subdit, S. Thomam de Villanova loqui de Confessariis qui *ex humano respectu tacent, & quærunt placere pœnitentibus*. Scilicet, scilicet. Quis umquam dixit, S. Archiepiscopum declamare contra Confessarios qui spiritu Dei ardentes severam carni & sanguini evangelicam doctrinam in confessionali adhibent hominum maledicta contemnentes? Non modo Casuistæ plures SS. Patrum doctrinam non producunt in medium, & amplectendam lectoribus non proponunt; sed insuper ab aliis productam arbitrariis interpretamentis eam obscurant.

CAPUT X.

Quatuor sapientes, & doctissimi IESUITAE, Bellarminus, Elizalde, Camargo, De Albertis *invehuntur contra laxitatem Confessariorum*.

I. INnumera testimonia Cardinalium, Archiepiscoporum, & Episcoporum adversus Confessarios ignavos, laxos, & nimium faciles sacrorum mysteriorum dispensatores prætereo, ut invectivas exponam quatuor, quos proposui, sapientum Iesuitarum. Spero enim fore ut istorum testimonia opportuniora sint & validiora ad persuadendam veritatem, quam alioquin manibus contrectamus.

§. I.

§. I.

VEN. CARDINALIS BELLARMINUS
Soc. I.

II. IN *concione* VIII. Dominicæ IV. Adventus hæc ſcribit. „ Multi reperiun-
„ tur hodie imperiti œconomi, qui nec munus, nec locum, nec gradum
„ ſuum intelligunt. Et aliqui quidem ſe maiores, & aliqui minores eſſe ſe pu-
„ tant . . . Illi po remo ſe miniſtros, & diſpenſatores non agnoſcunt, *qui, qua-*
„ *ſi non eſſent Domino rationem reddituri, ſumma facilitate omnibus manus impo-*
„ *nunt, & tam contritos, quam non contritos*, tam plene, & perfecte confiten-
„ tes, quam peccata ſua quadam confuſa generalitate involventes, tam ſatisfa-
„ cere paratos, quam non paratos, quaſi propria poteſtate, & auctoritate abſol-
„ vunt. *Iſti ſua IMPERITIA ET SUPERBIA CORRUMPUNT POPULOS, &*
„ *eis veræ pœnitentiæ viam præcludunt. NEC ENIM ESSET HODIE TANTA*
„ *FACILITAS PECCANDI, SI NON ESSET TANTA FACILITAS AB-*
„ *SOLVENDI. Veniunt homines onuſti peccatis, & qui millies in eadem cecide-*
„ *runt, & veniunt ſæpe ſine ullo ſigno doloris, vel pridie, vel ipſo die ſummæ*
„ *celebritatis, & ſtatim abſolvi, & ad ſanctorum myſteriorum communionem acce-*
„ *dere volunt*. Et nos IUDICES INCONSIDERATI, DISPENSATORES IN-
„ FIDELES omnibus manum imponimus; omnibus dicimus: *Ego te abſolvo.*
„ *Vade in pace*. Sed væ nobis, cum Dominus rationem ponet cum ſervis ſuis.
„ Servi ſumus, diſpenſatores ſumus, non domini ſumus: cauſam Dei, non no-
„ ſtram agimus: offenſas Dei, non noſtras remittimus: bona Dei, non res no-
„ ſtras diſpenſamus. Hinc videlicet B. Auguſtinus in epiſt. CXLVIII. *Nihil eſt*, in-
„ quit, *in hac vita, & maxime hoc tempore facilius, & lætius, & hominibus*
„ *acceptabilius Epiſcopi, & Presbyteri officio, ſi perfunctorie & adulatorie res aga-*
„ *tur; ſed nihil apud Deum miſerius, & triſtius, & damnabilius*. Et B. Ioannes
„ Chryſoſtomus, *Non temere*, inquit, *dico, ſed ut affectus ſum, ac ſentio. Non*
„ *arbitror inter Sacerdotes multos eſſe qui ſalvi fiant; ſed multo plures, qui pe-*
„ *reant. Unius enim animæ perditio tantam habet iacturam, ut nulla ratione poſ-*
„ *ſit æſtimari* . . .

„ Ingrediantur qui eiuſmodi ſunt, aliquando cor ſuum; ibi profecto, ſi atten-
„ dant, Deum ipſum ſic loquentem audient: ego te exaltavi, & non Angelum
„ aliquem, ſed DEUM quemdam inter homines eſſe te volui: ego te caput,
„ & iudicem conſervorum tuorum conſtitui: tibi omnia mea bona commiſi, di-
„ vitias, honorem, ſponſam, meipſum, & quidquid aliud habere potui: tibi cre-

Ii iiij „ didi

„ didi claves regni cælorum, tibi SACRAMENTA, PRETIUM SANGUINIS „ MEI, TIBI IPSUM CORPUS ET SANGUINEM MEUM, tibi animas ipsas „ sponsas meas, pro quibus pati, & mori non recusavi: denique honorem, & „ gloriam meam per te, & a te, & in te honorari volui: *& TU calce abiecisti me, & qui lux mundi & sal terræ esse debuisti, ita insipiens, & sceleratus factus es, UT PROPTER SPLENDOREM QUEMDAM* (N. B.) *SAECULAREM CORONAM TUAM, & gloriam meam tanto dedecore, atque iniuria afficeres, ut etiam MULIERCULIS servire non erubesceres.* "

III. Deinde laudatis testimoniis Cypriani, Nazianzeni, Ambrosii, Theodoreti; ostendit, Confessarios & Pastores infideles sacramentorum dispensatores deridendam exponere catholicam religionem Lutheranis, & ceteris novatoribus. Deinde concludit. *Semper errores versantur in extremis; veritas in medio. Hæretici Sacerdotibus omnem potestatem, atque adeo ipsum ministerium auferunt. Imperiti Catholici non ministros eos, sed dominos faciunt. Veritas est in medio.* Sic nos existimet homo ut ministros Christi. *Atque utinam hoc tempore non INFINITI reperiantur qui imperitos illos Corinthios imitarentur. Passim enim videbitis euntes homines ad CONFESSIONEM, & licet neque dolorem peccatorum, neque desiderium satisfaciendi pro præteritis habeant, tamen omnino cupiant absolvi: & si CASU ALIQUO* (N. B. Quia communiter inveniunt qui consuunt pulvillos &c.) *Confessarium sapientem inveniant, qui eis aperte dicat: Frater, ego hic sedeo, non ut Rex, sed ut iudex, neque iudicare possum, nisi secundum allegata, & probata, & nisi meliorem animum in te videam, non expectes ut te absolvam. Vade, persuadeas Deo, si potes, ut sine vera pœnitentia in gratiam suam te recipiat, & debitum dimittat . . . Si, inquam, talem Confessarium fidelem & prudentem nacti fuerint, quærunt sibi alium, & si possunt surdum aliquem, vel imperitum, & ab eo absolutionem quoquo modo extorquent, & tum vere se liberos, & absolutos putant, cum sint miseri duplici vinculo colligati.*

IV. Tandem *concione* IX. in eadem Dominica, hoc ex pluribus quæ de pœnitentia locutus est, intulit consectarium. *Quid hinc sequitur, nisi ut quam PLURIMI TURMATIM in gehennam descendant, & non solum ex iis qui non confitentur. Vere dico vobis, dilatavit infernus animam suam, & descendunt ad eum sine numero.* Huc animos intendant illi qui Ecclesias populo plenas, qui sacramentorum frequentiam spectantes, iactant tamquam auream sæculi nostri tesseram.

§. II.

§. II.

P. MICHAEL ELIZALDE
Soc. I.

V. Celeberrimus hic, atque sapientissimus Iesuita integro suo volumine, auro cedroque digno, lacrymabundus describit amplissimam, funestissimamque stragem, ex opinionum, & Confessariorum plurium laxitate invectam. *Lib. VI. quæst.* XIX. *§.* 1. hæc habet. „ Supra etiam B. FRANCISCUM SALE-„ SIUM dedi, dicentem, secundum Ven. Ioannem de AVILA, ex MILLE VIX „ UNUM reperiri regendis animabus idoneum. *Ipse vero ait ex DECEM MIL-„ LIBUS VIX UNUM talem reperiri* . . . Sed dicis: hi quos allego, libri spiri-„ tuales sunt, theologici non sunt; sed utrum verum dixerim, an non, abs te „ peto. Hi viri sunt qui scientiam Dei, & Sanctorum in terra tradiderunt. *Su-„ perest ut dicas, nec Deum scire Theologiam.*

VI. „ S. Thomas in *IV. dist.* XXIV. *quæst.* 1. *art.* 3. subdit: *Si & non possent tot „ ministri inveniri, quot modo sunt; melius esset paucos ministros habere bonos „ quam multos malos, ut dicit B. Clemens*: & scriptum est: *Multiplicasti gentem, „ sed non magnificasti lætitiam.*

VII. „ Ibidem quæst. XX. *§.* 1. *Pseudoprophetarum* NATIO, SEMPER SANE „ NUMEROSIOR, *placentia, unde benediceretur, locuta est*. Prophetæ contra „ tristia, timoremque Dei incutientia denuntiarunt, ex quo displicuerunt, & „ passi sunt. Satis certe alienis experimentis instituimur, si discere velle-„ mus &c.

„ Multi, vel non pauci hoc considerare videntur, utrum sacramentum hoc „ suscipiatur, ac frequenter etiam suscipiatur, *supponuntque communem & fere „ omnium tam Confessariorum, quam pœnitentium praxim administrandi, & susci-„ piendi esse rectam*. Hinc etiam nostras, vel aliorum securiores doctrinas iudi-„ cant, & *taxant, dicentes eas non esse concordabiles cum dicta praxi*, & sic eas „ esse *impracticabiles*, ac proinde inutiles, & veluti Platonis ideas: quod & re-„ ligioni christianæ obiectum pridem fuit. Hæc autem oppugnatio ad hunc syl-„ logismum est resolvenda. Praxis communis, & fere omnium sacramentum pœ-„ nitentiæ administrantium, & suscipientium est recta. Sed hæc, aut illa doctri-„ na huic praxi non concordat. Ergo non est recta. Sane si maiorem proposi-„ tionem nobis stabilirent . . . rem nobis facerent longe gratissimam &c.

„ Illud vero adversus eam nos continuo torquet . . . quod verissima sententia „ illa sit quam ex Evangelio, ex Sanctis, Theologisque, opinor, demonstrabi-„ mus,

„ mus, ex adultis etiam Catholicis non plerosque, non plures, sed *pauciores* „ salvari. Sed si communis praxis sacramentum pœnitentiæ administrandi suscipiendique esset recta, idest valida, & iustificans; non pauciores, sed plures, „ & plerique omnes salvarentur: quod constat, quia plures, & plerique omnes, susceptis sacramentis, & aliquanto accuratius quam in integra valetudine, obeunt: & quamvis contingere possit, ut historiis quibusdam proditur, eos „ post adeptam etiam iustificationem iterum cadere, hoc tamen multis de causis „ perrarum est. Ergo communis & ordinaria praxis non recta, sed deficiens est, „ ac sæpe deficit.

„ *Ex nullitate porro sacramentorum in mortis periculo fit argumentum a fortiori* „ *ad nullitatem in sana valetudine: multo enim accuratius disponi pœnitentes solent in eo periculo, Confessoresque impensius, & diutius illis rite disponendis incumbunt. Et tamen sæpe fallit, & deficit praxis in mortis periculo. Ergo sæpius in vita. Quo historia illa S. Francisci facit, qui ex viginti millibus iubilæi lucrandi gratia Assisium confluentibus, quatuor solum, vel quinque lucratos* „ *fuisse, testatus fuit . . . Hoc itaque nos continuo torquet, qui fieri possit, fere* „ *omnes susceptis sacramentis obire, & tamen tam paucos salvari.*

„ Theologi pene omnes, qui dictam paucitatem tuentur, ut Molina, Montoia, Mendoza, A Lapide ad illud Matth. 11. *Pauci vero electi*, opponunt sibi hanc difficultatem: & respondent, sacramentum pœnitentiæ SAEPE nulliter suscipi, etiam ab infirmis periclitantibus. Punctum ergo est hoc longe gravissimum, & quod velut principium moralis doctrinæ Moralistæ debent examinare. *Haud enim pietas, sed crudelitas est, fideles huius tanti periculi non* „ *commonere, & dicere, Pax, pax, ubi non est pax: quod moris non Prophetarum fuit, sed pseudoprophetarum: quemadmodum si ego interrogatus de securitate itineris, ubi plures pereunt, tuta omnia pollicerer, vix fera non essem.*

§. III.

P. IGNATIUS DE CAMARGO *Soc. I.*

VIII. DOctissimus hic Iesuita, non secus ac duo præcedentes, deplorat Confessariorum plurium laxitatem *Lib. I. part. 1. contr. 3. artic. 4. num. 3.* „ Verumtamen hæc omnia quæ ex contraria sententia recentiorum immediate „ ac legitime consequuntur, absurdissima plane sunt apud prudentes omnes & „ pios: quod quidem evidentius est quam ut a nobis debeat ostendi. Audiatur „ tantum BONAVENTURA in ipso prologo sui Confessionalis. *Cum secundum*

„ *B. Gre-*

„ *B. Gregorium sit ars artium regimen animarum, & occultiora sint vulnera cogitatio-*
„ *num quam viscerum; HORRENDUM profecto est videre quosdam Sacerdotes nostri*
„ *temporis qui sacram Scripturam, in qua præfati regiminis ars sufficientissima tradi-*
„ *tur, & iura canonica, & scripta Doctorum, in quibus plenissime declaratur, vel per*
„ *torporem legere negligunt, vel per ignorantiam nesciunt: & tamen cordis medicos*
„ *in audiendis confessionibus se profiteri impudenter non metuunt* &c. Id ipsum quo-
„ que confirmat & urget D. Thomas, eodem adducto etiam medicorum exem-
„ plo. Vide, precor, an postulet laborem, & studium munus hoc regendi con-
„ scientias. VAE NOSTRI TEMPORIS CONFESSARIIS INNUMERIS! VAE
„ POENITENTIBUS AD IPSOS ACCEDENTIBUS, *nisi hi summi Ecclesiæ Do-*
„ *ctores verbis inanibus nos deceperunt!*

§ IV.

P. ALBERTUS DE ALBERTIS. *Soc. I.*

IX. Fusius ceteris perdoctus P. Albertus de Albertis invehitur adversus Confessariorum plurium ignorantiam, & laxitatem *Paradox. Disput.* 11. *c.* IX. *num.* 67. his verbis. „ *Adeste Confessarii incliti: adeste Concionatores fervidi:*
„ *adeste solliciti animarum Pastores: adeste infulata capita, Antistites, & Præsi-*
„ *des, Religiosi, atque Ecclesiastici universi*. Vos ergo contestor omnes, vos, quos
„ Dei amor urit, proximorumque ab æterno interitu retrahendorum cura saltem
„ aliqua vos tangit. *Vos qui fascinio soporati veteri* corruptelæ nudati feminei pe-
„ ctoris nullum hactenus bellum intulistis. Eia, nunc tandem silentium minime
„ tutum rumpite: iam inerti tolerantiæ modum ponite &c.

„ Non pauci qui moralium quæstionum ARBITROS se constituunt, atque in-
„ ter Theologos irrepere, & censeri cupiunt, sæpenumero, quamvis divinarum
„ litterarum, priscorumque Patrum sententia perspicua in controversia aliqua ex
„ adverso obluctetur, nihilominus, *ut nescio quibus suis placitis, nullo fundamento*
„ *etiam innixis, serviliter ancillentur, suaque dogmata, quæ semel imbiberunt,*
„ *perfracte tueantur*, vim plane apertam tam sacris codicibus, quam Patrum mo-
„ numentis inferre, utrosque torquere, eludere, inflectere, luxare, ac traducere
„ minime dubitant. Si quam etiam mundi corruptelam valde usitatam Scriptura
„ sacrosancta, & Patres improbant, damnantque, ii omnem operam studiumque,
„ *quo hominum gratiam aucupentur, ejusdem corruptelæ patrocinio suscipiendo im-*
„ *pendunt: atque ut impendant, eamdem Scripturam, & Patres ludibrio, quam re-*
„ *ligioni habere malunt, ne dicam prodere.*

„ Ab

„ Ab his vero, si quis forte rationem, cur alicui opinioni adhæreant, postulet, „ indignantur; si auctoritatem, rident; si Doctores, fremunt; suum ipsorum iu„ dicium pro ratione, pro auctoritate, pro Doctoribus abunde sufficere arbitran„ tes. In quos male ego metuo, ne effatum illud . . . *Quod volumus, sanctum* „ *est*, quadret adamussim; honestumque, iustum, ac sanctum, simul ac iucun„ dum, ac conducibile illis videtur, illico ab eis decernatur.

„ Pugnant inter se iudicia hinc unius e Patribus sanctissimi gravissimique, vel „ plurium etiam ex eodem ordine, illinc recentioris Auctoris aut Doctoris, mu„ tuoque in contentionem veniunt: affirmant illi *disertissime*; negat iste *rotundis*„ *sime:* tametsi autem novus auctor, sæpe etiam non optimæ notæ, sed *proleta*„ *rius* suam opinionem neque ulla insuper ratione, neque ullo documento, aut „ testimonio fulcit; nihilominus huic ita inficianti, indulgentique plus fidei quam „ sancto Patri exerte reclamanti asseverantique a nonnullis tribuitur. Quo quid „ perversius, rogo, aut iniquius esse queat?

„ *Quid quod aliquas multi morales controversias ita subinde definiunt, ut non tam* „ *veritati quam personarum gratiæ VENALITER ANCILLARI videantur; non* „ *secus ac Iurisconsulti plerique auro conducti, iura legum non iustitiæ, vel æquitati,* „ *sed clientum cupiditati & lubentiæ attemperantes. Nam qui non rationis defæcatæ* „ *præscripto ducuntur, sed cæcæ appetitionis impetu abducuntur, non solum verita*„ *tem ipsam e tenebris minime eruunt, sed in meridie quoque licet clare micantem,* „ *multa POLITICORUM FUCORUM VULPINORUMQUE RESPECTUUM caligine* „ *obvolvere ac de terrarum orbe in cimmeria antra detrudere mire satagunt:* quo„ rum ingenium sapientiæ coryphæus Salomon *Prov.* 28. ad vivum hisce verbis „ expingit. *Qui cognoscit in judicio faciem, non bene facit: iste & pro buccella pa*„ *nis deserit VERITATEM.* Hinc complures quoque viri, qui suismet dumtaxat „ oculis seipsos contemplantes, magni etiam, ac nimio plus se æstimant, quo„ niam ea quæ sunt omnium, & non Dei tantummodo sapiunt, doctrinam om„ nem, quam tenent; HUMANIS RESPECTIBUS fœde mancipant. Damna „ animarum non intelligunt, occasiones peccatorum non percipiunt; corruptelas „ morum nihil pendunt. Quid mirum? *Qui secundum carnem sunt, quæ carnis* „ *sunt, sapiunt*; ut ex Apostolos Rom. 8. perspectum est.

„ *Hæc videlicet CARNIS PRUDENTIA ipsissima est quæ in controversiis conscien*„ *tiæ examinandis, in animarum iudicio ferendo, IN FORO POLI GUBERNANDO* „ *faciem cognoscit: hæc quæ personas hominum intuetur: hæc quæ pro panis buccella* „ *VERITATEM deserit: hæc illa quæ multas opiniones veræ probabilitatis expertes,* „ *veluti probabiles ac tutas, venditat: hæc illa quæ communibus, & certis Doctorum* „ *sententiis, sola auctoritate sine ratione inveteratam auctoritatem rationum pondere* „ *subnixam detrahere conatur; hæc illa quæ regiam viam exploratæ doctrinæ relin*„ *quens*,

„ *quens, per avia & præcipitia levissimæ subtilitatis incedit: hæc illa quæ vires om-*
„ *nes solertiæ, eruditionis, industriæ, ac studii ad opiniones carni, & sanguini favo-*
„ *rabiles invehendas, muniendasque, ad oppositas vero animæ ac spiritui salutares*
„ *convellendas, & labefactandas expromit. IN SCHOLA QUIPPE CARNIS PRU-*
„ *DENTIA CARNIS, MAGISTRA, ET PATRONA CARNIS, QUID,*
„ *QUÆSO, NISI CARNEM DOCEAT?* In prælud. ad Paradox. num. 1. 2. 3.
„ 4. 5. & 6.

„ Non possum me hoc loco diutius continere, quin PORTENTUM INGENS,
„ valdeque noxium intento, ostendam digito, simulque maiorem in modum ad-
„ mirer (dicam ne, an indigner?) a nemine fere id observari, sed ultro hospi-
„ tio quoque tamquam *innocens* benigno recipi .... Nam certum quoque est
„ ab hisce iisdem mulieribus divina sacramenta obiici, nec tamen a Confessariis
„ communiter ullum scrupulum de huiusmodi ornatu ipsis iniici; sed easdem tam
„ secure, tam facile, tam liberaliter, sine ulla mentione emendationis, perinde
„ ac si omnia fulmina, quæ in eumdem ornatum & sacri Doctores passim, &
„ rationes ineluctabiles intorquent, MERÆ ESSENT FABULÆ ÆSOPI. Hoc
„ enim vero piaculum perindignum perversumque valde est: in quod severe ani-
„ madvertet Deus, qui *tales Confessarios*, & pœnitentes suo in iudicio multo ali-
„ ter quam homines iudicabit &c.

„ O si Confessarii omnes hanc apostolicam spiritus libertatem imitarentur! O si
„ nihil aliud sincere & pure quam Deum, & salutem animarum quærerent? ..
„ Quam multæ resciscerent! Quam multæ incrementa lasciviæ exuerent! Quam
„ multæ sancto Dei timore corriperentur?

„ Audivi ego Mediolani in Templo Rosæ ex ore P. Campanæ celeberrimi ex
„ Ordine Dominicano concionatoris in publica concione apophtegma de quodam
„ Principe pulcherrimum, qui, cum Sacerdotem, quem sibi Confessarium cupiebat
„ deligere, quæreret, aiebat illum ea conditione præditum velle, non qui time-
„ ret Principem, sed qui Principi timorem incuteret. O aureum dictum, non
„ quovis tantum Principe, sed Principum sapientissimo Salomone dignissimum!
„ *Qui Confessarii munere rite fungi vult, necesse omnino est ne quemquam aut ullum*
„ *suorum, vel suarum pœnitentium metuat, nec vereatur ullum, ullamve .... amit-*
„ *tere, vel dimittere* Quo virili animo imbutus Confessarius, humana spernens,
„ faciem hominum formidare nescius, Deique gloriam, & animarum bonum
„ dumtaxat spectans, pœnitentes, quæ monendæ sunt, libere monebit, a via
„ perditionis revocabit, lethiferi ornatus luxum deponere iubebit, opportunis reme-
„ diis imbecillos curabit.

„ *At ubi ipse in metu est, ne detecta veritate, & paterna monitione adhibita pæ-*
„ *nitentes alienet, atque hæ alium sibi Confessarium adoptent, in magno sane damna-*
„ *tionis*

„ *tionis æternæ periculo tam Confessarius ipse, quam pœnitentes versantur. Nam hu-*
„ *iusmodi Confessarius ingenti discrimini semper obiectus est, ne huiusmodi anxio timo-*
„ *re, qui totus ex aliqua caducæ rei cupiditate, quæ suque fallente, excæcante, illa-*
„ *queante, veritatem quam aperire deberet, supprimat; occasionibus proximis interdi-*
„ *cere negligat; opinionibus, quæ vere probabiles non sunt, utatur; non salutem pœ-*
„ *nitentium, sed propria lucra, & commoda sectetur, atque ita propriam conscien-*
„ *tiam illaqueet; quumque sub mortali admonere tenetur, ignave dissimulet, atque*
„ *ita animam suam ipsemet perdat, unaque plurimas ALIORUM, atque ALIA-*
„ *RUM, quibus dux ad salutem ipse debuerat, contra autem ipse eisdem ruinæ ac*
„ *præcipitii factus est auctor: toties ideo perdendus, atque damnandus ipse, quoties*
„ *mortifera sua adulatione, tergiversatione, ludificatione, unum, vel unam e suis*
„ *pœnitentibus perditionis ac damnationis viam ingredi, & currere permisit, nec*
„ *serio probibuit*. Paradox. mor. disp. 1. cap. IX. pag. 232.

CONSECTARIUM.

Non modo plures Casuistæ divinis Scripturis, & SS. Patrum doctrinis allicere & urgere Christianos non curant ad veram pœnitentiam, ad exactam evangelicæ legis observantiam; sed e contrario testimonia SS. Patrum, a gravioribus Theologis producta, extenuare, implicare, & enervare conantur. Quis illorum Ven. Cardinalis Bellarmini, S. Caroli, S. Thomæ, S. Francisci, & antiquorum PP. doctrinam quam supra rescripsi, in libris casuisticis inseruit? Immo e contrario P. Croix *loc. cit. num.* 1766. & Bellarmini, & aliorum Sanctorum doctrinam, ab aliis in apricum expositam, suis blandis responsis, quæ brevitatis gratia prætereo, extenuat & involvit. Hæc sunt facta obvia, manifesta, evidentia, quæ istorum Auctorum genium, inclinationem, studium, quo tendant, patefaciunt. Eos ergo Theologos morales legito qui sententias suas Scripturarum, Patrum, Conciliorum, & Catechismi Tridentini testimoniis confirmare student. Tu, lector, iudex esto, num quorumdam Casuistarum lectio te ad devotionis fervorem, ad severam pœnitentiam, ad humilitatem, caritatem, divitiarum contemptionem, ad sanctum Dei timorem, & pavorem excitent, accendant, inflamment. Tu, inquam, iudex esto.

CA-

CAPUT XI.

Quam pauci sint Confessarii optimi. Quanta Christianorum obligatio eligendi Confessarium doctum, & probum. Confessarii gravius urgentur seligere librum sanioris Theologiae, cui impensius studeant.

I. EX hactenus dictis compertum est, quam verum sit id quod auctoritate SS. Patrum docent Ven. Magister Avila, vix ex mille, & S. Franciscus Salesius ex decem millibus unum Confessarium optimum, & omnibus dotibus instructum reperiri. Si ego talia ex me scriberem, quae non intorquerent maledicta contra me mollioris Ethices patroni? At sic loquuntur viri Sancti & Ecclesiae Doctores.

II. Heinc consequitur, omnes plus & minus obstringi ad seligendum Confessarium doctum probumque, si facultas adsit. Hoc gravissimum punctum non meis, sed sanctorum PP. verbis demonstro.

III. Origenes in *Psal.* XXXVII. *hom.* II. haec scribit. *Tantummodo circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente.*

IV. S. Basilius in *Reg. brev. inter.* 229. inquit. *In peccatorum confessione eadem ratio est quae in apertione vitiorum corporis. Ut igitur vitia corporis nequaquam quibusvis homines temere aperiunt, sed iis tantummodo qui rationem, qua ea curanda sunt, teneant; eodem modo etiam peccatorum confessio fieri debet.* Rursus *serm.* de abdicatione saeculi haec adiicit. *Magna cura, & sollicitudine operam dato ut aliquem tibi virum invenias quem in ista, quam amplexus es, vitae institutione certissimum ducem sequaris, qui probe sciat Deum requirentibus viam monstrare, qui virtutibus omnibus ornatus sit, cui facta sua idoneum caritatis erga Deum dederint testimonium, qui sacrarum litterarum scientiam habeat &c.*

V. S. Ioannes Chrysostomus, sive Auctor operis imperfecti *hom* IV. *in Matth.* haec habet. *Si vestem empturus unum gyras negotiatorem & alterum, & ubi meliores vestes inveneris, & pretio viliori, ab illo comparas: annon oportet populum circumire omnes Doctores, & inquirere, ubi sincere veritas christi venumdetur, & ubi corrupta; ET VERIOREM eligere plusquam vestimentum?* Intellexistin? Veriorem dicit, non minus veram, non minus probabilem. Et denuo Chrysostomus ipse in genuino opere, nempe *in* II. *Cor. cap.* 7. *hom.* XIII. haec addit. *Non igitur multorum opiniones habeamus, sed res ipsas inquiramus. Quomodo autem non absurdum, propter pecunias aliis non credere, sed ipsas numerare, & supputare;*

pro

pro rebus autem amplioribus aliorum sententiam sequi simpliciter; idest, nulla præmissa discussione, consilio, & examine.

VI. Hæc omnia hausta sunt ex ipsis Scripturis sanctis. Dicitur enim *Eccles.* IV. *Non confundaris confiteri peccata tua, & non subiicies te omni homini pro peccato*. Et evangelista Ioannes *cap.* IV. ait: *Carissimi, nolite omni spiritui credere; sed probate spiritus, si ex Deo sint: quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum*. Et S. Paulus II. ad Timoth. cap. IV. *Prædica verbum, insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus; & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur*.

VII. Tandem Tridentini Concilii Catechismus de *pœnit.* §. 56. quæstionem meam proponit his verbis. *Qualis cuique de sua salute sollicito deligendus sit confessionis minister*? Et dotibus optimi Confessarii enarratis, hæc adiicit. *Ex quo poterunt fideles intelligere, cuivis maximo studio curandum esse ut eum sibi Sacerdotem deligat quem vitæ integritas, doctrina, & prudens studium commendant*.

VIII. Si Christiani gravi obligatione obstringuntur, præsertim divites, mercatores, iudices, nobiles, ministri, magnates, Principes eligendi Confessarium doctum probumque; quo maiori onere astringuntur Confessarii deligendi auctorem Sacræ morum Theologiæ doctum, sapientem, in Scripturis, Patribus, & sacris canonibus versatum? Placet transcribere perdocti P. Vincentii Contensonii verba, quibus *Lib.* VI. *diss.* III. *cap.* II. describit deceptionem multorum, qui perlectis Summulis Busembau, Bonacinæ, Bertini, & Bertualdi, aptos se putant conscientiarum arbitros. „ Iuxta modernos (inquit) Probabilistas, sicut quælibet opinio „ probabilis tuta est agendorum regula, ita quilibet de plebe doctus, quilibet Sa„ cerdos post perlectum *Bertinum*, & *Bertualdum*, post exploratum compendium „ *Dianæ*, vel *Bonacinæ*, idoneus habetur regendis animabus dux; cum tamen res „ admodum periculosa, lubrica, ingentis cautionis, & divinæ prudentiæ, ac di„ vinorum experientiæ sit, de conscientiæ latebris, de gravitate criminum, de cul„ parum distinctione, de pœnitentiæ iniungendæ modo definire. Vidi non sine „ acerbissimo doloris sensu excipiendarum confessionum curam infirmissimis in„ geniis committi .... *Vidi, & dolui illis sanandarum animarum provinciam mi„ serrime demandari quibus vix claves ianuæ domus credere voluissent. O perversam „ rerum æstimationem*! ... *Patres divini luminis abundantia præcellentes falsitatem „ timent similitudine veritatis indutam; formidant corruere, & secum alios in eam„ dem foveam trahere*: & nemo Probabilistarum non se ad animarum curam pu„ tat idoneum, *probabilitate non minus, quam divina revelatione securum. Væ pec„ catoribus in ejusmodi duces incurrentibus*! " Væ Confessariis, subdo ego, in la-

xioris

xioris doctrinæ libros incurrentibus. Quod ad me attinet, id testari possum, optimorum Auctorum lectioni, & studio magna ex parte, secundum Deum, salutem meam æternam, quam firmirer spero, me debere. Lectio Casuistarum plurium, qui in manibus Confessariorum communiter sunt, arida, disceptatrix, litigiosa, sophistica. Dei timorem non excitat, inter gravissima pericula securitatem spondet, sensibus & carni prurit, & adulatur benignitatis obtentu. Si Christiani vigiles, & diligentes sint oportet in diligendo Confessario; qua vigilantia, quo studio satagere Confessarii debent ut optimos Christianæ Theologiæ libros sibi comparent, unde regendarum animarum regulas haurire optimas valeant? In memoriam revoca scientiam qua præditos esse debere Confessarios, diximus supra: & inde collige, num ex lectione plurium Casuistarum talem indipisci scientiam valeant. Lege plura de iis quæ dicta sunt in *Hist. Probabil. & Rigorif. Tom. II. diss. v. cap. v.*

§. UNICUS.

Christiani, Confessariorum suorum directionem sequentes, & Confessarii, opiniones Casuistarum plurium amplectentes, damnari æternum possunt.

I. GRavissimum punctum odii, & invidiæ plenum paucis discutiam. Fusissime illud versant P. Camargo, & P. Elizalde. Ego quoque tum in animadversionibus ad *Tom. I. Ioannis Pontas*, tum in *Histor. Prob. & Rigorif. Tom II. diss. v. cap. v.* illud dispexi fusiore sermone. Pauca nunc delibo.

II. P. Ignatius de Camargo *Lib. I. contr. 4. artic. 6. num. 647.* communem Christianorum deceptionem refellit his verbis. *Interim tamen Christiani plurimi vix non blasphemiam reputant asserere, quod possit quis peccare, ac perire, dum sequitur dictamen Theologi, aut Confessarii gravis & docti. Nihil bodie receptius; nec arguendum non vereor quod falsum referam; sed cogitatio ista non solum stultitia plena est, sed errorem invaluit etiam in fide. Huc nempe ducit homines lucis filios errorum tenebras non timere, sed beatos se existimare, quamdiu probabiliter errant, ac sine conscientiæ remorsu pace illa damnabili, ac damnata, totiesque a Deo maledicta fruentes, per quam securi dormiant, sed pereunt. Heu* popule meus! qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant. Stat ad iudicandum Dominus: *Isai. III. Verum dolor nos abripit quo tempus ire probibet.*

III. Quod errare Confessarii in suorum pœnitentium regimine valeant, quin voluntatem habeant eosdem decipiendi, comperta sunt sanctarum Scripturarum te-

testimonia. Deus Ezech. XIII. hæc minatur. *Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident . . . Vident vana, & divinant mendacium . . . & erit manus mea super Prophetas . . . eo quod deceperint populum meum dicentes, Pax, & non est pax*. Eadem intonat per Isaiam cap. XXIX. *Obstupescite, & admiramini . . . Miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros, Prophetas, & Principes vestros, qui vident visiones, operiet . . . Peribit enim sapientia a sapientibus eius, & intellectus prudentium eius abscondetur*. Eodem modo Ieremias cap. XXIII. clamat. *Væ pastoribus qui disperdunt & lacerant gregem pascuæ meæ, dicit Dominus . . . Ecce ego visitabo vos super malitiam STUDIORUM VESTRORUM . . . Nolite audire verba Prophetarum, quæ prophetant vobis, & decipiunt vos*.

IV. Non dissimili obiurgatione Christus Dominus increpat novi fœderis Theologos. Inquit enim cap. XV. Matthæi: *Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt*. S. Paulus Apostolus altius hæc omnia fidelibus inculcat I. *ad Tim. cap.* I. his verbis. *Aberrantes conversi sunt in vaniloquium, volentes esse legis Doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Scimus autem quia bona est lex, si quis ea legitime utatur*.

V. Quemadmodum Ecclesiæ Hebraicæ Doctores, Theologi, & Prophetæ firmiter credebant nec falli, nec fallere populum quem imbuebant; & tamen reipsa decipiebant, & decepti peribant; sic Theologi novi fœderis constanti persuasione convicti sunt se nec decipi, nec decipere animas, quas sanandas suscipiunt; & tamen non secus ac illi decipere & se, & gregem valent. Immo tam absunt a persuasione errandi, ut credant se sacrificium offerre Deo illa ipsa actione qua oves iugulant. *Venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo*: ait Christus Dominus Ioan. XVI.

VI. Errare Theologi possunt, & Confessarii, ut ex Scripturis sanctis ostensum est. Ergo perire æternum valent Christiani sub eorumdem regimine. Nisi falsæ Theologorum, & Confessariorum sententiæ animarum damnationem inferrent; nec Ecclesia errores illorum proscriberet, nec apostolicos ministros mitteret ad populum illuminandum. Si medicus eo frueretur privilegio, quo sanare ægrotos non minus veneno quam pharmaco posset; nec infirmus detrimentum reciperet, nec medicus porrigendo medicinæ loco venenum, peccaret. Similiter si æque opinionibus laxis & falsis Theologorum, & Confessariorum errantium, ac recte & sancte dirigentium, sanari & proficere fideles in via Domini possent; nullum inter effectus erroris, & veritatis discrimen intercederet. At hæc monstra sunt & chimæræ; cum Dominus clamet: *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt*. Quem textum sanctum sic *Lib. Past. cap.* X. exponit S. Augustinus. *Terret Dominus non solum cæcum ducentem, sed & cæcum sequentem. Neque*

quæ enim ait, Cadit in foveam ducens, & non cadit sequens, sed cæcus cæcum ducens, ambo in foveam cadunt.

VII. Illi præsertim Christiani in pereundi periculo versantur qui data opera quæritant Doctores blandiloquos, & Confessarios qui placentia loquantur: & similiter illi Confessarii damnationis discrimini obnoxii potissimum sunt, qui Casuistas laxiores revolvunt, ut opinionem laxiorem, fuco benignæ probabilitatis delibutam, inveniant. De his quippe Paulus *II. ad Tim. cap. IV.* loquitur. *Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Quem textum his verbis declarat S. Anselmus. *Acervum sibi congregabunt magistrorum, qui doceant eos ea quæ desiderant . . . Cupiunt audire verba quæ errores doceant, & ad delectationes alliciant, & fugiunt audire sermonem veritatis.* S. Thomas in commentariis in textum Apostoli inquit: *Loquimini nobis placentia, hoc est secundum sua desideria, quia unus vult audire unum, & alius vult audire alium; & sic quærunt diversos magistros, seu Confessarios.*

VIII. Scribæ, & Pharisæi, Doctores, & magistri Hebræorum doctrinæ, & probitatis fama resplendebant. Propterea ne excusatione dignus reputatus populus fuit? *Sine causa* (inquit Christus) *colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum*: Matth. XV. Mellifluus Doctor Bernardus *serm. XXXIII. in Cant.* lugebat clamabatque, multis Christianis suo tempore obvenisse calamitatem cæcitatis, & seductionis, qua involuti Iudæi erant. *Væ generationi huic a fermento Pharisæorum! . . . Serpit hodie putida tabes per omne corpus Ecclesiæ, & quo latius, eo desperatius, eoque periculosius, quo interius . . . Intestina, & insanabilis est plaga Ecclesiæ; & ideo in pace amaritudo eius amarissima. Sed in qua pace? Et pax est; & non est. Pax a paganis, pax ab hæreticis, sed non profecto a filiis.* Sed eo malorum res ætate nostra devenit, ut vix SS. Patrum lamentationes referre valeamus. Et tamen veritas certissima est, in Scripturis sanctis revelata, eo mundum fore nequiorem, quo seniorem. Et nonnullos haud pudet auream appellare ætatem nostram, comparatam cum elapsis.

IX. Cedo: Christiani, qui doctrinam Tertulliani, Origenis, Dioscori, Nestorii, Arii amplectebantur, salutem ne sunt assecuti? Populi qui sequuntur errores Lutheri, Calvini, aliorumque novatorum, numquid salvi fient? Errant illi in fide. Bene habet. At obscuriora sunt fidei mysteria quam morum præcepta. Excusabilior ergo videtur fidei quam morum error, si res absolute spectetur. Utique nunc definiti sunt fidei articuli, secus morum controversiæ plures. Ceterum sicut in fidei arcanis, ita in morum quæstionibus errare Theologi privati possunt: & inexcusabilior est aberratio in morum controversiis, quo propin-

quiora sunt rationi humanæ morum præcepta. Quando aut ignorantia, aut bona fides excusare pœnitentes, sequentes doctrinam Confessariorum, valeant, mox dicam.

X. Opponunt 1. Confessarii illi habentur ut probi, ut docti, & in communi hominum existimatione resplendent. Suspicari ne licet, velle semetipsos damnare, ut ceteros prodant? Casuistæ, quorum opera legimus, fuerunt Religiosi, & plures severioris instituti. Illorum libri approbati sunt. Resp. Eiusmodi sophismata his verbis diluit in *Psal.* cxxiv. S. Augustinus. *Venturi sunt homines, & dicturi tibi: Magnus ille vir; magnus ille homo . . . Vide, quia lucet de illis aliqua flamma sermonis, & aliquis de ipsis ignis accenditur . . . Cum ergo laudati tibi fuerint isti montes, & cœperint tibi suadere ut venias ad ipsos, & ibi requiescas; responde:* In Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ: Transmigra in montes, sicut passer? *Bonum est tibi ut evadas, sicut passer de muscipula venantium.* Rursus in Psal. cvi. *Principes sunt, docti sunt, magni sunt, lapides pretiosi sunt. Quid adhuc dicturus es? Numquid Angeli sunt? Et tamen si Angelus de cælo vobis annuntiaverit, præter quam accepistis, anathema sit*: ad Galat. 1.

XI. Nonne reperiuntur Theologi rigoristæ, severi, tutioristæ? Omnes Christiani vocati ad regnum sumus. Quid phanatici nonnulli passim ominantur mala? Sunt isti quodam furoris æstro abrepti. Audiant isti S. Augustinum *ser. xviii. de verb. Dom.* hæc sibi obiicientem, & resolventem. *Qui diligunt sæculum, contradicunt. Quid insanis? Nimius es. Numquid alii Christiani non sunt?* Quid reponit S. Doctor? Arrige aures. *Ista stultitia est, dementia est. Isti sunt qui labiis Deum honorant, cor autem longe est, Christiani mali, & tepidi.* Quot hodie vociferantur: Confessarii nostri docti sunt, prudentes sunt, zelo fervent, caritate splendent, morum probitate ædificant. Bene & recte. Quid inde? Sub horum regimine reformas ne mores tuos ad Christi & Sanctorum exemplar? Incumbis ne sincere in studium christianæ perfectionis, tuo statui necessariæ? Ais? Felicitati tuæ gaudeo, & plaudo Confessariis tuis. Negas? Confessarii tui, etiamsi Platone doctiores essent, inepti sunt, decepti sunt, cæci sunt.

XII. Ut igitur omnem nimii rigoris suspicionem amoveam, dico, bonam fidem, & ignorantiam excusare interdum pœnitentes posse, quando scilicet isti spiritu veritatis ducti, & sincero desiderio reperiendi virum Dei, optimumque directorem, eam in hunc finem diligentiam adhibent quam in alio gravissimo negotio, puta in medico pro cura mortalis infirmitatis, in advocato pro lite tractanda non negligerent. Tum enim excusari pœnitentes istos probabile videtur. Ceterum oculis conspicimus Christianos, & Christianas, qui theatra, comœdias, ludos, saltationes, conversationes promiscuas frequentant, luxum, pompas,

fa-

faſtum, vanitates fovent, illecebris, deliciis, & omnibus inſanientis mundi lenociniis operam dant, mercenariorum, artificum, mercatorum, operariorum debita non ſolvunt, ſola voluntate, & intentione ſolvendi contenti. Confeſſores iſti ſibi deligunt magni nominis, præclaræ famæ, & ingenti pœnitentium affluentia circumdatos. Ab his abſolutionem liberaliſſime obtinent, quin aut debita ſolvant, aut luxum, pompas, theatra, ludos, ceteraque oblectamenta dimittant. Præclarum Concionatorem hæc mihi narrantem audivi. Ex concionibus meis plures & viri, & mulieres commoventur, cordis dolore tanguntur, deliberant abſtinere a comœdiis, theatris, aliiſque mundi præſtigiis. Confeſſarios adeunt, quibus referant propriam conſcientiam, nimium exagitatam ob talium ſpectaculorum frequentiam, & illecebrarum conſuetudinem. Confeſſarii vero reponunt. Heus, mi boni, & bonæ? Comœdiæ, & theatra mores corrigunt, & vitia carpunt; ut dicebant illi quos redarguit S. Auguſtinus Lib. Paſt. cap. III. *Vivite ut vultis. Securi eſtote: Deus neminem perdit: tantummodo vitam chriſtianam tenete. Non perdet ille quos redemit. Et ſi ſpectaculis volueritis oblectare animos veſtros, ite: quid mali eſt? Et feſta iſta quæ celebrantur per univerſas civitates in lætitia convivantium, & publicis menſis ſeipſos, ut putant, iucundantium . . . ite, celebrate, magna eſt Dei miſericordia, quæ totum ignoſcat. Coronate vos roſis, antequam marceſcant . . . . Convivamini, impleamini cibo & vino cum VESTRIS. Ad hoc enim data eſt illa creatura, ut ea perfruamini. Non impiis, & paganis eam dedit Deus, ſed vobis eam dedit. Hæc ſi dixerimus, forte congregabimus turbas ampliores. Et ſi ſunt quidam qui nos ſentiunt hæc dicentes non recte ſapere, paucos offendimus, ſed multitudinem conciliamus.*

XIII. Quid iudicii profers in hos ſive Confeſſarios, ſive pœnitentes? Pauci offenduntur, inquit Auguſtinus, ſi laxa & placentia loquamur, quia pauci ſunt electi: e contrario ampliores turbas nobis conciliamus, quia multi ſunt qui per viam latam & ſpatioſam ambulare volunt. Quæ narrat Auguſtinus, manibus ætate noſtra tangimus. Si Concionatores Chriſti doctrinam inculcant, ſi Chriſtianorum conſcientias emolliunt, vellicant, exagitant; Confeſſarii plures paleis & luto parietem liniunt, benigna atque perdulci probabilitate minori omnia honeſtant, atque ſanctificant. Viden', quam merito clament ſancti Dei viri. *Quid Eccleſiam Dei hodie perdit, niſi Confeſſariorum blandiens adulatio, deliniens, demulcenſque aſſentatio? Non eſſet tanta facilitas peccandi, ſi non eſſet tanta facilitas abſolvendi.* Verum quoque eſt illud horrendum axioma typis editum, cuius & librum, & Auctorem ſileo ad declinandam invidiam: *Facilius hodie peccata dimittuntur quam committantur.* Indue, chriſtiane lector, rectam cogitandi rationem. Et poſt ſeriam meditationem colliges, exitium ruinamque plurimorum ex aliquorum Confeſſariorum præſertim aut ignorantia, aut præiudica-

tis opinionibus proficisci. Colliges, non tam verum, quam verissimum esse Sanctorum epiphonema, nempe vix ex mille unum Confessarium reperiri omnibus doribus præditum. Cave ergo tibi, ne & alios, & temetipsum in orcum detrudas.

CAPUT XII.

Quæstio singularis, quam P Michael Elizalde *proponit, discutitur. Expediat ne habere Confessarium amicum & stabilem, præsertim Magnatibus.*

I. HAnc quæstionem dispiciendam proponit P. Elizalde *Lib. VI. part. 11. quæst. xx. §. 12.* his verbis, *Atque hinc institui forte possunt quæstiones aliquæ practicæ. Utrum præstet Confessarium habere amicum & familiarem, an secus? Utrum munera a pænitentibus offerri solita perturbare, invertereque possint judicium rationis, ac debitam etiam integritatem, rectitudinemque inflectere?*

II. Historice, non theologice hanc ego versabo quæstionem, Utriusque partis argumenta sincere narrabo, quin aliquid ipse definiam. Argumenti quippe altitudo angustos ingenioli mei limites transilit. P. Elizalde primum erroneam persuasionem multorum, existimantium omnes Confessarios ita esse pares muneri obeundo, ut nihil referat unum præ alio eligere, convellit, Utique omnes sunt pares, si potestatem, seu auctoritatem absolvendi & ligandi spectes; quemadmodum omnes medici, omnes judices, omnes advocati &c. sunt æquales, quatenus omnes laurea doctoratus, omnes potestate exercendi propriam professionem insigniti sunt. Nemo autem in gravissimo sanando morbo, aut lite coram judice oranda, quemlibet indiscriminatim seligit aut medicum, aut advocatum *Falsissimum est*, inquit P. Elizalde, *quod multi viri etiam Principes, & Reges, ac primarii magistratus ex capite suo supponunt, vel sufficere sibi quemlibet quomodolibet Confessorem, vel omnes esse pares, vel nihil interesse quem eligant. Fatemur absolutionem quorumlibet validam æqualiter valere; nihilominus falsissimum est quod supponunt. Et cur id non supponunt . . . de uxore, de coquo, de domo, de cursu, de veste, & omnibus? . . . Sciant ergo, & bene recogitent, duas esse claves, potestatis alteram, & alteram scientiæ, qua inter ligandos, solvendosque discernatur, & nisi simul ambabus seras cælorum non aperiri.*

III. Recenset ibidem legem regni ex Illustrissimo Arauxo pro Confessario Regis, qua constituitur, hunc debere in Scripturis esse versatum, libertate apostolica instructum, consiliandi arte peritum, & Ecclesiæ splendorem anhelantem. *Hoc*, subdit, *supponit lex illa regni, & superius sæpe probavimus: nec de hoc ego*

ma-

magis dubito, quam cibum esse necessarium ad vivendum. Iure ergo & secundum Scripturas ipsas hæc qualitas in Confessario Regis requisita fuit: eademque de causa in Confessariis omnibus plus minus requiritur, & Rex, & ceteri ex Scripturis, & iuxta ipsas instituendi sunt. Nam non ioco, & dicis causa, sed vere dictum est, ea cuncta scripta esse ad nostram doctrinam, & salutem.

IV. Illorum Confessariorum infelicem sortem deplorat qui iudicium absolvendi formant ex Casuistarum illorum libris qui humanis opinionibus pleni, Scripturis sanctis vacui sunt. Sic enim pergit perdoctus Iesuita. „ Plurimi in terris „ solvunt, & iudicium sacramentale peragunt, utendo tamquam regula *libris* „ *quibusdam, in quibus vix ullus usus est Scripturarum, nec inde haustæ doctrinæ* „ *Sanctorum*, sed discursibus humanis fere ex integro constant. Post autem iudi- „ camur non *his libris*, sed Scripturis, & Epistolis de cælo ad nos missis. Un- „ de utrumque iudicium non concordat; & quod hic absolvitur, ibi damnatur: „ quia clavis scientiæ hic erravit. Quando vero qui mensurati *illis libris* aliis „ apparent boni, mensurati post libro Dei inveniuntur mali &c. " Usurpat vocem *mensurati* propter similitudinem quam ibi adhibet, quæ peroptime rem explicat. *Mensurarem ego pannum*, inquit, *& loco ulnæ, palmo uterer: mensurarem hoc pacto v. g. centum ulnas, & mittens eas alio, dicerem me misisse centum; ibi vero eas ulnas mensurando vix inveniunt vigintiquinque*. Eodem prorsus modo in nostro casu contingit. Ulnæ, & mensuræ Casuistarum plurium, & Confessariorum laxæ, amplæ. Absolvunt mille pœnitentes, qui ambulant per viam latam & spatiosam: mittuntur isti ad Dei tribunal, & ibi vix viginti quinque recte & valide absoluti inveniuntur. „ Vellem ego (pergit Elizalde) quantis possem „ viribus persuadere & Confessoribus & pœnitentibus Scripturarum sanctarum „ necessitatem. Utinam ex eis, ut lex illa statuit, & Reges, & reliqui pœni- „ tentes instituerentur ?

„ Hinc igitur pœnitentes omnes, *maxime vero Reges, & maiores, quique ad-* „ *iuvare Confessarios deberent ut eos libro* (sancto) *regerent & iudicarent, illum* „ *iuxta sensum matris Ecclesiæ & Sanctorum intelligendo*. Adiurare item eos de- „ berent, & plenissimam libertatem facere, ut ipsos, ubicumque ignoraverint, „ & erraverint, doceant legem sanctam Dei. "

V. Felicitas itaque Principum, Regum, magnatum, & pœnitentium omnium maior quam haberi in hoc mundo possit, est doctum, probum, & vere apostolicum Confessarium, nec spei, nec timori mundano obnoxium, invenire. Monet autem P. Elizalde eos qui ambiunt aut pro se, aut pro suis esse Confessarios Principum, Regum, & magnatum, reipsa indignos esse. Hæc sunt illius verba ibidem. *Quicumque autem CONFESSARIUS REGUM AUT PRO SE, AUT PRO SUIS AMBIRET, IDONEUS HOC IPSO NON ESSET, AC DIMITTI DEBERET.*

RET. Quis, precor, iudex non continuo iuxta leges recusaretur qui apud partem & reum NEGOTIARETUR?

VI. Rationum momenta nunc prodenda sunt, quæ afferti in utramque partem solent super quæstione proposita a P. Michaele Elizalde, quæ est sequens.

§. I.

Expediat ne Christianis, præsertim Magnatibus, & Dynastis habere Confessarium familiarem seu stabilem?

VII. PRO sententia adfirmante obviæ sunt rationes. Confessatius familiaris, & stabilis statum, indolem, inclinationes, & cetera plura pœnitentium comperta habet, quæ ignota sunt Confessario novo. Nonne divites omnes in curanda, & conservanda corporis sanitate medicos stabiles & familiares conducunt? Idem itaque præstandum in salutis animæ cura.

VIII. Accedit quod Confessarius familiaris, & stabilis temporis momenta correctioni, instructioni, & admonitioni faciendæ opportuna dignoscere, & iisdem uti cum profectu valet. In ipsa familiari conversatione, in ipsis diverticulis Confessor ordinarius & familiaris plura præstare, suggerere, inculcare potest quæ præstari a Confessario extraordinario, vago, & incerto nequeunt.

IX. Hæc sunt argumenta quæ adduci in favorem Confessarii familiaris, & stabilis solent. Et si sermo sit de pœnitentibus inferioris conditionis, qui nec lactare Confessariorum spem, nec incutere timorem valent, vix in disputationem vocari potest, quod istis absolute habere Confessarium stabilem expediat; dummodo doctus sit, probus, & in Scripturis sanctis versatus. Difficultas itaque gravissima dispicienda spectat Magnates & Dynastas. Gravissima quippe argumenta occurrunt quæ istis non expedire Confessarium familiarem & stabilem evincunt.

X. P. Michael Elizalde plura allegat, unde eruitur istis morem hunc habendi Confessarii stabilis & familiaris non expedire, sed gravissimis obnoxium incommodis esse. Inquit enim *loc. cit. pag. 362. col. 2.* doctissimus hic Iesuita. *Cuncta deinde occupant DEPENDENTIAE, & AMOR, & SPES, & METUS, & DISPLICENDI PERICULA. Quantis, quæso, modis hæc omnia in humanis iudiciis cauta sunt? Oporteret ergo multo magis caverentur in summa rerum.* Alia rationum momenta quæ promi solent, eiusmodi sunt.

XI. Confessarius, inquiunt, Dynastarum, Magnatumque, si familiaris sit, & stabilis, alter Dynastes evadit. Quandoquidem animum talium Confessariorum ob-

obsident & spes conciliandi sibi turbas ampliores, & implendi proprias Ecclesias, & decorandi confessionalia, & timor e contrario amittendi pœnitentium frequentiam: nec non vehementius adhuc illius animum aggrediuntur præstigia, quæ parere tale officium potest, imbecillitate humanæ naturæ spectata. Favor, & gratia Magnatum, timor exulandi ab aulis miseram humanam naturam circumstant: dedecus amittendi gradum, splendor, gloria, ambitio, & innumeræ aliæ passiones mentem Confessarii familiaris, & stabilis obnubilare, & in vera legis evangelicæ cognitione excæcare queunt: eam vero acuunt ad Theologiam deliniendam, conformandamque cum politicis rationibus ad benigniorum opinionum usum adhibendum, & ad ea omnia invenienda quæ demulcere Magnatum aures & appetitiones valent. Ut hæc omnia fascinia & validissima præstigia Confessarius familiaris, & stabilis superet, ut de his omnibus triumphet, plenus divino spiritu, virtutibus evangelicis, potissimum humilitate, fortitudine, atque heroico zelo præditus sit necessum est. Opus est ut nihil mundum, nihil recedere ab aulis, nihil contemptionem & derisionem totius universi ducat. Tanta pollere fortitudine debet, ut sacramenta, ut absolutionem deneget, quando opus fuerit. Exempla ne in historiis occurrunt Confessariorum, aut Consultorum, qui Magnatibus absolutionem denegaverint, & ab aulis abierint? Unum & alterum indicabo.

XII. Diodorus Siculus narrat, *Demadem* Græcorum sapientibus, qui se se opponebant Apotheosi, quam Alexandro Magno Atheniensis Senatus decreverat, dixisse: *Videte igitur, ne, dum cælum defenditis, terram amittatis*. Quoties mundanæ politicæ princeps diabolus Confessarios, iura Poli defendere cupientes, hoc epiphonemate aggreditur? Videte ne dum *cælum defenditis*, *aulam amittatis*. Magna tentatio! Formidandum præstigium!

XIII. Narratur *cap.* XVIII. Iudicum, Sacerdotem diis Michæ custodiendis præpositum forti animo primum restitisse, atque clamasse contra prædatores. *Quibus dicit Sacerdos, Quid facitis?* At prædones continuo ac Sacerdoti promiserunt se eum delecturos in patrem, in directorem, & in partem bonorum, eiusdem zeli flammas extinxerunt. *Cui responderunt: Tace, & pone digitum super os tuum: venique nobiscum, ut habeamus TE PATREM, AC SACERDOTEM. Quid tibi melius est, ut sis Sacerdos in domo unius viri, an in una tribu, & familia Israel? Quod cum audisset, acquievit sermonibus eorum; & tulit Ephod, & idola, ac sculptile, & profectus est cum eis*. Quid melius tibi est, inquit præstigiator amor proprius, ut sis Confessarius rusticanorum, pauperum, plebeiorum, an in una tribu, & familia Israel, in aula, & familia Magnatum? Quantum porro perculi est ne continuo Theologia novam subeat faciem, blandiloquam, benignam, & acquiescentem sermonibus.

XIV.

XIV. Quadringenti Prophetæ Regi Achabo bellum anhelanti victoriam & triumphos spoponderunt. *Congregavit Rex Israel Prophetarum quadringentos viros, & dixit ad eos: In Ramoth Galaad ad bellandum ire debemus, an quiescere?* At illi, *ascende*, inquiunt, *& tradet Deus in manu Regis*. Prophetæ isti familiares Regis erant: idcirco Rex, veritus nimiam in amicis Prophetis indulgentiam, vocari iussit Confessarium, seu Consultorem, & Theologum extraordinarium, spei, & timoris expertem. *Vocavit ergo Rex Israel unum de eunuchis: & dixit ei: Voca cito Michæam .... Nuntius autem qui ierat ad vocandum Michæam, ait illi: En verba omnium Prophetarum uno ore bona Regi annuntiant: quæso ergo te ut & sermo tuus ab eis non dissentiat, loquarisque prospera .. Venit ergo ad Regem .... Dixitque Rex: Iterum atque iterum te adiuro ut mihi non loquaris nisi quod verum est.* Audistin? Omnes aiunt, se veritatem sitire. Cui Micheas: *Vidi universum Israel dispersum in montibus, sicut oves absque pastore ... Et ait Rex Israel ad Iosaphat: Nonne dixi tibi, quod non prophetaret iste mihi quidquam boni, sed ea quæ mala sunt?* Heinc Michæas exulavit ab aula regia; non modo favorem & gratiam perdidit; sed etiam odium Regis in se concitavit. *Ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum omni tempore.* II. Paralip. cap. XVIII.

XV. Ne prolixior sim, missis innumeris tum veteris, tum novi fœderis exemplis, unum quod de S. Raymundo de Pennafort in Breviario ad diem 23. Ianuarii habetur, narrabo. *Iacobo Primo Aragonum Regi a Confessionibus factus* Raymundus *munus arduum evangelica libertate obiit. Cum enim Regem vesano amore captum irrito conatu monitis ac precibus avocare tentasset, ex insula maiori Baleari, quo tunc aula convenerat, ingenti traiecti maris prodigio secessit: Regemque miraculi celebritate perterritum vocavit ad pœnitentiam.*

XVI. Hæc & innumera alia exempla quæ afferri in medium solent ab huiusce sententiæ patronis, evincunt, Confessorem familiarem, & stabilem vix posse absque miraculorum præsidio suum exacte obire munus, & omnes amoris proprii insidias, diaboli fraudes, mundi præstigia, spei illicia, timoris larvas superare, contemnere, proculcare.

XVII. Contra, si Magnates identidem ad se vocarent Michæas, Sacerdotes spiritu Dei plenos, scientia Scripturarum præstantes, eisque dotibus præditos, inquit celeberrimus Iesuita P. Albertus de Albertis, *non qui timeant Principem, sed qui timorem Principi incutiant*, plurima ex recensitis prævaricandi gravissimis periculis cessarent. Nullus tunc timor exulandi ab aula: nulla tentatio deliniendi Theologiam, & detorquendi legem ad genium pœnitentis: nulla spes continuandi ministerium, si lege sancitum esset ne ullus Cofessarius esset familiaris & stabilis. Quare quisque liber a metu & a spe, ceu alter Michæas, veritatem sincere patefaceret, sive placentem, sive displicentem; cum nullus esset aditus ad officii perpetuitatem.

XVIII.

XVIII. Opponunt prioris ſententiæ patroni. Si mos iſte invehatur, peiora ſequuntur incommoda. Nam tum Magnates circumventi ab aulicis, non Michæas ſpiritu divino præditos, & Scripturarum ſanctarum ſcientia inſtructos, ſed ignaros, indoctos, & ad aulicorum deſideria propenſos vocarent. Miniſtri enim imitarentur eunuchum Achabi Regis Iſrael. *Nuntius autem qui ierat ad vocandum Michæam, ait illi: Quæſo ergo te ut & ſermo tuus ab eis non diſſentiat, loquariſque proſpera.* Quilibet miniſtrorum curaret vocari Confeſſarium ſibi benevolum, aptumque ad obſecundandum propriis rationibus. Et en abſurda graviſſima.

XIX. Reſpondent ſecundæ ſententiæ fautores, recenſita incommoda meras eſſe larvas, & umbras, ſi cum prioribus incommodis compararentur. Nam primo hæc omnia abſurda evenire poſſunt in prima electione Confeſſarii familiaris & ſtabilis. Deinde obiecta abſurda præſumunt, Magnates in negotio omnium graviſſimo propriæ conſcientiæ truncos, & ſtatuas, ut neque diligentiam adhibeant, neque eligere ſibi Confeſſarium ſciant. Qua in hypotheſi nulla eſt diſputatio. Nam oſtenſum eſt, omnes Chriſtianos, & præſertim ſuperioris ſubſellii, in id toto incumbere ſtudio debere, ut Confeſſarium ſibi deligant probum, doctum, ſapientem. Qui in hoc negligentes ſunt, damnationi proximi ſunt; quemadmodum qui infirmitate graviſſima, & multis morbis implicatiſſima laborantes, deligere peritum, & quidem, quoad poſſunt, doctiorem medicum negligunt, vivere non curant.

XX. Diſputant itaque Theologi de iis Magnatibus, & Dynaſtis quibus æternæ ſalutis negotium cordi eſt, quique eo ſapientiore, eo doctiore, eo ſanctiore indigent Confeſſario, quo ſunt ipſi in altiori gradu, & dignitate conſtituti, atque adeo graviſſimis, implicatiſſimis, & difficillimis controverſiis dirimendis impliciti & circumdati. De his diſſertant in utramque partem Theologi. Plures defendunt ſecundam ſententiam, videlicet longe melius Magnates, Dynaſtas &c. propriæ æternæ ſaluti conſulere, ſi, dum confiteri velint, deligant ipſi, magna præmiſſa diligentia, toties quoties Confeſſarium ſanctitate, divina ſcientia, & apoſtolica libertate præditum, qui Magnates non reformidet, ſed timorem & pavorem incutere iiſdem audeat. Audent autem Confeſſarii facillime, quando ſciunt nullam adeſſe ſpem figendi in aula pedem, aucupandi gratiam & favorem, nullumque timorem amittendi fulgentiſſimum munus.

XXI. E contrario Confeſſor familiaris & ſtabilis, niſi ſingulariſſima gratia, & heroica fortitudine armatus ſit, vix audet Magnates contriſtare, commovere, perterrefacere, ne terram amittat, ſi cœlum defendere velit. Commoda quæ ex Confeſſario familiari, & ſtabili adduci ſolent, nempe quod agnoſcat indolem, inclinationem, quod opportunas, obviaſque occaſiones habeat monendi, inſinuandi, conſulendi &c. nihili prorſus facienda ſunt, ſi cum iis conferantur incommodis quæ

quæ inde proficiscuntur; & si innumera bona expendantur quæ Confessarius non familiaris & stabilis, atque adeo humanorum respectuum vacuus, parere communiter potest.

XXII. Quid, si Confessarius familiaris & stabilis præiudicatis sententiis, & laxis opinionibus præoccupatus sit? Quid, si adversus saniorem doctrinam, difficillime cum Magnatum moribus confœderandam, animatus sit? Quæ inde phænomena, quæ absurda timeri non possunt? Tragica nobis exempla historiæ perhibent. Quis Arianam hæresim fovit, & amplificavit? Quis Magnum Athanasium in exilium egit, nisi Eusebius Nicomediensis, qui, cum familiaris, & stabilis esset Constantini Imperatoris consiliarius, eas suggerebat doctrinas quæ & ad promovendam hæresim Arianam, & ad corrumpendam catholicam doctrinam conferrent. Innumera alia cuiusque fere ætatis similia exempla referri possent.

§. II.

SENTENTIA MEDIA.

HActenus recensui utriusque opinionis extreme oppositæ rationum momenta. In præsens sententiam mediam, quam aliqui defendunt, narro. Advertunt hi Ecclesiam, Dei spiritu directam, consuescere Confessorem extraordinarium illorum pœnitentium cœtibus qui Confessarium familiarem, & stabilem habent, plures quotannis concedere. Similiter, inquiunt, Magnates semel vel bis quotannis Confessarium extraordinarium, sanctitate & doctrina celebrem, vocare deberent, eidemque graviora conscientiæ negotia, methodum, & directionis formam, atque doctrinæ qualitatem, qua utitur Confessor familiaris & stabilis, clare & distincte repræsentare. Hac via, inquiunt, omnia componunt. Negotium ceteroquin gravissimum extremam postulat diligentiam, sollicitudinem, & vigilantiam.

Auctoris Iudicium.

Quemadmodum sub initium dixi, ita nunc repeto, me nullum proferre super hac alioquin gravissima & momentosissima controversia velle iudicium. Historiam utriusque sententiæ recensui, & omnia sapientum iudicio subiicio. Usquedum belligeramus adversus scelera, ut aiunt, *in abstracto*, neminem offendimus. At quoties argumenta quæ ad hodiernam praxim, & modernos mores propius accedunt, pertractamus, tum vociferantur plures, nos invidentiæ, simultatis, odii, calumniandi, infamandi spiritu eiusmodi puncta tractare. Idcirco, iudicium in hac caussa meum penitus suspendo, utpote non necessarium. Ex iis enim quæ dixi de

de dotibus Confeſſario neceſſariis, quiſque ſuæ æternæ ſalutis ſincere cupidus, pauper, & dives, Princeps, & ſubditus, Matronæ, & Magnates, colligere diligentiam neceſſariam in ſeligendo Confeſſario evidenter valent.

§. III.

M O N I T U M

P. Michaelis Elizalde *ad Confeſſarios, & pœnitentes.*

I. Lubet ſub iſtius Diſſertationis finem iterum atque iterum tum Confeſſarios, tum pœnitentes ſupplici precatione urgere, ut Dei verbo, in Scripturis ſanctis expreſſo, ſedulam navare operam velint, ſub directione & interpretatione S. matris Eccleſiæ. Unica evangelica ſententia maiori lumine perfundet mentem tuam, quam ſi plures Caſuiſtarum Summas, & Summulas revolvas, ut alias dixi. Quot caſus non reſolves, ſi penitus hanc ſolam Chriſti breviſſimam ſententiam meditatus fueris? *Contendite intrare per anguſtam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt:* Luc. c. XIII. Si vel ipſi qui quærunt ingredi arctam paradiſi viam, reipſa in eam non intrabunt; quid de iis dicendum qui non ſolum non adnituntur per hanc anguſtam portam intrare & tranſire, ſed habenis laxatis per viam latam & ſpatioſam perambulant? Quantum luminis tibi non infundet hæc altera ſententia: *Niſi efficiamini ſicut parvuli*, humilitate nempe, & cordis ſubiectione, *non intrabitis in regnum cælorum.*

II. Hæc & ſimilia documenta aut exulant a libris plurium Caſuiſtarum, aut variis commentis implicata & obſcurata iacent, inquit percelebris Ieſuita Elizalde *p. III. Lib. VIII. q.* VII. *§.* 2. his verbis. *Nuper percurri Summam moralem multorum voluminum . . . . Quæſivi CHRISTUM ET NON ERAT. Quæſivi Summam PROPHETARUM, & legis, ſcilicet caritatem & dilectionem Dei, & proximi, ET NON ERAT. Quæſivi EVANGELIUM, ET NON ERAT. Quæſivi humilitatem, ſine qua ſalvatur nemo, ET NON ERAT. Et ſi Paulum, aliumve Apoſtolum, Sanctumque percurras, contraria omnino invenies . . . Ergo hæ doctrinæ nullum ſucceſſionis, nullum CONSANGUINITATIS, affinitatiſve gradum inter ſe habere videntur. Ergo MODUS HIC OPINANDI omnino alienus eſt ab evangelica ſimplicitate, & ſanctorum Patrum doctrina . . . Evangelium ergo ſimplex eſt, & omni duplicitati repugnat, & habet EST EST, NON NON. MODERNUS contra MORALISMUS duplex eſt, & BILINGUA ILLA PROBABILITATE utitur, & habet EST SIMUL, ET, NON, cum ſua regula ſit CONTRARIARUM, & CONTRADICTORIARUM propoſitionum, ſicque a ſimplicitate prorſus diſtat.*

III.

III. Quinam sunt isti libri pleni contrariis & contradictoriis opinionibus, quarum fuco eadem actio est, & non est peccatum, ducit, & non ducit in cælum, detrudit, & non detrudit ad inferum? Sunt libri præsertim illi qui omnium de eadem actione opinionum, quarum altera asserit esse peccatum, altera negat, seriem colligunt; & has opiniones collectas ex diversis Casuistis lectoribus proponunt, ut eas seligant quæ sibi magis arrident, & commodant. Nolo eos ego recensere. Recenseat illos sapientissimus Iesuita P. Michael Elizalde, qui est extra invidiæ ictus. Hæc ergo celeberrimus Theologus *Lib V. q. XVII. §. 6.* habet. *SICUT ESCOBARIUS animam, & quasi totam, ut aiunt, QUINTAM ESSENTIAM Probabilismi in lucem extraxit dicendo: EST, ET NON EST, LICET, ET NON LICET . . . Ita PONTIUS* (Ioannes) *in conspectum dedit totam quidditatem Ignorantismi . . . . Addit, conscientiam . . rectam esse quæ dictat absque ulla formidine, quod faciendum est, esse bonum, vel malum. Unde, si Calvinistæ conscientia absque formidine dictet bonum esse conculcare Eucharistiam, erit recta Calvinistæ conscientia: a qua plane rectitudine liberet nos Deus.* Hæc sunt Probabilismi consectaria, de quibus suo loco.

IV. Monitum autem doctissimi Iesuitæ huc pertinet. Quemadmodum Casuistæ, qui vi Probabilismi docent, est, & non est usurarius contractus, est, & non est furtum, licet, & non licet occidere impingentem alapam, invexerunt opinandi modum alienum a simplicitate evangelica, & contrarium Patrum doctrinæ, neglexeruntque Augustinum, Ambrosium, Thomam, Bonaventuram, Carolum Borromæum, Thomam de Villanova, Bellarminum, quem summi facio, ceterosque veros Doctores; ita negligantur, & in angulis bibliothecarum relinquantur Caramuel, Diana, Escobarius, Tamburinus, ceterique similes. An, si viverent Petrus, Paulus, Matthæus, Lucas, Augustinus, Ambrosius, illos non adires pro conscientiarum regimine? Vivunt autem in Evangeliis, in Epistolis, in codicibus suis. Hæc sunt perdocti P. Elizalde III. *Part. Libro VIII. quæst.* VIII. *§. 8. pag.* 150. verba. „ Hæc autem sit nostra brevissima atque æquissima sane responsio, „ cum *his* scilicet *libris* id faciendum esse quod per ipsos eorumque Auctores „ cum sanctis Patribus, Doctoribusque Ecclesiæ factum est . . . . . Nimirum hoc „ loco offendi commoverique iure, vel iniuria multi possunt, iure non possunt. „ Iacuit diu AUGUSTINUS in foro conscientiarum regendarum . . . Tandem„ dem saltem iaceat DIANA, & ad forum eius loco redeat AUGUSTINUS. „ Si vel *Ambrosius*, vel *Caramuel* vivere oportet, quis non AMBROSIUM præ„ habeat? Si populi vel ex CHRYSOSTOMO, vel GREGORIO, vel ex TAM„ BURINO, & ESCOBARIO regendi sint; si vita fidelibus ex alterutris insti„ tuenda: quis eos non præferat quos Doctores vitæ nostræ Ecclesia sancta ma„ ter, & magistra nostra nobis porrexit? Hæc clara sunt, & nulli iniuriam fa„ cimus:

„ cimus: & si persecutionem propter iustitiam patiemur, beati a Domino habe„ bimur. “

§ IV.

Gravi damnationis periculo se exponunt qui absque vocationis divinae signis se se audiendis confessionibus ingerere student.

I. QUI a Deo ad tam excelsum, divinumque munus exercendum vocantur, gratiis quoque donisque supernis instruuntur, quibus digne & sancte exercere illud valeant. Contra, qui sponte illud assumunt, sicuti divina vocatione carent, ita Dei gratia, quae vocans conceditur, destituuntur. Et ecce patefactam originem & caussam cur ex tanta Confessariorum multitudine pauci inveniantur pares ad hoc onus sustinendum. Non sunt a Deo vocati, sed ab amore proprio plures intrusi. Ergo donis carent, quibus onus digne sustineant.

II. Nemo itaque sibi assumat hunc honorem & pondus, nisi *qui vocatur a Deo tamquam Aaron*. Ars artium est regimen animarum, atque adeo difficillima, & periculorum plenissima. Quare qui sponte tantum suscipit onus, temeritate, & praesumptione non vacat, inquit S. Bernardus *ser.* x. in Cant. *Ad regimen animarum se se ingerere, quanta impudentia est!*

III. Severam a Confessario rationem Deus exiget omnium animarum quarum audierit confessiones. In examen adducet absolutiones impertitas, profectum, animarum neglectum, correctionem omissam, remedia non opportune applicata. Severissime discutiet iudex tremendus opinionum usum, pulvillos adiectos ad capiendas animas. Quot ob hoc sanctum ministerium male peractum, alioquin sanctioris vitae & disciplinae, perierunt? *Quoniam si caecus caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt*, inquit Christus Dominus.

IV. Cardinali Berullo, sapientia & pietate celeberrimo, unius animae cura difficilior amplissimi regni regimine visa est. Siquidem angustiae, scopuli, syrtes undique circumstant. Si plus aequo remissior sis & benignior, periculo damnationis obnoxius es. Si iusto severior, & districtior sis, non minori subiaces naufragandi periculo. Quis autem inter haec extrema ita veram insistere viam valet, ut neque ad dexteram, neque ad sinistram declinet? Quis iura Dei sic tueri valet, ut hominum imbecillitatem non opprimat? Quis hominum infirmitati ita providere, & consulere potest, ut in Dei iura non delinquat? Illinc amor placendi hominibus struit insidias, & ad laxa, benignitatis fuco delibuta, impellit; hinc spiritus nimiae severitatis, & singularitatis genius tenebras offundit. Deest huic

for-

fortitudo evangelica; caret alter necessaria scientia. Doctus hic est; sed prudentia destitutus, a recta via deflectit. Ne multa: tam pauci sunt huic provinciae pares, ut S. Ioannes Chrysostomus *hom. ult. in epist. ad Hebraeos* haec scribat. *Quid dicemus infelicibus illis & miseris qui semetipsos ad alios regendos praecipitant, & se in tantorum suppliciorum abyssum iactant? Omnium, quos regis; mulierum, puerorum, atque virorum tu rationem redditurus es. Tanto igni tuum subiicis caput. Miror, si potest salvari aliquis rector. Post tantam enim comminationem, quam negligentiae videmus illatam; video aliquos etiam concurrere, & praecipitare semetipsos tantae moli, ac tantae regiminis difficultati. Si enim qui necessitate compelluntur nullum poterunt adhibere refugium; neque ullam excusationem reperient, quando res male tractaverint, & quando negligenter rem gesserint suam. Num & Aaron necessitate compulsus est, & tamen in periculum venit. Sed & Moyses pericula saepius sustinuit, qui regimen illud saepe recusaverat. Et Saul, cui alius commissus est principatus, postquam recusavit, in pericula incidit, qui male sui regiminis administravit officium. Quanto ergo amplius qui cum studio, & ambitione petunt principatus, & semetipsos praecipitant, severius punientur? . . . Oportet ergo timere, & tremere & propter conscientiam, & propter molem, & magnitudinem curae. Et neque, dum quis ad principatum trahitur, semel recusare; neque, dum non trahitur quispiam, semetipsum debet praecipitare: sed considerantes tantae dignitatis amplitudinem, oportet effugere: comprehensos autem obsequium, & reverentiam oportet ostendere: nihil immoderate faciendum est; sed antequam fiat, si praesenseris, fugere, ac secedere, persuasus tibi ipsi, quod ad illam rem sumendam indignus existas; comprehensus autem similiter reverentiam exhibeas. Ubique ingenuitatem, & modestiam debes ostendere.* Quod hic scribit, opere complevit Doctor sanctissimus.

V. Sola igitur Dei gratia aptos tanto muneri defungendo nos reddere valet. Haec gratia ferventi & iugi oratione imploranda est. Qui a Deo vocati ad tantum ministerium sunt, firmam concipere spem debent, se illam assecuturos. E contrario, qui hanc dignitatem ambiunt, pavere & contremiscere debent.

VI. Unde noscam signa vocationis? inquies. Si a superiore, te inscio, delectus fueris: si divinarum Scripturarum studio operam dederis, & ea praestiteris, & assecutus fueris quae sancti Doctores necessaria existimant. An illos vocatos a Deo dixeris quos vides aliquam *Summulam*, *aliquod compendium casuisticum* revolventes, ut aliquorum casuum decisiones memoriae commendent? Qui hoc ministerium percupiunt, ne otio, inquiunt, diffluant, ut aliquid operentur, ut *Confessarii nominentur?* Qui munusculis alliciunt examinatores, aut alios, qui suffragia date possunt, illosque promovere ad regimen animarum obtinendum? Vae, vae & ambientibus, & consentientibus.

VII. Quid de illis superioribus dicendum qui ineptos promovent? Ecclesia, inquiunt, Confessariis indiget. Revera hic, aut ille semidoctus est, parvaque prudentia præditus; at necessitas urget ut exponatur pro confessionibus audiendis. Alii turbantur, nisi promoveantur. Hi ne a Deo vocati? Hi ne sustinendo muneri pares? Quid ergo miramur, si ex millibus unum aptum agnoscant viri sancti? Quis non videt, eiusmodi intrusos in sanctum ministerium gravissimo damnationis periculo obnoxios, a quo sane immunes non sunt superiores, examinatores, suffragatores minus vigiles, & experrecti. Verum iterum sermo de hoc redibit in expositione sacramenti Ordinis.

DISSERTATIO II.

DE IURISDICTIONE MINISTRI SACRAMENTI POENITENTIAE.

CAPUT I.

Solus ne Sacerdos est sacramenti pœnitentiæ minister?

I. LUtherus iis omnibus absolvendi facultatem concessit qui Pastoris officium assumunt, diabolo etiam, si *hominis specie* in Ecclesiam irreperet: & novatores communiter negant, solis Sacerdotibus factam a Christo esse facultatem absolvendi. Valdenses *laicis* sancte viventibus hanc absolvendi tribuunt potestatem, quam cum Albigensibus, & Hussitis adimunt Sacerdotibus improbis. Concilium Constantiense proscripsit hunc Ioannis VVicleffi errorem: *laicum, si vir frugi fuerit, clavium potestatem a Christo accepisse*. Communiter novatores asserunt, peccata post baptismum dimitti per prædicationem Evangelii, prout fidem excitat. Unde inferunt solvendi potestatem penes eos esse qui promissa in Evangelio contenta annuntiant etiam per iocum.

II. Omnes errores illos damnavit Concilium Tridentinum *sess*. XIV. Nam *can.* IX. hæc definit. *Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi, & declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum, aut Sacerdos non serio, sed ioco absolvat; aut dixerit, non requiri confessionem pœnitentis, ut Sacerdos eum absolvere possit; anathema sit.*

III. Rursus can. X. *Si quis dixerit, Sacerdotes qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi, & solvendi non habere; aut non solos Sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus, & singulis Christi fidelibus esse dictum*; Quæcumque ligaveritis *&c. quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem dumtaxat, si correptus acquieverit; secreta vero per spontaneam confessionem; anathema sit.*

IV. Igitur dogma fidei est, solos Episcopos, & Sacerdotes posse sacramentum pœnitentiæ administrare. Constat ex Ioan. cap. XX. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quæ verba perpetua Ecclesiæ traditio ad solos Apostolos, eorumque successores, exclusis laicis, pertinere declaravit. S. Cyprianus *Lib. de lapsis* docet, *per Sacerdote*

dotes dari lapsis *dolentibus ac deprecantibus pacem*. S. Basilius in *Reg. brev. num.* 228. ait, *Sacerdotibus aperienda peccata esse, quia illis credita est dispensatio divinorum mysteriorum*. S. Ambrosius *Lib. I. de pœnit. cap.* 11. ubi sermonem habet de absolvendi a peccatis potestate, ait: *Ius hoc solis permissum est Sacerdotibus*. Idem docent ceteri Patres. Quare iure Synodus Tridentina *sess.* XIV. *cap.* VI. declaravit. *Circa ministrum huius sacramenti declarat S. Synodus, falsas esse, & a veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quovis homines, præter Episcopos, & Sacerdotes, clavium ministerium perniciose extendunt: putantes verba illa Domini:* Quæcumque alligaveritis super terram &c. *ad omnes Christi fideles indifferenter, & promiscue, contra institutionem huius sacramenti, ita fuisse dicta, ut quivis potestatem habeat remittendi peccata.*

V. S. Thomas in *Suppl. quæst.* XIX. *artic.* 3. & *quæst.* VIII. *artic.* 1. hanc promit rationem. *Gratia quæ in sacramento datur, a capite in membra descendit: & ideo solus ille minister est sacramentorum qui habet ministerium super corpus Christi verum: quod solius Sacerdotis est, qui consecrare Eucharistiam potest: & ideo cum in sacramento pœnitentiæ gratia conferatur, solus Sacerdos minister est huius sacramenti.*

VI. Opponunt illud Iacobi V. *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem, ut salvemini*. Resp. Varia sunt Auctorum responsa. Alii intelligunt præfata verba hunc sensum habere. Confitemini *alterutrum* homines hominibus, non quibuslibet, sed *Presbyteris*; ut colligitur ex verbis immediate antecedentibus. *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ: & orent super eum* &c. *Confitemini alterutrum peccata vestra*. Venerabilis Beda hunc locum interpretatur de culpis venialibus. Alii dicunt, S. Iacobum velle ut omnes candide fateantur propria peccata, nemoque proterve eadem excuset.

VII. Utcumque præfata verba exponantur, nemo Catholicorum heinc colligit, alios præter Sacerdotes absolvere a peccatis posse. Olim in mortis articulo fideles, non habentes copiam Sacerdotis, confitebantur alicui laicorum adstantium, ut refert Magister in *IV. dist.* XVII. in quem locum S. Thomas in *Suppl. quæst.* VIII. *artic.* 2. *ad* 1. inquit: *Confessio ex defectu Sacerdotis laico facta sacramentalis est quodammodo, quamvis non sit sacramentum perfectum: quia deest ei quod est ex parte Sacerdotis*. Et ad 3. *Ideo oportet quod iterum confiteatur Sacerdoti, cum copiam habere potuerit, & præcipue quia, ut dictum est, sacramentum pœnitentiæ perfectum non fuit*. Dicitur sacramentum quodammodo, ratione nempe materiæ, in peccatorum confessione sitæ. Sed deest id quod est ex parte Sacerdotis, nempe absolutio.

VIII. Insistunt. S. Cyprianus *epist.* XII. permittit Diaconis, absente Presbytero, ut pœnitentes absolvant. *Occurrendum*, inquit, *puto fratribus nostris, ut qui li-*

bellos a Martyribus acceperunt, si incommodo aliquo, aut infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectent præsentiam nostram, quin apud Presbyterum præsentem quemcumque, vel si Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologesim (confessionem) *facere delicti sui possint, ut, manu eis in pœnitentiam imposita, veniant ad Dominum in pace, quam dari Martyres litteris ad nos factis desideraverunt.*

IX. S. Cyprianus permittit Diaconis in laudato testimonio absolvere pœnitentes a pœnis canonicis, pro quarum remissione libellos supplices Martyres porrigebant, eosque communioni Ecclesiæ restituere. Minime vero Diaconis permittit absolvere sacramentaliter a peccatis. In præfata siquidem epistola sermonem habet Cyprianus de lapsis publice pœnitentibus; &, cum ipse absens esset, scribit, ut, si desit Presbyter, Diaconus eorum exomologesim, seu confessionem recipiat, & manum eis imponat: quoniam, licet impositio manus Diaconi peccata non remittat, eos tamen Ecclesiæ reconciliat. Quare inquit S. Thomas *loc. cit. quæst.* VIII. *artic.* 2. quamvis qui non est Sacerdos, *sacramentum efficere non possit, ut faciat id quod ex parte Sacerdotis est, absolutionem scilicet; defectum tamen summus Sacerdos supplet*, admissa hypothesi, quod pœnitens revera contritus sit, & desiderio sincero ardeat suscipiendi sacramentum. Ordinavit itaque Cyprianus ut ea omnia fierent quæ præstari humana industria possent; quemadmodum peragebant illi qui laicis confitebantur. Quæ expositio eiusdem Cypriani verbis in *Lib. de lapsis* confirmatur, ubi inquit: *Confiteantur singuli delictum suum, dum adhuc, qui deliquit, in sæculo est, dum admitti confessio eius potest, dum satisfactio, & remissio facta per Sacerdotem apud Dominum grata est.* Confessio, in extrema necessitate facta Diacono, sacramentalis non erat.

X. P. Claudius La-Croix *Lib. VI. part.* II. *num.* 1483. inquit. Quamvis sententia communior & probabilior sit quod laicus, absente Clerico, ne quidem in articulo mortis valide absolvat a censuris; quia tamen oppositum *probabiliter* tenent graves Auctores, quos referunt *Diana*, & *Moya*, eo quod putent, piam matrem Ecclesiam, quæ id etiam laico delegare potest, pro eo articulo nolle eum quem pœnitet, privari beneficiis sepulturæ, & communibus suffragiis; hinc infert Sanchez, laicum teneri pro tali casu absolvere a censuris. Hactenus La-Croix. Hæc sunt pia commenta Probabilismi, falsa alioquin & arbitraria. Sed graves Auctores *probabiliter* hoc docent. Qui sunt hi graves Auctores? *Diana*, *Moya*, & similes. De pietate matris Ecclesiæ infra sermo erit.

CA-

CAPUT II.

Præter ordinis potestatem requiritur in Sacerdote iurisdictio, a priori potestate distincta, ut valide absolvat.

I. Duplicem in Sacerdote potestatem distinguunt Theologi omnes. Alteram ordinis, quæ per ordinationem confertur his verbis: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata* &c. Et hanc solis Sacerdotibus conferri ostensum est *cap. præced.*

II. Potestas iurisdictionis est facultas regendi animas subiectas, & gubernandi populum. Et hæc duplex est. Altera ordinaria, quæ annexa officio & dignitati est: altera delegata, quæ ex commissione habetur.

III. Præter potestatem ordinis requiri in Sacerdote potestatem iurisdictionis, a priori potestate distinctam, ut valida sit absolutio, convenit penes omnes Catholicos: & id declaratum in Tridentino habemus *sess.* XIV. *cap.* VII. his verbis. *Quoniam igitur natura, & ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur; persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet iurisdictionem.*

IV. Duo hic Concilium definit. Primum persuasum semper in Ecclesia fuisse; necessario requiri hanc iurisdictionis facultatem. Idque cuique, in disciplina ecclesiastica, & sacra traditione versato, notum est. Alterum, absolutionem datam a Sacerdote absque hac iurisdictione, vel ordinaria, vel delegata, esse nullam. Quæ duo extra controversiæ aleam posita sunt.

V. Opponês. Quilibet Sacerdos in ordinatione accipit potestatem absolvendi a peccatis, quemadmodum consecrandi corpus Christi. Ergo nihil aliud requiritur. Resp. Distinguunt communiter Theologi. Accipit potestatem radicalem, & inchoatam, concedunt; completam, negant: quemadmodum, si Rex institueret iudices, quin designaret subditos, in quos iudicium exercere possent. Quæ distinctio vera est in sensu quo illam explicant. Nam ideo incompletam, radicalem, & inchoatam vocant, quia deest iurisdictio in subditos, circa quos reduci in actum illa potestas queat. Ceterum nihil prohibet quominus dicamus, potestatem illam completam perfectamque esse in suo genere, quatenus includit completam facultatem, quantum est ex parte Sacerdotis rite ordinati, remittendi peccata. Et sic dici completa potest in actu primo. Verum, ut in actum se-

cundum prodeat, oportet ut eidem Sacerdoti subiiciantur subditi, in quos iudicium exerceri possit. Ecclesia itaque approbando Sacerdotem ad audiendas confessiones, non confert additamentum potestatis remittendi peccata: quia hæc potestas est a Christo Domino, qui eam confert limitatam, restrictam, & dependentem a consensu Ecclesiæ, quæ approbando Sacerdotem ad confessiones, removet impedimentum, designat subditos subiectos huic potestati plus & minus, prout expediens iudicat. Restringere enim potest hanc potestatem, & quantum ad loca, & quantum ad personas, & ad tempus, ut mox dicemus. Ne multa: quocumque modo hæc duplex potestas, divina, & ecclesiastica explicetur, convenit penes omnes Catholicos, Sacerdotem nec licite, nec valide absolvere posse pœnitentes, nisi ad id munus approbatus ab Ecclesia sit. Verum ex consensu perpetuo Ecclesiæ in articulo mortis omnes Sacerdotes valent ab omnibus peccatis, & censuris absolvere, inquit *sess.* XIV. *cap.* VII. Concilium Tridentinum., *Ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque adeo omnes Sacerdotes quoslibet pænitentes a quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt.*

VI. Insistunt. Sacerdotes eam accipiunt in ordinatione sua potestatem absolvendi quam acceperunt ipsi Apostoli. Atqui Apostoli vi verborum istorum: *Accipite Spiritum sanctum*; *quorum remiseritis* &c. acceperunt iurisdictionem completam, quin opus fuerit alia iurisdictione. Ergo &c. Resp. Negatur minor propositio. Siquidem Apostoli præter potestatem illis verbis significatam, *Quorum remiseritis peccata* &c. indiguere speciali missione: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos* &c. Accedit quod paritas Apostolorum cum ceteris Sacerdotibus in pluribus deficit. Sed in re aperta non est diutius immorandum.

C A P U T III.

Nullus Sacerdos sive regularis, sive sæcularis audire confessiones potest sæcularium absque approbatione Episcopi.

I. Approbationem Episcopi necessariam esse Sacerdotibus omnibus tam sæcularibus, quam regularibus, ut valide excipiant sæcularium confessiones, fatentur omnes. Hæc Episcopi approbatio est testimonium authenticum, quo Episcopus fidem facit, se talem Sacerdotem approbasse, & deputasse ad audiendas in sua diœcesi confessiones. Licet approbatio hæc sit actus intellectus, quo iudicatur Sacerdos idoneus; & iurisdictionis collatio sit actus voluntatis; tamen communiter reipsa conferuntur hæc duo. Nihilominus Episcopus potest

est approbare Sacerdotem, tamquam idoneum; & simul iurisdictionem ad tempus, iusta occurrente caussa, denegare.

II. Concilium Tridentinum *sess.* XXIII. de Reform. *cap.* XV. hæc habet. *Decernit sancta Synodus, nullum, etiam Regularem, posse confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegiis, & consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus.* Quibus ultimis verbis revocantur omnia privilegia, & consuetudines contrariæ. Hinc colliges, falsam & laxam esse opinionem *Henriquez*, & *Lamas*, qui docent, Doctorem *Licentiatum* in Theologia, aut in iure canonico esse ipso iure approbatum. Nam Concilium expresse decernit, *nullum* posse absque approbatione audire confessiones sæcularium.

III. Pius IV. Romanus Pontifex in Bulla, cuius initium, *In Principis Apostolorum*, emanata an. 1565. omnia Regularium privilegia ad terminos restrinxit Tridentini Concilii. *Omnia illa*, inquit, *& singula privilegia, exemptiones, immunitates, facultates, dispensationes, indulta, confessionalia, Mare Magnum, & aliæ gratiæ in his omnibus, & singulis, in quibus illa statutis, & decretis Concilii Tridentini contrariantur, ipso iure revocata, cassata, & annullata, ac ad ipsius Concilii terminos, atque limites reducta sint, & esse censeantur.*

IV. Urbanus quoque VIII. in Bulla quæ incipit, *Cum sicut accipimus*, data 1628. hæc statuit. *Omnia, & singula indulta huiusmodi audiendi sæcularium confessiones absque Ordinarii examine, & approbatione, quibusvis Collegiis, Capitulis, apostolica auctoritate . . . . concessa, tenore præsentium cassamus, revocamus, tollimus, abrogamus, & annullamus.*

§. UNICUS.

Nonnullæ difficultates de approbatione Regularium.

I. Quamvis omnes fateantur, Regulares Episcopi approbatione indigere; tamen de more plures instituuntur quæstiunculæ, quas paucis perstringam. Convenit penes omnes, Prælatos regulares posse approbare Confessarios pro audiendis suorum Fratrum regularium confessionibus. Difficultates discutiendæ spectant sæcularium confessiones.

II. Quæst. I. *Utrum Regularis præsentatus Episcopo, & iniuste reiectus, iurisdictionem acquirat, & valide absolvat?* Resp. Adfirmabant olim communiter ex vi privilegii concessi in Clementina *Dubium de sepulturis*. Et huic privilegio non

Ll iiij de-

derogasse Concilium Tridentinum probabile iudicant, inquit P. Sporer *de Confess. approb. num. 673.* præter alios Layman, & Castropalaus. Sed hæc sententia falsa est, damnata ab Alexandro VII. prop. 12. *Satisfacit præcepto annuæ confessionis qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo iniuste reprobato.*

III. Quæst. II. *Utrum Regularis approbatus ab Episcopo unius diœcesis, sit approbatus pro aliis diœcesibus?* Resp. Adfirmabant olim virtute privilegiorum. Verum Clerus Gallicanus damnavit an. 1656. hanc prop. num. 3. *Regulares Ordinum mendicantium, semel approbati ab uno Episcopo ad confessiones audiendas in sua diœcesi, habentur pro approbatis in aliis diœcesibus, nec nova Episcoporum indigent approbatione.* Et summus Pontifex Alexander VII. eamdem propositionem in decreto ad Henricum Andegavensem reprobavit, *tamquam falsam, & saluti animarum perniciosam.* Nec iuvat antiqua privilegia allegare.

IV. Quæst. III. *An Regulares approbati ad audiendas Confessiones sæcularium; sint approbati ad confessiones Monialium?* Resp. Adfirmabant olim de Monialibus Regularibus subiectis. Sed hæc opinio antiquata est post constitutionem Gregorii XV. editam an. 1621. cuius initium est, *Inscrutabili Dei providentia*, in qua num. 5. habetur. *Confessores vero sive regulares, sive sæculares, quomodocumque exempti, tam ordinarii, quam extraordinarii, ad confessiones Monialium etiam subiectarum audiendas, nullatenus deputari valeant, nisi prius ab Episcopo diœcesano idonei iudicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant.* Post hanc constitutionem, Regulares approbati pro audiendis confessionibus unius Monasterii, non possunt confessiones Monialium alterius Monasterii audire absque nova Episcopi approbatione. Et quoties multiplicantur casus deputationis, toties approbandi ab Episcopis sunt. Qua de re lege declarationes post constitutionem Gregorianam *Tom. III. Bull. pag.* 297.

V. Quæst. IV. *Utrum Regulares subire examen Episcoporum teneantur pro audiendis confessionibus?* Resp. Dubio procul subire examen hoc tenentur, si id Episcopis expediens visum fuerit. Hæc sunt Concilii Tridentini verba: *Per examen; si illis videbitur necessarium.* Quamquam igitur Regulares aliqui & doctrinæ existimatione præstent, & laurea decorati, aut publici Doctoris munere fungantur; non propterea ab onere subeundi examinis immunes sunt, si id Episcopis expediens visum fuerit. Hoc itaque absolute verum est. Subdit tamen Concilium: *Aut alias idoneus iudicetur:* quibus verbis indicatur, Episcopos prudentes esse debere, & cuique suum tribuere honorem. BENEDICTUS XIV. feliciter regnans; dum episcopale munus implebat, viros doctos pro approbatione ad confessiones illum adeuntes examinatores aliorum Sacerdotum inferioris subsellii constituebat; ut eosdem coram se examine exploraret. Et hoc sapienti consilio iura episcopalia sarta tecta custodiebat, & simul sapientum virorum honori consulebat.

VI.

VI. Dictum alibi repetendum est, Episcopos curare debere ut examinatores potissimum super Scriptura sancta Sacerdotes approbandos pro confessionibus audiendis explorent. Scio hunc morem non obtinere; at certum est, Confessarios esse iudices pœnitentium ad normam legis evangelicæ, non ad amussim opinionum Casuistarum. Consule *Tom. I. Appar. diss.* 11.

VII. Quæst. V. *An Regulares, approbati ab Episcopo absque præsentatione Superiorum regularium, ipsisque insciis, vel repugnantibus, valide absolvant pœnitentes sæculares?* Resp. Casuistæ in duas divisi partes sunt. Invalide, nedum illicite, hos Confessarios absolvere, docent plures etiam ex Probabilistis, Henriquez, Fagundez, Castropalaus, Rodriquez, Portel, & alii. Valide e contrario, sed illicite istos absolvere, defendunt Nugnus, Salas, Angles, La-Cruz, Villalobosius, Diana, Antonius a Spiritu sancto, & alii, quos citant, & sequuntur Salmanticenses *tract.* VI. *cap.* XI. *punct.* 7. *num.* 109. distinguunt duplicem iurisdictionem in Regularibus: alteram habitam ab Episcopo; & vi huius docent posse talem Confessarium regularem absolvere valide, quemadmodum absolvere potest Confessarius non regularis: alteram habitam a summo Pontifice vi privilegiorum; & vi huius iurisdictionis docent non posse, inconsultis propriis Prælatis, absolvere a casibus reservatis summo Pontifici, quemadmodum possunt Regulares approbati, & præsentati a suis Prælatis. Hæc distinctio videtur arbitraria. Nam communis sententia docet, Regulares habere iurisdictionem a Pontifice dependenter a voluntate suorum Prælatorum, & ab approbatione Episcoporum. Natalis ab Alexandro *regul.* XV. docet & ipse valide istos absolvere, sed illicite.

VIII. In hac opinionum varietate quodnam iudicium a me expectas? Nullum dabo. Dicam solum in hac opinionum diversitate tutiorem partem esse eligendam. Ut igitur Regulares & sacramentorum valori, & suæ conscientiæ consulant, caveant ne, inconsultis superioribus, Episcopis se præsentent, aut post præsentationem & approbationem confessiones audiant.

IX. Disputant pariter Casuistæ, num eiusmodi Regulares, qui, inconsultis propriis Prælatis, audiunt confessiones sæcularium cum approbatione Episcopi, peccent mortaliter. Alii adfirmant, negant alii. Salmanticenses *loc. cit. num.* 110. cum aliis distinguunt. Si constitutiones ordinis, vel Prælati id prohibent sub præcepto, vel censura, peccant mortaliter; si non adsit talis prohibitio, peccant venialiter. Verum hæc quoque distinctio solido fundamento caret. Nam hæc transgressio est contra votum obedientiæ in re omnium gravissima. Neque comparari cum transgressionibus ullo modo valet quæ violant constitutiones monasticam disciplinam spectantes; ut sunt transgressiones silentii, abstinentiæ, & similium. Ego certe eximere eos non auderem a peccato mortifero qui in re adeo

adeo gravi obedientiam debitam Prælatis violarent. Hæc enim transgressio directe violat obedientiam.

X. P. Patritius Sporer *num.* 682. ex Tamburino docet, solum peccare mortaliter, quando Superior positive prohiberet subdito Regulari audire confessiones sæcularium; secus ad *summum* peccabit venialiter. Gratis hoc asseri nobis videtur. Similiter non auderem pro certo asserere quod ibidem ex Layman docet idem Sporer, nempe posse Episcopum, invito Superiore regulari, iurisdictionem conferre Sacerdoti regulari ad audiendas confessiones in sua diœcesi. Quoniam non potest Episcopus efficere ut Regularis aliquid accipiat contra votum suum obedientiæ. Illam iurisdictionem acciperet contra votum obedientiæ. Ergo nulla, nedum illicita videtur. Id tamen certe adfirmare non audeo. Illud vero extra controversiam est, talem Regularem, approbatum invitis Superioribus, non frui privilegio Regularium, seu iurisdictione concessa a Papa; cum hæc pendeat a Superiorum consensu. Verum casus isti rari sunt: idcirco longiorem non postulant discussionem.

XI. Quæst. VI. *An Regulares approbati in una diœcesi valeant absolvere fideles ad ipsos ex aliis diœcesibus venientes?* Resp. Sententia adfirmativa communis est, & consuetudo obtinet universalis, Episcopis scientibus, & consentientibus. In diœcesi itaque in qua approbati Regulares sunt, omnium undecumque advenientium confessiones audire possunt. P. Sporer allegat facultatem concessam a Gregorio XIII. Patribus Societatis, & per communicationem reliquis Mendicantibus, qua isti semel approbati ab uno Episcopo possint iter agentes audire confessiones fidelium in locis in quibus commodus ad Episcopum non patet accessus, seu in quibus non existit Episcopus. *Ergo approbatio* (inquit P. Sporer) *quam ab Episcopo accipiunt Regulares, & superveniens iurisdictio simpliciter & præcise ad eamdem unam diœcesim non coarctatur.* Commentitia hæc nobis videntur. Nec P. Sporer allegat verba Gregorii XIII. sed absolute rem definit. P. Claudius *La-Croix num.* 1513. aperte asserit. *Non auderem sententiam illam sequi. Nec novum compen. Privil. Societatis. V. Confessio §. 2. videtur satis fidere isti privilegio.* Hoc satis est ut tamquam arbitrarium reiiciamus privilegium, quod universis Mendicantibus per communicationem extensum asserit P. Sporer.

XII. Quæst. VII. *An Superiores regulares indigeant Episcopi approbatione?* Resp. Plures refert de Lugo, qui docent, Superiores regulares, puta Provinciales, Priores, Rectores, Guardianos, non indigere Episcopi approbatione, sed esse veluti Prælatos curam animarum habentes. Hæc sententia penitus falsa est. Siquidem Concilium Tridentinum, & constitutio Clementis X. *Superni magni Patris-familias*, quam integram producit *La-Croix*, neminem Regularium excipiunt.

XIII. Quæst. VIII. *Regulares possunt ne absolvere sine approbatione Episcopi sæculares*

lares in eorum domibus? Resp. Si sæculares non sint de familia, ideft non continuo ibi commorentur, & non fruantur mensa, necessaria est Episcopi approbatio; secus, si sint de familia. Quando Episcopi approbant Regulares ad audiendas in propria diœcesi confessiones sæcularium, frustra repugnant Parochi; cum & ipsi Episcopis subditi sint.

XIV. Quæst. IX. *Regulares iter agentes, qui habent licentiam a suis Superioribus confitendi, possunt ne in locis, ubi desunt Confessarii proprii Ordinis, eligere sibi in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum?* Resp. Suarez, Tamburinus, & multi alii adfirmant. Negat Vasquez cum aliis. In hac materia semper tutior pars est eligenda, cum de valore sacramentorum agatur. Idcirco eligendum Sacerdotem approbatum censeo. Cur, quæso, discrimini te committerre audes, cum sacerdotes approbati obvii sint? Ut privilegio fruaris? Non videtur ratio solida; cum privilegium istud in disputationem a Theologis adducatur. Non me latet, communiorem esse oppositam sententiam; sed mihi tutior amplectenda videtur.

XV. Constitutiones O. P. mandant ut Fratres itinerantes, deficientibus Confessariis Ord. nostri, confiteantur Confessariis approbatis ab Episcopo, sive sæcularibus, sive regularibus. Vide plura apud Fontana. *V. Confessor*. Nec enim vacat expendere plures casus huc spectantes, cum sint expressi in nostris constitutionibus, & in ipso Fontana *loc. cit.*

CAPUT IV.

De iurisdictione ordinaria, & delegata.

I. IUrisdictio, de qua nunc sermo est, dicitur ius ferendi sententiam sacramentalem in pœnitentem confessum. Duplex est: ordinaria, & delegata. Ordinaria illa est quæ alicui competit ratione sui officii, ideft curæ animarum, quarum est Pastor. Eiusmodi sunt Papa, Episcopus, Abbas, Parochus, Vicarius perpetuus Episcopi, Vicarius capitularis, Summus pœnitentiarius, Cardinalis in Ecclesia sui Tituli, Vicarii generales Papæ, Legati a latere in provincia suæ legationis. Inter Regulares Generales, Provinciales, Superiores locales habent iurisdictionem respectu subditorum quorum sunt Pastores immediati. Hi omnes veniunt nomine Ordinarii, & nomine proprii Sacerdotis. Heinc Papa non habet Ordinarium, cum sit Pastor supremus. Ordinarius Episcopi est Papa, & Parochi est Episcopus. Archiepiscopus habet iurisdictionem ordinariam absolvendi sacramentaliter, dum visitat diœcesim Episcopi suffraganei.

II. Iurisdictio delegata illa est quæ alicui Sacerdoti confertur, non ratione curæ

ræ animarum, sed ex voluntate illius qui habet iurisdictionem ordinariam, & legitime delegare eam valet. Tum autem legitime eam committere non potest, quando est suspensus, vel excommunicatus non toleratus: quia tunc omni destitutus est iurisdictione. Quamobrem nec approbare ad confessiones valet.

III. Quæst. I. *Qui habent potestatem ordinariam, possunt ne eam delegare?* Resp. Adfirmant omnes, & patet cap. *Cum Episcopus* in 6. quia delegatio est actus proprius potestatis ordinariæ. Excipiuntur Parochi, qui iurisdictionem in proprias oves delegare nequeunt Sacerdoti non approbato a proprio Episcopo, ut patet ex Tridentino *sess.* XXIII. *cap.* XV. *de Refor.* Unus autem Parochus alteri Parocho potest delegare iurisdictionem in proprias oves: quia eo ipso quod sit Parochus, est ab Episcopo approbatus.

IV. Quæst. II. *An quilibet Sacerdos sine ulla approbatione habeat iurisdictionem remittendi venialia, aut mortalia rite confessa?* Resp. Adfirmant plures. Salmanticenses *tract.* VI. *cap.* XI. *punc.* 2. n. 8. & 15. „ Primo quilibet Sacerdos iurisdi„ ctionem habet in foro pœnitentiæ super peccata venialia tantum . . . Secundo „ id quod ex iurisdictione cujuslibet Sacerdotis super venialia tantum ex Ecclesiæ „ concessione diximus, extendendum est ad mortalia iam legitime confessa, & „ absoluta. Henriquez, Suarez, Granados, Layman, Leander. "

V. Hanc opinionem improbavit quantum ad primam partem Innocentius XI. in suo circa frequentem communionem decreto, dato Romæ 12. Febrarii anno 1679. ubi sub initium refert abusum hunc, quo *quis confiteatur peccata venialia simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario.* Deinde sub finem hæc adiicit. *Non permittant, ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Si Parochi, & Confessarii etiam regulares, aut quicumque alii Sacerdotes secus egerint, sciant Deo Optimo Maximo se rationem esse reddituros, neque defuturam Episcoporum, & Ordinariorum iustam, ac rigorosam animadversionem in contrafacientes etiam Regulares, etiam Societatis IESU; facultate ipsis Episcopis, & Ordinariis per hoc decretum per Sedem Apostolicam specialiter tributa.*

VI. P. Claudius *La-Croix* n. 1553. inquit „ Quoad venialia quilibet Sacerdos „ habet iurisdictionem in Religioso Societatis IESU. Suarez. Et hoc declaravit „ Mutius Generalis anno 1633. quamvis Claudius Generalis dissuadeat. "

VII. Nisi in rescripto decreto Innocentii XI. expresse comprehensi essent etiam Patres Societatis, posset La-Croix opponere privilegium, Iesuitas non intelligi comprehensos, quando illorum non fit expressa mentio. Et tamen decretum non ignoravit hic Auctor, cum illud integrum referat.

VIII. P. Dominicus Viva *q.* 8. *a.* 1. *n.* VII. „ Innoc. XI. an. 1679. voluit ut „ Episcopi non permittant venialium confessionem fieri simplici Sacerdoti non ap-

„ pro-

„ probato ab Episcopo, aut Ordinario... Puto tamen cum Carden. & aliis apud „ *Croix*, quod non sit invalida, & quod non exponeretur periculo frustrationis „ sacramentum : *cum enim probabile sit iurisdictionem* conferri *Sacerdoti immediate a Christo Domino:* & cum iurisdictione probabili valide conferatur sacramentum pœnitentiæ, ut dicemus quæsito nono; idcirco valide confertur sacramentum a simplici Sacerdote absolvente dumtaxat a venialibus, aut a mortalibus alias absolutis. “

IX. Tria hic summi momenti capita examinanda occurrunt. Primum, quod non obstante prohibitione *Innocentii XI.* possint simplices Sacerdotes validam impertiri absolutionem. Alterum, quod est cum primo annexum, nempe simplices Sacerdotes habere hanc iurisdictionem a Christo domino immediate, & independenter a Romano Pontifice, & a qualibet Ecclesiæ potestate. Hoc tamen docet P. Viva *probabiliter*. At continuo subdit tertium caput momentosum, nempe cum iurisdictione probabili valide administrari sacramentum. Fatentur omnes, iurisdictionem esse absolute necessariam ad sacramenti valorem. Fatetur ipse P. Viva cum ceteris omnibus, Sacerdotem absque iurisdictione invalide absolvere. Porro Innocentius XI. reprobavit usum opinionis probabilis relicta tutiore, cum de sacramenti valore agitur. Sed de hoc tertio puncto fusius infra. Duo priora paucis discutiamus. Unde colligit P. Viva, Sacerdotes habere a Christo Domino iurisdictionem in venialia? Non sane ex alio textu, quam ex hoc: *Quorum remiseritis* &c. Verum hinc colligunt omnes Catholici, iurisdictionem seu potestatem remittendi mortalia, limitatam tamen, & subiectam approbationi Episcopi, vel Ordinarii. Si P. Viva cum paucis aliis Probabilistis ex hoc textu colligit, simplices Sacerdotes iurisdictionem a Christo Domino habere in venialia independenter ab ipso Pontifice summo, nedum ab Ordinario; quidni inferri poterit, talem iurisdictionem simplicem Sacerdotem habere a Christo Domino in mortalia? Ubi in textu sancto discriminis vola? Ubi in traditione diversitatis vestigium?

X. Reponet P. Viva, se hæc asserere *probabiliter*, non absolute. Peregregie. Et propterea nos asserimus, Probabilismum omnia invadere. Unde istius *probabilitatis* origo? Unde fundamentum? Ex auctoritate paucorum Probabilistarum. At hi Probabilistæ unde hauserunt probabile esse, Sacerdotes simplices a Christo Domino habere iurisdictionem in venialia, & in mortalia confessa independenter a iurisdictione Ecclesiæ? Unde hoc, nisi a proprio opinandi modo?

XI. Nunc paucis rem perstringo, & dico, tum illicitam, tum invalidam fore absolutionem datam a simplici Sacerdote a venialibus, & mortalibus confessis: quia nullibi constat Sacerdotes habere hanc iurisdictionem a Christo Domino. Neque constat eos illam habere ab Ecclesia; immo Ecclesia voce Innocentii XI. prohibet eiusmodi absolutiones. Accedit sæpe difficillimum esse discernere inter veniale,

niale, & mortale: & quilibet Sacerdos, maxime Probabilista, iudicabit veniale quod reipsa est mortale: a quo etiam absolvet. Et ecce horrenda absurda ex hoc novo opinandi modo per universam Theologiam grassari.

XII. Sed ecce aliam laxam opinionem ex præfato opinandi modo proficiscentem. Salmanticenses *tract.* VI. *cap.* XI. *punct.* 2. *n.* 16. „ Rogabis primo, an, si „ contingat quempiam bona fide confitentem de solis venialibus alicui simplici Sa- „ cerdoti, habere fortasse occultum, & invincibiliter oblitum aliquod mortale, ad- „ huc confessio, & absolutio valeat, qua indirecte etiam mortalia remittentur? „ Negat Candidus . . . Affirmant tamen *probabiliter*, in casu posito adhuc confes- „ sionem, & absolutionem valere, qua indirecte etiam mortalia remittentur, cum „ onere tamen confitendi mortalia invincibiliter oblita legitimo Confessario, cum „ postea venerint in memoriam, & aderit tempus præcepti confessionis. *Suarez*, „ *Granados*, *Leander*, *Henrix* &c. "

XIII. Observandus progressus est. Primo dicunt, posse simplicem Sacerdotem absolvere a venialibus. Post a mortalibus confessis. Deinde a mortalibus invincibiliter oblitis. Quarto tandem a mortalibus bona fide confessis. Quærit enim Leander *tract.* V. *disp.* XI. *q.* 14. „ An saltem possit omnis Sacerdos nullo modo exposi- „ tus valide absolvere pœnitentem qui bona fide confitetur peccata venialia, & „ mortalia simul? . . . . Probabilius respondeo posse in utroque casu valide absol- „ vere a mortalibus: licet certior factus pœnitens, quod Sacerdos ille non habeat „ iurisdictionem super mortalia, teneatur iterum confiteri. "

XIV. Hæc omnia laxa sunt, falsa, & improbata ab Innocentio XI. Nec est quod fusius eadem refellam, cum natura sua præferant & falsitatem, & iurisdictionis perturbationem, & plura alia absurda.

XV. Quæst. III. *Utrum omnis Sacerdos in articulo mortis habeat iurisdictionem absolvendi a peccatis, & a censuris?* Resp. Articulus mortis est, cum ex morbo aut vulnere mortem instare, moraliter certum iudicatur. Periculum mortis dicunt esse quando probabilis certitudo adest mortis imminentis. Quamquam aliqui hæc duo distinguant; tamen in hac materia articulum mortis & periculum mortis pro eodem accipiunt Sylvester, Navarrus, Medina, Paludanus, Adrianus, Suarez, Vasquez, Nugnus, Lugo, Coninch, & plurimi alii, quos citant & sequuntur Salmanticenses *tract.* VI. *c.* XI. *punct.* 2. n. 24. & hæc sententia mihi probatur. Tum quia licet metaphysice hæc duo distingui per intellectum valeant; tamen in praxi vix discerni possunt. Et reipsa in præsenti materia pro eodem accipi ab Ecclesia, colligunt præfati Auctores ex *cap. Si quis suadente*, 17. *q.* 4. & ex cap. *Eos qui*, de sent. excom. in 6. Tum quia hæc iurisdictio est directe in favorem pœnitentis ad evadendam æternam damnationem. Ilud tamen advertas velim: periculum istud grave sit oportet, & quod vix distingui certo pos-

sit

sit a mortis articulo. Quod monitum eo spectat, ne novae benignitatis pretextu plus iusto extendatur haec iurisdictio simplicium Sacerdotum, coarctata ad solum articulum, seu periculum proximum mortis. Quibus praemissis,

XVI. Omnes Sacerdotes simplices non approbati, excommunicati vitandi, apostatae, haeretici, degradati absolvere quoscumque fideles posse a quibuscumque peccatis & censuris in articulo, seu proximo periculo mortis, docent plures. Sed de hoc infra *cap. VI. §. 2. quaest.* 14.

XVII. In mortis articulo, si adsit Sacerdos approbatus, non potest simplex Sacerdos non approbatus absolutionem impertiri; quia tum nulla est necessitas, cui tantum consulere intendit Ecclesia; quidquid in oppositum pauci doceant. Omnes tamen excipiunt casus in quibus simplex Sacerdos iam incepisset confessionem, quando legitimam habebat iurisdictionem, quae non expirat, nec interrumpitur per adventum Sacerdotis approbati. Similiter quando is qui approbatus est, nollet audire confessionem, posset simplex Sacerdos absolvere &c. Quamvis Sacerdos approbatus sit alterius dioecesis, praeferri debet simplici Sacerdoti.

XVIII. Delegatur etiam iurisdictio Mendicantibus ab Ordinario approbatis vi privilegiorum ad omnes casus, & censuras Papae reservatas, exceptis casibus Bullae coenae, & sex aliis a Clemente VIII. extra Urbem, & intra Italiam reservatis. Delegatur quoque indirecte iurisdictio, quando alicui facultas conceditur vel a iure, vel a consuetudine eligendi sibi Confessarium. Quilibet fidelis obtinere a summo Pontifice potest facultatem eligendi sibi Confessarium, dioecesanus ab Episcopo, parochianus a suo Parocho, & Regularis a suo Superiore. A iure Episcopi habent ut queant eligere simplicem Sacerdotem, illumque approbare ad suam, & fidelium suae dioecesis confessiones audiendas. Parochi nequeunt etiam ex propriis parochianis eligere sibi in Confessarium Sacerdotem simplicem. Quapropter damnata est propositio haec 16. ab Alexandro VII. *Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium Sacerdotem simplicem non approbatum.* Idem dicendum potiori iure de ceteris Praelatis Episcopo inferioribus. Ex consuetudine, seu ex tacita Papae concessione Imperatores, Reges, Legati a latere facultatem habent eligendi sibi Confessarium. Lugo, & alii docent, hac eadem facultate Cardinales praeditos esse, immo istos posse familiae suae impertiri facultatem eligendi sibi Confessarium: quod an verum sit, me latet.

XIX. Quaest. IV. *Qui habet iurisdictionem ordinariam, aut delegatam, potest ne illam exercere in aliena dioecesi cum propriis subditis?* Resp. Affirmant communiter iuniores, dummodo formula delegationis non limitet pro tali loco, & dioecesi, ut communiter fieri solet. Quoniam, inquiunt, sola iurisdictio contentiosa,

quae

quæ ſtrepitum iudicialem annexum habet, clauditur intra proprium territorium; ſecus iurisdictio ſacramentalis voluntaria, quæ ſpectat perſonas, & non locum. Ad Bullam Clementis X. *Superna* reſpondent, ibidem prohiberi, ne Regulares approbati in hac diœceſi, queant in altera diœceſi abſolvere illius diœceſis ſubditos; minime vero vetari, ne ceteri habentes iuriſdictionem aut delegatam, aut ordinariam, poſſint ſubditos propriæ diœceſis, in qua ſunt approbati, abſolvere in aliena diœceſi. Ita docet P. Viva cum pluribus aliis. Verum attendendum eſt quid conſuetudo legitima obtineat. Nam ſi conſuetudo obtinet ut Parochus proprios parochianos confiteri valeat in aliena diœceſi, non repugnantibus Epiſcopis, aut Parochis, ſed tacite conſentientibus, ſtandum eidem conſuetudini firmatæ tacito conſenſu mutuo Paſtorum eſt.

XX. Quæſt. V. *Quiſnam ſit proprius miniſter vagorum, & peregrinorum, & eorum qui habent domicilium in duplici parochia?* Reſp. Vagi dicuntur qui non habent proprium domicilium: & iſtorum Parochus eſt ille ſub quo reperiuntur tempore confeſſionis. Qui peregrinantur, & iter agentes, quamvis proprium domicilium, & Parochum habeant, poſſunt confiteri vel Parocho loci, ad quem perveniunt, vel cuilibet Confeſſario ex approbatis. Et hoc ex conſuetudine & conſenſu tacito ſuorum Paſtorum patet; dummodo tamen in fraudem, & ex induſtria non diſceſſerint a proprio domicilio, ut alibi confiterentur. Qui habent duplex domicilium in duplici parochia, poſſunt utrique Parocho confiteri. Qui maiori anni parte habitant in aliquo loco, licet alibi domicilium habeant, poſſunt eiuſdem loci Parocho confiteri.

XXI. Quæſt. VI. *An iuriſdictio acquiratur ſola conſuetudine?* Reſp. Negativa ſententia communis eſt, niſi accedat conſenſus ſaltem tacitus ſuperioris. Nec ſufficit conſenſus præſumptus, vel interpretativus, quem daret, aut certo creditur daturus ſuperior, ſi interrogaretur; neque ſufficit ratihabitio de futuro danda: ſed neceſſarius eſt conſenſus de præſenti exiſtens, & ſigno aliquo expreſſus & manifeſtatus; & hoc conſenſu tacito Ordinariorum poſſunt exiſtentes extra propriam parochiam confiteri cuicumque Confeſſori approbato. Parochi aut Sacellani approbati valent audire alienorum parochianorum ad ſe confluentium confeſſiones.

XXII. Quæſt. VII. *Quandonam iuriſdictio Confeſſarii amittatur, vel impediatur?* Reſp. Confeſſarius excommunicatus non toleratus omnem amittit iuriſdictionem, ſolumque in articulo mortis abſolvere poteſt. Excommunicatus toleratus valide, quamvis illicite, abſolvit. Parochum excommunicatum non toleratum, quamdiu non eſt parochia privatus, poſſe concedere alteri, ut matrimonio aſſiſtat, ſecus delegare iuriſdictionem audiendi confeſſiones, docent plures: quia aſſiſtere matrimonio non eſt iuriſdictionis, ſed teſtimonii actio; delegatio vero iuriſdictionis

nis est actio iurisdictionis, quam nec valide, nec licite exercere valet. Hanc opinionem, ad primam partem quod attinet, falsam reputo. Assistere matrimonio non iurisdictionis, sed testimonii actio est? Omnes ergo, sicut possunt esse testes, poterunt esse matrimonii ministri: quod est absurdum.

XXIII. Quando Confessarius absolvit excommunicatum, sub gravi culpa debet præmittere absolutionem a censuris, antequam absolvat a peccatis; sicuti præmittenda est absolutio a suspensione, & interdicto.

XXIV. Quæst. VIII. *An Episcopi limitare possint iurisdictionem ad tempus, ad personas, ad casus determinatos?* Resp. Duplex distinguenda limitatio est. Altera, quæ modum exequendi iurisdictionem spectat; puta, ut confessiones audiantur in templo, post solis ortum, & non post solis occasum &c. Quo in casu si Confessarius violet hanc præscriptionem, valide, sed illicite absolvit. Altera limitatio spectat substantiam iurisdictionis; ut quando limitatur ad confessiones virorum, & non mulierum, ad hos, & non ad illos casus: quo in casu absolutio invalida foret, si exerceretur ultra casus præscriptos. Porro eas limitationes præscribere iure valet Episcopus quas, partium studio seposito, in Domino iudicaverit necessarias. Absque enim iusta & rationabili caussa, posita habilitate Confessarii, nequit iurisdictionem coarctare. Idque respectu Regularium aperte declaravit Clemens X. in citata constitutione *Superna*, ubi inquit, *illos Religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti sunt, absque limitatione temporis, ceterorumque locorum, aut generis personarum in diœcesi propria admittendos; quoad ceteros vero, qui non adeo idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipsos cum limitata facultate approbare, & admittere.* Si tamen Episcopus etiam absque iusta caussa limitaret, limitatio consisteret, & invalidas efficeret absolutiones datas contra limitationem; sicuti quando absque iusta caussa reprobaret, ut dictum est supra.

XXV. Quæst. IX. *An iurisdictio morte concedentis expiret?* Resp. Communis sententia docet, iurisdictionem in hoc foro delegatam in generali a summo Pontifice non desinere per eius mortem, sed persistere: idque Auctores colligunt ex praxi in Pœnitentiariis, & in Regularibus a summo Pontifice delegatis. Idque constat ex cap. *Si super gratia*, de officio delegati in 6.

XXVI. Disputant vero in utramque partem de delegatione concessa ab inferioribus Prælatis, ut ab Episcopo, a Parocho. Expirare afferunt plures, quando res sit integra, ut si confessio incepta non sit. Communius alii negant, docentque continuare, donec vel labatur tempus præfinitum, vel revocetur a successore. Hoc colligunt ex praxi. Quoniam, defuncto Episcopo, & cessante Prælato regulari a suo officio, Confessarii in suo munere perseverant audiendi confessiones, non modo inceptas, sed etiam novas. Accedit regula communiter ad-

probata, quod gratia iam concessa non expiret finita concedentis iurisdictione. Nec consistit paritas de Vicario generali Episcopi, qui, mortuo Episcopo, caret potestate: quia hic unum cum Episcopo tribunal efficit, Confessarius vero delegatus tribunal aperit a delegante distinctum. Similiter si delegans removeatur ab officio, si privetur, si ipse cedat, aut renuntiet, delegatus non amittit iurisdictionem, donec revocetur a superiore succedente in iurisdictionis administrationem.

XXVII. Quæst. X. *An delegatus possit subdelegare?* Resp. Adfirmat Sanchez *Lib. III. de matrim. disput.* XXXII. quem citat, & sequitur P. Viva *quæst.* VIII. *artic.* 1. *num.* 13. ubi laudat Bordonium, Peyerinum, Dianam, Navarrum, & alios, qui docent, Confessarium qui accepit potestatem ab Episcopo absolvendi a reservatis, posse in casu occurrenti hanc facultatem subdelegare alteri. Hæc opinio mihi non probatur: quia delegatio est personalis concessa huic personæ, & non alteri. Ergo qui illam accepit, non potest eamdem alteri communicare.

XXVIII. Quæst. XI. *An error communis, deficiente titulo colorato, sit satis ut iurisdictio conferatur?* Resp. Aliquis est simplex Sacerdos carens omni iurisdictione. Illum ut Pastorem, aut Confessarium habent omnes alicuius loci fideles. *Hic est error communis* de iurisdictione illius Sacerdotis. Si autem Sacerdos simplex obtineat ab Episcopo beneficium parochiale, verum ob aliquod impedimentum canonicum, puta excommunicationem, aut simoniam, aliudve obstaculum invalide obtineat, & possideat beneficium parochiale; vi huius ab omnibus habetur ut Parochus, vel Curatus. Hic est error communis, coniunctus cum *titulo colorato*. Possidet enim titulum, nempe collationem beneficii parochialis collati a legitimo Superiore, nempe ab Episcopo. Sed quia invalide beneficium collatum fuit, possidet quidem titulum, non tamen verum, sed falsum & apparentem, ideo *coloratum* nuncupatum. Qui vero beneficium non obtinet, sed falsis litteris se Parochum fingit, nullum titulum, nec coloratum habet.

XXIX. Communis sententia docet, *communem errorem* coniunctum cum *titulo colorato*, quo aliquis habetur ut Parochus, aut Curatus, satis esse ad iurisdictionem, qua talis possit valide absolvere, & alia sacramenta administrare: quia ob publicam utilitatem Ecclesia in hoc casu collati invalide beneficii confert reipsa iurisdictionem; ut communis Theologorum, & Canonistarum sententia docet.

XXX. Quid, si desit titulus coloratus, & adsit solus error communis? Etiam tum sufficientem iurisdictionem adesse ad valide absolvendum, defendunt nonnulli Probabilistæ. P. Dominicus Viva *quæst.* VIII. *artic.* 1. *num.* 16. „ Respondeo „ iu-

„ iurisdictionem conferri, non solum quando errori communi adiungitur titulus „ coloratus . . . Sed etiam *probabiliter*, si error communis non coniungatur cum „ titulo colorato; puta, si Sacerdos non habens iurisdictionem, bona, *vel mala* „ *fide* exponat se confessionali ad confessiones audiendas, communiter censetur „ Confessarius approbatus. Ita Diana, Molfesius . . . Debet autem hic error esse „ se probabilis, *non vero supinus, aut crassus*. "

XXXI. Hæc opinio & falsa & laxa mihi videtur: neque enim præsumi Ecclesiæ consensus rationabiliter potest. Quando adest titulus coloratus, nempe quando Sacerdos subit examen coram Episcopo, quando obtinet in conspectu hominum beneficium, & ut Parochus ab omnibus tam solidis fundamentis habetur, sapienter & provide S. Mater Ecclesia confert iurisdictionem. At Sacerdotes iniqui exponunt se in tribunali fide mala ad confessiones excipiendas: & istis Ecclesia iurisdictionem confert ob utilitatem fidelium? Ita ne vero? An non vides, heinc maiora, & horrendiora consequi absurda quam sit utilitas pœnitentium? Nam, admissa hac doctrina & persuasione in populo christiano, quod validæ sint confessiones, & absolutiones talium fictorum Confessariorum, iam aperitur ianua omnibus iniquis & sceleratis Sacerdotibus fingendi se Confessarios, dissem inandi errores, hæreses, & seducendi populum christianum. Siquidem, ut credantur Confessarii, sat est, inquit P. Viva, ut error non sit *supinus, aut crassus*, sed probabilis. Quid autem facilius hoc errore probabili, contrario errori supino, & crasso? Nam nemo præsumitur malus, nisi probetur. Ergo quoties fideles vident Sacerdotem sedentem in tribunali, præsumere debent esse Confessarium, licet non sit; & error communiter semper probabilis erit, & non supinus. Utilitas ergo pœnitentium, quæ obtruditur pro fundamento iurisdictionis ab Ecclesia collatæ, inepta res est, si conferatur cum universali damno, & perturbatione ministerii, & scandalis, atque absurdis, quæ sequerentur, si consisteret præfata opinio P. Viva, & aliorum. Titulus coloratus perquam rarus est. Errores isti communes non supini, sed probabiles frequentissimi forent, semel admissa doctrina, quod eiusmodi confessiones, & absolutiones validæ essent.

CAPUT V.

De iurisdictione dubia, & probabili. Opiniones Probabilistarum reiiciuntur.

I. Probabilismus, ut saepius dixi, & ut experientia manifesta eorum quae scripsimus, constat, veluti fermentum per universam massam serpit: & quamquam a re sacramentaria illum exterminaverit Ecclesia, nihilosecius fucis & distinctiunculis obtectus, non secus ac antea, fere grassatur. Plures celebres Probabilistae defendunt, in administratione sacramentorum licitum usum iurisdictionis *probabilis*. P. Viva, & P. La-Croix fusius ceteris eam sententiam confirmare student; quorum ego argumenta paucis expendam, &, obsequio erga Auctores servato, pro viribus labefactare curabo. Animadvertendum principio est, P. Viva expresse defendere licitum usum iurisdictionis probabilis, quando haberi certa potest; atque adeo extra casum necessitatis. Et in expositione *prop.* 1. *Innoc. XI. & quaest.* 111. *art.* 2. *de Iubil. & in Curs. Theolog. quaest.* VIII. *art.* 2. acriter defendit, iurisdictionem probabilem sufficere, licet possit haberi certa, ad validam absolutionem. Eamdem opinionem, licet ambigue, ut infra dicam, defendit P. Claudius La-Croix *Lib. VI. part.* 1. *num.* 110. *& seq.* & plures Probabilistae, quos numerat.

II. Ego propugno, hanc opinionem aperte damnatam esse in hac prop. 1. Innocentii XI. *Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore; nisi vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis, aut episcopalis.*

III. Primum omnium refero opinionem propriis verbis quibus illam defendit P. Dominicus Viva in *Curs. Theolog. quaest.* VIII. *artic.* 2. *num.* 1. *&* 2. „ Videtur „ non licere conficere sacramentum poenitentiae cum iurisdictione probabili, saltem quando potest haberi iurisdictio certa. Nihilominus censeo licitum esse „ absolvere cum iurisdictione probabili . . . Hinc sequitur ab Innocentio XI. in „ prima ex eius proscriptis thesibus non esse damnatam hanc sententiam, QUIA „ DEBUISSET APERTE ILLAM DAMNARE, si voluisset, quod non solum in „ iis quae pertinent *ad materiam, & formam sacramenti*, sed etiam in iis quae „ pertinent *ad iurisdictionem*, sequamur opinionem tutiorem, omissa probabili, „ *ut multi viri docti censent*. "

§. I.

§. I.

Recensita sententia P. Viva, La-Croix, *& aliorum Probabilistarum, qui defendunt, licitum esse administrare sacramentum pœnitentiæ cum iurisdictione probabili, continetur in proposit.* 1. *Innocentii XI.*

I. D*Ebuisset*, inquit P. Viva, Ven. Innocentius XI. *aperte damnare opinionem de iurisdictione probabili, si voluisset, quod non solum in iis quæ pertinent ad materiam, & formam, sed etiam in iis quæ pertinent ad iurisdictionem, sequamur opinionem tutiorem*. Pulchre, & venuste. Cedo: in propositione damnata fit ne mentio materiæ, & formæ? Altum de hoc silentium. Indefinita est propositio, omnemque comprehendit opinionem *de valore sacramenti*. Cur restringitur ad solam formam, & materiam, si propositio neque materiæ, neque formæ, neque iurisdictionis, neque attritionis, neque alicuius opinionis determinatæ meminit; sed omnem absolute comprehendit opinionem agentem de valore sacramenti. Insistit P. Viva, si Pontifex summus voluisset, ut sequeremur opinionem tutiorem in iis quæ pertinent ad iurisdictionem, *debuisset aperte illam damnare*. Ita ne vero? Nihil ergo damnavit Pontifex? Illusoria ergo est propositio pontificia. Evinco. Nullam Pontifex peculiarem opinionem sive respectu formæ, sive respectu materiæ aperte damnavit. Nihil ergo damnavit. Iuxta P. Viva, Pontifex non damnavit opinionem probabilem de iurisdictione. Cur? quia *aperte illam non damnavit*. Sed neque aperte damnavit aut opinionem de materia, aut opinionem de forma sacramentorum. Ergo, si consistit ratiocinium P. Viva, nullam opinionem damnavit Pontifex, quia nullius particularis aperte meminit. Alterutrum ergo. Aut Pontifex damnavit omnem opinionem probabilem agentem de re quæ ad valorem sacramenti pertinet, aut nullam. Non secundum: ergo primum. Atqui iurisdictio, fatentibus omnibus, etiam P. Viva, ad valorem pertinet sacramenti. Ergo opinio probabilis de iurisdictione, relicta tutiore, est damnata in 1. *propos.* Innocentii XI. quæ indefinita est, quæque nullius determinatæ opinionis, sive ad formam, sive ad materiam, sive iurisdictionem attinentis, aperte meminit; sed omnem quæ valorem sacramenti spectat, comprehendit. Patet ne aliqua ad effugium rima?

II. Patet quam maxime, reponit adversarius. In proscripta thesi damnatur dumtaxat usus opinionis minus tutæ, quæ adversatur iuri divino, secus illius quæ opponitur solum iuri ecclesiastico. Hæc doctrina P. Viva falsa est, & ab ipsis

Probabiliſtis improbata. Quis hoc aſſerit? Alter benigniſſimus Probabiliſta P. Claudius La-Croix, qui *Lib. VI. part. III. num. 37. pag. 359. quæſt. 5.* hæc habet. „ *Quid notandum ſit in materia de matrimonio circa propoſ. 1. damnatam ab Innoc. XI.* &c. Ex damnatione illius propoſitionis ſequitur illicitum eſse contrahere matrimonium ſequendo opinionem tantum probabilem de illius valore, relicta tutiore, quæ ad valorem præterea requirit aliquid, quod non obſervatur, niſi accedat aliquid ex quo valor talis matrimonii reddatur ſufficienter certus. *Quamvis enim* Filguera *explicans hanc propoſitionem damnatam, putet non prohiberi praxim illius in rebus quæ non ſunt de iure divino, ſed tantum de iure eccleſiaſtico, uti ſunt multa in materia matrimonii; ſententia tamen illa reiicitur AB OMNIBUS. Et ratio eſt, quia finis damnationis erat, ne ſacramentum exponeretur periculo nullitatis, cui exponitur, quando aliquid omittitur quod ad valorem requiritur ETIAM DE IURE TANTUM ECCLESIASTICO.* “

III. Doctrina itaque P. Viva, teſte ipſo P. La-Croix, reiicitur *ab omnibus* ut falſa, ne dicam, ut nimium audax. Romana Sedes indefinite proſcribit uſum opinionis probabilis in iis quæ ad valorem ſacramentorum attinent. Et noviſſimi Doctores continuo machæra probabiliſtica medietatem damnationis averruncant? Nam licet P. La Croix veritate coactus ſaſſus ſit, vetitum damnatumque eſſe uſum opinionis probabilis relicta tutiore, dum de valore ſacramentorum agitur, ſive a iure divino, ſive a iure eccleſiaſtico valor pendeat; tamen manifeſtis antilogiis ſemetipſum confodiens, & ipſe uſum Probabiliſmi damnati in re ſacramentaria conſuetis diſtinctiuncularum emplaſtris illitum propugnat. Theologia probabiliſtica verſatilis, & ductilis in utramque partem eſt, & numquam fere ſibi conſtat. Sacramentorum valor & a materia, & a forma, quæ iure divino præſcribuntur, & a iuriſdictione, quæ ab Eccleſia impertitur, pendet. Finis damnatæ theſis eo ſpectat, ne fruſtrationis periculo exponatur ſacramentum. Exponitur autem, inquit P. La-Croix, quando id omittitur quod etiam vi *iuris eccleſiaſtici* tutius eſt. Sed audiamus obiectiunculas.

IV. Opponit 2. P. Viva. „ Non eſt probabile centum triginta Doctores, a *Gobat* relatos, in re tanti momenti eſſe deceptos, & indiguiſſe cenſura. “ Primum P. Viva fallitur, & fallit lectores ſuos. P. Gobat ſaltem in editione Monachii, qua ego utor, *tract.* VII. *num.* 112. non numerat hos centum & triginta Doctores. Ait utique plurimos & ſapientiſſimos DD. hanc opinionem docere. Quinam hi *ſapientiſſimi Doctores?* Ioannes *Sanchez*, damnatus ob nimiam laxitatem, *Diana*, *Tamburinus*. Ceterum non modo non citat 130. ſed nec 100. immo continuo ſubdit P. Gobat *num.* 114. oppoſitam eſſe probabilem, & peccare per ſe loquendo illos qui, hac omiſſa, illa utuntur.

V.

V. Verum, ut luculentius pateat, quanta adhibenda fides sit Auctoribus istis, in medium veniant ipsa verba *P. Georgii Gobat*, qui loco citato a P. Viva, nempe *tract.* VII. *num.* 115. *&* 116. pag. 539. hæc scribit. „ Hinc infero, peccare per „ se loquendo, saltem contra caritatem illum Confessarium qui absolvit pœniten- „ tem sequendo opinionem de sua iurisdictione minus tutam, si opposita sit pro- „ babilis, nisi prudenter (N. B.) credat *talem absolutionem esse* NON INGRA- „ TAM *ipsi pœnitenti*, aut alia peculiaris ratio suadeat *sectationem mitioris*. At- „ que ita sentiunt *Marchant*, *Bardi*, *Ioannes Sanchez*, *Ovïedus* contra plures alios. „ Ratio est, quia nequit adferri causa cur ex omnium sententia delinquat gravi- „ ter contra caritatem proximo debitam, qui in ceteris *sacramentis administrandis* „ *utitur MATERIA, AUT FORMA probabiliter* ineptis, dum potest adhibere „ certo idoneas, & non etiam delinquat in hoc nostro casu. Dixi autem *per se* „ *loquendo* tum peccari: nam per accidens fit ut Deus talem administrationem „ non reputet in peccatum, quia scilicet permulti DD. *probabilissime* negant in- „ tervenire ullum hic delictum. Atqui non peccat coram Deo exercens actionem, „ quam probabilissima sententia negat esse peccaminosam, seu asserit esse lici- „ tam, omnibus consideratis, sicuti auctoritate *sexaginta quinque* DOCTORUM „ firmavi in Clypeo Clement. Iudic ... quibus alios addere possem. Unde sequi- „ tur *singulariter non peccare qui absolvit a casu quem alii contra alios* probabili- „ ter censent non esse reservatum: aut qui audit confessiones, *aliquibus contra* „ *alios censentibus*, non esse excommunicatum &c. Etenim permulti excusant hos „ omnes a peccato. “

VI. Si dixero, in ipsam rem sacramentariam intrusum esse a permultis Casuistis purum putumque Pyrhonismum, an veritatis manifestæ confinia transiliam? Venusta simul & horrida sunt quæ P. Gobat promit in lucem. Peccat ergo Sacerdos saltem contra caritatem sequens opinionem minus tutam, si opposita sit probabilis, *nisi credat talem absolutionem esse* (*N. B.*) *non ingratam ipsi pœnitenti*; *aut alia peculiaris ratio suadeat sectationem mitioris*. Peregregie, & mirifice. Ecquis pœnitentium est, cui *non ingrata erit absolutio?* Immo quo scelestiores erunt, eo illis erit gravior & acceptior absolutio. Non modo illis *non ingrata*, sed pergrata, & quammaxime gratissima erit. Quid tum? Confessarii tunc tutissime poterunt absolvere a casu *quem alii contra alios* probabiliter *censent non esse reservatum*: poterunt absolvere pœnitentes *aliquibus contra alios censentibus* non esse indispositos, non esse obstrictos ad deferendam occasionem proximam, ad debita solvenda, ad restituenda aliena. Eccur hoc? Quia permulti excusant hos omnes a peccato. Hæc sunt Theologiæ probabilisticæ robusta ratiocinia.

VII. Redeat nunc in medium argumentatio P. Viva. *Non est probabile centum triginta Doctores a Gobat relatos in re tanti momenti esse deceptos*. P. Gobat nu-

merat dumtaxat *sexaginta quinque Doctores*, quibus alios se posse addere ait, sed non addit. Et *Tò alios* extendit P. Viva licentia Probabilismi usque ad *centum triginta*. Sed hæc levia sunt. Non est probabile hos Doctores fuisse deceptos? Frustranea ergo sunt, & straminea Romanæ Sedis Decreta, lata ab Alexandro VII. & Ven. Innocentio XI. contra centum & amplius propositiones damnatas. Nam permulti Doctores laudati a P. Gobat illas docuerunt. Aut decepti sunt isti Doctores; aut decepti sunt Romani Pontifices. Quid biscis? Doctores relati a P. Gobat, sin omnes, saltem plures, propugnabant licitum esse usum opinionis probabilis respectu ipsius materiæ, & formæ sacramentariæ, nedum respectu iurisdictionis. Et probabile est eos non fuisse deceptos? Quid de aliis gravioribus erroribus dicam, quos docuisse permultos Doctores istos certo scimus, quosque damnavit Romana sedes? Et ne quidquam per exaggerationem dictum appareat, lege quæ immediate subiicit Doctor Gobat *ibidem num.* 118. *pag.* 539. *&* 540. „ *At „ est ne illa nostra generalis doctrina vera, etiam casu quo aliqua opinio habetur „ pro probabili, non communiter a doctis, sed tantum ab aliquo privato?* Respon„ det contra Salas, & Aversam *affirmative* P. Tamburinus *loc. cit.* 98. *num.* 9. „ cum Verricelli. Vera ne *est etiam tunc, quando probabilitas versatur circa solum „ factum?* ut quando est probabile Episcopum dedisse mihi facultatem absolvendi „ a reservatis, cum tamen ne cogitarit quidem? Respondent iidem *Tamburinus & „ Verricelli* post *Mascardum* contra Aversam, ac Salas rursum *affirmative* ob pari„ tatem rationis cum probabilitate iuris. Ego nequeo negare probabilitatem illis „ duobus responsis assertivis, abstineo tamen ab absoluta approbatione " Vin meliora.

VIII. Hinc evidenter constat, vanissimam esse argutationem P. Viva, & Doctores allegatos a P. Gobat esse deceptos & in hac, & in plurimis aliis sententiis a S. Sede damnatis. Hæc quoque ultima opinio, quam ex Tamburino, & Verricelli refert P. Gobat, cuius probabilitatem negare non audet, damnata est a S. Sede. Constat denique, quam inconsiderate modernos Casuistas citare Doctores probabilistas, qui scripsere ante Alexandrum VII. & Ven. Innocentium XI. ad confirmanda interpretamenta, quibus isti extenuare & eludere damnatas theses solent.

IX. P. Claudius La-Croix, qui *Lib.* VI. *part. III. num.* 38. fassus est, ut vidimus supra, non esse licitum usum opinionis probabilis, quando agitur de valore sacramenti, sive valor pendeat a iure divino, sive a iure ecclesiastico; nihilominus eodem *Lib.* VI. *part. I.* 2117. defendit, licitum esse usum iurisdictionis probabilis: quia ita docent Illsung, Stoz, Verricelli, Tamburinus, Diana, & alii permulti Doctores. Ad oppositionem vero factam a Garzia, referente graviores Theologos, & *decisiones Cardinalium* contra talem opinionem, respondet. *Auctores illi, & decisiones negant sententiæ illi certitudinem, præscindendo a consuetudine operandi secun-*

secundum hanc vel illam probabilem. *Nos autem dicimus*, *tales sententias reddi certas*, *accedente circumstantia consuetudinis*. Probabilistæ executioni demandant opiniones probabiles, hoc fulti discursu. Illi sic *practicant in confessionali*. Hæc praxis inducit consuetudinem. Hæc consuetudo efficit certas & tutas opiniones probabiles etiam in re sacramentaria. Ad tam peregrina paradoxa nihil repono.

X. Opponit 3. P. Viva. Certum est quemcumque Sacerdotem habere iurisdictionem in venialia. Ergo si quis confitetur tali Sacerdoti habenti iurisdictionem probabilem addendo aliquod veniale, supra quod habet iurisdictionem certam, non exponitur sacramentum periculo frustrationis.

XI. Resp. Argumentatio isthæc non est præcedentibus robustior. Unde eruit P. Viva, certum esse simplicem Sacerdotem habere iurisdictionem in venialia? Innocentius XI. prohibuit usum huiusce opinionis, ut supra vidimus. Prohibuit, reponit P. Viva, exercitium; at non declaravit confessionem venialium factam simplici Sacerdoti esse invalidam. Quid inde? Propterea ne certum est esse validam? Præterea numquid licite nunc absolvere valet simplex Sacerdos a venialibus? Absit. Ergo iurisdictio in venialia nullo modo nunc licitum reddere potest usum iurisdictionis probabilis in mortalia: & tamen non modo validum, verum etiam licitum defendit P. Viva usum iurisdictionis probabilis.

XII. Opponit 4. P. Viva, & argumentatur a priori. „ Quando iurisdictio est „ probabilis, eo ipso est certa, supplente Ecclesia eius defectum, si adesset. Atqui quando iurisdictio est certa, sine dubio licitum est absolvere; nec exponitur sacramentum periculo frustrationis. Ergo licitum est absolvere cum iurisdictione probabili. Probatur maior. Quia in tantum non esset certa, in quantum „ *graves Doctores* dicunt non suppleri defectum iurisdictionis ab Ecclesia, quando „ quis absolvit cum iurisdictione probabili, omissa certa. *Sed hoc*, *quod ab his asseritur*, *est falsum*, tum quia non est probabile quod Pontifex propter bonum „ publicum nolit supplere defectum iurisdictionis in tali casu &c. “

XIII. Ut ab ultimis verbis incipiam; permittat nobis Cl. Auctor, ut, qua ipse, eadem & nos libertate loquamur. Falsum est quod *graves Doctores* nostræ sententiæ afferunt? Esto. At falsum nos quoque dicimus esse quod cum aliis Probabilistis defendit P. Viva. Dubia ergo, & in utramque partem disputabilis manet controversia. Nonne iuxta omnes Probabilistas Doctores graves efficiunt opinionem probabilem? Doctores graves negant consensum Ecclesiæ in nostro casu. Ergo probabile est non consentire Ecclesiam. Ergo falsum est quod adversarius defendit, certum esse Ecclesiam consentire; immo Ecclesia damnavit usum opinionis probabilis relicta tutiore, cum de sacramenti valore agitur. Ergo damnata est opinio P. Viva. Sed ultra pergamus.

XIV. Consensus Ecclesiæ supplentis defectum iurisdictionis probabilis, quando haberi

haberi certa potest, falsus, commentitius, & penitus chimaericus est. Evinco. Ecclesia viva voce Innocentii XI. iubet ut inter opiniones probabiles [tractantes de valore sacramentorum eligamus tutiorem, & damnat usum probabilis relicta tutiore. Factum istud tam certum est, quam certum est Innocentium XI. damnasse propositionem 1. Unde, quaeso, eruere consensum Ecclesiae catholicae debemus? Nonne ex eiusdem Pastorum, & cum primis Romani Pontificis voce? Romanus Pontifex Innocentius XI. damnat absolute & universe usum opinionis probabilis relicta tutiore, cum de valore sacramenti agitur: & reperitur Theologus qui ausit docere, Ecclesiam consentire in usum opinionis probabilis, illo ipso tempore quo hunc usum Ecclesia improbat, proscribit, exterminat?]

XV. Insistit adversarius. Quando error communis habetur, Ecclesia supplet defectum. Hoc quoque falsum esse diximus, nisi adsit titulus coloratus: quo in casu omnes Theologi id fatentur, nullumque est dissidium inter eos in hoc puncto.

XVI. Oppones. Opinionem P. Viva communiter defendunt Probabilistae. Nam Salmanticenses Scholastici *tom.* XII. *p.* 2. *tract.* XXIV. *disp.* XII. *dub.* 7. *§.* 1. propugnant hanc eamdem opinionem, & in eiusdem praesidium citant *Sanchez*, *Turrianum*, *Malderum*, *Lessium*, *Granadum*, *Lugo*, *Aversa*, *Martinez*, *Villalobosium*, *Reginaldum*, *Palaum*, *Basilium*, *Henriquez*, *Dianam*, *Dicastillum*, *Bonaespei*, *Antonium a Spiritu sancto*, *Gabriel Hocez*, *Elvas*, *Torrecillam*, *Correllam*, *Lumbier*, *Filguera*, *Lastra*, *Verricelli*, *Moya*, *Suarez*. Resp. Hic est Probabilistarum mos, infarcire prolixum Casuistarum catalogum, ut a multitudine praesidium nanciscantur. Omnes citati auctores, exceptis tribus, aut quatuor, scripserunt ante decretum Innocentii XI. Ergo perperam a Salmanticensibus laudantur. Accedit quod praefati Auctores Probabilistae sunt, & probabilismi praeiudiciis occupati, docuerunt usum iurisdictionis probabilis licitum esse in sacramentis conferendis: quam doctrinam nos Antiprobabilistae damnatam contendimus in 1. *prop.* Innocentii XI. Auctoritas ergo Probabilistarum in hac materia nullius prorsus momenti est.

XVII. Insistit P. Franciscus Fegelli *Par.* I. *cap.* 11. *num.* 21. *pag.* 14. „ Praxis „ & usus *omnium Confessariorum* obtinuit, ut impendant absolutionem cum iuris„ dictione probabili. Ergo, ne tot eorum actus sint irriti cum maximo poeniten„ tium damno, recte iudicatur Ecclesiam certissime conferre iurisdictionem, si „ antea non dabatur. " Vanissima argutatio. Praxis obtinet: Ergo Ecclesia approbat. Fallit imperitos P. Fegelli, dum asserit *omnes Confessarios* absolvere cum iurisdictione probabili. Omnes Confessarii & Theologi antiprobabilistae oppositum docent.

XVIII. P. Claudius La-Croix, ut iam animadverti, *Lib.* VI. *part.* 2. *num.* 117. inquit: Quandocumque datur opinio probabilis, v. g. pro iurisdictione, vel absentia

tia impedimenti, communissima sententia est cum *Suarez*, *Con. Fill. Regin. Less. Bonac. Diana*, *Aversa*, quod etiam tum suppleat, vel dispenset Ecclesia &c. Et hoc in praxi tutum, aut moraliter certum esse dicunt *Sanchez*, *Verricel.* &c. Sed iniuste & inconsiderate P. Croix laudat istos Auctores, qui ante decretum Innocentii XI. scripserunt, ut iam modo animadverti: & non raro Auctor iste, & plurimi alii Probabilistæ citant Auctores qui scripsere ante decreta Alexandri VII. & Innocentii XI. ut illorum auctoritate confirment commenta, quibus eluduntur propositiones damnatæ, quas plures ex citatis Casuistis docuere. P. tamen La-Croix *loc. cit. par. 2. num.* 1571. videtur hanc opinionem aliquo modo restringere ad casus alicuius necessitatis; sed sua probabilitate *practica positiva* certa, de more rem implicat. Unum est quod non adeo aperte, ut P. Viva, hanc laxam opinionem propugnat.

XIX. Insistit iterum P. Viva, *Moraliter certum videtur quod Ecclesia MATER BENIGNISSIMA velit supplere defectum* &c. Hoc commentum non meis, sed P. Elizalde verbis diluere volo.

§. II.

P. Michael Elizalde *sophisma*, *a benignissima pietate matris Ecclesiæ repetitum*, *solida doctrina convellit*.

I. QUamquam Ecclesia sit benignissima mater; nihilominus voce Pastoris summi Innocentii XI. improbavit usum opinionis probabilis, relicta tutiore, cum de valore sacramentorum agitur. Quamobrem penitus profligatum iam est commentum, ab hac materna Ecclesiæ benignitate arcessitum. Verum quia Probabilistæ passim obtrudunt in pluribus controversiis gravissimis sophisma, ab hac matris Ecclesiæ benignitate derivatum; ideo lubet P. Michaelis Elizalde doctissimi Iesuitæ verbis illud iterum explodere. Inquit ergo P. Elizalde *Part. II. Lib. V. quæst.* xv. *§.* 2. *pag.* 110. *& seq.*

II. „ Primum itaque fundamentum, quod ad plures opiniones struendas assu-„ mitur, est *pietas matris Ecclesiæ*, quam *piam matrem* semel, iterum, perpe-„ tuo, & quidem verissime recantant. Inferunt. Non est ergo de intentione „ *piæ matris*, hostili, ut loquuntur, vinculo bonas animas illaqueare, eas quip-„ pe animas in quibus nulla fraus est, neque contemptus &c.

„ Si in rebus tantis liceret verbis ludere, dicerem, hoc totum, quod ad tam „ multas opiniones condendas assumitur, in hoc solo fundari, quod nomen *Ec-„ clesia* feminei generis sit, *Deus* vero masculini, & Ecclesia ipsa mater, &

„ Deus

„ Deus pater. Ex quibus, quoniam feminæ, maxime autem matres erga filios „ mitissimæ esse solent, & sæpe etiam indulgentiores quam par esset, nescio „ quis fucus, similisque indulgentia irrepsisse vobis videatur.

„ His itaque contemptis . . . absurdissimum est quod in hac & similibus opi„ nionibus ex pietate Ecclesiæ deductis præcipue assumitur. Præcipuum enim „ illud est, quod mater Ecclesia magis pia quam pater Deus censeatur. Nam „ si pientior non sit, inepte ex eius pietate arguitur. Ecclesiam porro magis „ piam non esse quam Deum patrem . . . non probandum, sed per se notum „ est . . . . Quid plura? Si ex pietare sane legislatoris obligationes aut tollen„ dæ, aut emolliendæ forent, tam pius est, & misericors Dominus, ut omnes „ una obligationes tolli de medio possint. Inconsiderate ergo hoc ex loco ar„ guitur.

„ Rursus inconsideratum est ex pietate contra leges, earumque vim, & ob„ ligationem arguere, quasi auferendo obligationes, & leges, peccata per con„ sequentiam tollantur, & hoc sit pietas. Etenim si hæc pietas esset, in Deo „ non defuisset. Non ergo dixisset, *Non mœchaberis*, ex quo infinitus quidam „ numerus peccatorum sequatur; & uno verbo nullam legem tulisset; & sic „ peccatum omne cessasset: nam ubi non est lex, nec prævaricatio. Non ergo „ mater Ecclesia, quoniam pia est, & utique est, non vult nos obligare; sed „ pia potius mater patrem pium, misericordemque, a quo regitur, atque eius „ sapientiam sequitur.

„ Iterum: inepta est hæc argumentatio. Ecclesia pia mater est. Non vult „ ergo difficiles leges condere. Nam de facto condidit multas, continentiam „ Clericorum, Quadragesimam, Officium quotidianum &c. Et quid difficilius est, „ quam quod coniux qui impedimentum aliquod iuris ecclesiastici contraxit, „ dormire cum uxore possit, reddere etiam, petere autem minime possit? „ Ergo inepta est ea argumentatio. *Ecclesia pia mater est: ergo non vult nos* „ *stricte obligare, aut ignorantes ex negligentia comprehendere* &c.

„ Ex quibus denuo cernitur, pietatem in eum scopum philosophantium, ut „ obligationes tollendo, peccata impediant, *esse contrariam pietati matris Eccle*„ *siæ, & patris Dei*. Nam si hunc philosophandi morem Deus, & Ecclesia in „ ferendis legibus secuti essent, & non contrarium; nihil saltem difficile præce„ pissent, nec ex eo sequeretur multiplicatio peccatorum: at non hunc morem „ secuti sunt, sed contrarium; atque multa difficilia præceperunt, *etsi probe sci*„ *rent multa inde peccata secutura esse*. Ergo pietas illa contraria potius est & „ Deo, & Ecclesiæ. Pietas ergo non hæc est, sed peccata vitare servando le„ ges, & præcepta, eorumque vim retinendo, & robur; atque ad hoc alios do„ ctrina, & exemplo, & modis omnibus iuvando . . . . Ergo licet Ecclesia pia

„ ma-

„ mater sit, potest vel obligare negligentes, & ex negligentia ignorantes, sicut „ pius pater, & amicus, & sponsus Deus. Ubi omitto alia, contra istas adeo „ voluntarias assumptiones. Nam potius quoniam Ecclesia pientissima mater no„ stra est, nec in odium nostrum, sed in maximum bonum, utque nos bonos „ filios suos efficiat, leges, & præcepta constituit, sequitur, nos teneri, non qui„ dem ut odiosa refugere, sed amare, diligere, scire, custodireque piæ adeo ma„ tris voluntatem, & præcepta; & scriptum est: *Sapiens non odit mandata*: & „ degeneres ii filii sunt qui eam negligunt, aut scire non magis curant, quam „ si novercæ alicuius, aut nos non valde diligentis decreta quædam forent. Vel „ ergo Ecclesia dura quædam mater est, vel pia? Si dura; male arguunt. Sin „ autem pia est, ut certissime est; turpissimi nos sumus, si eam non multum „ diligamus, & tamquam obsequentissimi filii omnem voluntatem eius non et„ iam diligamus: qui autem diligit, diligens est. Ergo ex pietate tanta matris „ nostræ obligatio magis nostra sequitur, crescitque. Illæ autem matres quæ „ nimis filiis indulgent, non piæ, sed crudeles magis sunt; nec huiusmodi est „ mater nostra.

§. III.

Iterum exploditur Probabilistarum opinio de licito usu iurisdictionis probabilis.

I. OPeræ pretium existimavi verbis doctissimi Iesuitæ Elizalde profligare potissimum Probabilistarum argumentum a pietate matris Ecclesiæ repetitum. Nunc veram sententiam paucis confirmo. Et ut a pietate matris Ecclesiæ incipiam, pietas hæc filiis succurrit in necessariis, ut eorum saluti periclitanti præsidium afferat: & ideo, necessitate extrema urgente, iure præsumitur illam consentire, & conferre iurisdictionem Sacerdoti. Quare dum adest titulus coloratus cum errore communi, omnes Theologi adfirmant, Ecclesiam conferre indulgentiam: & hoc Ecclesiæ ipsi compertum est. Verum pietas sanctæ matris Ecclesiæ non eo pertinet, ut suas leges laxet, easque hominum opiniunculis submittat ad fovendam istorum opinandi libertatem. Hæc enim de sanctæ matris Ecclesiæ pietate præsumptio commentitia est, & eiusdem pietati omnino repugnans; quia eius pietas vult ut suæ leges, quoad fieri potest, serventur. Patet aditus ad iurisdictionem certam suscipiendam. Ergo pietas matris Ecclesiæ vult ut filii sui obediant. Ergo chimærica est, & pietati matris Ecclesiæ iniuriosa præsumptio quam Probabilistæ comminiscuntur de illius consensu.

II. Accedit, Ecclesiam voce Innocentii XI. ut iam dictum est, damnasse abso-

solute & universe usum cuiusque opinionis probabilis, dum agitur de valore sacramentorum. Ergo perperam eiusdem consensus præsumitur. Nec est quod limites damnationem ad usum opinionis probabilis respectu materiæ & formæ: quia horum defectum supplere Ecclesia nequit, cum sint institutionis divinæ: quoniam effugium istud vanissimum est. Utique Ecclesia supplere defectum materiæ & formæ in sacramentis nequit; supplere vero potest defectum iurisdictionis. At non propterea Pontifex summus limitavit propositionem damnatam ad usum materiæ & formæ; sed indefinite & absolute propositionem proscripsit. Nullum ergo fundamentum certum adest præsumendi Ecclesiam supplere defectum iurisdictionis probabilis, cum patet aditus ad habendam iurisdictionem certam. Quid plura? Non modo adest fundamentum certum, sed neque probabile talis præsumptionis.

III. Opponunt Probabilistæ, & præsertim P. La-Croix, gravissimos Auctores, ut Suarez, Filliucium, Reginaldum, Lessium, Coninch, Bonacinam, Dianam, & alios, quos citat P. Gobat, defendere usum iurisdictionis probabilis. Ergo hæc opinio est probabilis. Resp. Nego consequentiam. Nam præfati Auctores scripserunt, antequam Innocentius XI. damnaret hanc opinionem. Ideo & excusatione digni sunt, & illorum auctoritas nullius est in hac caussa momenti. Lege *Tom. X. dissert.* IV. *cap.* VI. *§.* 3. ubi plures sacri canones adducuntur, qui, exterminato Probabilismo, tutiora in matrimonii sacramento amplectenda iubent: referuntur testimonia S. Gregorii Magni, Lucii III. Innocentii III. SS. Thomæ, Bonaventuræ, Antonini, & aliorum, qui omnes una voce testantur non modo Ecclesiam non consentire in usum opinionis probabilis, relicta tutiore, sed contra elata sacrorum canonum voce dissentire, & constantissime repugnare. Ibi evidentius palam fiet, hunc Ecclesiæ consensum in iurisdictionem probabilem, quem pro ingenio confingunt Probabilistæ, esse meram chimæram pluries profligatam.

CAPUT VI.

De casuum reservatione.

I. Concilium Tridentinum *sess.* XIV. *cap.* VII. inquit. SS. Patribus nostris visum est ad disciplinam summopere necessarium, *ut atrociora quædam, & graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat Sacerdotibus absolverentur*. Potestas hæc reservandi atrociora scelera a nemine in discrimen adducitur. Si enim potestas iurisdictionis, aut animarum cura ab Episcopo confertur; consequitur illum posse hanc iurisdictionem certis limitibus coarctare. Hæc autem

tem reservatio non solum illicitam, verum etiam invalidam reddit absolutionem ab eiusmodi peccatis reservatis; sicuti invalida esset absolutio a quocumque peccato, si absolute deesset iurisdictio. Illi ergo omnes reservare peccata possunt qui conferunt iurisdictionis potestatem. Hi autem sunt primum Romanus Pontifex, qui potest respectu universae Ecclesiae peccata reservare, deinde Episcopi respectu inferiorum Presbyterorum, & tandem Superiores regulares respectu suorum subditorum.

II. Quaest. I. *Reservari ne peccata venialia possunt?* Resp. Reipsa peccata venialia non reservantur, nec mortalia rite confessa. Neque eiusmodi peccata sunt reservanda. Si tamen potestas iurisdictionis attendatur, reservari possunt; cum ad haec quoque venialia sacramentaliter remittenda necessaria sit potestas iurisdictionis, ut supra dictum est. Verum haec reservatio inutilis esset; cum possint venialia absque sacramento deleri.

III. Quaest. II. *An reservari peccata mortalia interna queant?* Resp. Adfirmant graviores Theologi, Soto, Suarez, Sylvius, Vasquez, & alii: quia haec peccata mortalia reipsa subiiciuntur foro interiori Ecclesiae, & iudiciali sententia remittuntur. Ergo quemadmodum subiiciuntur iurisdictioni ecclesiasticae, ita etiam possunt subesse reservationi. Nec est eadem ratio de censura: quia haec subditur foro externo contentioso. Eiusmodi tamen reservatio expediens minime est. Nec hactenus aut Romanus Pontifex, aut Episcopus aliquis eiusmodi interna peccata mortalia reservavit. Hinc iuxta communem sententiam omnes Confessarii absolvere valent ab haeresi, vel occisione mere *mentali*.

IV. Quaest. III. *Quinam sunt casus reservati Romano Pontifici?* Resp. Qui continentur in Bulla *Caenae Domini*, sunt Romano Pontifici reservati. Hi autem sunt sequentes.

1. „ Haeretici cuiuscumque sectae, eorumdem receptatores, fautores, defenso-
„ res, eorumdem libros haeresim continentes, vel de religione tractantes scienter
„ legentes, retinentes, imprimentes, defendentes: & schismatici.

2. „ Appellantes ab ordinationibus, seu mandatis Romani Pontificis ad futu-
„ rum Concilium, eorumque fautores.

3. „ Piratae, cursari, ac latrunculi maritimi discurrentes mare Romani Pon-
„ tificis, praecipue a monte Argentario usque ad Terracinam, ac eorum fauto-
„ res, receptatores, & defensores.

4. „ Naufragorum Christianorum cuiuscumque generis bona, etiam in littori-
„ bus inventa, surripientes.

5. „ Imponentes nova pedagia, & gabellas, vel eas augentes, praeterquam in
„ casibus a iure, seu ex speciali Sedis Apostolicae licentia permissis.

6. „ Falsificantes litteras apostolicas, aut falso fabricantes.

7.

7. „ Deferentes arma, aut alia usui bellico idonea ad Turcas, & alios christiani nominis inimicos, vel hæreticos, per sanctæ Sedis sententiam expresse, & nominatim declaratos: vel ad christianæ Reipublicæ, aut catholicæ religionis statum pertinentia in eiusdem damnum illis annuntiantes.

8. „ Impedientes eos qui victualia, & alia necessaria Romam convehunt.

9. „ Ad Sedem Apostolicam venientes, vel ab ea recedentes sua, vel aliorum opera lædentes, vel sine iurisdictione vexantes in Curia Romana commorantes.

10. „ Romipetas & peregrinos, etiam in urbe morantes, vel recedentes, lædentes, & in his dantes auxilium, consilium, vel favorem.

11. „ Interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuntios, aut eos a suis diœcesibus, territoriis, terris, seu dominiis eiicientes; nec non ea mandantes, vel rata habentes; seu præstantes in eis auxilium, consilium, vel favorem.

12. „ Occidentes, quovis modo percutientes, aut bonis spoliantes, per se, vel per alios, eos qui pro negotiis suis ad Romanam Curiam recurrunt, aut eorumdem advocatos, procuratores, agentes, auditores, vel iudices super dictis caufis deputatos.

13. „ Appellantes a gravamine, vel futura executione litterarum apostolicarum, ad laicam potestatem.

14. „ Executionem litterarum apostolicarum, aut aliarum expeditionum impedientes, & prohibentes ad gratias impetrandas accedentes.

15. „ Iudices sæculares, qui ecclesiasticas personas trahunt ad sua tribunalia, quique ecclesiasticam libertatem tollunt, aut in aliquo perturbant.

16. „ Impedientes Prælatos, ne sua iurisdictione utantur, quique illorum, & delegatorum iudicia eludentes, ad curiam sæcularem recurrunt, aut contra illos decernunt, atque in his præstantes auxilium.

17. „ Usurpantes iurisdictiones, fructus, reditus, & proventus ad Sedem Apostolicam, & quascumque ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum ecclesiasticorum pertinentes, vel ea sequestrantes.

18. „ Imponentes decimas, & alia onera personis ecclesiasticis, Ecclesiis, Monasteriis, aut eorum fructibus.

19. „ Iudices, & quilibet ministri, aut executores sæculares, quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas ecclesiasticas.

20.

20. „ Occupantes, invadentes, aut detinentes bona, aut terras Ecclesiæ Ro„ manæ immediate, vel mediate subiecta, & illius iurisdictionem usurpan„ tes. "

V. Item ex speciali mandato Clementis VIII. sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium an. 1602. die 26. Novembris reservavit casus sequentes. 1. *Violationis immunitatis ecclesiasticæ in terminis constitutionis fel. record. Greg. XIV. cuius initium*, Cum alias nonnulli. 2. *Violationis clausuræ Monialium ad malum finem*. 3. *Provocantium & pugnantium in duello iuxta decretum sacri Concilii Tridentini*, *& constitutionem fel. record. Greg. XIII. incipientem*, Ad tollendum. 4. *Iniicientium violentas manus in Clericos iuxta canonem*, Si quis suadente &c. 5. *Simonia realis scienter contracta*. 6. *Confidentia beneficialis*. Secundum Clement. *Religiosi de privileg.* Regulares incurrunt excommunicationem Sedi Apostolicæ reservatam, qui *sine licentia parochialis Presbyteri* Clericis, aut laicis sacramentum extremæ unctionis, vel Eucharistiæ administrant, aut matrimonia solemnizant. Istius tamen excommunicationis nulla fit mentio in præfato decreto Clementino. Alii quoque Pontifices reservarunt sibi nonnullos alios casus. Tandem excommunicationem summo Pontifici reservatam incurrit qui confessionem audit complicis *in aliquo peccato turpi atque inhonesto*, *contra sextum Decalogi præceptum commisso*. BENEDICTUS XIV. feliciter regnans in sua constitutione quæ incipit, *Sacramentum pœnitentiæ*, edita an. 1741. omni facultate, & iurisdictione absolvendi ab hoc peccato Confessarios privat, etiam tempore Iubilæi. Deinde idem Pontifex summus anno 1745. edidit alteram constitutionem, cuius initium est, *Apostolici muneris partes*, qua præcedentem confirmat, roborat, & præcipit ut integre, penitus, & inviolabiliter observetur. Declaravit tamen in mortis articulo Sacerdotibus interdictum non esse confitentem personam complicem audire, illamque rite dispositam absolvere; dummodo tamen non adsit aliquis alius Sacerdos, Qui si haberi possit, quamvis simplex, & non approbatus, iste, non conscius criminis, debeat personæ complicis in periculo mortis constitutæ confessionem excipere. Si vero talis circumstantia occurreret quæ sine gravi scandalo, vel infamia non permitteret alium Sacerdotem vocari, tunc perinde est ac si omnis alius Sacerdos deesset, & Confessarius socius criminis absolvere complicem valet. Eiusmodi tamen Sacerdos criminis socius gravis inobedientiæ reus adversus prædictam constitutionem, & pœnis in eadem contentis obnoxius esset, si scandali, & infamiæ pericula sibi ultro confingeret. Immo tenetur Sacerdos criminis conscius omnem adhibere industriam ut alius Sacerdos absque periculo scandali, vel infamiæ accedere possit ad talem confessionem audiendam. Alioquin si Sacerdos flagitii conscius, absque gravi necessitate, neglectaque industria removendi impedimenta, ut alius Sacerdos accedat, complicis confessionem au-

 die-

dierit, valida quidem absolutio erit, si ex parte pœnitentis requisitæ dispositiones adfuerint; sed ipse latam in præfata constitutione excommunicationem se noverit incursurum.

VI. Qui in his casibus, quibus annexa est excommunicatio, indulto apostolico absolvit a culpa, absolvit quoque a censura. Præfati casus etiam tempore Iubilæi reservati intelliguntur, nisi expresse sint excepti. BENEDICTUS XIV. in sua Bulla data an. 1744. cuius initium est, *Apostolica indulta*, declaravit quod in quocumque indulto apostolico, in quo conceditur facultas eligendi sibi Confessarium ex *approbatis ab Ordinario*, a quo absolvi possit a criminibus, aut censuris reservatis, debeat idem Confessarius approbatus esse ab Episcopo diœcesano, & ab Ordinario illius loci in quo administratum est confessionis sacramentum. Quare non sufficit approbatio Episcopi qui olim fuit, sed nunc non est eiusdem loci Ordinarius. Et hoc intelligendum est de omnibus Confessariis tam sæcularibus, quam Regularibus. Si plura cupis, lege Benedictinam constitutionem, in qua omnia perspicue declarantur.

VII. De casibus quos reservare sibi Episcopi valent, non est nostrum ferre iudicium. Ea crimina reservare solent quæ magnopere Ecclesiæ disciplinam lædunt, scandalumque ingerunt. Sacra Congregatio Cardinalium, Concilii Tridentini interpretum, anno 1601. hæc præscribit. „ Non enim passim, sed, „ cum id videtur communi bono expedire, atrociorum & graviorum tantum ab-„ solutionem sibi reservare debent, quorum reservatio ad christianam disciplinam „ retinendam conferat, & in ædificationem, non autem in destructionem cedat: „ ne alioqui sacramenti pœnitentiæ, ministrorum coarctata potestate, sacrosan-„ ctæ matris Ecclesiæ piæ menti contrarius subsequatur effectus. "

VIII. Gersonius Cancellarius Parisiensis in epistola ad quemdam Episcopum de *moderatione casuum reservandorum* hæc scribit. *Pastoralis auctoritas in casibus reservandis, sicut & alia quælibet potestas, data est in ædificationem Ecclesiæ, non in destructionem, sicut dicit Apostolus, & in favorem populi christiani pro salute, non pro quæstu, aut simili commodo consequendo. Constat autem certissime per plures expertos in confessionibus audiendis tempore isto, quod reservatio stricta quorumdam casuum, præsertim in gravioribus, & occultis speciebus peccati carnalis, retrahit innumeros a confessione talium peccatorum, sicut sunt pueri, & puellæ, & mulieres verecundissimæ, & rurales idiotæ, a quibus vix potest extrahi confessio talium peccatorum, quantumcumque Confessor sit sollicitus, humilis, morosus, & discretus. Quod si remittantur ad Prælatum, vel Pœnitentiarium de longinquo, vel in publico, refugiunt, & horrent, expertumque est millies, quod non vadunt. Sed nec ducenti, nec trecenti sufficerent aliquando in una diœcesi ad tales casus plane audiendos, absolvendosque. Denique quid prodest & obest plurimum addere*

ve-

verecundiam super verecundiam, onera gravia super onera, & difficultatem confitendi talia peccata super difficultatem, quae tanta est, ut vix credi posset? Et hoc praecipue, quando peccatum secretum est. Si diceres: Talis, si non revelabit? damnabitur: fatemur quidem; sed obviandum esset huic damnationi omnibus modis potius quam addenda sit occasio. Numquid requiritur sanguinis locus, idest damnatio, ab illis qui occasionem dederunt, praecipue Praelatis maioribus? Sic certe & isti satisfacient, prae isto usque ad ultimum quadrantem euntes in eamdem damnationem, cum sint Praelati ad salvandum gregem Domini positi, & pascendum, non occidendum, aut scandalizandum. Expertum est itaque quod hic terror reservationis nullos, aut paucissimos cohibet sic peccare; innumeros autem sic retrahit confiteri propter dictas causas, & etiam alias: quoniam mulieres praecipue tali modo retrahuntur: primo timentes notari a maritis, cum tales Confessores adeant, qui, cum sint zelotypi, statim sinistram contra uxores suas sumerent occasionem, unde surgerent iurgia, lites, discordiae, & amoris interruptio, & cetera, quae peiora parerent mala, utinam non saepius mortem &c.

IX. Plura alia ibidem habet piissimus Cancellarius. Verum Episcopi, & ceteri Superiores summa prudentia aetate nostra, & moderatione casus reservant, & facillime Confessariis facultatem impertiunt absolvendi.

§. I.

Quinam subiecti sint casuum reservationi. An ignorantia excuset. Laxa P. Viva *opinio refellitur. Sint ne reservata peccata dubia.*

I. OMnes subditi Superioris reservantis subiecti sunt reservationi, nisi Superior aliquos excipiat. Alicubi expresse excipiuntur pueri, & puellae a reservatis in materia luxuriae ante annum 14. Disputant Auctores, num absolute impuberes exempti sint. Alii adfirmant, negant alii. Impuberes subiecti sunt censuris: quidni & reservationi? Quare hac de re Episcopus consulendus est, eiusque voluntas exquirenda.

II. Quaest. I. *Incurritur ne reservatio ab eo qui illam ignorat, aut, dum actu peccat, ad eam non advertit?* Resp. P. Dominicus Viva in *Curs. Theolog. quaest.* IX. *art.* 3. *num.* 2. haec disputat & resolvit. *Quaeritur secundo, an ignorantes reservationem illam incurrant? Et idem quaeritur de non advertentibus ad illam dum ACTU peccant.* Post multa sic concludit. „ Quare a primo ad ultimum nec re-„ servationem, neque excommunicationem incurrunt qui illas ignorant: & quia „ communiter Doctores inadvertentiam actualem, & oblivionem aequiparant igno-

„ rantiæ invincibili, & inculpabili, inde fit *quod non advertens ad pœnam sive* „ *reservationis*, *sive censuræ*, *illam non incurrat*, non secus ac si ignoraret. Unde „ Sanchez *Lib* IV. *cap.* 22. docet, quod si quis, verbi gratia, in pœnam periurii „ vovisset ieiunare, quoties mentitur, si deinde mentiatur advertens ad votum „ non mentiendi, non vero ad pœnam impositam ieiunandi, peccaret quidem; „ sed non teneretur ieiunare, ex hoc scilicet principio, quod pœna extraordina- „ ria, & medicinalis non incurratur ab eo qui illam ignorat, AUT NON AD- „ VERTIT ad illam. “

III. Ne Adversarii consuetam recanere imposturam valeant, me videlicet truncatos textus exscribere, adverto lectorem, P. Viva post propositam quæstionem multa dissertare in utramque partem, quæ mox in examen vocabo: & tandem concludit verbis a me sinceritate summa transcriptis.

IV. Laudata doctrina P. Viva evertit, & ab imis diruit omnem reservationem. Vix est qui impotenti libidine peccandi abreptus advertat sive ad reservationem; sive ad excommunicationem. Qui ergo ira perciti occidunt Sacerdotes, qui luxuriæ igne ardentes violant & clausuram, & Moniales, nec reservationem, nec excommunicationem contrahunt: quia dum occidunt, dum fornicantur, non advertunt ad reservationem? Hæc ne doctrina sana? Hæc ne doctrina laxitatis expers?

V. Convenit communiter penes Theologos, censuram ignoratam non contrahi: quia hæc lata est in contumaces. Contumacia autem sine cognitione haberi nequit. Reservatio autem non est pœna lata in contumaces; sed est subtractio potestatis absolvendi a certis peccatis, salva potestate absolvendi ab aliis. Quæ reservatio spectat bonum commune Ecclesiæ; ut expresse docet Concilium Tridentinum *sess.* XIV. *cap.* 7. ubi inquit: *Magnopere vero ad christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum, ut atrociora quædam & graviora crimina, non a quibusvis, sed a summis dumtaxat Sacerdotibus absolverentur*. Sub finem capitis aperte declarat, Sacerdotes *nihil posse in casibus reservatis*.

VI. Iuniores nonnulli distinguunt reservationem pœnalem a medicinali. Hanc, secus illam, incurri ab ignorantibus docent. Sed hæc distinctio futilis omnino est & vana. Omnis quippe casuum reservatio & medicinalis, & pœnalis est. P. Dominicus Viva *loc. cit.* refert tres opiniones. Prima asserit, incurri reservationem ab ignorante illam, negat secunda. In praxi sequendam primam censet P. Viva; sed consueto Probabilismi scuto munitus, probabilem esse etiam secundam defendit, prout limitatur a Iosepho de Ianuario. Tandem fuso calamo propugnat, reservationem non contrahi ab eo qui eamdem ignorat, & evincere conatur paritate excommunicationis, quæ ab ignorante non contrahitur. Sed hæc paritas inepta est; cum excommunicatio lata sit in contumaces. Quare, missis pluribus argu-

argutationibus, quas ex hac paritate conficit hic Auctor, rationem veræ, & communis sententiæ paucis expono.

VII. Reservatio est subtractio iurisdictionis in Confessario, ut Tridentinum, & communiter Theologi docent. Numquid ignorantia pœnitentis confert iurisdictionem Confessario, quam eidem subtraxit Episcopus? Numquid pœnitens, bona fide accedens ad simplicem Sacerdotem non approbatum a Superiore, valide ab eodem absolvitur? Porro quemadmodum simplex Sacerdos nullam in mortalia habet iurisdictionem; sic Sacerdos approbatus ab Episcopo omni caret iurisdictione in peccata reservata. Tandem Confessarius ignorans casum reservatum non propterea ab eodem valide absolvit. Ignorantia Confessarii non impedit quominus casus sit reservatus, nec efficit ut Confessarius valide ab hoc casu obsolvat. Ergo similiter ignorantia pœnitentis non tollit quin Confessarius careat potestate in peccata reservata.

VIII. P. Viva, ut ab hoc argumento, quod Achillem communis sententiæ appellat, quoquomodo sese expediat, ad suam paritatem de excommunicatione recurrit. Sed discriminis rationem inter excommunicationem latam in contumaces, & reservationem subtrahentem iurisdictionem Confessario in reservata, iam supra dedimus. Tandem addit, se non asserere, ignorantiam pœnitentis conferre iurisdictionem Confessario; sed solum docere, quod ignorantia pœnitentis impediat quominus per legem reservationis restringatur in Confessario iurisdictio in reservata.

IX. Verum hæc responsio pura putaque cavillatio est, & verborum ludus. Limitatio enim iurisdictionis in reservata absoluta est, nulloque modo pendet ab ignorantia sive Confessarii, sive pœnitentis: & commentum P. Viva prorsus in re gravissima, qualis est iurisdictionis potestas, arbitrarium est. Quare vel ipse P. Claudius La-Croix *Lib.* VI. *par.* II. *num.* 1608. licet benignissimus Auctor, docet absolute tenendum esse *cum communissima*, incurri reservationem ab eo qui illam ignorat. Ergo, iudice ipso P. La-Croix, opinio P. Viva est *contra communissimam*, & quidem in re sacramentaria, in qua agitur de valore sacramenti. Merito ergo inter laxas illam recensui, & præsertim quod P. Viva contendat, solum defectum *advertentiæ* ad reservationem, dum quis actu peccat, satis esse ad tollendam reservationem.

X. P. Patritius Sporer *Part. III. cap.* VI *sec.* I. *§.* 3. *num.* 735. „ Quintanadvenas rotunde scribens: Ignorantia reservationis sive iuris, sive facti, *etiamsi sit* „ *vincibilis*, *excusat a reservatione*. Et sane sequitur manifeste ex dictis. Si enim „ dubium de reservatione ab ea excusat, multo magis excusabit ignorantia re„ servationis *etiam vincibilis*. " Etiam ignorantia *vincibilis* excusat ab incurrenda reservatione? Hæc opinio laxissima, nedum laxa videtur. Addit ibidem P. Sporer, hanc opinionem esse satis probabilem, immo verissimam, si restringatur ad

casus in pœnam delicti, quales sunt qui habent annexam excommunicationem. Fatetur tamen repugnare iudicium Superiorum ecclesiasticorum respectu illorum casuum qui reservantur ob rectam gubernationem. Auctor iste cum quibusdam aliis iunioribus putat, casus aliquos reservari ob solam pœnam. Quæ suppositio mihi falsa est. Omnia quippe delicta atrociora, & graviora reservantur ob bonum commune Ecclesiæ. Quare non minus laxa & arbitraria mihi videtur opinio quam ibidem subiicit P. Sporer. „ Bene observat Gobat, merito censens, „ Confessarium regularem non fore fidelem suo Prælato, si nactus pœnitentem „ implicitum peccato reservato, sed reservationis ignarum, non dicat expresse: „ Te quidem absolvo hac vice (*scilicet ex probabili opinione DD.*, & benigna in- „ terpretatione mentis Superioris, ne bona fide procedens idem peccatum mortale „ bis debeas confiteri) scito imposterum te a me non posse absolvi sine expressa „ voluntate Superioris. Quod ipsum consulere soleo Parochis, & Vicariis, de reservatis casibus episcopalibus sollicitis. " *loc. cit.*

XI. Recensitam opinionem falsam, laxam, & omni solido fundamento destitutam reputo. Cur, quæso, pro prima vice absolvere Confessarius valet, quando Superior absolute reservat? Quia probabiliter Doctores id asserunt. At quinam hi Doctores? Nonnulli Casuistæ. Quodnam istius probabilitatis fundamentum? Iurisdictio tota pendet ab Episcopo, & Superiore reservante, qui possunt & pro prima, & pro secunda vice impertiri facultatem absolvendi, prout ipsi expediens iudicaverint.

XII. Quæst. II. *Quænam peccata externa cadant sub reservatione*? Resp. dixi iam supra, neque peccata venialia, neque peccata mortalia interna reipsa reservari. Reservantur ergo peccata externa. Porro adfirmant communiter Auctores, peccata externa, ut sint reipsa reservata, debere esse talia in toto rigore. Si reservatur Sodomia, requiritur ut sit commixtio duorum eiusdem sexus, & effusio seminis intra vas. Si reservatur peccatum scribendi epistolas obscænas ad Moniales, si epistolæ scriptæ non perveniant in manus Monialium, casus non est reservatus: quia opus externum non est completum. Requiritur quoque ut ipsa actio externa sit graviter vitiosa; puta, si reservetur peccatum contra castitatem, oportet ut actio exterior sit mortalis, ut tangere mamillas mulieris; contra, si interiori impudico amore deperires mulierem, exterius vero aliquod suspirium dumtaxat emitteres, aut tangeres eiusdem vestes, casus non esset reservatus: quia actio exterior levis est. Si reservatur homicidium, non est reservata percussio animo occidendi: & si reservatur percussio gravis, non est reservata percussio levis peracta animo graviter vulnerandi. Heinc excommunicationem non incurrit qui leviter Clericum percutit, licet intentio sit graviter percutiendi.

XIII. Quando reservatur casus, effectu secuto, ut procuratio abortus, homicidium

dium &c. Si effectus non sequatur, casus non est reservatus. Quid, si quis venenum mortiferum propinet, vulneretque mortaliter hominem, &, antequam effectus sequatur, delinquens confiteatur? Tum casum non esse reservatum communiter adfirmant. Quid post effectum, nempe abortum, vel mortem vulnerati secutam? P. Dominicus Viva *quæst. 9. a. 2. num. 3.* refert Lugo *dis.* XVI. *num.* 253. adfirmantem, tunc necessariam esse absolutionem Superioris. Verum addit P. Viva, alios Auctores communiter negare, quia pœnitens iam absolutus fuit a tali culpa. Probabiliorem ego reputo opinionem de Lugo. Quoniam, cum reservatio sit annexa effectui secuto, quando pœnitens absolvitur ante adventum effectus, non absolvitur a peccato reservato. Tum enim evadit reservatum peccatum, cum ponitur effectus. At insistunt adversarii. Sublata culpa, tollitur omnis reservatio. Verum habet. Sed negatur simplicem Confessarium habere facultatem absolvendi a propinatione veni, ab vulnere mortali reservato posito effectus adventu. Posita enim tali actione, suspensa manet Confessarii iurisdictio, usque dum talis actio suum effectum sortiatur. Si vero ante effectus adventum absolvat, obstringere pœnitentem debet, ut, effectu secuto, se præsentet ad tribunal pœnitentiæ pro absolutione a reservatione, seu a peccato reservato. Alioquin omnes procurantes abortum per propinationem veneni possent frustraneam reddere reservationem; Cum enim eiusmodi effectus non continuo sequatur veneni propinationem, possent propinatores veneni statim adire Confessarios, & absolutionem petere. Quare mihi probabilius, & tutius est ut eiusmodi delinquentes, effectu secuto, iterum confiteantur illis Confessariis qui valent a reservatis absolvere.

XIV. Quæst. III. *An peccata intelligantur reservata, quando dubitatur de illorum reservatione?* Resp. Dubium esse potest, an peccatum fuerit commissum, vel an sit mortale, aut veniale, vel an includatur in lege reservante. P. Viva *quæst.* IX. *art.* 2. *num.* 4. absolute respondet negative, & citat pro sua opinione Suarez, Leandrum, & alios. Hanc opinionem defendunt quoque Salmanticenses *tract.* VI. *cap.* 13. *punct.* 2. *num.* 15. Quoniam, inquiunt, reservatio est odiosa, ideo stricto in sensu interpretanda.

XV. Distinguendum est duplex dubium. Alterum iuris, alterum facti. Dubium iuris esset, si quis ignoraret tabellam casuum reservatorum. Si quis dubitaret, sit nec ne hoc peccatum, aut illud reservatum. Tunc dubitaret de iurisdictione: atque adeo non posset absolvere. Quia quando constat peccatum esse materiam reservationis, & dubitatur, an Superior illud reservaverit, dubitatur de iurisdictione. Cum iurisdictione autem dubia absolvere Confessarius nequit, ut supra demonstratum est. Porro Clemens VIII. prohibuit omnibus Confessariis etiam privilegiatis in Italia degentibus, *ne quis eorum sub prætextu privilegiorum ab ullo ex casibus clare, vel DUBIE in Bulla* in Cœna Domini &c. *contentis, vel alias quo-*

modocumque Sedi Apostolicæ reservatis, vel reservandis absolvat. Ex quibus infertur, in peccatis omnibus Sedi Apostolicæ reservatis includi etiam casus dubios. Et in Extravag. *Perlectis* declaratur, percussionem Clerici esse reservatam Papæ, etiam quando dubitatur, num sit levis vel gravis. In dubio autem facti communiter Auctores docent, posse simplicem Confessarium absolvere. Peccatum ebrietatis est reservatum; sed dubitas, an fuerit vera ebrietas: commisisti peccatum quod certum est esse reservatum, sed dubitas, an cum sufficienti advertentia, & necessario consensu illud patraveris; tunc posse simplicem Confessarium ab eiusmodi peccatis dubiis absolvere, plurimi docent; cum dubium sit facti; & Superiores, quando volunt reservare talia peccata dubia, id clare exprimunt: & quammaxime consentaneum est ut summa perspicuitate eiusmodi reservationes fiant. Quandoquidem Casuistæ plures valde faciles sunt ad dilatandam iurisdictionem Confessariorum.

XVI. Quæst. IV. *An qui ab inferiore Sacerdote absolvitur a peccato dubio in materia reservata, liberetur a reservatione, licet postea constet esse certum?* Resp. Adfirmant Salmanticenses *tract.* VI. *cap.* 13. *punt.* 2. *num.* 16. & citant Lugo, Dicastillum, Antonium a Spiritu sancto, & alios. Hæc opinio mihi falsa est. Nam inferior Confessarius nulla iurisdictione præditus est in peccata reservata. Peccatum de quo disputatur, certo commissum est. Ergo reservatum certo est. Quod pœnitens dubitet, dum confitetur, se commisisse peccatum illud, non tollit quin reipsa peccatum commissum reservatum sit. Ergo quando certo eidem constat, peccatum a se patratum esse, denuo illud confiteri debet, ut fatentur laudati Salmanticenses. Confiteri igitur debet Confessario habenti iurisdictionem in tale peccatum. Prior enim Confessarius nullam habebat iurisdictionem absolvendi ab hoc peccato, ut supponitur. Ergo pœnitens absolutus minime fuit.

XVII. Si Superiores irrationabiliter reservarent peccata, peccarent, & quidem graviter, ut supra ex Gersonio adverti; valeret tamen reservatio. Contendunt tamen plures, nullam fore reservationem imprudentem, qua Episcopi plus iusto limitarent iurisdictionem Parochorum: quia, inquiunt, nequeunt Episcopi pro libito limitare iurisdictionem Parochorum; sicuti pro libito eosdem removere ab officio nequeunt. Hæc sententia mihi falsa est. Quoniam iurisdictio Parochorum subiecta Episcopis est, ut Concilium Tridentinum declaravit *sess.* XIV. *cap.* 7. Nec Parochi iudices sunt muneris episcopalis. Quare si Episcopi imprudenter se gererent, nimiumque limitarent in destructionem, non in ædificationem fidelium iurisdictionem Parochorum, hi ad Superiores appellare deberent, numquam vero se constituere iudices iniustæ reservationis episcopalis. Alioquin lata via pateret innumeris absurdis.

XVIII. Ne multa: quoties dubitatur de iurisdictione, tutior pars est eligenda. Ref-

Respondet P. Viva *loc. cit. num* 5. hanc regulam consilii esse, non præcepti. Verum interpretatio hæc, quam passim Probabilistæ obtrudunt, falsa & laxa est. Consilium ergo erit tutiorem doctrinam sequi in materia præsertim sacramentaria? Hac distinctione probabilistica eludi & decreta pontificia, & graviores Moralis christianæ regulæ solent. Idcirco reiicienda omnino est. Plura ibidem docet P. Viva de peccatis dubie reservatis, quæ falsa prorsus existimo, & laxa.

§. II.

Quinam absolvere a reservatis casibus valent, & quomodo.

I. CONvenit penes omnes, eum a reservatis absolvere posse qui ordinariam, aut delegatam habet iurisdictionem. Iurisdictione autem ordinaria ille præditus est in reservata qui peccata sibi reservat. Qui enim potest sibi reservare, potest quoqne absolvere. Item qui est reservante superior in iurisdictione, dummodo sit Sacerdos, absolvere a peccatis, quæ inferior reservavit, potest. Quare Pontifex absolvere a peccatis valet quæ reservant Episcopi in universo catholico orbe. Provinciales absolvere a peccatis, quæ sibi reservant Superiores locales, & Generales ab iis delictis quæ sibi reservant Provinciales, valent. Archiepiscopus absolvere a reservatis a suffraganeo Episcopo potest solum quando eiusdem diœcesim visitat. Extra visitationem nequit: quia, licet sit dignitate superior, non tamen superior est in foro Sacramentali; cum non habeat in diœcesim suffraganei immediatam iurisdictionem extra actualem visitationem. Vicarius generalis Episcopi, qui cum Episcopo unum Tribunal constituit, & Vicarius capitularis possunt a reservatis absolvere. Sede enim vacante Capitulum succedit Episcopo.

II. Extra controversiam quoque est, absolvere a reservatis posse eum qui habet iurisdictionem delegatam a Superiore. Dupliciter autem delegari iurisdictio valet. Primo directe, quando nempe ab Ordinario delegatur iurisdictio huic aut illi Confessario in reservata. Secundo indirecte, quando superior reservator impertitur alicui pœnitenti, ut eligat sibi aliquem Confessarium, a quo absolvatur a reservatis. Tunc enim, quando pœnitens hac facultate præditus eligit sibi in Confessarium Petrum, aut Paulum, huic Confessario indirecte conceditur facultas absolvendi a reservatis.

III. Pontifex Summus potest sibi eligere in Confessarium quemcumque Sacerdotem, cui auctoritatem tribuit. Similiter Episcopus potest eligere in Confessarium in sua diœcesi quemlibet Sacerdotem, a quo absolvatur a reservatis quæ ipse Episcopus sibi reservavit. Extra diœcesim vero nequit, nisi suum subditum, eligere

re in Confessarium. Similiter Prælatus regularis potest eligere sibi in Confessarium Sacerdotem subditum, a quo absolvatur a peccatis quæ ipse sibi reservavit.

IV. Quæst. I. *An peregrinus, veniens bona fide ex alia diœcesi, possit absolvi a reservatis?* Resp. Triplici in sensu intelligi quæstio potest. 1. Si casus sit in utraque diœcesi reservatus. 2. Si casus sit reservatus in diœcesi a qua discedit, non vero in ea ad quam accedit. 3. Si casus sit reservatus in diœcesi, in qua fieri confessio debet, secus in ea a qua discessit. In primo casu communis sententia docet non posse absolvi nisi a Confessario prædito iurisdictione in reservata. In secundo sensu reservati peccati in loco discessus, secus in loco adventus, docent aliqui non posse absolvi, nisi ab habente in reservata iurisdictionem. Sed communior, & mihi probabilior opinio affirmat; dummodo bona fide, seclusa fraude, peregrinus in tali diœcesi, in qua peccatum non est reservatum, reperiatur. Idque constanti & manifesta consuetudine patet. Neque Confessarii solliciti sunt inquirere; an pœnitens sit nec ne peregrinus ex alia diœcesi; sed an peccata quæ audiunt, sint reservata in propria, non in aliena diœcesi. In tertio tandem sensu, in quo nempe peccatum sit reservatum in loco, ubi peregrinus confitetur, absolvi nequit a simplici Confessario. Si enim peregrinus sentit commodum obtinendi absolutionem ab iis peccatis quæ erant in sua diœcesi reservata, æquum est ut sustineat onus reservationis illius diœcesis, in qua confitetur. Et hæc sententia communis est. Si Parochus simul cum suo parochiano discedat a propria diœcesi, in qua non erat reservatio talis peccati, docet Lugo disp. xx. *num.* 73. quem citant Salmaticenses *num.* 27. posse Parochum suum parochianum absolvere: quam opinionem defendit etiam Gennetus; addit tamen tutius esse petere licentiam ab Episcopo. Et hoc mihi videtur probabilius: quia Parochus subiectus est legibus talis diœcesis: &, cum agatur de iurisdictione, tutior pars est eligenda.

V. P. Viva *quæst.* ix. *art.* 3. *num.* 5. refert opinionem Dianæ docentis, quod si diœcesanus committat peccatum extra propriam diœcesim, ubi non est reservatum, possit deinde absolvi in propria diœcesi, in qua est reservatum. Nec eam improbat. Sed opinio hæc & falsa, & laxa est. Addit Diana ex Baunio, Bordonio, & Bonacina, committentem peccatum reservatum intra Monasterium exemptum non subiacere reservationi. Quæ opinio evidenter falsa est, & nimium laxa.

VI. Quæst. II. *A quibus casibus absolvere Episcopi valent?* Resp. Concilium Tridentinum Episcopis tribuit facultatem *sess.* xxiv. *cap.* 6. sequentem. *Liceat Episcopis in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in diœcesi sua per seipsos, aut Vicarium ad id specialiter* depu

deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari. Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantum, non eorum Vicariis, sit permissum.

VIII. Nomine Episcopi venire etiam Abbates, & alios Prælatos habentes iurisdictionem quasi episcopalem, & diœcesim propriam, docent Castropalaus, Henriquez, & alii Probabilistæ cum Leandro *tract.* I. *de excom. disp.* XVII. *quæst.* XLIV. Sed hanc opinionem iure improbant Sylvester, Toletus, Suarez, Garzias, Bonacina, Barbosa, & alii plures, qui potiori iure negant, nomine Episcopi intelligi Prælatos regulares.

VIII. Quæst. III. *An facultas a Tridentino concessa Episcopis absolvendi ab hæresi occulta revocata sit per Bullam Cœnæ?* Resp. Multi & graves Theologi Navarrus, Vega, Ledesma, Henriquez, & alii negarunt hanc facultatem revocatam esse. Verum hæc sententia proscripta est ab Alexandro VII. num. 3. *Sententia asserens Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, an.* 1619. *die* 18. *Iulii in Consistorio Sacræ Congregationis Emin. Card. visa, & tolerata est.* Quare nunc certum est ab hæresi occulta neque ipsos Episcopos absolvere posse. Certum quoque est Prælatos regulares non posse absolvere ab hæresi occulta sæculares, ut constat ex 4. proposit. damnata ab eodem Alexandro VII. *Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.* Non modo sæculares, sed neque subditos suos valent Prælati regulares absolvere ab hæresi occulta, aliisque casibus contentis in Bulla Cœnæ, quia Clemens VIII. & Urbanus VIII. expresse prohibuerunt Regularibus absolutionem a casibus in Bulla Cœnæ. Igitur Prælati regulares iure ordinario, inquantum scilicet sunt Pastores ordinarii, possunt vi sui muneris subditos suos ab omnibus culpis, censuris, & pœnis ecclesiasticis absolvere, & in iis omnibus dispensare in quibus possunt Episcopi cum subditis suis: quia Prælatis regularibus iurisdictio quasi episcopalis competit. Tandem nequeunt Regulares absolvere sibi non subditos a casibus Episcopis reservatis, ut ex dictis constat, & contraria doctrina damnata est ab Alexandro VII. in hac 12. propos. *Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.* Possem hic transcribere decreta Clementis VIII. an. 1601. & Urbani VIII. an. 1628. quibus adimitur Regularibus potestas absolvendi a casibus, Episcopis, & Sedi Apostolicæ reservatis, & revocantur privilegia quæ antea illis concessa erant; sed brevitatis gratia illa prætereo. Id solum moneo, ne lector fidem habeat non paucis Casuistis, quorum meminit P. Viva in explicatione *prop.* 12. damnatæ ab Alexandro VII. Quoniam isti plus æquo amplificant Regularium potestatem.

IX.

IX. Quæst. IV. *An Superior auditis reservatis valeat absolvere pœnitentem sacramentaliter, eumque ad inferiorem Confessarium remittere pro absolutione a ceteris peccatis mortalibus?* Resp. Communis sententia negat: quia integritas materialis confessionis est de iure divino, a qua sola extrema necessitas excusare valet. Superior ergo, nisi audire confessionem velit integram, auferat reservationem, & delinquentem ad inferiorem remittat Confessarium.

X. Quæst. V. *An Confessarius, carens potestate in reservata, possit directe absolvere a non reservatis, & indirecte a reservatis?* Resp. Adfirmarunt ex veteribus plures, S. Antoninus, Caietanus, Soto, aliique; sed communis sententia recentiorum negat extra casum necessitatis fieri id posse. Quandoquidem confessio sacramentalis iure divino debet esse integra. Caret autem integritate sacramentali, quoties omnia peccata quæ memoriæ occurrunt, non subiiciuntur clavibus Ecclesiæ. In hoc autem casu non subiicerentur clavibus Ecclesiæ; cum talis Confessarius dictis clavibus, seu potestate absolvendi a reservatis careat. Ergo nequit sive non reservata, sive reservata dimittere. In necessitatis vero casu id præstare valet. Quia reservatio in ædificationem est, non in destructionem. Quare si quis absque vel infamia, vel gravi scandalo non posset omittere celebrationem Missæ, vel differre confessionem; tum posset Confessarius absolvere pœnitentem vere dispositum cum onere adeundi Superiorem tempore opportuno. Hunc necessitatis articulum excepisse Superiorem merito præsumitur. Quemadmodum enim temere præsumitur benignitas matris Ecclesiæ, necessitate sublata; ita merito præsumitur illam non ademisse suis ministris facultatem absolvendi a reservatis, necessitate urgente.

XI. Quæst. VI. *Confessarius carens potestate in reservata valide ne absolvit a non reservatis?* Resp. Invalida prorsus est talis absolutio. Quamobrem pœnitens tenetur integre sua peccata tam reservata, quam non reservata iterum confiteri Sacerdoti habenti potestatem in reservata. Hoc aperte colligitur ex Concilio Tridentino *sess.* XIV. *cap.* VII. ubi docet, nullius esse momenti absolutionem Sacerdotis destituti iurisdictione in pœnitentem. Atqui Confessarius non habet iurisdictionem in pœnitentem ligatum reservatione. Ergo nulla est eiusdem absolutio. Nec est quod opponas, hunc Confessarium approbatum iurisdictione præditum esse in non reservata: quoniam dum quis ligatus est reservatis, absolute subiectus non est Confessario inferiori; atque adeo nullam in eum exercere iurisdictionem valet. Accedit Clementem VIII. & Urbanum VIII. nullas omnino declarasse eiusmodi absolutiones. Ergo integre confiteri pœnitens debet sua peccata omnia Confessori habenti iurisdictionem in reservata.

XII. Quæst. VII. *Qui invincibiliter ignorat peccatum reservatum, aut si Confessarius non advertat esse reservatum, absolvitur ne ille indirecte ab hoc peccato reser-*

servato? Resp. Dictum est supra, contrahi reservationem etiam ab ignorante illam, tenerique Confessarium pœnitentem admonere reservationis, illumque ad Superiorem remittere, aut impetrare facultatem absolvendi a tali peccato. Modo autem inquiritur, num quando pœnitens post diligens examen peccati reservati non recordatur, aut Confessarius non advertit tale peccatum esse reservatum, valide absolvatur indirecte ab eiusmodi peccato? Si negetur, talis pœnitens damnabitur propter reservationem: quoniam contingere potest ut pœnitens semper usque ad mortem utatur eodem Confessario, qui non advertat peccatum esse reservatum; nec pœnitens eiusdem recordetur, etiam diligentia examinis adhibita. Responsio patet ex dictis. In casu necessitatis Superiores non reservare merito præsumuntur. Quænam autem maior necessitas quam inculpata oblivio? Integritas materialis confessionis iuris divini est. Et tamen peccata inculpate oblita per absolutionem indirecte remittuntur. Porro si Deus ipse sic peccatoribus vere contritis indulget, quis dubitare iure valet, talem quoque esse mentem & intentionem Superioris peccata reservantis, ut scilicet velit Confessarium quemlibet approbatum posse absolvere a peccato reservato, quod inculpate memoria excidit, aut quod Confessarius non advertit?

XIII. Dices. Si pœnitens bona fide confiteatur aut non Sacerdoti, aut Sacerdoti non approbato, irrita est absolutio; nec bona fides, in qua pœnitens usque ad mortem perseverat, eum a damnatione liberat. Respondeo: si pœnitens bona fide incedit, & sincere pœniteat, Deus infinita sua clementia aut perfectam contritionem tali pœnitenti infundet, aut eum illuminabit ut Confessarium approbatum adeat.

XIV. Quæst. VIII. *Qui ex ignorantia inculpabili omittit manifestare Superiori unum ex pluribus peccatis reservatis, esset ne talis peccati obliti sublata reservatio?* Resp. Affirmant plurimi recentiores. Sed distinguendum est. Si Superior aliquibus indiciis manifestaverit se auferre omnem reservationem, nulla remanet reservatio. Si constet Superiorem nequidem cogitasse de aliis peccatis, præter ea quæ eidem exposita fuere, nulla occurrere solida ratio videtur cur dicamus, peccatum non manifestatum exemptum esse a reservatione. Et cum agatur de iurisdictione, tutior pars est eligenda.

XV. Quoniam vero tempore Iubilæi summus Pontifex aufert omnem reservationem, qui ea omnia præstitit quæ præscribuntur in Bulla Iubilæi, si ex oblivione inculpabili omisit confiteri aliquod peccatum reservatum, potest deinde a quolibet Sacerdote approbato absolvi. Similiter qui confitetur Confessario habenti potestatem in reservata, si inculpate obliviscatur alicuius reservati, communiter Auctores docent, eum posse absolvi a quocumque Confessario a tali peccato: quia Confessarius intendit absolvere pœnitentem, & uti tota sua iurisdictione, qua re-

ipsa

ipſa valet tollere omnem reſervationem cuiuſcumque peccati: ergo reipſa illam tollit. Tamen ad maiorem ſecuritatem, ſi pœnitens poſſit, adeat Confeſſarium habentem poteſtatem in reſervata.

XVI. Quæſt. IX. *Qui facit confeſſionem irritam vel tempore Iubilæi, vel Superiori, exemptus ne eſt a reſervatione?* Reſp. Adfirmant plures; Sed iſtorum opinio nullo, ut mihi videtur, ſolido fundamento nititur. Et primum de abſolutione tempore Iubilæi data patet. Quia indulgentia Iubilæi conceditur tantum vere pœnitentibus. Quando autem confeſſio irrita eſt, nulla adeſt vera pœnitentia. Ergo neque abſolutio. Superior quoque ordinarius non tollit reſervationem, niſi aut ſacramentaliter abſolvendo, aut remittendo ad inferiorem Sacerdotem, cui delegat iuriſdictionem. Porro Superior ſacramentaliter non abſolvit, quando ſacramentum eſt irritum. Delegatus quoque nihil poteſt in reſervata extra ſacramentum. Ergo quoties ſacramentum eſt nullum, peccata reſervata manent, Aliqui diſtinguunt inter confeſſionem invalidam, & ſacrilegam; ſed hæc diſtinctio prætertim in caſu noſtro mihi commentitia eſt.

XVII. Quæſt. X. *Qui confeſſus eſt animo lucrandi Iubilæum, poſt mutat animum, recuſatque opera implere, ſi in ea confeſſione inculpabili oblivione omittat aliquod reſervatum, poteſt ne a quolibet Sacerdote abſolvi?* Reſp. Adfirmant Sanchez, Viva, & alii, quos ipſi citant; ſed contraria ſententia, quam defendit Vaſquez, mihi probabilior eſt. Quia Pontifex aufert reſervationem reſpectu illorum qui reipſa intendunt lucrari Iubilæum. Ergo qui ſponte recuſat aſſequi Iubilæum, eo ipſo renuntiat quoque privilegio reſervationis. Ergo, ut poſſit abſolvi a peccato inculpabiliter oblito, neceſſaria eſt nova facultas abſolvendi a tali peccato reſervato. Qui directe abſolvitur ab aliquo reſervato tempore Iubilæi, deinde poſt abſolutionem mutat animum, & omittit ea opera implere quæ præſcripta ſunt ad Iubilæum lucrandum, peccat ne mortaliter? Affirmat Suarez laudatus a P. Viva: quia deficit in re gravi, ad quam ſe obligavit. Sed P. Viva de more oppoſitam opinionem laxam amplectitur, quam defendunt Lugo, Sanchez, Henriquez, & alii. Quia, inquiunt, non deficit hic pœnitens in pacto utili promiſſario, ſed utili ipſi pœnitenti. Hæc ratio inepta omnino eſt. Pœnitens ergo qui omittit gravem pœnitentiam impoſitam a Confeſſario, non peccat mortaliter, quia non deficit in pacto utili promiſſario, ſed utili pœnitenti? Commenta hæc ſunt prorſus abſona. Quare ſententia Doctoris eximii mihi vera eſt. Similiter falſam reputo aliam opinionem, quam defendit ibidem P. Viva cum Lugo, nempe eum qui abſque confeſſione lucratur Iubilæum, quia nullius peccati mortalis eſt conſcius, ſi deinde recordetur peccati reſervati, poſſe abſolvi a quocumque Confeſſario. Quia reſervatio ſolum tollitur per abſolutionem impertitam ei qui contrito animo intendit lucrari Iubilæum.

XVIII.

XVIII. Quæst. XI. *Si tempore Iubilæi differatur absolutio pœnitenti indispofito, si post elapsum tempus Iubilæi hic incidat in reservatum novum peccatum, potest ne absolvi virtute Iubilæi?* Resp. Communis sententia negat: quia licet prorogetur iurisdictio relate ad peccata commissa, antequam desinat Iubilæum; minime tamen prorogatur respectu peccatorum, quæ post elapsum Iubilæi tempus patrantur. Absolvi quoque potest a peccato ante Iubilæum commisso, & inculpate oblito virtute iurisdictionis concessæ tempore Iubilæi.

XIX. Quæst. XII. *Tenetur ne Superior concedere petenti sive per se, sive per alium facultatem qua possit absolvi a reservatis?* Resp. Hoc a Superioris prudentia pendet. Tenetur, quoties ex denegatione prævideret grave damnum pœnitentis. Quandoquidem cum Superior medicus sit, & pastor, ex caritate, & iustitia debet opportuna remedia porrigere ægrotis suis. Ergo quoties prudenter intelligit necessariam esse concessionem ad evitandam spiritualem ruinam, aut grave malum petentis, debet reservationem auferre; cum hæc sit non in destructionem, sed in ædificationem. Non astringitur eam concedere; immo debet eam denegare, quoties concessio cederet in damnum spirituale petentis. Facilem tamen absolute loquendo se præbere Superior debet in eiusmodi concessionibus. Nec a peccato immunis esset, si difficilem se ostenderet: *quia* (inquit S. Thomas in IV. dist. XVII. quæst. III. artic. 3. quæstiunc. 4. ad 6.) *multi sunt adeo infirmi, quod potius sine confessione morerentur, quam ut tale peccatum tali Sacerdoti confiteantur.* Semper Superior præ oculis habere debet reservationem, & iurisdictionem datam ei esse propter bonum spirituale pœnitentis.

XX. Quæst. XIII. *Qui habet facultatem absolvendi a casibus reservatis summo Pontifici, habet ne facultatem absolvendi a censuris?* Resp. Omnes casus reservati summis Pontificibus habent annexam censuram. Quare qui habent facultatem absolvendi a casibus, possunt quoque absolvere a censuris. Plures Auctores docent Romanam Sedem non reservare sibi casus, nisi propter censuram. Quæ doctrina mihi vera non videtur. Utique nulli sunt casus reservati Romanæ Sedi qui annexam censuram non habeant; at non inde consequitur, casus reservatos esse propter solam censuram. Siquidem communis, & mihi vera sententia docet casus papales reservatos esse & ratione censuræ, & ratione culpæ. Nam Pontifices hanc distinctionem non indicant, sed illimitate reservant. Ergo arbitraria est præfata distinctio, & limitatio. Ita docet vel ipse Leander *tract.* V. *disput.* XII. *quæst.* XIV. ubi citat S. Thomam, Gabrielem, Maiorem, Sotum, Navarrum, Suarez, Vasquez, Lugo, Filliucium, & alios plures. Si quis ob ignorantiam, vel gravem timorem &c. non incurreret censuram, exemptus ne a reservatione esset? Affirmant plurimi, inter quos vel ipse Passerinus *Tom. II. quæst.* CLVII. *artic.* 1. *num.* 580. Verum hæc opinio mihi non arridet. Nam communis sententia do-

docet, utrumque reservari, & censuram, & peccatum. Porro peccati reservatio contrahitur etiam ab ignorante, ut dixi supra. Ergo non est cur dicamus, non contracta ob ignorantiam, vel aliam causam censura, peccatum non esse reservatum. Ita mihi videtur, salvo meliori iudicio. Accedit quod citati Auctores doceant, in casibus Episcopo reservatis, si annexa iisdem censura sit reservata, illum qui ob ignorantiam non contraheret censuram, esse nihilominus obnoxium reservationi peccati. Cur idem dicendum non est etiam in casibus pontificiis? Quia, inquiunt, opposita consuetudo obtinet. At videndum, num hæc consuetudo probata sit. In hac materia tutior pars est eligenda.

XXI. Quæst. XIV. *Utrum quilibet Sacerdos, etiam non approbatus, vel excommunicatus absolvere possit in articulo mortis; & an absolutus, si convalescat, teneatur adire Superiorem?* Resp. Iam dictum supra est, in articulo mortis nullam esse reservationem; & quemlibet Sacerdotem etiam non approbatum, in defectu tamen approbati, posse absolvere ægrotum in articulo, seu periculo (pro eodem enim accipiuntur periculum & articulus) mortis. Disputant Auctores, num moribundus absolvi ab excommunicato non tolerato, vel hæretico Sacerdote in defectum alterius possit? Affirmant multi. Verum mihi opposita sententia probabilior est. Fagnanus in cap. *Non est vobis*, de spons. ait, S. Congregationem Concilii Tridentini Interpretum declarasse decretum eiusdem Concilii intelligendum esse de Sacerdotibus in unitate Ecclesiæ viventibus, quales sane non sunt excommunicati non tolerati, hæretici, & schismatici. Hoc etiam aperte docet præter multos alios *S. Raymundus Lib. III. §. 16.* ubi dissuadet fidelibus hanc confessionem, maxime ob periculum subversionis. Quare iure præsumitur Ecclesiam nolle iisdem, qui præcisi ab unitate sua sunt, iurisdictionem impertire. Et hæc videtur hodie communior sententia, quamvis opposita non sit improbabilis.

XXII. Ad secundam partem quod attinet, si nulla sit casibus reservatis annexa censura, communis sententia docet, moribundum absolutum non teneri ad Superiorem, si convaluerit, recurrere: quoniam, ut ex dictis patet, omnis Sacerdos in tali articulo est approbatus pro quolibet casu etiam reservato, a quo directe absolvit. Nulla ergo occurrit ratio cur debeat sic absolutus Superiorem adire. E contrario qui absolutus est indirecte in altero necessitatis casu ob scandalum, vel infamiam vitandam, tenetur ad Superiorem recurrere. Quid, si casui reservato sit annexa censura? Etiam hoc in casu plures negant, nisi Confessarius hoc onus imponat, ut, si convaluerint, compareant coram Superiore. Clemens III. in cap. *Quod de his*, hæc habet. *Ab his in forma sacramenti exigi consuevit, ut resumptis viribus, & opportunitate concessa, Romanam Ecclesiam in propria persona debeant visitare*. Bonifacius VIII. in *VI. Lib. V. tit. 11. de sent. excommun.* statuit, moribundum, si convaluerit, obstringi adire Superiorem sub pœna reincidentiæ, inquiens:

quiens: *Decernimus, ne sic censuræ illudant ecclesiasticæ, in eamdem sententiam reincidere ipso iure*. S. Thomas in *Suppl. quæst.* VIII. *art. 6. ad 2.* hæc habet. *Dicendum, quod non oportet eum recurrere ad proprium Sacerdotem, ut iterum a peccatis solvatur, a quibus in articulo mortis absolutus est, sed ut innotescat ei quod sit absolutus. Nec similiter oportet quod absolutus ab excommunicatione ad iudicem vadat, qui alias absolvere potuisset, absolutionem petens, sed satisfactionem offerens.*

XXIII. Quæst. XV. *Quid agere Sacerdos debeat qui potestate destitutus per inadvertentiam absolvit a reservatis?* Resp. S. Antoninus *I. Part. tit.* XVII. *cap.* IV. hoc præbet responsum. *Nota, quod quicumque absolvit aliquem ab aliquo peccato in casu in quo non potest, sive quia reservatus est Episcopo, sive quia nullam habet potestatem, aut auctoritatem, quamvis graviter peccet, præcipue quando absolvit scienter, vel etiam ex ignorantia iuris crassa; non tamen censuram aliquam, seu excommunicationem ex hoc incurrit, sive sit Clericus sæcularis, sive Religiosus, dictum absolvens; sed tenetur illum quem sic absolvit, advisare de errore suo, si cognoscit, vel potest invenire. Ille tamen quoad Deum excusatur, dum hoc ignorat.*

XXIV. Agendum hic esset de casibus quos Prælati regulares sibi reservare possunt. Ex decreto Clementis VIII. 1593. die 26. Maii, & ex constitutione XXVIII. Urbani VIII. Superiores regulares reservare sibi possunt sequentes casus. 1. *Apostasia a Religione habitu dimisso, aut retento*. 2. *Veneficia, incantationes, & sacrilegia*. 3. *Nocturna ac furtiva e Conventu egressio*. 4. *Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale*. 5. *Iuramentum falsum in iudicio legitimo*. 6. *Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fetum etiam non secuto effectu*. 7. *Falsificatio manuum, aut sigilli Conventus*. 8. *Furtum de rebus Monasterii, quod sit mortale*. 9. *Lapsus carnis voluntarius opere consummatus*. 10. *Occisio, seu vulneratio, seu gravis percussio cuiuscumque personæ*. 11. *Malitiosum impedimentum, vel retardatio, vel aperitio litterarum a Superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad Superiores*. Præter hos nequeunt Prælati regulares alios sibi reservare casus.

XXV. Plura hic disputant Auctores de facultate Regularium absolvendi ab eiusmodi casibus. Ex indicatis Pontificum decretis Superiores regulares deputare debent in quocumque Conventu duos, aut tres, aut plures Confessarios doctos, prudentes, & caritate præditos, qui absolvant a non reservatis, & *quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit*. Hi Confessarii deputati possunt una vice absolvere a reservatis, etiam petita, & non obtenta a Superioribus facultate; ut clare in citatis decretis habetur. Disputant iuniores, num etiam Confessarii non deputati a Prælato pro reservatis, valeant una vice absolvere, petita, & non obtenta facultate a Superiore. Alii negant, adfirmant alii. Verum consulenda est cuiuscumque Religionis disciplina, & consuetudo.

XXVI. Innumeras alias quæstiunculas de casibus reservatis instituunt iuniores, præsertim Diana, Leander, La-Croix, & alii, & iuxta Probabilismi principia in hac etiam iurisdictionis materia plura resolvunt, quæ laxiora videntur. Ut Confessarii sibi, & aliis caveant, hæc duo servanda propono. Primum, quando necessitas gravissima urget, in favorem pœnitentis iurisdictionem extendat: quia merito præsumitur, tunc S. matrem Ecclesiam reipsa non limitasse iurisdictionem; cum omnis reservatio sit in bonum, & ædificationem fidelium. Nec verum reputo quod communiter iuniores docent, reservationem esse odiosam, idcirco absolute & intra, & extra necessitatem restringendam. Falsum, inquam, hoc principium reputo. Quamobrem secundo assero, extra necessitatis casum tutiorem partem seligendam esse: & in dubiis aut Superiorem consule, aut absolutionem suspendito. Iurisdictio pertinet ad valorem sacramenti. Ergo quando de eadem dubitatur, tutiora sequi debemus. S. mater Ecclesia benignissima est: ideo, necessitate urgente, eiusdem benignitate utimur. At simul iusta, & filiorum correctionis cupidissima est; & propterea reservationis remedium extra necessitatis casum applicari desiderat.

DIS-

DISSERTATIO III.

DE ABSOLUTIONE SACRAMENTALI IMPERTIENDA, DIFFERENDA, ET DENEGANDA.

CAPUT I.

Quaenam absolutionis forma, deprecatoria, an indicativa, obtinuerit olim in Ecclesia? Quae nunc adhibetur in Ecclesia Latina, indicativa est. Eiusdem verba, & sensus exponuntur.

I. Actum agerem, si discutere ex instituto vellem propositam quaestionem, tum quod eam Theologi celeberrimi pleno in lumine exposuerint; tum quod ad mores formandos nihil conducat. Formam deprecatoriam olim usque ad medium saeculum XIII. obtinuisse, & etiamnum obtinere apud Graecos, docent plures gravissimi Auctores, praesertim Ioannes Morinus *Lib. VIII. de administratione sacram. poenitent. cap.* VIII. *& seqq.* Edmundus Martene *Lib. I. de antiq. Rit. quaest.* IX. Vitasse *quaest.* VI. *art.* I. Turnely *quaest.* IX. *art.* I. Alii hoc negant pugnantque pro forma indicativa. Quare a vero abludit quod asserit Cardinalis Gotti *quaest.* VIII. *dub.* 2. celeberrimus alioquin Theologus, nempe Ecclesiam Graecam absolutionem sacramentalem verbis deprecativis expressisse olim, & etiam modo exprimere, *certum omnibus esse*. Siquidem Gonet *disp.* XII. Nicolai, Baronius, Launoium, & Morinum refutare student.

II. Tempore S. Thomae fuerunt nonnulli qui contendebant formam indicativam esse nullam, sed deprecatoriam esse necessariam: quam opinionem refellit Angelicus *opusc.* XXII. *cap.* II. his verbis. *Patet ex dictis Salvatoris, quod habens claves absolvit. Praesumptuosum ergo est, ne dicam erroneum, ut Sacerdos dicere non possit*, Ego te absolvo, *quem Dominus absolvere confitetur. Ad hoc etiam est communis consuetudo tali forma utentium, cui aliquem contrariari, non parvae praesumptionis est .... Nec hoc convenienter solum dicere potest, sed & necessarium esse videtur: quia sacramenta novae legis efficiunt id quod figurant. In sacramento autem poenitentiae verba Scripturae, quae maxime sectanda sunt, non faciunt mentionem de aliqua deprecatione, sed magis ipsa verbo indicativo utitur.*

Non enim dicit : Quæcumque petieritis esse solvenda , erunt soluta ; sed quæcumque solveritis . *Si ergo illa tantum dicuntur esse solvenda quæ habens claves solverit ; qui autem petit aliquid esse solvendum , non solvit : miror , qua temeritate aliquis asserat esse solutum , quem habens claves non significat se solvere , sed solum rogat esse solvendum .*

III. Ad primam itaque quæstionis propositæ partem, quæ factum spectat, mihi illorum sententia arridet quæ defendit aperte , hactenus demonstratum non esse , olim viguisse sive apud Latinos , sive apud Græcos formam deprecativam. Monumenta enim quæ pro hoc absolutionis deprecativæ usu afferuntur, non sunt ita luculenta quæ probabilem non excipiant interpretationem ; ut legenti Auctores qui factum istud discutiunt, patebit.

IV. Missa itaque hac historica facti quæstione , videndum , quæ forma nunc necessario usurpanda sit. Porro formam indicativam, quam suo tempore S. Thomas propugnavit, posteriori tempore probavit Ecclesia. Siquidem Concilium Tridentinum *sess.* XIV. *cap.* III. hæc statuit . *Docet S. Synodus, sacramenti pœnitentiæ formam , in qua præcipue ipsius vis sita est , in illis ministri verbis positam esse :* Ego te absolvo &c. *Quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more preces quædam laudabiliter adiunguntur : ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant , neque ad ipsius sacramenti administrationem sunt necessariæ .* Hoc idem prius definitum fuerat in Concilio Florentino in decreto pro Armenorum instructione.

V. Quæst. I. *Quibus verbis constet forma absolutionis sacramentalis ?* Resp. Penes omnes certum est , hæc verba , *Absolvo te* ad formæ essentiam pertinere . Disputant vero Theologi , num pronomen *Ego* ad essentiam pertineat . Existimant plures illud includi in hoc verbo *absolvo*. E contrario pronomen *TE* necessario exprimendum est. Lugo *disput.* XXIII. *num.* 26. putat sufficere , si dicat Sacerdos , *Absolvo a peccatis tuis* . Verum opinionem hanc falsam reputo . Missis itaque arbitrariis disputationibus , usurpanda sunt verba in Concilio Tridentino præscripta, *Ego te absolvo* . Tam Florentinum Concilium, quam Tridentinum post recensita verba addunt &c. quæ *sigla* indicant , cetera quoque verba *a peccatis tuis in nomine Patris* &c. ad essentiam formæ pertinere . Verum Catechismus Tridentini *Part. II. §.* 14. inquit : *Est autem forma : Ego te absolvo* : omisso &c. Heinc communior Theologorum sententia defendit , verba quæ sequuntur , nempe *a peccatis tuis* &c. non pertinere ad essentiam formæ : idque perspicue colligi videtur ex laudato Catechismo , qui *loc. cit.* sic persequitur . *Est autem forma* , Ego te absolvo , *quam non solum ex illis verbis licet colligere :* Quæcumque solveritis super terram , erunt soluta & in cælis : *sed ex eadem Christi Domini doctrina ab Apostolis tradita accepimus . Ac quoniam sacramenta id significant quod efficiunt , & illa verba* , Ego te absolvo , *ostendunt peccatorum remissionem*

sionem huius sacramenti administratione effici; planum est hanc esse pœnitentiæ perfectam formam.

VI. Quamvis tamen solis recensitis a Concilio, & Catechismo verbis constet forma essentialis; non propterea licite Sacerdos omitteret cetera verba, quæ communiter usurpantur in Ecclesia: immo reus gravis peccati foret, si pronuntiare negligeret sequentia verba, *a peccatis tuis* &c. Forma itaque vera, qua Catholici omnes utuntur, inquit Cardinalis Bellarminus *Lib. I. de pœnit. cap. IV.* hæc est. *Ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.*

VII. Quid dicendum de his formulis: *Ego tibi peccata dimitto: Remittuntur tibi peccata tua: Condono tibi omnia peccata tua?* Ratas, & validas habent communiter Theologi eiusmodi formulas, cum sint æquivalentes illi quæ præscripta est in Conciliis. Peccaret tamen, & quidem gravissime, Sacerdos qui absolutionem exprimeret aliis verbis ab iis quæ in Sacramentariis, & Ritualibus Ecclesiæ Latinæ præscripta sunt, quæque omnes Sacerdotes catholici usurpant.

VIII. Quæst. II. *Quis sit horum verborum sensus*, Ego te absolvo? Resp. Hæc verba non declarant peccata iam esse a Deo dimissa; sed ipse Sacerdos eadem pronuntians auctoritate a Christo accepta dimittit. Et hoc definivit Concilium Tridentinum *sess. XIV. can. IX.* his verbis. *Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi, & declarandi remissa esse peccata confitenti . . . anathema sit.* Quandoquidem illam potestatem discipulis suis Christus Dominus communicavit quam ipse a Patre accepit: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* &c. Ioan. XX. Porro Christus Dominus non solum declaravit peccata esse remissa, sed revera illa remisit. Ipse enim paralytico, & peccatrici mulieri dixit: *Remittuntur tibi peccata tua.* Ergo similiter illius Apostoli, & istorum successores vere peccata dimittunt.

IX. Opponunt, solum Deum peccata dimittere, animam contritione & caritate vivificari. Responsum iam est supra, Deum iure potestatis peccata dimittere, Sacerdotes vero ministerio & munere Spiritus sancti. Contritione vivificantur animæ aliquando per Spiritum moventem, aliquando per Spiritum cohabitantem, semper tamen incluso confessionis, & sacramentalis absolutionis voto.

X. Non solum Confessarius exacte pronuntiare absolutionis formam ab omnibus Catholicis usurpatam debet, sed etiam ritum servare quem præscribit Ecclesia. Quamvis igitur preces quæ absolutioni præmittuntur, nempe, *Dominus noster Iesus Christus* &c. ad substantiam formæ non pertineant; nequeunt tamen absque culpa prætermitti, nisi necessitas urgeat, ac mortis periculum. Aliæ

preces, *misereatur*, & *indulgentiam*, & quæ formam subsequuntur, *Passio Domini nostri* &c. in frequentioribus & brevioribus confessionibus ex Rituali Romano omitti possunt; at consultius semper erit totum ritum exacte servare, rationabili causa sublata. Narrat Natalis ab Alexandro *Lib. II. cap.* VII. in quibusdam Ritualibus hanc reperiri formulam, *Absolvo te ab omnibus peccatis tuis contritis, confessis, & oblitis*. Sed hæc ultima tria vocabula superflua sunt. Nam cum pœnitens ea omnia quæ post diligentem discussionem memoriæ occurrunt, confitetur, etiam alia inculpate oblita intelliguntur inclusa. Quæ vero negligentia culpabili obliviscitur, & de quibus contritionem non habet pœnitens, nullo modo dimittuntur. Missis itaque peculiaribus formulis, ea adhibeatur quæ communis in Ecclesia est.

XI. Quæst. III. *Licitum ne est formæ absolutionis conditionem adiicere?* Resp. Convenit penes omnes, conditionem appositam de præsenti, vel de præterito, v. g. *Si capax es, si nondum es absolutus*, non evertere valorem sacramenti: quia, conditione posita, forma absoluta evadit, suumque sortitur effectum. Videndum autem, num aliquando expediat hanc adiicere conditionem. Omnes adfirmant absolute, omni sublata conditione, pronuntiandam communiter esse. Difficultas est, num in aliquo necessitatis casu possit conditio apponi. Sub conditione conferri baptismum posse, necessitate urgente, diximus supra: quia documenta valida occurrunt talis usus, qui obtinere cœpit sæculo VIII. alicubi, & sæculo XII. probatus fuit ab Alexandro III. & tempore Gregorii IX. inserta est iuri canonico ablutio conditionalis. Et Clemens VIII. iussit ut Episcopi Latini confirmantes baptizatos a Presbyteris Græcis sibimet subiectis eamdem adhiberent. Verum his documentis solum probatur usus formæ conditionalis in sacramento baptismi ministrando. De eiusdem vero usu in sacramento pœnitentiæ altum silentium penes antiquos. Nihilominus, si dubitetur, an pœnitens vivens sit, vel an Sacerdos protulerit absolutionis verba, permulti etiam graviores Theologi docent dandam esse absolutionem sub conditione hac: *Si tu es capax, vel si non es absolutus, ego te absolvo* &c. Si aliquando licita est absolutio conditionalis, certe casus moribundi dubie viventis ille est in quo licita expediat eiusmodi absolutio. Quando Sacerdos dubitat, protulerit ne absolutionis verba; tum facile induci pœnitens valet, ut contritionem de confessis peccatis innovet, & tum absolutio absoluta impertiri potest.

XII. Casuistæ, ut mea præfert opinio, nimis facile, ne dicam laxe, adiiciendam hanc conditionem docent. P. Sporer *Part. III. cap.* V. *quæst.* II. *§.* 4. *num.* 622. impertiendam absolutionem sub conditione docet 1. quando Confessarius prudenter dubitat, sit ne pœnitens recte dispositus. 2. quando dubitat, an pueri rudes

des sint rationis usu prædíti. 3. quando pœnitens adfert sola dubia peccata in materia mortali, nec ullum certum explicare potest. 4. quando Confessarius dubitat, an habeat iurisdictionem in hunc pœnitentem, vel in eius peccata.

XIII. In his 4. casibus absolutionem conditionalem illicitam, otiosam, & reverentiæ sacramento debitæ contrariam existimo, atque absurdorum plenissimam. Et principio conditio quæ necessario præcedere debet, frustra & otiose apponitur. Dolor autem, seu contritio de peccatis necessario præire absolutioni debet. Quare illicite Sacerdos agit, si dicat: *Ego te absolvo si habeas verum dolorem, vel voluntatem restituendi; si ego habeo potestatem absolvendi* &c. Quando Confessarius dubitat, num pœnitens sit rite dispositus, num scilicet habeat verum dolorem, aut verum propositum, dubitat de materia necessaria ad absolutionem. Porro numquid licitum est uti materia dubia in conferendis sacramentis extra necessitatis casum? Quænam autem in casibus propositis gravis necessitas? Neque enim pœnitens aut pueri rudes sunt in periculo mortis, ut supponitur. Ergo peccat Sacerdos utens materia dubia in recensitis casibus, cum nulla urgeat necessitas.

XIV. Quod autem eiusmodi praxis absolutionis conditionalis in dictis, & similibus casibus sit absurdorum plenissima, res evidens est. Nam quando Confessarius dubitat, sit ne pœnitens dispositus, sint ne pueri ratione præditi, cur in id non incumbit Confessarius ut pœnitens disponatur; cur non satagit ut signa veri doloris exploret; cur absolutionem non differt, donec ex operibus, & certis signis colligat dispositionem, aut indispositionem pœnitentis; cur adhortationibus, consiliis, & regulis moratæ vitæ pœnitentes adultos non probant Confessarii; cur pueros non erudiunt, usquedum certam materiam, & exploratum rationis usum dignoscant? Cur hæc media negligunt? Quia, inquiunt, magna est pœnitentium affluentia. Si hæc omnia præstanda forent, plurimi dimitti absque confessione deberent. Quare & ut sacramenti dignitati, & propriæ conscientiæ provideatur, adhibetur absolutio conditionalis; & sic plurimorum pœnitentium confessiones audiuntur: contra, si absolutiones suspendimus, oriuntur murmura, & censuræ Rigorismi in Confessarios feruntur. Utinam studium laboris vitandi, & timor aut displicendi hominibus, aut minuendæ pœnitentium affluentiæ in caussa quandoque non essent cur novus iste absolutionis conditionalis usus usurpetur. Absolvuntur pœnitentes dubie dispositi absolutione condinata. Quot heinc sacrilegia? Quot heinc repetita scelera? Eiusmodi pœnitentes, hunc absolutionis conditionalis ritum ignorantes, se revera absolutos credunt. Quid heinc? Animos ad peccandum resumunt: horrorem peccandi deponunt: credunt ad veram pœnitentiam sufficere narrationem criminum, cum videant tam facile se absolvi. Magno in errore, & pereundi discrimine versantur,

ut ego quidem vereor, Confessarii qui extra necessitatis, puta mortis, aut dubio frenetici casum, absolutionem conditionalem adhibent.

XV. Conditionem de futuro communiter Theologi improbant, aientes hanc vim sacramenti evertere. Leonardus Vanroy *cap. III. quæst.* 4. & nonnulli alii Lovanienses, sanioris alioquin doctrinæ assertores, docent conditionem de futuro enervare quidem vim sacramenti, quando absolvens non statim, sed solum quando conditio ponetur, sacramentum confectum & administratum intendit: quia quando v. g. restitutio fiet, neque materia, neque forma existet. Ceterum, si Sacerdos hic, & nunc sacramentum conficere, & gratiam conferre intendit, supposita conditionis futuritione, tunc conditionem non impedire valorem absolutionis contendunt.

XVI. Præfata doctrina falsa est, & omni solido fundamento destituta. Siquidem quando Sacerdos hic & nunc intendit sacramentum conficere, atque sit in pœnitente necessaria dispositio, nempe dolor, & propositum sincerum restituendi; etiamsi postea ab hoc proposito resiliret, & restitutio non fieret, revera sacramentum esset administratum, & pœnitens reipsa absolutus esset. Nam quando adest materia, & forma, atque ministri intentio conficiendi sacramentum, in Sacerdotis potestate haud est suspendere sacramenti effectum, ut communiter Theologi docent. Si vero in pœnitente desit sincerum propositum restituendi, & dolor necessarius; iam sacramentum est nullum ex defectu materiæ. Ergo ineptissima est conditionis adiectio.

CAPUT II.

De absolutione impertienda pœnitenti absenti. Quid hac de re Dominicani tum antiqui, tum recentiores, quid Iesuitæ, præsertim Doctor eximius P. Franciscus Suarez, *ante, & post decretum Clementis VIII. docuerint.*

§ I.

Scribendi necessitas.

I. Constanti animo hanc Dominicanos inter & Iesuitas percelebrem, & diu utrimque magna animorum contentione agitatam controversiam alto obvolvere silentio decreveram: & quamquam viderem insignes Dominicanos, Petrum

trum Duffay, Vincentium Baronium, Ioannem Baptistam Gonet, Didacum, Alvarez, Hiacynthum Coquetium, Franciscum Avilam, Candidum, Nunnum, pluresque alios celebratissimos Dominicanos, ut impostores & fabulatores, a Theophilo Raynaudo, a Matthæo Moya, ab Honorato Fabri, & a plurimis aliis traductos; immo quamvis *P. Gaspar Ioseph Gagna* in suo opere fabularum plenissimo, edito contra meam *Histor. Probabilismi, & Rigorismi* memetipsum tamquam mendacii & fœtidæ calumniæ (*marcia calunnia*) redarguat, & inauditis ludibriis benignissime lacessat atque proscindat; non propterea a concepto proposito vel tantillum recesseram. Verum res ultro progressa hisce ipsis diebus est. Silentio quippe meo, atque patientia nimis impotenter abusi nonnulli P. Gagna asseclæ sunt. Siquidem non contenti insigniores Dominicanos, & meipsum maledictis typis editis lacerasse, volumen in folio Doctoris eximii P. SUAREZ, sub proprio pallio absconditum, elapsis diebus per civitatem deferebant, legendumque summis etiam viris præbebant, ut eiusdem lectione luculentissime evincerent, me testimonia P. Suarez adulterasse in citata *Probabilismi & Rigorismi Historia*, & iniuria summa Doctorem eximium affecisse. Quid heinc? Quid? Audi argumentationem. Si, inquiunt, evidenter constat, auctorem historiæ Probabilismi detruncasse testimonia sapientissimi P. Suarez; potiori iure infertur, opiniones Casuistarum adulteratas, & exquisito artificio transformatas suo versuto calamo in ceteris suis operibus imperito vulgo porrigere, ut summam benigno Probabilismo, & Probabilistis invidiam conflet. Candide fateor, me talia audientem commotum, & ad hanc veritatis historiam texendam compulsum sensisse. Ecce igitur paucis patefactam caussam quæ me prorsus repugnantem coegit, ut silentium severa mihi lege impositum abrumperem. Si enim hæc surda aure prætereo, mea Christiana Theologia, quam in dies edo, & in qua saniorem doctrinam a laxis non paucorum Casuistarum opinionibus asserere pro modulo meo studeo, in nihilum decideret ob has imposturas, quas nonnulli disseminant, me videlicet truncare, vel transformare Casuistarum sententias, ac si non essent adeo natura sua non paucæ deformes, ut vix possint deformiores effici calamo meo. Nemo igitur non videt, quam gravis, quam urgens sit necessitas defendendi tum plurimos Ordinis mei Theologos a gravissimis, ut videbimus, notis iisdem inustis, tum partus meos, quicumque tandem illi sint, ab indicatis imposturis sane gravissimis. Necessitate itaque extrema coactus controversiam propositam pleno in lumine constituam tanta animi moderatione, ut dum memetipsum, & insigniores Thomisticæ Scholæ Theologos vindicandos suscipio, nihil obsequii, nihil officii, & reverentiæ erga illustres adversarios remissurus sim. Nihil partium studio tribuam. Si Scriptores Dominicanos in aliquo vel leviore puncto a veritate aberrasse deprehendero, sincerissime manifestabo. Si e contrario plura narraturus sim, quæ forte ad sali-

vam

vam adverſatiorum non ſapient, id vertere authenticis documentis, non mihi debent. P. Danielem Bartoli ſcripſiſſe memini, ſaluberrimum documentum, quo conſulebat ſuis, ne provocarent adverſarios, niſi ea audire vellent quæ audire magnopere nollent. Unum ego in anteceſſum a lectore enixe oro flagitoque, ut materiam ſubiectam calamo a ſtilo quo eam narraturus ſum, diſtinguere velit. Si paradoxa, & quidem inaudita, propriis Auctorum verbis in apricum traduxero, ſi horridula illa apparuerint; non ſtilo, ſed materiæ quæ narratur, totum quod diſplicet, adſcribi iure debet. Sunt enim nonnulli qui, dum propria commenta in ſuo iuſto, & nativo proſpectu diſpoſita vident, continuo clamant contra Hiſtorici ſtilum, eumque maledicum, declamatorium, atque ſatyricum appellant. Sed falluntur, & fallunt apertiſſime. Talia quippe ſcripſerunt Caſuiſtæ non pauci, quæ, ſi ſtilo etiam aureo, vel argenteo, ſaccaro & melle illito deſcriberentur, nihiloſecius lectores commoverent. Perdiſcant ergo tandem aliquando nonnulli proprium coercere calamum, & a monſtroſis paradoxis abſtinere, niſi velint illa ſibi opponi nativis depicta coloribus. Iſtiuſmodi ne futura ſint quæ ego infra ſimplici, & mitiſſima oratione deſcripturus ſum, æqui rerum æſtimatores iudicabunt.

§. II.

Status controverſiæ.

I. DUo ſunt præſentis diſputationis argumenta. Doctrinam unum, facti hiſtoriam alterum ſpectat. Primum in hoc ſitum eſt, utrum ſacramentum pœnitentiæ conſummari inter abſentes poſſit in ſenſu aut *copulativo*, aut diſtributivo ſeu *diviſivo*. In altero diſſertatur, quid de hac controverſia docuerunt antiqui Thomiſtæ, & quid Patres Societatis elabente ſæculo XVI. Et ut ab hoc puncto hiſtorico, quod eſt præcipuum caput diſcutiendum, orſa capiam, P. Fagundez *Lib. II. in 2. Eccleſ. præcep. cap.* 10. ſcribit, ſententiam, adfirmantem licitam epiſtolarem confeſſionem inter abſentes, ortam eſſe in Ordine S. Dominici, ibidem adoleviſſe, & in eiuſdem ſinu extinctam, atque ſepultam fuiſſe: & hoc confirmat cum aliis P. Theophylus Raynaudus *Tom. XX. differt. pro Franciſco Suarez de abſolutione epiſtolari*; idque communiter docent Ieſuitæ. Ipſe vero P. Suarez *Tom. IV. in III. part. diſp.* XIX. *ſec.* 3. narrat, hanc ſententiam ex Thomiſtis docuiſſe S. Antoninum, Sylveſtrum, Margaritæ Confeſſorum Auctorem, Armillam, Tabienam, Raynerium, Petrum de Tarantaſia, qui fuit Pontifex ſummus Innocentius V. Petrum de Soto, Dominicum Soto, & Turrecrematam Cardinalem.

II. Contra Dominicani Theologi contendunt, Thomiſtarum neminem præfatam do-

docuiſſe ſententiam. P. Petrus Dufay in ſuo de pœnitentia tractatu teſtatur, ſententiam de licita abſolutione epiſtolari, quam aliqui antiqui docuerant, iam obliteratam, & fere extinctam, in lucem revocaſſe in Hiſpania aliquos ex Patribus Societatis. Iſti, ſubdit Dufay, hanc ſententiam non modo in privatis ſuis Collegiis Valliſoleti, Salmanticæ, Compluti tamquam veriorem docuerunt; verum etiam aliqui ex ipſis eam typis prodidere, ut Henricus Henriquez in ſua Summa morali, quæ ob hanc cauſam proſcripta fuit, donec corrigeretur, Emanuel Sa in ſuis Aphoriſmis, qui ſimiliter expurgati fuere Romæ a Magiſtro Sacri Palatii. Narrationem *P. Dufay* fuſo calamo propugnat P. Vincentius Baronius *Tom. I. Theolog. moral. diſp.* 1. *ſec.* 3. & poſt ipſum P. Gonet *diſp.* XII. a. 4. contenduntque, ex antiquis Thomiſtis neminem defendiſſe abſolutionem epiſtolarem; ſed iiſdem affictam fuiſſe eiuſmodi opinionem a PP. Fagundez, Suarez, Raynaudo, Moya, Fabri, aliiſque Ieſuitis.

III. Ad hoc primum punctum quod attinet, ut, miſſo partium ſtudio, & ea, quam initio ſpopondi, ſinceritate loquar, dico, aliquos Dominicanos antiquos, nempe Petrum de Palude, S. Antoninum, Petrum ſoto propugnaſſe licitum uſum abſolutionis epiſtolaris abſenti datæ. Heinc Baronium, Gonetum, & alios recentiores Thomiſtas id negantes, aut non ſatis accurate antiquos iſtos Scriptores expendiſſe, aut domeſtico affectui aliquid indulſiſſe. Verum tamen eſt, S. Antoninum obiter ex aliorum ſententia, & veluti ambigentem fuiſſe locutum. Turrecremata ſimiliter ambigue ſcribit. Verum hæc levia, & nullius fere momenti.

IV. Ad ſecundum, quod eſt præſentis diſputationis unicum punctum, accedamus. Elabente ſæculo XVI. Dominicani omnes, doctrinam S. Thomæ, & alterius Thomæ, nempe Caietani, propugnantes, contra ſententiam de abſolutione epiſtolari, a quibuſdam tum temporis e ſepulcro, in quo extincta iacebat, ad cathedras, ad ſuggeſtum ipſum traductam, invecti ſunt, eamque omni argumentorum genere labefactare ſtuduerunt. Factum iſtud extra diſputationis aleam conſtitutum eſt, cuius tot ſunt teſtes, quot Scriptores. Unum omni exceptione maiorem laudare ſufficiat, ipſum Doctorem eximium P. Franciſcum Suarez, qui *Tom. IV. in III. Part. diſp.* XIX. *ſec.* 3. ubi poſt citatos *n.* 2. antiquos aliquos Thomiſtas, hæc *num.* 9. de modernis ſcribit. *Moderni autem Thomiſtæ defendunt hanc ſententiam* (non poſſe inter abſentes &c.) *Caietanus . . Victoria . . Soto . . Ledeſma . . Cano.*

V. Porro hoc eodem tempore aliquos Theologos Ieſuitas antiquatam ſententiam de licita abſolutione epiſtolari exſuſcitaſſe, propugnandamque ſuſcepiſſe, certum eſt. Eam quippe docuit Henricus Henriquez in ſua *Summa morali*, quam propterea fuiſſe proſcriptam, donec emendaretur, teſtatur Ioannes Baptiſta Poſſevinus Mantuanus *Lib. Offic. Curati*, *cap.* XV. Poſt Henriquez eamdem ſententiam propugna-

pugnavit Emanuel Sa in suis Aphorismis editis Antverpiæ an. 1599. Hoc testatur vel ipse Theophylus Raynaudus *cit. Tom. xx. diss. de epis. conf. cap. 11. pag.* 192. his verbis. *Manuel Sa in editionibus integris anterioribus Romana anni 1600. V. Absolutio n. 9. & V. Confessio num.* 14. Cur dicit in editionibus integris anterioribus Romana an. 1600.? Quia ab hac editione Magister Sacri Palatii expunxit talem opinionem de absolutione epistolari. Quam correctionem Dominicanorum livori in suos tribuit P. Raynaudus, qui propterea frequenter in Magistrum Sacri Palatii debacchatur præsertim de *immunit. Cyriac.* Hanc eamdem sententiam, ut probabilem, defendit Doctor eximius P. Suarez, ut mox ostensurus sum.

VI. Dominicani, cum viderent doctrinam de absolutione epistolari impertita absentibus in dies propagari, & e publico suggestu etiam Matriti prædicari, eam ad summum Pontificem Clementem VIII. damnandam detulerunt. Quis hoc afferit? Præter innumeros testes ipse P. Theophylus Raynaudus *loc. cit. cap. v. pag.* 201. ubi hæc habet. „ Quandoquidem vero hactenus ex Pontificum oraculis argumentati sumus; in hac meta non est prætereundum testimonium CLEMENTIS VIII. „ *cui Pontifici Thomistæ auctores, ac incentores fuisse DECRETI contra confessiones* „ *per litteras, Alvarez, Nugnus, Coquetius, Fay, & passim ceteri asseclæ triumphantes profitentur.* " Dominicanorum votis faustus successit eventus. Nam reipsa Clemens VIII. sententiam a citatis Iesuitis propugnatam damnavit sequenti decreto.

VII. „ Die 20. mensis Iunii anno a Nativitate Domini N. I. C. in generali „ Congregatione S. R. & universalis Inquisitionis, habita in Palatio Quirinali coram SS. D. N. Clemente divina providentia Papa VIII.

„ Proposita quæstione, utrum liceat per litteras, seu internuntium Confessario „ absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem „ obtinere? Sanctissimus D. N. auditis votis Patrum Theologorum, & re cum Illustrissimis & Reverendissimis DD. Cardinalibus mature, ac diligenter considerata, hanc propositionem, scilicet licere per litteras, seu internuntium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem „ obtinere, ad minus uti falsam, temerariam, & scandalosam damnavit, ac prohibuit; præcepitque ne deinceps ista propositio publicis, privatisque lectionibus, „ concionibus, & congressibus doceatur, neve umquam tamquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur. Quod „ si quis illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut etiam de ea disputative „ tractaverit, nisi forsan impugnando, vel ad praxim seu directe, vel indirecte „ deduxerit, præter excommunicationem latæ sententiæ, quam ipso facto incurrat, & a qua non possit, præterquam in articulo mortis, ab alio, quacumque

„ etiam

„ etiam dignitate fulgenti, & S. R. Ecclesiæ maiori Pœnitentiario, nisi a pro „ tempore existente Romano Pontifice absolvi, aliis etiam pœnis arbitrio infli- „ gendis subiaceat.

§. III.

Interpretationes P. Francisci Suarez *in hoc* Clementis VIII. *decretum*.

I. ADversarii, inquit P. Ioannes Baptista Gonetus *disp.* XII. *num.* 55. videntes se hoc Pontificis decreto perstringi, suamque de epistolari confessione damnari sententiam, ut vim eius declinarent, duplicem excogitarunt explicationem. Alii dixerunt, opinionem de absentis confessione & absolutione, ut illicitam quidem, secus ut invalidam, fuisse a Clemente VIII. proscriptam. P. Franciscus Suarez *Tom.* IV. *in* III. *part. disp.* 21. *sec.* 4. interpretatur, Clementem VIII. suo decreto prohibuisse propositionem *collective*, & *complexive* seu copulative, non *divisive*, & seiunctim acceptam. Hæc sunt verba Doctoris eximii *loc. cit.* „ Existimo tamen, non fuisse mentem Sanctissimi de hac opinione tractare, „ sed solum de illa quæ dicit, sacramentum pœnitentiæ posse perfici, ac consum- „ mari inter absentes: atque illam particulam *ET* non esse *divisive*, sed *comple- „ xive* sumendam; præcipue illud damnasse propter eos qui dicebant, absolutio- „ nem posse dari in absentia. Moveor tum ex circumstantiis litteræ. Nam, si „ aliud voluisset potius, id explicuisset per particulam *VEL*. Item hoc clare in- „ dicat illud singulare signum demonstrativum, *hanc propositionem*: nam ex eo „ constat, solam hypotheticam propositionem per modum unius damnari. Tum „ præterea, quia illa erat controversia, de qua tractabatur. Tum denique quia „ sola illa opinio est aliena ab usu Ecclesiæ: hæc autem est illi, & decretis con- „ formis. Nihilominus declarationem hanc eiusdem Pontificis censuræ subiicio, „ sicut cetera omnia quæ tam in hoc, quam in ceteris operibus meis continen- „ tur. “

II. Integrum testimonium transcribere volui, ut compertum esset, *P. Suarez* non minus doctrina, & eruditione, quam modestia & obsequio erga sanctam Sedem refulgere. Errare ille potuit, sicuti ceteri mortales etiam sapientissimi & probissimi; at error imbecillitatis humanæ est, non voluntatis. Quamobrem si quæ ad decidendam hanc controversiam tamdiu agitatam producturus sum, doctrinæ P. Saurez contraria apparebunt, non propterea quidquam existimationis & officii erga præclarissimum Theologum diminutum velim. Quemadmodum non minus resplendent Dominicani Petrus de Tarantasia, seu Innocentius V. Petrus Paludanus Patriar-

triarca Ierosolymitanus, Cardinalis Turrecremata, S. Antoninus, Petrus Soto, quod docuerint, ut refert ipse P. Suarez, licitam confessionem epistolarem, quam postea damnavit Clemens VIII. ita neque Doctori eximio quidquam doctrinæ, & probitatis famæ decrescit, quod doctrinam, & interpretationem a summis Pontificibus proscriptam propugnaverit ut probabilem. Sed hæc obiter, & officii caussa. Ad rem.

§. IV.

Decreta summi Pontificis Pauli V. *adversus interpretationem* P. Suarez *in Clementinum decretum*.

I. TRia sequentia decreta a Congregatione S. Officii sub Paulo V. Pontifice summo emanarunt contra interpretationem P. Suarez in Clementinum decretum.

„ II. Fer. 5. die 14. Iulii 1605. in Congregatione generali S. Officii, habita coram san. mem. Paulo Papa V. proposita causa *P. Francisci Suarez* Iesuitæ, & „ consideratis iis quæ scripsit Tom. IV. in III. Part. S. Thomæ sect. 4. disp. 21. „ *interpretando* decretum fel. record. Clementis Papæ VIII. factum die 20. Iunii „ 1602. quo damnavit hanc propositionem, videlicet, *Licere per litteras, seu internuntium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere*: ac etiam mature discussis his quæ idem *P. Suarez* „ adduxit in defensionem suæ interpretationis, auditis votis Illustrissim. DD. Cardinalium, Sanctissimus decrevit dictam interpretationem *P. Suarez* ad supradictum decretum non subsistere, & ideo amovendam esse ab eius libro iuxta decreta alias facta a felic. record. Clemente Papa VIII.

„ Fer. 4. die 20. Iulii 1605. In Congregatione coram Illustriss. & RR. DD. „ Cardinalibus generalibus Inquisitoribus &c. Ex libro P. Francisci Suarez Iesuitæ „ *disp.* XXIII. *sec.* 1. *num.* 12. amoveantur infrascripta verba, videlicet ... *Atque ex hac resolutione* ... usque ibi ... *in absentia Confessoris*; prout adnotavit Illustrissimus „ D. Cardinalis de *Monopulo*. Idem P. Suarez corrigat suum librum, & antequam „ evulget, ostendat huic Congregationi.“

„ Fer. 5. die 18. Augusti 1605. In Congregatione generali S. Officii Sanctissimus „ decrevit ex Tom. IV. *P. Suarez* Iesuitæ in III. Part. D. Thomæ disp. XXI. de „ confessione, Sectionem quartam cui titulus est, *Utrum de necessitate confessionis fit ut pœnitens Sacerdoti præsenti immediate & per se ipsum revelet peccata sua*, „ totam esse amovendam, nec aliam eius loco subrogandam.“

III. Hæc tria decreta referuntur non solum a P. Gonetto Dominicano *loc. cit.* sed

sed etiam a P. Ioanne Baptista Gormaz Soc. I. *disp.* v. *sec.* 1. *§.* 2. *num.* 242. Ego quoque coactus ab epistolis probabilisticis P. Pauli Segneri eadem retuli *Tom. I. Hist. Probabil. & Rigoris. diss.* 11. *pag.* 346. 1. *edit.* collata cum Autographis S. Officii, curante P. Magistro Salas O. P. Theologo Casanatensi, occasione dissidii inter Dominicanos, & Iesuitas Insulæ Maioricæ super authentica horum decretorum veritate.

IV. Præter hæc tria decreta, duo alia emanarunt contra eamdem interpretationem P. Suarez. Primum sub ipso Clemente VIII. die ultima Iulii 1603. cuius initium est, *In generali Congregatione* &c. Alterum fer. 2. die 24. Ianuarii 1622. cuius initium est, *In Palatio* &c. Ambo infra dabo.

§. V.

Nodus difficultatis circa opinionem, quam ante & post decretum Clementinum docuit P. Suarez. *Responsa Amici, Moya, La-Croix, Gormaz, Raynaudi. & Viva.*

I. OMnes Theologi Societatis contendunt, Doctorem eximium Patrem Suarez ante decretum Clementis VIII. ut falsam reiecisse sententiam de confessione inter absentes peracta. Idque argumento, quod ineluctabile hactenus apparuit, evincunt, testimonio nempe ipsius P. Suarez, qui *Tom. IV. in III. Part. disp.* XIX. *sec.* 3. *num.* 7. hæc scribit. *Hanc igitur posteriorem sententiam veram censeo, quam anno* 1588. *Compluti publice docui, & iterum in prima lectione huius insignis Academiæ Conimbricensis anno* 1598. *nimirum significationem huius formæ proprie & in rigore non verificari in ordine ad personam absentem, & ideo respectu illius nec perficere sacramentum, nec suum effectum operari.* Ita omnes editiones quæ nunc præ manibus habemus. Heinc Theologi Soc. ad incitas, ultimasque angustias redigunt Dominicanos, *Alvarez*, *Dufay*, *Avilam*, *Baronium*, *Coquetium*, *Gonettum*, eosque, tamquam imposturæ, calumniæque Doctori eximio impactæ fontes, redarguunt.

II. Contra clamant Thomistæ. P. Suarez decretum Clementis VIII. interpretatus est in favorem opinionis damnatæ; cum, ut vidimus §. præcedenti, doceat damnatam opinionem intelligendam esse *complexive*, non *divisive*. Quam interpretationem tria (& ut infra dicam quinque) decreta pontificia improbant, & expungendam ab eiusdem Tomo præcipiunt. Quid? Ante decretum Clementinum Suarez improbavit opinionem de confessione epistolari, ut falsam: & postquam Clemens VIII. eamdem opinionem damnavit, Suarez ipse ita delinire, & tem-

temperare opinionis a se prius improbatæ damnationem studuit, ut contra se quinque Romanæ Sedis decreta extorserit? Absolute falsa iudicata fuit a P. Suarez præfata opinio: & hanc ipsam opinionem, postquam fuit censura pontificia proscripta, partim veram, & partim falsam defendendam suscepit? Quid ad hæc? Ex una parte urget testimonium P. Suarez supra rescriptum. Ex altera non minus premit & stringit eiusdem interpretatio, qua decretum pontificium extenuare curavit. Nonne iuxta omnes prudentiæ & sensus communis regulas debuisset Doctor eximius interpretari decretum contra opinionem quam ille prius improbaverat? Quis umquam ab orbe condito interpretatus est iudicis sententiam sibi faventem in favorem adversarii? Credat vel Iudæus Appella, non ego. Falleris; inquient. Quænam contrarietas est quod P. Suarez ante decretum Clementinum improbaverit opinionem *complexive*, & post decretum eam defenderit *divisive*? Ita potuisse fieri, nec ipse repugno; sed an reipsa ita evenerit, disquirendum est. In medium igitur promamus responsa quibus doctrinam quam post Clementis VIII. decretum docuit P. Suarez, in tuto collocare Theologi Soc. I. nituntur. Hæc viam sternent ad nodum penitus rescindendum, demonstrandumque quid ante decretum, quid post decretum P. Suarez docuerit.

III. Mirifica, & supra quam dici potest, peregrina sunt effugia quæ eruditi adversarii excogitarunt contra tria laudata pontificia decreta, ut sartam tectam custodiant interpretationem P. Suarez. Illa rescribam propriis ipsorum verbis.

IV. P. Franciscus Amicus *Tom. VIII. disp.* XI. *sec.* IV. *num.* 62. hæc scribit. „ Ex „ his sequitur, propositionem Pontificis intelligi *coniunctive*, ut non liceat per „ litteras simul confiteri, & absolvi, non *disiunctive* quoad confessionem dumtaxat. „ Atque hoc voluit tantum P. Suarez, cum Bullam Clementis explicavit: „ neque ob aliam caussam Pontifex integram sectionem ex ipsius tomo delendam „ præcepit, *nisi quia* nolebat, ut ipso vivente, eius Bulla declararetur."

V. Næ istud egregium responsum! Aut vera est interpretatio Suareziana, aut falsa. Si vera; Clemens VIII. Pontifex sanctissimus noluit vivens audire veritatem, veramque sui decreti interpretationem? Sic tanto Pontifici illuditur? Si falsa; cur adversus Pontificis decretum propugnatur?

VI. P. Matthæus Moya *in Qq. select. tract.* III. *disp.* VI. *quæst.* II. *num.* II. hæc scribit. „ Alii vero inquiunt, Pontificem non damnasse propositionem illam in „ sensu *divisivo* utramque eius partem determinate attingentem, sed in *copulativo*, „ propter absolutionem absentis. *Hanc expositionem adhibuit primus P. Suarez* „ *Tom. IV. in III. Part. disp.* XXI. *sec.* 4. *quem secuti sunt Filliucius, Villalobos,* „ *Becanus, & tamquam probabilem eos citans admittit Diana .... Castropalao pro* „ *se referens Cerolam, Valentiam, & Reginaldum* &c.

„ Num. 12. Dices, præfatam expositionem iussu Clementis VIII. & Pauli V. „ eius

„ eius successoris expunctam fuisse in P. Suarez : ergo & in reliquis, qui post „ ipsum scripserunt, *expungenda est, non defendenda*. RESPONDEO, Clementis „ decretum *non ob illius falsitatem, sed ob aliud diversum motivum prodiisse : quo* „ *proinde lapsu temporis cessante*, expositio primo adhibita invaluit, & in NOVIS „ EDITIONIBUS (N. B.) FUIT RESTITUTA. Quodnam fuerit? *Non conve-* „ *niunt DOCTORES*. Quidam censent expositionem illam eo expungi mandatam, „ quod Pontifex ægre tulerit *nostrum Suarium* ipsius decretum, statim eo vivente „ interpretatum fuisse. Ita cum aliis Bardi *in Selec.* &c. . . . Nihilominus Pau- „ lum V. OB OBSERVANTIAM *suo antecessori debitam*, anno 1605. Clementis „ decretum executioni mandari iussisse."

VII. Crescit oratio. Si Ianseniſtæ similia obtruderent ad eludendas pontificias constitutiones, an non omnes Catholici iure & merito exclamaremus : Quid homines miseri adversus Romanam Sedem oblatratis? Quid summos Pontifices publicis typis infamare coram universa Ecclesia conamini? Summus Pontifex Paulus V. *ob observantiam* (seu ob respectum civilem, humanumque) *suo antecessori debitam, Clementis decretum executioni mandari iussit?* Quid, Ianseniſtæ, paucis verbis crimina multiplicatis? Decreta pontificia, solemni ritu pro morum reformatione edita, humanorum, atque politicorum respectuum fuligine tinguntur? Aut iustum erat Clementinum decretum, aut secus. Si primum; iure illud executioni mandari iussit Paulus V. Si secundum; duplicem ergo perpetravit culpam summus Pontifex Paulus V. quod iniuste decretum iniustum probaverit, & executioni demandandum iusserit. Eccur? *Ob observantiam suo antecessori debitam*. Siccine ergo uno carbone duo summi præclarissimi Pontifices dedigrantur? Hæc & acutiora zeli tela pro sancta Romana Sede defendenda iacularemur in Iansenistas pontificiis decretis reluctantes. Hæc ne retorquenda sunt in Amicum, in Moyam, in Bardi, aliosque? Absit ut id ego faciam. An faciendum sit, iudicent sapientes. Quid enim prosunt declamationes, si interpretatio P. Suarez, iussu Clementis VIII. & Pauli V. expuncta, in NOVIS EDITIONIBUS FUIT RESTITUTA? inquit P. Moya cum aliis. Ob quod *motivum*? *Non conveniunt Doctores*. Huc recidunt omnia. Quod scripsit P. Suarez, scripsit, & consistat, æternumque stet necessum est. Emanent a Romana Sede decreta contra id quod scripsit : *Doctores* interpretabuntur. Et quamquam *Doctores* non *conveniant*, nihil refert.

VIII. P. Claudius La-Croix *Lib. IV. part.* 11. *num.* 1195. hæc habet. „ Qui au- „ tem longiorem voluerit historiam controversiæ olim habitæ inter *Dominicanos*, „ *& Iesuitas*, legat *Gormaz a num.* 232. ubi fuse contendit, hoc quod sacra In- „ quisitio voluerit ex *tractatu P. Suarez de pœn. d.* 21. *amoveri sec.* 4. in qua quæ- „ rebatur, an liceret confiteri absenti, non ideo esse factum, quia confessio num- „ quam valeret inter absentes, sed quia τὸ *Confessio* sæpe significat totum (com- „ ple-

„ plexive) sacramentum pœnitentiæ, quod certum est inter absentes confici non „ posse. Unde sententia (N. B.) *Suarez*, qui tantum volebat confessionem scri„ pto factam ad absentem ex intentione absolutionis a præsente, *non est passa* „ per decretum Clementis VIII. vel Pauli V. Videri potest etiam Viva." Audistin'? Quatuor decreta pontificia, nempe unum Clementis VIII. quod infra dabo, & tria Pauli V. quæ iam dedi, expungendam iubent Suareaianam sectionem: & tamen hæc Suareziana sectio nihil passa est, inquit P. La-Croix.

IX. Frustranea ergo sunt decreta Clementis VIII. & Pauli V. lata unice contra hanc interpretationem *complexive* & *divisive*. Cur ergo ambo Pontifices declararunt, *interpretationem P. Suarez non subsistere*? Quid argutaris? Lege *Gormaz*. Lege *Viva*. Adeamus hunc Gormaz.

X. P. Ioannes Baptista Gormaz *disp. v. §. 1. de statu, & progressu controversiæ* inter Dominicanos & Iesuitas ex instituto spartam hanc exornandam suscepit. Verum, nisi me mea fallit opinio, Auctor iste ceteris aliis suis Theologis infelicius caussam suam orat. Pauca exscribam, ut prolixitatem nimiam evitem. Præmittit primo P. Gormaz. *Suppono primo damnatam propositionem duas continere partes, alteram de confessione facta absenti, alteram de absolutione absenti collata. Non enim dicitur in decreto damnandas duas, sed unam propositionem.* Pulchre & venuste. Hoc utique non dicitur in primo, sed dicitur in quatuor posterioribus decretis. Perge porro. *Clemens vero* (addit Auctor num. 240.) *morte præoccupatus non potuit mentem suam per decretum novum exponere.* Fallitur hic P. Gormaz, & quidem apertissime, atque contradicit ceteris suis Theologis, Lugo, Amico, Moya., aliisque omnibus, qui clare testantur, Clementem VIII. reiecisse Suarezianam interpretationem: quia noluit Papa, inquiunt, se vivente suam Bullam, ut voce P. Amici utar, exponi: & ego decretum Clementinum infra dabo. *Ceterum* (pergit continuo ibidem P. Gormaz) *æmuli eximii Doctoris fortiter institerunt apud Paulum V. qui Clementis mentem optime norat* &c. Dominicani, non æmulationis æstu contra eximium Doctorem, sed spiritu veritatis ducti, ut sentire iure convenit, fortiter utique institerunt apud Paulum V. ut interpretationem P. Suarez iam ab antecessore Clemente VIII. improbatam, iterum expungendam decerneret, uti factum est.

XI. Opponit sibi P. Gormaz tria citata decreta Pauli V. & hoc præbet responsum num. 243. „ Ceterum cum, deficiente fine legis, cesset lex, & finis horum „ decretorum nequaquam fuerit prohibere ne absolutio conferretur ægro destituto „ sensibus . . . . ea de caussa cum, frigescente fervore controversiæ, & admissis „ utique pontificiis decretis, iam nullum esset periculum ut admitteretur ea an„ tiquorum sententia, quæ docebat, integrum pœnitentiæ sacramentum posse con„ fici inter absentes, CESSAVIT EXINDE VIS HORUM DECRETORUM

„ con-

„ contra doctrinam illam novis circumstantiis vestitam . . . *Quapropter cum antequam e vivis discessisset eximius Doctor, iterum eius opera typis data essent Lugduni anno 1613. tota ea doctrina & INTEGRA SECTIO IV. disp. XXI. in TOTUM RESTITUTA FUIT*. Hoc est centrum, quo omnes lineæ tendunt. Inconcussa subsistat interpretatio Doctoris eximii, quamvis duo summi Pontifices Clemens VIII. & Paulus V. quatuor decretis declaraverint non subsistere. *Cessante fine legis*, inquit P. Gormaz, *cessat lex*. Peregregie. Pontificia decreta, quæ dirimunt controversias de valore sacramenti pœnitentiæ, hac regula eluduntur! Cessante fine legis cessat lex? Etiam hic locum habet axioma istud laxitatum plenissimum, ut defenditur a plurimis Casuistis? Expuncta fuit iussu Clementis VIII. & Pauli V. interpretatio Suareziana; sed paucis post annis, nempe *an. 1613.* antequam e vivis discederet Doctor eximius, in editione Lugdunensi, inquit P. *Gormaz* cum P. Moya, & ceteris aliis, *integra, & in totum restituta fuit*. Luculentum ne istud obedientiæ & obsequii erga S. Sedem argumentum? Plura hic dicenda forent. Sed verba P. Gormaz significantius exprimunt, quo omnia tandem pertineant, quam valeam ipse declarare. Vertit vero quadra rotundis, & cælum terræ miscet P. Gormaz, dum quæstionem de absolutione moribundi huc intrudit. Disparata hæc sunt non minus quam cælum a terra. Disputabatur, utrum decretum Clementinum contra confessionem epistolarem inter absentes intelligendum sit *complexive*, vel *divisive*, ut manifestum est: & P. Gormaz in scenam traducit quæstionem de absolvendo moribundo? Ad talia confugere cogitur qui desperatam caussam propugnare deliberat. Et P. La-Croix remittit lectorem ad P. Gormaz, ac si is ceteris felicius caussam ageret suam, quando hic Auctor præ ceteris illam prodit, & destruit. Sed interim lectores, qui non legunt Gormaz, bona fide credunt illum controversiam dirimere. Sed ad alium percelebrem accedamus interpretem.

XII. P. Theophylus Raynaudus in hac versanda controversia suis Theologis palmam præripuit, si & prolixitatem, & dicteria in Dominicanos, præsertim in Nugnum, Alvarez, Coquetium, Davilam, Dusay, & alios contorta spectes. Pauca delibabo. Igitur *cit. diss. cap.* IX. scribit. „ Præcipuus aries, quem Nugnus „ ore *grandicrepo* admovet adversus expressionem sacramentalem peccatorum ab„ senti factam, & quem Alvarez, Coquetius, Davila, & alii nuperi contra do„ ctrinam, pro qua hic satagimus, sollicite intentant, est decretum Clementis VIII. "

XIII. Deinde post multa interpretationem P. Suarez defendendam aggreditur his verbis. „ Subiiciendum est, quid Suarez respondeat ad argumentum propositum „ ductum ex decreto Clementis. Ait ergo Suarez, decretum Clementis ferire „ dumtaxat copulatum ex duplici membro, quod *copulatum* complectitur absolu„ tionem absentis; ita ut non damnetur utrumque membrum propositionis ibi re-

„ iectæ, sed dumtaxat *totum complexum*, quod ratione unius sui membri potest „ sordere falsitate, quantumvis seorsim possit nitere, & labe vacare . . . Porro „ Clementem spectasse *totum copulatum complexive*, *non divisive*, inde colligit Sua- „ rez, quod Clemens semper loquitur de assertione a se improbata, tamquam de „ una propositione. “

XIV. Hæc sane est germana interpretatio Suarez, ut ex eiusdem verbis constat. Heinc patet, quam perperam P. Gormaz cum aliis in hanc controversiam intrudat parergon de absolutione moribundi, ut fucum faciat imperito lectori. Sed audi iterum P. Theophylum Raynaudum, qui subdit ibidem. *Manifestissimum est responsionem a Suare propositam, valde anxios habere adversarios, cum tantopere adversus eam commoveantur. Et Nugnus quidem* &c. *At* Nugnum *dimittamus in suo verborum cœno*. Postea se convertit contra boni *Fratris Coquetii librum fabulinum*. Deinde manus conserit cum Alvarez. Tandem sic concludit *pag.* 211.

XV. „ Itaque responsio a Suare assignata argumento ducto ex decreto Clemen- „ tis PERSTAT INCONCUSSA. Tantum enodanda est difficultas ducta ex *po-* „ *sterioribus decretis* contra eam responsionem latis sub Paulo V. anno 1605. Iulii „ 14. nec non 20. ac 18. Augusti, ut late refert Petrus de Fay . . . . In illis e- „ nim decretis dicitur interpretationem decreti Clementis a Suare propositam *non* „ *subsistere*, & ideo amovendam esse ab eius libris &c. *Exultat hic Frater de Fay*, „ *& tota Fratrum corona*. “

XVI. Exultant scilicet *Fratres*, o RR. *Patres*, videntes sanam, quam propugnant, doctrinam, repetitis S. Romanæ Sedis decretis confirmari, muniri, & falsam adversariorum profligari. *Exultat tota Fratrum corona*, quod audiat se derideri, & sibilari ob sanctum illud *Fraternitatis* nomen, quod gloriæ sibi verterunt primi Christi Iesu Socii. Luget vero *tota corona Fratrum*, dum videt S. Romanæ Sedis decreta, bullas, constitutiones captiosis commentis deludi. Illinc est quod exultet *tota corona Fratrum*; hinc est quod lugeat *tota corona Fratrum*. Lepores Raynaudi his leporibus misceantur ad levandum lectoris tædium. Urgent enim, & cogunt adversarii, ut saltem obiter indicentur ea quæ reponi possent luculentius.

XVII. Sed commentum *P. Raynaudi* ad decreta posteriora Pauli V. audiamus. Quid ait? Ait, esse inferioris notæ. En illius verba ibidem *pag.* 212. „ Aio esse in- „ ferioris notæ quam decretum primum Clementis: quia decretum illud Clemen- „ tis prolatum est ex cathedra, Pontifice proponente doctrinam universaliter am- „ plectendam ab omnibus fidelibus *in materia spectante doctrinam fidei*; cuiusmodi „ decreta faciunt rem plane certam &c.

„ At posteriora illa *inferioris notæ* decreta non spectant materiam fidei, nec „ proponuntur ex cathedra, sed tantum *iudicialiter* a Pontifice per se, vel suos „ ministros feruntur præfixo Pontificis nomine; sicut laici Senatus decreta emit- „ tun-

„ tuntur nomine Regis, ut plurimum de eis plane nescii. *Itaque merito dico*, hæc „ posteriora decreta non esse tantæ firmitatis & dignitatis, quantæ priora : & in „ illis posterioribus intervenire posse *aliquid humanum*, ac etiam ERROREM ; „ omnes æqui consentiunt, *uno dempto* Fratre Gravina *Ordin. Prædicatorum*, *qui* „ *per adulationem* POTENTISSIMAM *effutivit*, omnia quæ in quibusvis Romanis „ Congregationibus pontificia auctoritate constitutis decernuntur , certa esse , & „ nulli errori obnoxia &c..... Non ita Laurentius de Peyerinis, cui (qui) omnia „ huiusmodi Congregationum Romanarum scita, extra ea quæ Pontifex e cathedra „ docens in eis emittit, quæ non sunt Congregationum, sed ipsius Pontificis ma- „ gistri fidei decreta . . . *ait non plus habere ponderis quam SENTENTIAS* „ *DOCTORIS PRIVATI.*" Quid? Decreta Congregationis S. Officii , & quidem declarantia decretum Clementis VIII. loquentis ex cathedra de rebus fidei , non plus habent ponderis quam sententiæ Doctoris privati, puta Dianæ , Busembau ; Burgaber, Tamburini? Non exultat, sed conturbatur *tota Fratrum corona* , dum hæc audit paradoxa. Sed persequamur transcribere argumentationem P. Raynaudi, quam hoc pacto resumit.

XVIII. „ *Ad hanc amussim* exigenda sunt *posteriora illa decreta*, in quibus, quod „ dicitur interpretationem a *Suare* datam circa Clementis decretum *non subsisteres* „ accipiendum est ex suppositione decreti primum a Clemente, tum a Paulo V. „ emissi de excludenda quavis interpretatione decreti Clementis , sed eo , ut ia- „ cet, referendo : quod quævis Glossa apposita, præsertim *superstite ipso Clemen-* „ *te*, *videretur famam eius deterere*, quasi emisisset decretum, cui opus esset Do- „ ctorum declarationibus, ne collidi videatur cum anterioribus Ecclesiæ decretis. „ Hoc enim est quod Clementi , dum superstes esset, suggessere *æmuli Suarezii*, „ *mussantes*, dedecuisse prorsus, legis Auctore in vivis perstante , aliunde quam „ ex eius ore petitam interpretationem appingere decreto per eum lato . Et id „ quoque respexit Paulus V. qui quamvis, dum Cardinalem ageret, caussam Sua- „ resii egerat, & foverat; TAMEN QUOD SE OBNOXIUM CLEMENTI A- „ GNOSCERET OB ACCEPTAM AB EO PURPURAM, ita voluit doctrinam „ Suaresii servari in Ecclesia, prout in Rituali eam servavit; *ut tamen omnis me-* „ *moria decreti Clementis*, & *interpretationis ad illud oppositæ a Suare expungere-* „ *tur*. Itaque quod dictum postea est coram Paulo , *Suaresii* expositionem *non* „ *posse subsistere* , non quatit soliditatem doctrinæ a Suare propositæ , neque do- „ ctrinam secundum se sumptam reprobat, sed prout adiunctam decreto Clemen- „ tis . . . . *Atque ita subsistit*, & *manet* . *Verum QUIDQUID SUAREZ DIXIT* , „ *quamvis propter HONOREM CLEMENTIS non placuerit dici* , & *iustum sit ex-* „ *pungi e volumine quidquid Clementem attingebat*.

XIX. Quidquid Suarez dixit, verum est. Illius interpretatio in Clementinum

decretum inconcussa perstat: & quamvis Clemens VIII. ipse oppositum decernat, nihil refert. AEmulorum opera id extortum fuit, mussitantium, non decere, vivente Clemente, eiusdem decreto appingi Doctorum interpretationem. Paulus V. obnoxius erat Clementi *ob acceptam Purpuram*; ideo decrevit interpretationem non subsistere: at non decrevit non subsistere secundum se sumptam, sed *prout adiunctam decreto Clementis*: quia Paulus V. noluit hanc coniunctionem ob acceptam a Clemente Purpuram. Tandem decreta Pauli V. licet ipsa quoque in *suo gradu & ordine venerabilia*, ut ibidem Raynaudus præmittit, tamen sunt inferioris notæ, in quibus *aliquid humanum, ac etiam error intervenire potest: nec plus habent ponderis quam sententiæ Doctoris privati*, ut docet *Laurentius de Peyerinis, & omnes æqui consentiunt, uno dempto Fratre Gravina Ordin. Prædicatorum, qui per potentissimam adulationem effutivit talia decreta esse certa*. Maneat ergo stabile firmumque: *Quidquid Suarez dixit, verum est*. Conticescant ergo omnes, fascesque tandem aliquando submittant. Qui plura cupit, legat integram citatam dissertationem *P. Raynaudi*, ubi plura inveniet contra *fabulamenta* (ut illius verbis utar) *crassa Coquetii, Nugni, Alvarez, & aliorum æmulorum*.

XX. P. Dominicus Viva in Appendice ad Trutinam §. 10. ita de hac controversia scribit. *Nonnulli per iniuriam hanc sententiam de usu licito confessionis, aut absolutionis in absentia in sensu diviso ausi sunt appingere eximio Doctori*. Sibi eam appinxit ipse Doctor eximius, & eam illi appingunt Moya, Raymundus, Lugo, & ceteri omnes: & facti veritas est compertissima. Perperam cum P. Gormaz isthuc intrudit P. Viva controversiam de absolutione impertienda moribundo sensibus destituto, ut alias animadverti.

§. VI.

Interpretamenta P. Gasparis Iosephi Gagna *in hac caussa*.

I. R. P. Ioseph Gagna ultimus in arenam descendit Suarezianam caussam oraturus in illo volumine quod edidit adversus meam *Historiam Probabilismi & Rigorismi*. Improperia, scommata, derisiones, & imposturas, quibus volumen illud scatet, christiana patientia dissimulo, atque contemno. Illius tamen errata, mirifica commenta, & laxas opiniones adversus sanam doctrinam refellere, occasione data, non prætermittam.

II. In præfato volumine quod inscribitur, *Lettere d'Eugenio Apologista*, integram epistolam tertiam, quæ implet 66. paginas, stilo adeo implexo, strigoso, & tot nugis pleno exaratam, ut lectorem reiiciat, defensioni Suarezianæ controversiæ impendit.

dit. Dominicanos Dufay , Davilam, Gonettum, Baronium, aliosque fabularum, calumniarum, & falsitatum reos urbanissime traducit. Ubique, veluti spoliis adversariorum onustus, triumphos & victoriam elatis cothurnis canit, & Dominicanos prostratos deridet atque sibilat. Nihil tamen novi ipse promit; sed sola interpretamenta Honorati Fabri, Moya, Amici, Raynaudi, Gormaz transcribit. Lingua vernacula, qua ipse usus est, eadem referam, ne si illa latine reddam, mihi consuetam fraudis notam impingat.

III. Principio me redarguit P. Gagna, quod hoc de argumento, supra quam dici potest, pessime scripserim, calumniamque fœtentem & intolerabilem imposuerim Doctori eximio: hæc quippe scribit P. Gagna pag. 145. & seq. „ Il P. Lettore „ Concina qui appunto ha scritto alla peggio. Replico che in questo luogo esso „ ha aggravato il P. Suarez con una *marcia calunnia* : ed aggiungo di più, che „ un Dominicano Scrittore alquanto più cauto; più critico, e più moderato di „ lui si sarebbe anche per *decoro dell'Ordine suo* tenuto le cento miglia lontano „ dall'azzardare il piè in questo seminato, in cui esso ha avuto il coraggio d' „ inoltrarsi cotanto. Ma che volete? Il P. Concina facilmente non ha il secon- „ do in genere d'intrepidezza. Egli forse si è immaginato, che la sua opera „ scritta in Italiana favella, più che da altrui letta sarebbe stata dalle *donne*, e „ dai *scioli*, che non hanno veduto mai nè pure i cartoni nè del Suarez, nè „ degli antichi Scrittori Domenicani. " Pag. 147. „ Quando, dissi, egli ha ciò „ scritto, o avea letto quell'Autore in *fonte* là dove tratta di questi argomenti, „ o nò. Se nò; e se nello scrivere tutto il suddetto si è lasciato guidare su la „ semplice relazione e fede altrui, che razza di critica [giova ripeterlo] è ella „ mai la sua? E perchè promette egli di volerci dare *dissertazioni teologiche criti-* „ *che*? Se sì; che razza di sincerità ha egli mai? E come ci dite dunque, che „ in riferire, e riprovare le opinioni lasse de'Gesuiti usata egli ha mai sempre „ tutta la moderazione, la cautela, la carità, l'esattezza, e quanto volete voi? „ Nò, mio riverito Signore, il P. Suarez non l'ha mai insegnata quella danna- „ ta opinione, *ed è calunnia intollerabile l'addossargliela*.

IV. Quamvis tot maledictis lacessitus, tam furenter provocatus a P. Gagna essem, ut in arenam hanc descenderem; nihilosecius, ut superius dixi, paci, & silentio litare decreveram. Similium enim Scriptorum iniurias patienter ferre, & devorare a pluribus annis didici. Quod novis stimulis & calcaribus pressus nunc facti veritatem pandam, sibi, suisque nonnullis asseclis adscribere P. Gagna, ubique ovans, & triumphabundus debet, illud usurpans: *Tute tibi intristi, tibi omne est exedendum*. Mihi improperat *pag.* 153. quod scripserim, *sectionem quartam* Suarezianam non fuisse in editione Veneta operum P. Suarez an. 1603. expunctam. Quid? elatis cothurnis clamat P. Gagna, decreta Pauli V. emanarunt anno 1605.

& sectio illa expungenda erat anno 1603. *Ultimo sforzo critico del P. Lettore Concina*, deridens, & subsannans vociferatur P. Gagna. Sed, ut sua Reverentia discat tandem aliquando, si fieri potest, supercilium paullulum demittere, sciat Clementem VIII. an. 1603. praecepisse ut sectio illa expungeretur ; sed, antequam prodiret Clementinum decretum, editio *Tom. IV. in III. Part. S. Thomae* incepta, & folium dictae sectionis impressum erat. Editores vero, ut parerent Clementino decreto, impressum folium decerpserunt. Ego vero, dum scripsi Historiam Probabilismi, legi *pag.* 286. citati *Tom. IV.* cuius ultimum verbum *superest* respondet paginae immediate sequenti, cuius similiter primum verbum est *superest*. Heinc existimavi sectionem extractam non fuisse, praesertim quod obiter & per transennam istius controversiae memini. Nunc vero ex instituto locum illum investigans, deprehendi post *cit. pag.* 286. continuo succedere numerum marginalem 289. Indicem ad finem Tomi adiectum adii, & reipsa in *disp.* XXI. tres tantum sectiones numerantur, quarta omissa : quia index post publicatum Clementinum decretum editus fuit. Tomus iste servatur in bibliotheca istius Veneti Collegii nostri, cuique ostendendus. In hac novissima Veneta editione nondum ad umbilicum perducta operum P. Suarez, sectio olim expuncta, restituta est, ut novum habeatur erga pontificia decreta obsequii monumentum. Sed haec levia sunt.

V. Ad incitas redactus P. Gagna respondendi laudatis decretis Pauli V. haec scribit *pag.* 165. „ Chi lo vuole indovinare giusto giusto? Molti e gravi Teologi „ adoperati si sono per additarcela, e non tutti s' accordano a dir lo stesso. „ Teofilo Raynaudo nella diss. menzionata dal Signore Eugenio dice varie cose „ su questo argomento. Altre moltissime ne dice il Moia nella prima parte del- „ le questioni scelte *tract.* III. *disp.* VI. *quaest.* II. Il Cardinale de Lugo scrive le „ sue nel *Tom. III. alla sezione* 4. *della disputazione* 17. Coninch entra altresì in „ questo argomento nell' opuscolo *de absolutione moribundi*. V' entra il Viva nell' „ appendice posta sul fine della *Trutina*, che ha per titolo, *de confessione, & absolutione in absentia* : e il *La Croix* nel Tomo secondo dove tratta *de confessione*. Questi indicano alcuni fonti, onde attingere la verità di più fatti storici a „ favore del *Suarez*. "

VI. Multi ergo & graves *Doctores* vires exeruere, ut tantum reserarent arcanum, & mutuo dissident? Varia promit Theophylus Raynaudus. Plurima Moya. Cardinalis de Lugo sua perhibet. Coninch quoque argumentum dispicit. Viva, & La-Croix fontes indigitant, unde plures historicae notitiae hauriri valent in favorem Suarez. Subdit P. Gagna : *Alcuni se ne possono leggere nella vita del medesimo Suarez*. Hic est fons limpidissimus, unde trahi solutio arcani potest. At haec tam manifesta multorum graviumque Theologorum discordia caussam Suarezianam afflictam, & penitus corruentem evincit. Tò *Doctores non conveniunt*, ut fatetur

etiam

etiam Moya, aliquod sane mysterium portendit. Sed audiamus quod ipse P. Gagna subdit ibidem. „ Intanto io ve la dirò, come la sento unitamente a varj „ gravi Autori. L'interpretazione del *Suarez* sembra ripudiata dal S. Pontefice „ non tanto in odio di lui, quanto di coloro i quali insegnato hanno, potersi dal „ Sacerdote assente mandare dietro al penitente lontano la sagramentale assoluzione: o ciò facciasi per via di lettere, o per mezzo del messaggiero, o in altra delle guise adottate da *Paludano*, da *Silvestro*, da *Soto*, *e altri di quei buoni* „ *e santi vecchi*, i quali (*humanum dico propter infirmitatem*) a tempi suoi giudica„ rono vera l'opinione, data poi da Clemente per falsa, e temeraria, e scandolosa. „ Eccovi la ragione di quanto dico. Con tutto il *non subsistere* della Suareziana „ spiegazione, è ella forse proscritta, o vietata la pratica della sentenza di questo „ Teologo circa l'assoluzione del moribondo? Nulla di meno: anzi udite bene „ Andate a leggere la già ricordata disputa *de pœnitentia* del Cardinale de Lù„ go. Troverete ivi riportata un'autentica dichiarazione di Papa Clemente, con „ cui il S. Padre all'Arcivescovo Armacano Pier Lombardo Primate d'Ibernia pro„ testa di non aver mai inteso di proibire quell'opinione che è l'insegnata, e la „ difesa dal Suarez.... Sicchè l'essersi riprovata, e voluta soppressa *quella be-* „ *nedetta spiegazione*, non è, torno a dire, in odio dell'opinione di *Suarez*. Di „ quale dunque? Pensateci, e ripensateci, esser non può in odio di verun'altra, „ se non di quella, con cui s'insegnava potersi dal Sacerdote assolvere sagramen„ talmente il penitente lontano. Questa, a dir vero, data la spiegazione del *Sua-* „ *rez*, avrebbe tuttavia potuto in qualche modo reggersi in piè, siccome almeno „ non condannata. L'errore fulminato (avriano potuto continuar a dire i di lei „ difenditori) per testimonianza dell'esimio Dottor *Suarez* non è se non questo: „ che sia lecito questo complesso di cose: cioè che il penitente da lontano si ac„ cusi, e che il Confessore da lontano l'assolva: questo vuol dire, che quella „ particella & debba prendersi *complexive*, & *non divisive*. Or non è questo, che „ noi insegniamo. Noi diciamo soltanto una parte di tal complesso: diciamo che „ solamente dal Confessore il quale udito abbia co' proprj orecchi la confessione „ del penitente, può questi esser assoluto in lontananza. Suarez dice, che le par„ ti prese da sè a suo giudizio non sono dannate. Dannata dunque non è stata „ questa nostra, e n'abbiamo per mallevadore un'uomo sì rispettabile, quant'è „ l'esimio *Suarez*. Così dire avrebbero potuto quei Teologi: ed ecco di nuovo „ con ciò in piedi l'antico errore. Or questo è che tollerar non poteva il Vica„ rio di Gesù Cristo: e perciò con appostolica providenza dichiarò: *interpretatio-* „ *nem P. Suarez non subsistere*. E per togliere ogni rischio, che giammai più in „ avvenire cercasse l'errore suddetto, quasi onorato suo asilo, la *spiegazione di* „ *Suarez*, si volle per soprappiù, che la sezione, dove questo Teologo l'avea

„ inse-

„ inserita, cassata fosse, ed eliminata dal libro: *ideo amovendam esse ab eius li-* „ *bro*: la quale economica disposizione, a ben mirarla, torna in credito di *Sua-* „ *rez*, giudicato da Paolo V. Teologo di tal peso, che fin a tanto, che della di „ lui dottrina in questo genere fosse restato vestigio, correvasi rischio, che a pal- „ liarsi, e comparire meno deforme, se ne sarebbe valuto l'errore. "

VII. Plura, & quidem mutuo pugnantia hic infarcit P. Gagna, quæ prius discordantes Doctores, Fabri, Gormaz, Raynaudus, Amicus, Coninch, & alii tradidere. Quid prodit *τὸ benedetta spiegazione*? Quomodo benedicta explicatio, si improbata quatuor decretis pontificiis? Si vera est interpretatio Suareziana, falsa ergo sunt, & iniusta decreta pontificia, quæ declarant *benedictam interpretationem non subsistere*. Si veridicus & insons Suarez est, iniustitiæ arguendi forent Pontifices summi, Clemens VIII. & Paulus V. quod vel suspicari scelus est. At interpretatio, inquit P. Gagna, non in odium Suarez, sed in odium Paludani, Silvestri, Soto, & aliorum *bonorum* & *sanctorum* senum (*ed altri di quei buoni e santi vecchi*) proscripta fuit. Papæ! Paludanus, Sylvester, Soto, & alii boni sancti senes docuerunt errorem de absolutione mittenda absenti. P. Suarez, antequam prodiret primum decretum Clementinum, improbavit talem errorem. Quid factum est? Quatuor decreta pontificia a S. Sede emanarunt contra ipsum Suarez ob impugnatam falsam, & defensam veram doctrinam? Clarius. Hæc decreta sunt contra Suarez; at non in odium Suarez, sed in odium illorum *bonorum & sanctorum senum*. Quid plura? Ne error absolutionis absenti impertiendæ asylum reperire in sana doctrina P. Suarez posset, summus Pontifex expunctam voluit *benedictam interpretationem* &c. *Quæ apostolica providentia*, *& œconomica deliberatio*, *si serio perpendatur*, *in gloriam eiusdem Suarez recidit*, concludit P. Gagna. Dii meliora! Quatuor decreta pontificia, quæ improbant interpretationem *benedictam*, sunt quatuor elogia eiusdem Suarez, quæque illius doctrinam confirmant; quamquam, ne multi ansam arriperent credendi integrum sacramentum consummari inter absentes posse, illam expungendam decreverint Pontifices. Si hæc ratiocinatio consisteret, prohibenda doctrina Augustini esset, quia eadem turpiter abutuntur Iansenistæ. Ipsam Scripturam sanctam in pravos sensus detorquent hæretici. Ergo ne prohibenda? Interpretatio Suareziana legitima est, sanamque continet doctrinam: & repetitis Pontificum decretis de medio tollenda iubetur? Hæc lepidula paradoxa digna sunt tanto Scriptore. Plurima alia commenta, fabellas, scommata, quæ interlocutorum ore pronuntiat, scribillatque P. Gaspar Ioseph Gagna, prætereo.

§. VII.

§. VII.

Universa controversia paucis perstringitur.

I. THomistæ, elabente sæculo XVI. ut testatur P. Suarez, improbarunt sententiam defendentem sacramentum pœnitentiæ consummari inter absentes posse. Petrus Dufay Auctor synchronus testatur, P. Suarez illam propugnasse ut probabilem: & quia auctoritas Doctoris eximii magni ponderis erat, veriti Thomistæ ne latius talis probabilitas manaret, illam proscribendam denuntiarunt Clementi VIII. Decretum Clementis VIII. intelligendum esse *complexive*, non *divisive*, interpretatus est P. Suarez: quam interpretationem reiecit ipse Clemens VIII. & postea Paulus V.

II. Theologi Societatis contra negant, Doctorem eximium defendisse ante decretum Clementinum, ut probabilem, damnatam sententiam; & Dominicanos; Dufay, Coquetium, Davilam, Nugnum, Alvarez, Baronium, & Gonettum, ceterosque id narrantes, ut fabulatores, & imposturæ, ac calumniæ reos arguunt. Immo propugnant, P. Suarezium oppositam sententiam semper docuisse. Et reipsa omnia exemplaria P. Suarez cuiuscumque editionis, quæ obvia sunt, id testantur. Ergo iniuria summa Thomistæ damnatam opinionem adscribunt Doctori eximio. At instant Thomistæ: Qui fieri potuisset ut P. Suarez interpretaretur decretum contra propriam doctrinam in favorem damnatæ sententiæ? Antequam damnaretur, absolute illam reiecit: & postquam damnata fuit, eam in sensu diviso, ut probabilem, defendit? Et ut illam defenderet, quatuor contra se decreta pontificia extorsit? Ut heinc evaderent adversarii, distinctiones, effugia, commenta, quæ hactenus narravi, excogitarunt. Iudicent nunc æqui rerum æstimatores, num in hac controversia aliquid arcani latitet. Porro, ne diutius lector suspensus hæreat, arcanum refero, & nodum penitus dissolvo.

§. VIII.

Controversia dirimitur. P Suarez *ante decretum Clementis VIII. docuit, probabilem esse opinionem postea proscriptam. Idcirco interpretatus est decretum pontificium in favorem opinionis a se probabilis prius existimatæ.*

I. SI quod proposui, authenticis documentis demonstravero, causa finita est, & omnia conciliantur. Porro, ut id evincam, non adducam testimonia Domini-

minicanorum, qui P. Suarez præfatam opinionem adscribunt. Exteros dumtaxat testes producam. Et principio in medium prodeat *Carolus Duplessis* Auctor ab utriusque partis studio alienus, quemque ut gravem Scriptorem P. Franciscus Richelmi in suo adversus meam *Historiam Probabilismi, & Rigorismi* opusculo opponit, & ad hunc veluti ad iudicem appellat. Est itaque omni exceptione superior Carolus Duplessis, qui in suo opere inscripto, *Collectio iudiciorum de novis erroribus*, *Volum.* III. *part.* II. *pag.* 171. hæc scribit. „ Anno Domini 1602. sententia „ in generali Congregatione Romanorum Inquisitorum lata iussu Clementis Papæ „ VIII. contra temerariam dictionem, qua licere asseritur per litteras, seu per in„ ternuntium absenti Confessario peccata sacramentaliter confiteri, & a Sacerdo„ te absente absolutionem impetrare. In Bullario hoc decretum extat inter Cle„ mentinas num. 87. Cui iudicio Franciscus Suarez occasionem dedit: quia in „ disp. XXI. *s.* 3. de sacramento pœnitentiæ illam opinionem disciplinæ Ecclesiæ „ contrariam tradidit. " Quid ad hæc? Erit magnæ auctoritatis Carolus Duplessis, dum contra, nullius vero, dum pro Fratre Dominicano stat? Scilicet. Carolus Duplessis Thomistarum lectione deceptus est. Mittamus itaque & hunc testem, quamquam non Thomistam. Sed hoc idem testatur *P. Chardon* in sua *Historia de Sacramentis Tom. III. pag.* 4. his verbis latine redditis. „ Plures Doctores schola„ stici in controversiam revocarunt, permissa ne confessio, & absolutio epistolaris „ aut saltem valida esset. Eorum ingens numerus adfirmantem sententiam propu„ gnavit. Hos Scholarum Magistros enumerat *Suarez*, & eorumdem sententiam „ amplexus est. Sed Papa Clemens VIII. &c. " Neque hic est Dominicanus, sed percelebris Benedictinus.

II. Arcanum tandem manifestatur, & nodus gordianus dissolvitur. Exemplaria quæ nunc habemus operum Doctoris eximii, perhibent, P. Suarez non defendisse opinionem damnatam: & hoc verum est. At nihilosecius P. Suarez docuerat talem opinionem, illamque typis consignaverat. Verum, postquam quartus Tomus prodierat in lucem, Clementis VIII. decretum publicatum fuit. Tum Patres Societatis Hispani collegerunt pauca exemplaria distracta, folium mutarunt, correctione adiecta. Idque prudentissime egerunt: hoc agerent prudentes omnes. Ego profecto quamcumque opinionem typis editam, aut evulgatam ut probabilem, si postea rescirem a S. Sede improbari, continuo omni meliori modo quo possem, retractare illam vellem: & si possem colligere exemplaria iam distracta, quibus insererem folium correctum, propitiæ sorti id verterem. Prudentiæ ergo plenum factum est. Illud modo reliquum est ut demonstretur factum reipsa verum esse. Hoc autem evinco authentico documento extracto Romæ ex codice percelebris BIBLIOTHECAE ANGELICAE. Codex chartaceus est hac epigraphe inscriptus: TOMUS I. TRACTATUS DIVERSORUM. Unus ex his tractatibus illo ipso tem-

tempore scriptus quo controversia fervebat, sic inscribitur: *Responsio ad quoddam criptum Francisci Suarez circa confessionem factam per litteras Confessario absenti*. Continet §§. 6. Porro §. 2. sequentia habet.

III. „ *Quid senserit Suarez ante decretum?* Contendit, quod in suo libro semper reprobaverit opinionem quam suo decreto damnavit Sanctissimus, quod ex „ professo probare nititur in eodem scripto §. *Postquam autem*. *Nunc refert scire, quæ typis mandaverat, & docuerat in IV. Tom. super III. Part. antequam decretum Sanctissimi ad manus pervenisset illius*. Censuit enim, esse probabilem „ sententiam quæ asserit, sacramentum pœnitentiæ perfici posse inter absentes, „ ita videlicet ut confessio facta per litteras Confessario absenti sit sacramentalis, & similiter absolutio a Confessario absente transmissa, & in casu necessitatis sufficientis posse practice prudentem Confessarium illa uti; quamvis asseruerit esse magis probabilem sententiam illam quæ tenet absolutionem sacramentalem dari non posse personæ absenti. Constat hoc: nam in *disp.* XIX. *sect.* 3. „ *num.* 7. proposuit, pertractandam, & probandam illam conclusionem, videlicet „ hanc formam, *Ego absolvo te* &c. non posse in ordine ad personam absentem „ valide proferri; & in impressione, quam cœpit evulgare paucis diebus ante decretum Sanctissimi, eam probavit his verbis. *Nihilominus tamen hanc posteriorem sententiam existimo probabiliorem, nimirum significationem huius formæ proprie, & in rigore non verificari in ordine ad personam absentem, & ideo respectu illius nec perficere sacramentum, nec suum effectum operari*. Et postquam „ istam sententiam multis rationibus confirmavit, subdit num. 15. *Sed quæret tandem aliquis, qua censura digna sit contraria opinio, & an possit aliquis absque peccato illa uti in praxi, & in casu necessitatis: multi enim moderni illam damnant, & omnino negant esse practice probandam; sed in hoc loquuntur sine fundamento: nam omnia quæ adduximus pro nostra sententia, non efficiunt certitudinem, & in rigore possent aliquo modo solvi. Item in re morali tot & talium Doctorum auctoritas facit opinionem probabilem, præsertim cum non desint illi rationes apparentes. Quapropter ego censeo esse probabilem, & in praxi, interveniente necessitate sufficiente, posse prudentem Confessarium illi adhærendo absolvere sub conditione saltem mente concepta: quia hoc potest prodesse, & non obesse*. Hactenus Suarez.

„ Sed, postquam decretum Sanctissimi prodiit, Patres Societatis magna diligentia curaverunt libros sparsos eiusdem *Suarez* colligere, videntes prædictam doctrinam, quam ut probabilem defendebat, pugnare manifeste cum eodem decreto: unde factum est quod idem *Suarez* folium illud mutavit, & ex parte „ correxit suam sententiam: etenim in numero illo 7. allegato abstulit illa verba: *Nihilominus tamen hanc posteriorem sententiam existimo probabiliorem* &c.

„ &

„ & loco illorum hæc subrogavit : *banc igitur posteriorem sententiam veram cen-*
„ *seo, quam an.* 1588. *Compluti publice docui ; & iterum in primaria lectione hu-*
„ *ius insignis Academiæ Conimbricensis an.* 1598. & statim in utraque impressio-
„ ne subditur : *nimirum significationem huius formæ , & in rigore non verificari*
„ *in ordine ad personam absentem* &c. similiter etiam abstulit verba adducta ex
„ *num.* 15. videlicet : *Sed quæret tandem aliquis* &c. & loco illorum hæc substi-
„ tuit : *Tandem enim quæri potest , quam censuram contraria opinio mereatur ?*
„ *Respondeo, hactenus ego non audebam aliam inferre præter eam quæ ex asser-*
„ *tione sumitur , scilicet esse falsam , idque præcipue propter auctoritatem Thomi-*
„ *starum antiquorum ; nunc autem verbis SS. D. N. Clementis VIII. respondendum*
„ *est : ille enim auctoritate sua illi opinioni sequentem censuram apposuit speciali*
„ *declaratione ad hoc facta die* 19. *Iulii his verbis* SS. D. N. &c. re mature ac
„ diligenter considerata &c. Ex quibus constat quod ante prædictum decretum
„ sententiam contrariam non falsam absolute , sed probabilem reputavit . Quod
„ etiam colligitur ex quadam epistola eiusdem *Suarez* , scripta Salmanticæ ad
„ Nuntium Apostolicum sub die 17. Ianuarii 1594. in qua multis auctoritatibus
„ Doctorum, & rationibus conatur ostendere esse probabilem illam sententiam ,
„ quam publice Ioan. Hieronymus S. I. in Ecclesia Societatis Toleti paucis an-
„ te diebus (non sine auditorum scandalo) prædicavit , videlicet sacramentum
„ pœnitentiæ in aliquibus casibus posse inter absentes consummari. “

IV. En nodum Gordianum discissum, en arcanum reseratum . Inquiret nonnemo, qua occasione, & quomodo expiscatus fuerim documentum adeo luculentum, quo controversiæ finis imponitur . Candide & sincere rem enarrabo . Romæ cum degerem, ad manus meas pervenit volumen epistolarum *R. P. Gasparis Iosephi Gagna* , qui me imprimis & Dusay , Baronium , Gonettum , aliosque Dominicanos incredibili iniuriarum plaustro onerat, & tamquam fabulatores, impostores , calumniatores vehementi ardoris conatu traducit : atque me ipsius voluminis initio his verbis provocat . *Indiculus errorum aliquorum , qui continentur in historia Probabilismi &c. P. Concina . Aut eos ingenue confiteri debet ; aut priusquam in aliis controversiis quidquam scribat , respondere ad ea quæ contra tales errores opponuntur in opere R. P. Gagna* . Tam arcta provocatione, & tot maledictis ad ultimas redactus angustias deliberavi aut errores candide confiteri , aut patefacere errores mihi impactos totidem esse veritates. Et quoniam errorum maximus mihi adscriptus est , quod laudatam opinionem proscriptam Doctori Eximio tribuerim , consului illico viros eruditos, a quibus lumen aliquod hac super controversia assequerer , quo aut tot celebres Dominicanos Theologos gravissime diffamatos , & memetipsum defenderem , aut , ut dixi , errorem & meum, & meorum candide retractarem . Viri eruditi indicarunt laudatum codicem,

cem, quem propriis oculis legi, & a socio meo Theologo clarissimo transcribi continuo curavi. Hac occasione inveni quoque ibidem decretum quod Clemens VIII. tulit contra interpretationem Doctoris Eximii. Theologi omnes qui ex instituto hac de re scribunt, tam Soc. Iesu, quam Ord. Prædic. citant hoc secundum Clementis decretum; nemo tamen, quem ego legerim, illud adfert. Quare ad maiorem veritatis confirmationem illud huc transcribere operæ pretium existimavi, estque sequentis tenoris.

Die ultima mensis Iulii 1603.

In generali Congregatione habita coram SS. D. N. Clem. VIII. ac Illustrissimis Dominis &c. Relata doctrina P. Francisci Suarez contenta in IV. Tomo ab ipso edito super III. Part. D. Thomæ in materia confessionis sacramentalis disp. xxi. *sect.* 4. *ubi de sensu decreti a præfato SS. D. N. super dicta materia emanati die* 20. *Mensis Iunii an.* 1602. *tractat, relata etiam censura super eadem doctrina in Congregatione PP. Theologorum de mandato Sanctitatis suæ facta, auditis votis &c.*

SS. Decrevit ut liber suspendatur, donec emendetur, ac corrigatur, & correctio, ac emendatio a Congregatione sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis approbetur; libri vero evulgati, ut moris est, colligantur, & servetur in hoc stylus sacræ Inquisitionis.

Inhibeatur eidem P. Suarez, ne amplius possit scribere, vel edere libros ad sacram Theologiam pertinentes, nisi prius eosdem libros, quos edere voluerit, ad hanc Urbem, & sacram Congregationem sanctæ Inquisitionis miserit, & ab ea approbati fuerint.

Moneatur idem P. Franciscus Suarez, ut consulat suæ conscientiæ ratione excommunicationis in dicto decreto contentæ. Item Sanctitas sua præcepit, & mandavit hoc decretum dari Reverendissimo Patri Generali Societatis Iesuitarum, ut illud in partibus intimari faciat personaliter P. Francisco Suarez. Interim deliberabitur, an sit vocandus ad Urbem per sanctum Officium sacræ Inquisitionis.

V. Spero nunc fore ut & ipse R.P. Gaspar Iosephus *Gagna* laudaturus sit hanc *apostolicam* (ut illius verbis utar) *providentiam, & œconomicam dispositionem* contra *benedictam* illam interpretationem, quæ tot dissidiorum caussa fuit. Intelliget nunc P. Gagna, quam urbanissime contra me scribat in suo *cit. opere pag.* 146. *Replico, che in questo luogo esso ha aggravato il P. Suarez con una MARCIA CALUNNIA*. Item pag. 168. *Il granchio preso dal P. Lettore Dissertatore critico . . . è un granchio grosso quanto una smisurata balena: e fratello di esso si è l'altro granchio preso dal Baron.* Factum historicum narraveram tot Scriptorum auctoritate munitus. Finge me errasse. Propterea ne *fœtidam calumniam* appinxi Doctori Eximio? Error meus, error P. Baronii enormior est immensa balæna? Utrum hæc, hisque similia eos deceant qui se calamo benignita-

tis

tis & caritatis unctione delibuto scribere ostentant, iudicent æqui rerum æstimatores.

VI. Quintum decretum contra interpretationem P. Suarez affero. PP. Amicus, Raynaudus, Coninch, Moya, Fabri, Gormaz, Viva, La Croix, Gagna, ut controversiam implicarent, & punctum difficultatis obscurarent, & lectorum oculis subducerent, quæstionem de absolutione moribundi destituti sensibus permiscere, & confundere cum epistolari confessione, sive *complexive*, sive *divisive* facta, continenter pertentarunt. Et quamvis Congregatio S. Officii pluries sub Clemente VIII. & Paulo V. declaraverit casum moribundi esse omnino disparatum a casu confessionis epistolaris; nihilosecius præfati Theologi constanti animo duo hæc disparata puncta continenter permiscere studuerunt, ut ab argumento, quod erat in controversia, lectorem diverterent. Contra hanc sophisticam cavillationem sequens emanavit decretum.

Feria 2. die 24. Ianuarii 1622.

In Palatio Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Cardinalis de Cremona, unius ex generalibus Inquisitoribus, coram Illustrissimo Domino Cardinali ex decreto Illustrissimorum, & Reverendissimorum DD. Cardinalium generalium Inquisitorum infrascriptis RR. PP. Sacræ Theologiæ Magistris super dubio Inquisitoris Maioris Lusitaniæ, & per Illustrissimum Dominum Cardinalem prædictum lecto decreto fel. rec. Clementis VIII. relatisque omnibus, & singulis expositis per Franciscum Suarez *in confirmationem suæ interpretationis ad dictum decretum, cum omnibus, & singulis, quæ a principio usque causæ fuerunt super inde actitata, sancita, & decreta tam per Clementem Papam prædictum, quam per S. memoriæ Paulum Papam V. visum est,*

Petitionem prædicti Inquisitoris Lusitaniæ esse fere eamdem quam faciebat D. P. Suarez *ad effectum, ut definito per Sedem Apostolicam casu S. Leonis, ad mentem suam firmaret illationem suæ interpretationis, scilicet quod decretum prædictum intelligeretur* complexive, non divisive, *& ob id prædicto Inquisitori respondendum fore: servandum omnino decretum Clementis VIII. aliaque decreta Pauli V. super inde facta. Et quoad quæsitum, respondendum esse inhærendo censuræ factæ in Palatio S. Officii PP. Theologorum ad hoc deputatorum die 7. Iunii an.* 1603. *per præfatos SS. Pontifices approbatæ, quod ex casu illius ægroti, cui iam iam morituro super petitione confessionis, & signis datis pœnitentiæ, relatisque Sacerdoti advenienti, datur absolutio, cum diversam contineat rationem, non potest oriri aliqua controversia circa Clementis VIII. decretum.*

VII. Hoc ultimum decretum extat in Bibliotheca Casanatensi, quæ omnibus patet. Nulla nunc ad effugium rima patet. Documenta quæ allegavi, extant Romæ in Bibliotheca Angelica, & Casanatensi. Quisque illa videre aut seipso, aut

aut aliorum ope valet. Horum documentorum beneficio omnes evanescunt difficultates. Hactenus *Doctores non convenere*. Ecquomodo convenire Doctores poterant, si & doctrinam a duobus Pontificibus improbatam, & factum basilice falsum acriter defendebant? Discordia semper fuit aut soror, aut filia falsitatis. Conveniant nunc necessum est. Discordiæ sublatæ sunt, manifestata mysteria, reserata arcana. Percipi olim nullo modo poterat, quomodo P. Suarez interpretatus fuerit decretum Clementis VIII. in favorem *confessionis epistolaris*, si ante decretum hanc opinionem absolute improbaverat. Hoc arcanum modo evanuit. Mutatum folium est; sed mutata non fuit animi affectio erga probabilitatem talis opinionis. Ante decretum Clementis VIII. defendebatur ut probabilis absolute, seu *complexive*. Post decretum defenditur ut probabilis *divisive*. Et contra hanc interpretationem *complexive*, & *divisive* prodierunt quinque, præter primum, pontificia decreta, quæ etiam *divisive* improbant confessionem epistolarem, atque moribundi casum declarant ab controversia hac disparatum esse. Et ecce terminatam celebrem controversiam, utinam desinant & dissidia.

§. IX.

CONSECTARIUM.

I. Ecce, lector cordate, quam verum sit id quod initio animadverti, nonnullos scilicet adversariorum tam absona, peregrina, & inaudita paradoxa publicis typis in lucem edere, quæ, etiamsi aureo, mellitoque stylo repræsententur, lectorum tamen animos vellicant, commovent, offendunt. Quis enim vero iusto Apostolicæ Sedis defendendæ zelo succensus, commotum se non sentiet, dum videt, manibusque tangit, quinque decreta pontificia iniuriosis commentis proscindi? Duo Pontifices summi repetitis decretis expungendam interpretationem Suarezianam imperant: & interpretatio Suareziana restituta est, & pluries edita, & ab omnibus legitur. Et quamvis *Doctores discordent* in defendenda dicta Suareziana interpretatione; modo omnes tamen citati conveniunt, manusque sibi mutuas porrigunt, ut constantissime propugnent, nihil in ea interpretatione reperiri cur debeat expungi: & ideo restituta est. Huc laudati omnes conspirant, Lugo, & Aversa exceptis. Quorsum? Quia *permanet verum quidquid Suarez dixit, quamvis propter honorem Clementis non placuerit dici*. Hoc est principium, & finis. Non est ergo quod stilum nostrum carpant, si pro veritate, & sanctæ Romanæ Sedis decore pugnantes falsa & inconsiderata commenta nativis coloribus depingamus. Quoniam non stilus, ut dixi, sed commenta absona, quæ adversarii evulgant, offendunt, & displicent. Hæc tollantur, & continuo oratio suavis ac benigna evadet.

II. Eorum quæ descripsi, novissimum lectorum oculis subiicio exemplum. Dum hæc scribo, prodiit *epistola Doctoris Sorbonici ad Amicum Belgam*, qua damnatæ Bibliothecæ Iansenianæ pontificium decretum incredibili audacia lacessitur. Epistolam hanc perdoctus Philalethes Romanus elegantissima *epistola ad Theologum Lovaniensem de iusta Bibliothecæ Iansenianæ proscriptione* pro meritis profligavit. Gravissima rationum momenta cur sit Bibliotheca isthæc gravi censura confixa, perspicue enucleat: Reverendissimum Ricchinium *Sac. Congreg. Ind.* a secretis, virum doctrina, eruditione, morumque honestate clarissimum, a putidissimis calumniis asserit, eiusdemque in hac caussa innocentiam media in luce exponit. Quamobrem actum agerem, si quid ego adversus hunc Doctoris Sorbonici epistolarem fetum obscurissimum reponerem. Duo dumtaxat obiter adnotabo. Unum, quod larvatus Sorbonicus vestigiis Raynaudi in proscindendis tum pontificiis decretis, tum Dominicanis exacte insistat. Conferas velim lector cum iis quæ supra ex Raynaudo, Moya, aliisque recensui, hæc quæ Sorbonicus Doctor scribillat. *Notabitur Romæ? Legetur ergo*. Næ istud cæcæ obedientiæ, cuius meminit ipse Sorbonicus, epiphonema præclarum! *Atque id* (pergit Sorbonicus) *in Iesuitarum causa eo maiori cum veritate dicemus, quod exploratum habemus, quam præpotens Romæ Dominicanorum auctoritas sit, quantaque hi in Iesuitas rabie ferantur*. Sunt fere ipsa Raynaudi verba his diebus a Sorbonico adoptata. Alterum, calumniam mihi impactam spectat. Proscribenda Doctor Sorbonicus effutit *paradoxa P. Concina Iesuitis, & celeberrimo P. Mansio infensissima*. Iesuitis infensissima præfata paradoxa? Ut calumniæ atrocitas pateat, en quæ Auctor in citatis paradoxis *cap.* 1. *§.* 1. sub ipsius operis initium scribit. „ Innanzichè entrare in questa narrativa, debbo avvertire i miei cortesi leggitori a non confondere gli errori, e trasporti di alcuni privati Gesuiti *con la insigne e tanto della Chiesa tutta benemerita Compagnia*. Non v'ha Religione, non v'ha comunità in questo mondo, dice Agostino, che non abbia *suos fictos* . . . Si vedrà in effetto, che la narrativa ella è necessaria: non è diretta a discreditare nè pure i privati rei, non che la inclita innocente Religione, di cui sono membri, ma a preservare i Cristiani meno periti dai loro errori. "

III. Qua igitur fronte paradoxorum liber infensissimus Iesuitis traducitur, si in eodem Iesuitæ a duorum, vel trium Iesuitarum erratis defenduntur, & propugnantur? Personatus Sorbonicus Iesuitis est infensissimus, atque iniuriosissimus, cum quorumdam subditorum lapsus universæ Societati affingere non erubescat. Si Apologistæ celeberrimæ Societatis iure ac merito redarguunt Paschalem, Vendrochium, ceterosque, qui aliquorum Iesuitarum laxas opiniones universæ Societati adscribere non sunt veriti; nonne iure longe potiori damnanda est iniustitia, & impostura huius aut illius Iesuitæ, qui, ut propriæ cuticulæ caveant, pro-

proprios errores Iesuitis indefinite tribuere arte versuta student? Quorsum? Non profecto eo fine, ut Societati detrahant, quemadmodum Paschalis, & Vendrochius, sed ut splendore Societatis eiusdem suas opiniones falsas illustrent; & sub potentis matris clypeo propria commenta impune & audacter tueri valeant. Quoties unius & alterius Iesuitæ errata explodimus, continuo vociferantur in vulgus, universam infamari Societatem. Factum istud lippis, & tonsoribus notum est. Cedo: versutior ne excogitari iniustitia, & impostura potest? Quid? Si Iesuita aliquis doctrinam contra fidem, non secus ac contra mores, obfirmate defenderet, atque in hæresim incideret: hæretica ne universa Societas esset? An ab hæresi talis Iesuitæ profliganda abstinere deberemus, ne Societatis splendor obtenebresceret? Quis umquam, nisi insanus, unius privati hominis lapsus regerere in ipsam communitatem ausus est? Et Doctor Sorbonicus Iesuitis infensissima paradoxa asserit: quia in iisdem refelluntur unius & alterius Iesuitæ scripta, & acta nota *notorietate iuris & facti*; cum in ipsa urbe Roma pro tribunali damnata sint, atque Auctor salutarium monitorum (*Avvisi Salutevoli*) publica pœnitentia correptus? Istius novi & recentissimi exempli idcirco memini, ut a premendis vestigiis, quibus institit Sorbonicus, Raynaudi, & Moya, ceteri abstineant. Heinc colliget lector, iniuria summa nonnullos carpere stilum meum, cum totum, quod ipsis displicet, materiæ, quam in dies porrigere non desistunt, & ad eam tractandam adiectis calcaribus cogunt, vertere omnino debeant.

IV. Vix huic paragrapho finem imposueram, cum altera Doctoris Sorbonici *epistola* e tenebris erupit, cuius sola epigraphes, non calamum ad confutationem acuit, sed animum ad lugendum, & mentem ad tremendissima iudicia Dei serio meditanda invitat, atque impellit. Epistolæ inscriptio eiusmodi est. *Doctoris Sorbonici ad Reverendissimum Ricchinium gratiarum actio, quod epistolam Sorbonicam nomine Sacræ Congregationis proscribendo, egregie confirmaverit*. Ex quo cœtu talia prodeunt? Quis talia fatur? Lutherus ne, an Calvinus? Baianistæ, an Iansenistæ? Sed in ipsum tenebrosum epistolæ corpus oculos coniiciamus.

V. „ Quapropter (pergit Sorbonicus) gratias tibi ago maximas, quod epistolam „ in dicto argumento confirmaveris, palamque feceris, quod iure optimo Germa„ nia, Polonia, Hungaria, Gallia, Hispania, Lusitania, Italia etiam fere omnis „ decreta hæc vestra, sive Inquisitionis, sive Indicis, sive Magistri sacri Palatii „ nomen (illis) affigatis, in iis præcipue quæ factiones vestras tangunt, non a„ postolica, sed dominicana decreta & vocent, & reipsa existiment."

VI. Ven. Cardinalis Bellarminus in aureo suo *de gemitu columbæ* opusculo *Lib. II. cap.* VI. his verbis nos ad columbæ gemitum invitat. „ Quæ autem SS. Patres „ Nazianzenus, Chrysostomus, Hieronymus, & Augustinus de Monachis sui tem„ poris dicunt, possumus nos etiam dicere de primordiis omnium Ordinum reli-

„ gioforum. Nam & fancti Benedicti, & fancti Dominici, & fancti Francifci, „ & omnium aliorum Sanctorum qui religiofos Ordines inftituerunt, filii & ne- „ potes per multos annos ita fancte, pie, perfecteque vixerunt, ut vel omnes, „ vel eorum pars maxima infigni fanctitate floruerint. Poftea tamen multiplica- „ ri cœperunt Regulares fine numero, & multi non a Deo vocati ad ftatum „ perfectionis, fed aliis rationibus adducti Monafteria repleverunt, & impletum „ eft illud Ifaiæ IX. *Multiplicafti gentem, & non magnificafti lætitiam*. Inde nata „ funt fcandala gravia, & multiplicia omnibus nota, quæ materiam uberem præ- „ bent columbæ gemendi & plangendi relaxationem, ne dicam corruptionem „ Ordinum religioforum."

VII. Quid fi hodiedum nobifcum vitam degeret præftantiffimus BELLARMINUS? Quas amariffimas lacrymas non effunderet? Quos novos gemituum fontes aperiret? Enimvero quandonam amarioris gemitus argumenta? Quandonam fcandala tam horrenda? Quandonam publicis typis prodiit fcriptum adeo virulentum, adeo feditiofum, adeo expudoratum in prima Romanæ Ecclefiæ lumina, in Purpuratos Patres, in ipfum fapientiffimum Pontificem Maximum? An heinc fchifmata, & hærefes omnes fua orfa non arceffunt? An Calvinus miniftrorum partium ftudium non obtrudit, ut conciliaria decreta eludat? Sic enim in *præfat. ad Antidotum* in Concilium Tridentinum, non fecus ac Sorbonicus debacchatur. „ Veftrum eft axioma: qualifcumque fit cœtus cui nomen univerfalis Concilii „ imponitis, illic Spiritum fanctum præfidere, ut nihil inde manare queat nifi „ cæleste, ac divinum. *Interea famelicos & venalis linguæ Monachos præficitis, quos* „ *fpiritus ifte vefter, quem fingitis, aufcultet* . . . Cur non aperte fatentur, quod „ res eft? *Monachos decem aut viginti, quorum conductas habent operas, decreta con-* „ *farcinare, Papam cenforio ftilo confodere, fi quid non arridet*, cetera comproba- „ re: *nihil aliud Concilio reliquum quam onus promulgandi*."

VIII. Nemo non videt, quam fint & Calvini, & Doctoris Sorbonici fimillima axiomata. Si Principum, Regum, Imperatorum, Pontificum decreta a *miniftrorum* nomine appellanda, æftimanda, atque adeo contemnenda funt, actum conclamatumque de fupremis poteftatibus eft. Familiare femper fuit feditiofis & perduellibus in fupremas poteftates per miniftrorum latus tela iaculare. Quo miniftri iuftitiam & bonum commune valentius promovent, eo funt fceleftis infeftiores.

IX. Aliud acerbiffimi gemitus, & ululatus argumentum porrigit Sorbonicus; Miniftrum pontificium alloquens. Qui te diligunt, inquit, fperabant fore ut vehementiffime pœniteret, & *Danielis Concinæ nefcio cuius domefticum exemplar fecutus publicam RETRACTATIONEM emitteres*. Quot in uno facinore fcelera? Exemplar imitationis proponit *Retractationem* a fupremo facrofanctæ Romanæ Inquifitionis tribunali profcriptam? *Domefticum* exemplar vocat, quod a fuis confimi-

milibus exaratum, evulgarum, atque post ipsam damnationem iterato typis Lucensibus editum, & propriis manibus turpi nundinatione divenditum? Unum verbum, quod flens in aurem tuam dico, o Sorbonice, ausculta. Unde prodierit infamis illa *Retractatio* universæ Reipublicæ Litterariæ compertum est. Nomen & cognomen Auctoris, qui illam scripsit, & aliorum, qui discipulis illam dictarunt in scholis; typographi qui illam impressit; editoris qui illam repetitis typis Lucensibus post damnationem evulgavit, & plura alia eiusmodi abscondita hactenus retinuimus, & ut Sorbonæ tuæ honori consuleremus, & ut moderationis nostræ novum exhiberemus testimonium. Verum si tu, o Sorbonice, aut tui similes, scandala in Ecclesia IESU Christi multiplicare perrexeritis, non deerunt, crede mihi, qui carnalis prudentiæ, & mundanæ politicæ ratiunculis spretis, sed Dei spiritu, & fortitudine evangelica obarmati murum se oppositurí sint pro domo Dei, & dicta arcana patefaciant.

X. Uberiorem vero nobis lacrymarum materiam porrigit quod Doctor iste Sorbonicus in dies audacius insolescens a sua Sorbona non vapulet, non plectatur publice, non eiiciatur. Plangentes, & ululantes servi IESU Christi ultro citroque sciscitabantur: Undenam tanta insultandi ipsis supremis potestatibus inaudita protervitas? Ex fiducia, inquiebant aliqui, in patronorum præsidio. At qui; malum, reperiri poterunt, reponebant alii, qui delinquenti ad seditionem & perduellionem adeo effrenate provocanti patrocinari velint? Undenam ergo? Ex divina, conclusere omnes, iustitia, quæ & cæcitatis plaga percutit superbiam, & talium scandalorum permissione omnes nos ad planctum & gemitum excitat, ut placare succensum divinæ iustitiæ furorem corde contritò & humiliato satagamus, ne post hucusque patrata, futura, quæ portendunt, eveniant. *Imploremus* (igitur concludit Bellarminus Lib. II. cap. v. pag. 205.) *Hieremiæ lacrymas, & dicamus: Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus?*

§. X.

Defenditur P. Suarez contra Viva, La-Croix, Gormaz, Raynaudum, Fabrum, Amicum. Confessio epistolaris in sensu etiam divisivo improbata est decretis pontificiis. Expungenda itaque est sectio restituta. Confessarii monentur de improbabilitate talis opinionis, ne eadem utantur.

I. QUod P. Suarez defenderit ut probabilem ante decretum Clementis VIII. confessionem epistolarem, prudentum nemo mirari debet: tum quodqui-

libet mortalis errori obnoxius est: tum quod P. Suarez pro se habebat auctoritatem antiquorum Thomistarum, & quidem magni nominis, ut sunt Petrus de Tarantasia Pontifex summus, Paludanus, S. Antoninus, Petrus Soto, aliique. Hos ego aliquid humani passos esse, & talem opinionem docuisse candide fateor, nec subscribo P. Vincentio Baronio, & P. Ioanni Baptistæ Gonet, ad hoc quod attinet. Hæc mea sincera confessio, quam sim à partium studio alienus, evincit. Simul tamen assero, Dufay, Nugnum, Alvarez, Davilam, Baronium, Gonettum, aliosque Dominicanos & sanam doctrinam, & historicam veritatem contra P. Suarez, aliosque inclytæ Societatis Theologos defendisse. Altius quippe animo meo insidet præclarum monitum sapientissimi Magistri CANO *Lib. VII. cap.* 111. inquientis: *Propositum est enim veri reperiendi caussa, & contra nostros, & pro alienis etiam dicere, & cum res postulat, utrosque, nullius accepta persona, reprehendere.*

II. Excusandus similiter est P. Suarez, quod interpretatus sit primum decretum Clementis VIII. in favorem opinionis quam prius ut probabilem defenderat, maxime propter auctoritatem Thomistarum. Nonne communiter adversarii clamant se defendere Probabilismum propter auctoritatem antiquorum Thomistarum? Quid ergo mirum, si idem præstitit & P. Suarez? Verum quod adversarii velint sequi paucos Dominicanos antiquos errantes, & nolint nunc sequi integrum Dominicanorum Ordinem contra Probabilismum, & contra confessionem epistolarem, quinque pontificiis decretis improbatam, strenue pugnantem, hoc admirationem ingerit extremam.

III. Præfata omnia excusanda iudico in Doctore eximio P. Suarez, quem magni semper feci & faciam, & vix umquam sine laudis præfatione nominavi: nec in eiusdem nævos ego sponte inquisivi umquam, quidquid nonnulli garriant; sed necessitate, & quidem extrema, coactus aliquos patefeci. Quid plura? Ipsum P. Suarez cum Camargo, & Morino a laxa Probabilismi doctrina vindicare studui contra recentiores, qui Probabilistam eumdem volunt. Excuso, inquam, illum in iis quæ nunc recensui; at simul dico illum errasse. Quid? Erravit Innocentius V. erravit Paludanus, erravit Cardinalis Turrecremata, erravit S. Antoninus, erravit Petrus Soto: & unus P. Suarez non erravit? Sed quid dico Suarez? Nolunt aliqui, vel ipsum Busembaum, vel ipsum Stoz, aut Burgaber errasse. Quod quam prudens sit consilium, ceteri iudicent.

IV. Addo, hoc unum excusatione dignum non videri imbecillitati meæ, quod, ut promiserat P. Suarez in sua interpretatione, quam supra rescripsi, non paruerit pontificiis decretis, talem interpretationem expungendam iubentibus. Quid? Non paruit? Quis hoc dicit? P. Moya, P. Gormaz, cuius verba supra dedi, & iterum sub oculos revoco: sic enim *cit. dis. v. sec.* 1. *§.* 2. *num.* 243. loquitur P. Gor-

Gormaz. *Ceterum cum, deficiente fine legis, lex deficiat* &c. *Quapropter, cum antequam e vivis discessisset eximius Doctor, iterum eius opera typis data essent Lugduni anno* 1613. *TOTA ea doctrina, INTEGRA sect.* IV. *disp.* XXI. *in totum restituta fuit*. Decreta Clementis VIII. & Pauli V. totam sectionem expungendam imperarunt. Expuncta reipsa fuit; sed in sequenti editione tota restituta.

V. Non levia videntur hæc; sed graviora sunt quæ inde sequuntur. Doctrina P. Suarez de confessione epistolari *divisive* accepta, & a successoribus propugnata prævalere cœpit: & propterea *sectio tota* restituta fuit. Quis hoc dicit? Recita. P. Moya *tract.* III. *de sacr. pœnit. disp.* VI. *quæst.* II. *num.* 12. *pag.* 257. *Respondeo, Clementis decretum non ob illius falsitatem, sed ob aliud longe diversum motivum prodiisse: quo proinde lapsu temporis cessante, expositio primo adhibita INVALUIT, & in novis editionibus fuit restituta. Quodnam fuerit, non conveniunt Doctores*. Non conveniunt Doctores, quodnam fuerit *motivum* prohibitionis; sed conveniunt, quod sectio & doctrina, quinque pontificiis decretis improbata, sit *restituta*.

VI. Porro hoc maxime mihi, & bonis omnibus displicet, quod scilicet opinio toties a S. Sede Apostolica reiecta *invaluerit*, invaleatque. Quare monendos Confessarios duxi, ne auctoritate sive P. Suarez, sive Moya, sive Amici, sive Raynaudi, sive La-Croix, sive aliorum decepti, talem opinionem de confessione epistolari pœnitentis absentis sequantur. Quoniam, sive *complexive* accipiatur, nempe cum & confessio scripta mittitur ad Confessarium, & Confessarius mittit scripto absolutionem ad pœnitentem, quo in sensu opinio damnata est primo decreto Clementis VIII. sive *divisive*, quando scilicet pœnitens mittit per epistolam sua peccata ad Confessarium, qui postea adeat pœnitentem, eumque præsentem absolvat; vel contra Confessarius audiat a pœnitente præsente sua peccata, & postea per epistolam mittat absolutionem: in quolibet horum sensuum doctrina est improbata quatuor decretis pontificiis, uno, nempe secundo ipsius Clementis, & tribus Pauli V.

VII. Non potuit itaque absque & iniuria Sedis Apostolicæ, ut ego quidem arbitror, & mecum arbitrabuntur sapientes omnes, & absque detrimento sanæ doctrinæ restitui sectio Suareziana, quæ expungi iure deberet. Ceterum, ad hoc quod attinet, num scilicet expungenda nunc sit & ob decorem S. Sedis Apostolicæ, cuius quinque decreta videntur delusa, & ob veritatis defensionem; illi quorum interest, viderint. Siquidem quod in præfata *sectione* contineatur doctrina falsa, non solum evincunt quinque decreta pontificia, non solum id hactenus demonstrarunt Theologi Dominicani; sed adfirmant vel ipsi duo percelebres Theologi Iesuitæ, Aversa, & Cardinalis de Lugo, qui *disp.* XVII. *sec.* 4. *num.* 65. hæc scribit. „Hæc interpretatio reiecta fuit primum ab ipso Clemente (*cuius decre-*

„ *tum dedi*) & postea a Paulo V. die 4. Iulii an. 1655. declarante in Congregatione S. Officii, prædictam *interpretationem non subsistere*. Et quidem ex ipsius „ decreti verbis, & eius intentione apparet, mentem Pontificis non fuisse solum „ *copulativam* prohibere: alioquin posset, salvo eodem decreto, aliquis adhuc dicere, „ posse absolutionem absenti conferri, dummodo in præsentia confessio præcessisset; „ quod tamen nemo concedet: quia Pontifex utrumque abusum voluit de medio „ tollere; quod facere non poterat, si solum sensum copulativum prohiberet: „ immo tunc neutrum abusum abstulisset: singula enim seorsim fierent, modo „ hoc, modo illud." Similia docet P. Gabriel Aversa *quæst.* x. *de pœnit. sec.* 17. *§. Huic autem*. Ergo expungenda est sectio Suareziana.

VIII. Displicet hæc duorum Sociorum secessio P. Theophylo Raynaudo *cit. diss. cap.* IX. *pag.* 211. inquienti: *Abiiciunt bastam Cardinalis* de Lugo *Disp.* &c. & Aversa . . . . *qui ob hæc posteriora decreta censent aliter esse interpretandum decretum Clementis quam Suarez sit interpretatus*. Hasta profecto abiicienda est in veritatis refulgentis conspectu: alioquin contra veritatem Doctores non conveniunt, & regnum dividitur. Utinam hac in re consilium Cardinalis de Lugo secuti ceteri fuissent. Sed bellum successit, & tandem aliquando documenta allata sunt, quæ finem controversiæ imponunt, & discrepantes Doctores in dulce amicitiæ fœdus consociant. Faxit Deus ut votis meis eventus respondeat.

CAPUT III.

Nonnullæ aliæ quæstiunculæ de absolutionis forma pronuntianda, & repetenda.

I. Absolutio sacramentalis vocalis sit necessum est, verbis scilicet prolata, non nutibus, aut scripto data. Idque ex apostolica traditione, ex Conciliis Florentino, & Tridentino evidenter patet.

II. Quæst. I. *Quænam præsentia pœnitentis requiritur, ut impendi absolutio possit?* Resp. non esse semper necessariam præsentiam physicam, qua pœnitens pedibus Confessarii procumbat; sed sat esse potest præsentia moralis. At non una est Theologorum sententia, in qua distantia hæc moralis præsentia sita sit. Communiter docent, illam præsentiam sufficere ad absolutionem impertiendam quæ sufficere solet inter homines ad colloquendum voce altiori invicem in communi sermone. Aliqui volunt satis esse, si Sacerdos videat pœnitentem, aut aliquo sensu eumdem percipiat. Sed hæc opinio, ut nimis laxa, communiter improbatur. Hinc enim sequeretur posse Confessarium residentem in uno perampli templi angulo absolvere pœnitentem extantem in altera extrema templi parte: quod est apertum absurdum.

III.

III. Quæst. II. *An Sacerdos qui e fenestra videt aut naufragantem, aut vulneratum animam agere, possit eum absolvere?* Resp. Si tempus desit, quo Sacerdos descendere, & adire moribundos istos valeat, & mortis articulus urgeat, potest eos absolvere; dummodo nimia distantia non sit, sed ea quæ sufficit ad communem collocutionem voce elata. In hoc casu, si opus fuerit, adhiberi absolutio conditionalis poterit.

IV. Si Sacerdos videat plures naufragantes, poterit unica absolutione illos absolvere, dummodo cetera adsint; sicuti diximus, posse plures simul baptizare. Disputant Casuistæ, num Confessarius, qui interlocutionibus distractus, omisit absolvere moribundum confessum, & post discessum a domo moribundi recordatur omissæ absolutionis, & in distantia 20. passuum se obvertit versus illam domum, & absolutionem pronuntiat, valide absolvat? Communiter docent, nullam esse absolutionem ob defectum moralis præsentiæ.

V. Quæst. III. *Quomodo se gerere Confessarius debet, quando oblitus est pœnitentem absolvere?* Resp. Si pœnitens a confessionali discesserit, & parum distet, ita ut moraliter præsens sit Confessario, eum absolvi posse, docent communiter Auctores, quando revocari commode nequit. Ut mea tamen præfert opinio, Confessarius hoc in casu omnem adhibere diligentiam debet, ut pœnitentem revocet, eumque moneat absolutionis oblitæ, & ad absolutionem suscipiendam disponat. Si vero id nullo modo fieri possit, dictæ opinioni subscriberem. Si enim Confessarius e fenestra absolvere moribundum parum distantem potest; cur non poterit absolvere pœnitentem quem dispositum iudicavit, & moraliter præsentem habet? Hinc si pœnitentem, antequam integram absolutionem pronunties, discedere contingat, persequi absolutionem debes. Semper tamen, dum potest, monendus est pœnitens, ut demisso animo, & procumbens integram absolutionem suscipiat. Si pœnitens omnino discessit, ita ut moraliter præsens amplius non fuerit, debes diligentiam adhibere, ut monere possis, tuamque oblivionem fateri, & absolutionem impertiri. Verum hæc perraro accidunt: ideo prætereunda. Si oblitus fueris absolvere ab excommunicatione & censura; etiam absentem, si opus fuerit, absolvere poteris, dummodo facultate præditus sis.

VI. Quæst. IV. *Quandonam danda est absolutio?* Resp. Absolutio danda est statim post confessionem completam: quia absolutio est ultima sententia iudicii sacramentalis. Præmittere tamen, quando opus fuerit, admonitiones, & exhortationes Confessarius debet. Simultas enim materiæ, & formæ, moralis, non physica, semper pro conficiendis sacramentis requiritur. Caussæ excusantes ab integritate confessionis supra explicatæ sunt *diss.* 11.

VII. Quæst. V. *Quandonam repetenda absolutio est?* Resp. Quando pœnitens in eadem confessione post primam absolutionem recordatur alicuius peccati mortalis, illud-

illudque confitetur, repetenda absolutio est. Item quando nova mortalis circumstantia, seu graviter aggravans, & quando numerus maior peccatorum mortalium a pœnitente exponitur: est enim tum nova materia necessaria; ideo contritio, & absolutio repeti debet. Animadvertendum tamen, num pœnitens bona fide egerit priorem confessionem. Nam si culpabiliter oblitus est alicuius peccati mortalis, aut mortalis circumstantiæ, tum confessio integra repetenda est. Quando Confessarius prudenter dubitat se absolutionem protulisse, debet, ut dictum supra est, disponere pœnitentem, ut instauret contritionem, eaque absoluta absolutionem impertiri. Iuniores hoc in casu confugiunt ad absolutionem conditionalem. Verum usus istius conditionatæ absolutionis extra necessitatis casum mihi non probatur, ut alias dixi. Quando Confessarius dubitat se distractum pronuntiasse absolutionem, non debet eam repetere: quia distractio etiam voluntaria non impedit absolutionis valorem, dum intentio adsit absolvendi; peccaret tamen qui voluntarie distractus absolutionem impertiret. Num mortaliter? Tamburinus, Gobat, Sporer non audent te culpæ mortalis damnare: & ego non audeo te liberare a gravi culpa. Sat est te scire certo peccare, dum voluntarie distractus absolvis. Confinia istius malitiæ mihi ignota sunt: ideo absque periculo nequeo certo adfirmare, vel certo negare te peccaturum mortaliter. Quid ergo? Quid? Cavendum tibi est a voluntaria distractione.

VIII. Fatentur omnes, peccatum mortale esse genere suo, repetere absolutionem in eadem confessione super eadem peccata, nisi adsit rationabilis repetitionis caussa. Vix tamen crediderim aliquem repertum iri qui in hoc genere mortaliter peccet. Nam quis est qui absque caussa repetere absolutionem velit? Quando autem Confessarius anxius est, protulerit ne absolutionem, & augustiis exagitatur; quis gravis culpæ eum damnaverit, si deliberet absolutionem impertiri ad maiorem securitatem? Certe minus malum est absolutionem repetere quando repetenda non esset, quam omittere quando impertienda foret. Quando igitur bona fide, ut ab angustiis se liberet Confessarius, absolutionem repetit, non infert iniuriam sacramento. Ad summum peccare venialiter posset ob levitatem animi. Diligentia tamen adhibenda est & vigilantia in tanti sacramenti administratione.

IX. Absolutioni a peccatis præmittenda est absolutio a censuris. Qui hunc ordinem voluntarie præteriret, peccaret mortaliter contra præceptum Ecclesiæ in re gravi. In articulo mortis dicere poteris: *Ego absolvo te a censuris, & peccatis*. Si pœnitens manifestaret peccata, & occultaret censuras; peccaret, & eius confessio invalida esset ob defectum dispositionis. Si tamen suas ignoraret censuras, valida esset absolutio a peccatis: & solum manifestare censuras teneretur, cum recordaretur. Quando Confessarius potestate præditus in censuras intendit absolvere pœnitentem, ignarum censurarum, ab omni censura, etiamsi postea has censuras

ſuràs dignoſcat, eum non teneri illas manifeſtare, permulti docent: quia iam ab eiſdem abſolutus eſt. Tutius tamen eſt ut pœnitens, quando recordatur, eas manifeſtet: & in re ſacramentaria tutiora, dum de valore ſacramentorum agitur, ſemper amplectenda ſunt; ſive valor a forma & materia, ſive a iuriſdictione pendeat. De abſolutione moribundi vide ſupra *diſſ.*II. *cap.* XI.

CAPUT IV.

Vera peccatoris converſi idea, quam concipere Confeſſarius debet, ut abſolutionem ſacramentalem impertiri poſſit.

I. FAcillima hactenus de abſolutione diſputavi: quæ ſequuntur, graviſſima ſunt; & ſummopere expendenda. Omnes teſtantur ad validam abſolutionem impertiendam requiri ut pœnitens abſolvendus deteſtetur peccatum; ut ab amore creaturæ converſus ſit ad amorem Creatoris; ut eius cor vacuum omnino ſit affectu erga quodcumque peccatum grave. Hanc converſionis ideam perſpectam habere Confeſſarius debet, antequam reum abſolvat. Unde hanc ille chriſtianæ converſionis imaginem colligere poterit? Ex libris quorumdam Caſuiſtarum? Nequaquam. Unde ergo? Ex libris ſanctis, unde omnes Theologi ſuas eruere præceptiones debent. Libro ſuperiore *diſſ.*III.*cap.* XIII. expoſui imaginem iuſtificationis chriſtianæ. In præſentia ex Scripturis, & ex SS. Eccleſiæ Patribus, atque præclariſſimis ultimæ ætatis Theologis, diſtinctis *ſſ.* depingam chriſtianæ converſionis argumenta & ſigna, quæ conſiderare Confeſſarius debet, antequam abſolutionem impertiat. Unum a lectore iure peto & enixe flagito, ut in graviſſima cauſſa excuſare prolixitatem velit, memor communis axiomatis: *Numquam nimis quod numquam ſatis.*

§. I.

Imago veræ converſionis a peccato ad Deum ex Scripturis ſanctis, ut abſolutionem ſacramentalem impertiri Confeſſarius valeat.

I. ILlis dumtaxat peccatoribus Deus veniam ſpondet qui toto corde ad illum convertuntur, ut *Deut. cap.* IV. habetur. *Cum quæſieris Dominum... invenies eum; ſi tamen toto corde quæſieris eum, & tota tribulatione animæ tuæ.* Rurſus cap. XXX. *Cum ergo... ductus pœnitudine cordis tui, in univerſis gentibus in quas diſper-*

dispersferit te Dominus Deus tuus, reversus fueris ad eum, & obedieris eius imperiis, sicut ego hodie praecipio tibi, cum filiis tuis in toto corde tuo, & in tota anima tua; reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam, ac miserebitur tui. Iterum III. Reg. cap. VIII. *Si reversi fuerint ad te in universo corde suo, & in tota anima sua ... exaudies in cælo ... & propitiaberis populo tuo, qui peccavit tibi, & omnibus iniquitatibus eorum, quibus prævaricati sunt in te.* Tandem Ioel. cap. II. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu, & scindite corda vestra.* Propheta Isaias cap. I. *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perverse, discite bene facere, quærite iudicium, subvenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam.* Ieremias Propheta cap. IV. *Circumcidimini Domino, & auferte præputium cordium vestrorum ... Super hoc accingite vos ciliciis, plangite, & ululate.* Rursus Ezechiel Propheta cap. XVIII. *Proiicite a vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum.*

II. Pauca adiiciamus ex Apostolo Paulo ad Rom. cap. VI. *Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato, ut gratia abundet? Absit. Qui ergo mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivimus in illo? An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus ... Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, & ultra non serviamus peccato. Qui enim mortuus est, iustificatus est a peccato .... Scientes, quod Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur .... Ita & vos existimate mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Iesu Domino nostro ..... Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis vestris. Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato; sed exhibete vos Deo, tamquam ex mortuis viventes, & membra vestra arma iustitiæ Deo .... Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiæ in sanctificationem.*

III. En imaginem, non casuisticis fucis adumbratam, sed Prophetarum, & Apostolorum penicillo formatam, in quam animum serio intendere Confessarius debet, ut colligere heinc valeat, num eiusmodi lineamenta & characteres in animo pœnitentis absolvendi appareant. Habes hic plenam, & integram cordis, & animi totius mutationem. Hæc autem vera, & integra animi mutatio foras erumpit, fructus parit, & in ipsa membra corporis, scelerum socii & complicis, severe animadvertit. Oculos lascivos lacrymis affligit, vultum stibio delibutum ad ca-

capiendas animas mœstitia & pallore comprimit, & cetera membra, quæ immunditiei, luxuriæ, ebrietati, crapulæ indulsere, ciliciis, ieiuniis, & disciplinis torquet, cruciat, deprimit. Pompas, luxum, fastum in mœstitiæ, doloris, planctus, & ululatus apparatum transmutat. Hæc sunt argumenta conversionis peccatoris absolvendi. Hæc signa sinceræ conversionis, quæ præire absolutioni sacramentali debent. Nullus hic tergiversationi locus, nulla ad effugium latebra occurrit. Ad istius conversionis exemplar oculos convertere o Sacerdos debes, ut deprehendere queas, num in peccatore absolvendo præter propter appareant præfata conversionis sinceræ signa. Tu ex lectione plurium Casuistarum imaginem christianæ conversionis peccatoris absolvendi forsitan diversam præconceptam in mente, altiusque animo infixam habes. Verum iudicium absolutionis sacramentalis non ad vagam, & fallacem hominum regulam, sed ad normam, quam tibi Scripturæ sanctæ descriptam perhibent, formare astringeris. Supremus enim iudex Christus Dominus rationem a te decepti gregis exiget, & iudicium tremendum in te pronuntiabit, non iuxta Moralistarum opiniones, sed secundum Scripturas sanctas, quas tibi scrutandas meditandasque porrexit. Lege quæ alibi sctipsi de vera peccatotis iustificatione.

§ II.

Ex sanctis Ecclesiæ Doctoribus plena pœnitentis absolvendi conversio explicatur.

I. OMnes pœnitentes testantur Confessario, se toto corde, totaque anima peccatum detestari; & post dies paucos illa ipsa amplectuntur. Hanc illorum ementitam voluntatem, & conversionem sic carpit *Lib. VIII. Confess. cap.* IX. S. Augustinus. *Unde hoc monstrum? & quare istud? Imperat animus corpori, & paret statim: imperat animus sibi, & resistitur. Imperat animus ut moveatur manus, & tanta est facilitas, ut vix a servitio discernatur imperium. Et animus, animus est; manus autem corpus est. Imperat animus ut velit animus, nec alter est, nec facit tamen. Unde hoc monstrum? & quare istud? Imperat, inquam, ut velit, qui non imperaret, nisi vellet; & non fit quod imperat. Sed non ex toto corde vult: ergo non ex toto imperat. Nam in tantum imperat, in quantum vult: & in tantum non fit quod imperat, in quantum non vult. Quoniam voluntas imperat, ut sit voluntas, nec alia, sed ipsa. Non utique plena imperat, ideo non est quod imperat. Nam si plena esset, nec imperaret ut esset, quia iam esset. Non igitur monstrum parum velle, parum nolle; sed ægritudo animi est, quia non totus assur-*

assurgit veritate sublevatus, consuetudine prægravatus. Et ideo sunt duæ voluntates, quia una earum tota non est, & hoc adest alteri quod deest alteri.

II. Acutam S. Augustini argumentationem confirmat communis hominum sensus in singulis humanæ vitæ officiis. Quis dixerit. eum plene & ex toto corde velle qui id non exequitur quod se velle testatur, si in potestate ipsius sit ut fiat? Duo quippe ad executionem promissi requiruntur, potestas, & voluntas. Quodnam in peccatore deest? An potestas? Absit hoc asserere, clamant omnes Theologi catholici, & maxime probabilistæ, qui etiam obcæcatis & induratis semper auxilia sufficientia prompta concedunt. Adest ergo potestas. Et non fit quod se velle facere pœnitentes aiunt? Ergo deest voluntas. Ergo ficta & larvata est, quam ementiuntur, voluntas. Quamobrem scite S. Thomas 1. 2. *quæst.* xx. *art.* 4. docet. *Non est perfecta voluntas, nisi sit talis quæ data opportunitate operetur.* An miles pleno corde anhelans gloriam omnia non præstat huic fini assequendo consentanea? An avarus aliquid eorum negligit quæ comparandis divitiis necessaria iudicat? An infirmus vel amariora medicamina non deglutit, cum plena voluntate sanitatem desiderat? Si itaque peccatores toto corde, plenaque voluntate reformare mores suos vellent, nihil eorum omitterent quæ huic fini assequendo conducunt. Præsertim quod maiori ardore, & potentiori conatu, & diligentiori studio velle emendationem suam per mandatorum observantiam debeant, quam miles gloriam, quam avarus aurum, quam infirmus sanitatem.

III. Caveas ergo, o Confessari, fidem pœnitenti adhibere, qui, cum possit se se emendare, recusat ab iis abstinere quæ cum emendatione pugnant. Experientia diuturna didicit, ludos, comœdias, amicitias, illecebras muliercularum esse suorum relapsuum caussam. Hæc abrumpere iniquitatis fœdera negligit. Ergo ex toto corde non vult emendationem, Habent, inquis, pœnitentes plenam se se emendandi voluntatem, dum confitentur; sed postea humanæ ægritudinis inconstantia eamdem mutant.

IV. Hæc est vanissima hallucinatio, eo perniciosior, quo frequentior. Plenam & constantem deliberationem humanam mutari posse nemo inficiatur. At hoc raro accidit, ut omnes iusti testantur. Cedo: cur contingit avaros, lusores, libidinosos raro mutari? Quia, respondet Propheta Psal. lxxII. *transierunt in affectum cordis*: quia voluntas fornicandi, divitias acquirendi, easque in ludos expendendi, plena est, & dominatur in eosdem. Cur veri iusti, casti, sinceri, ingenui raro labuntur, raro aut numquam mentiuntur, raro aut numquam fornicantur? Quia voluntas illorum plena est, integra, & constans. Ergo voluntas pœnitentium, quam plenam, dum confitentur, ostentant, quamque frequenter & frequentissime mutant, non est voluntas plena & firma, sed debilis, infirma, & mera velleitas, ex mero servili timore extorta, & amore virtutis, iustitiæ, &

& Dei penitus vacua. Cur Iudæi inconstantes fuere in Dei obsequio? *Cito defecerunt* (inquit David Psal. cv.) *obliti sunt operum eius, & non sustinuerunt consilium eius.* Quia ex mero timore, minime ex amore, Deo inserviebant. Imbecillis est humana natura, fragilis, mutabilis. At gratia Dei, & debita vigilantia robusta, & dominans evadit. Quid fragilitatem obtrudis, clamat *hom.* XXVIII. *inter* l. *nunc ser.* XVII. S. Augustinus? *Vitrum, etsi fragile est, tamen servatum diu durat. Invenies calices ab avis, & proavis, in quibus bibunt nepotes. Tanta fragilitas custodita est per annos.* Urgeo iterum. Numquid in solo æternæ salutis negotio inconstans & mutabilis homo est? Cur in aliis quibuslibet negotiis raro recedit ab eo quod sincere & toto corde concepit, & deliberate promisit, nisi promissi rationes mutentur, vel circumstantiæ? Quia licet mutabilis, & imbecillis sit, tamen quando tota voluntate, plenoque animo vult, revera id præstat quod toto corde promisit. In solo unico gravissimoque æternæ salutis negotio pleno corde promittit, non homini, sed Deo morum emendationem; & post paucos dies mendax, perfidus, rebellis evadit? Quænam tam subitæ, & frequentis mutationis caussa? Potestatis defectus? Absit. Mutatio circumstantiarum, aut finis? Minime. Nam idem Deus, qui prohibet, idem infernus, idem paradisus, eadem scelerum malitia, eadem emendationis sanctitas. Quid quod in hoc negotio unico præ ceteris prompta adsunt divina auxilia, & sacramentum ipsum pœnitentiæ gratiam sanantem, & roborantem confert? Ergo evidens est, pœnitentes frequenter relabentes in eadem scelera, ideo non emendari, quia toto corde, & plena voluntate nolunt emendationem. Ergo imprudenter Confessarii fidem pœnitentium dictis adhibent, cum illorum frequentes relapsus fallacia eiusmodi promissa evincant. Prona natura est ad voluptates, ad illecebras, ad delicias; repugnat vero virtuti, & rebus cælestibus. Esto. Et tamen ab his omnibus abstinent homines mundani, ut uni soli passioni inserviant. Quæ non sustinet miles, ut gloriam assequatur mendacem? quæ non perfert mercator, ut ditescat? quæ non patitur luxuriosus, ut brutescat; lusor, ut victor evadat? Et regnum cælorum, quod vim patitur, indipisci absque labore, & dolore contendis? O stultorum omnium stultissimus, si id credis!

§. III.

§. III.

Pauci ex peccatoribus recidivis, & consuetudinariis revera detestantur peccatum. Pauci exequi media volunt ad veram conversionem necessaria.

I. UT pœnitens convenienti odio prosequatur peccatum, peccati malitiam meditari debet. Qui fornicatur, qui peierat, qui polluitur, Deum ultimum finem & principium omnium bonorum vilissimæ creaturæ, immo momentaneæ brutali voluptati postponit, suumque Deum reipsa in horrido vitio constituit. Audiamus Tertullianum *de pœnit. cap.* v. ubi hæc habet. *Non leviter in Dominum peccat qui cum æmulo eius diabolo pœnitentia renuntiasset, & hoc nomine illum Domino subiecisset, rursus eumdem regressu suo erigit . . . Nonne, quod dicere quoque periculosum est, sed ad ædificationem proferendum est, diabolum Domino præponit? Comparationem enim videtur egisse, qui utrumque cognoverit, & iudicato pronuntiasse, eum meliorem cuius se rursus esse maluerit.* Per peccatum mortale a Deo recedit peccator, fœdus in baptismate cum Iesu Christo initum frangit, æternam repudiat hereditatem, ut spurcis huius mundi voluptatibus ad pauca fruatur momenta. Apostolus Paulus *Hebr. cap.* x. declarat, peccatorem Filium Dei conculcare, redemptionis sanguinem contemnere, & gratiæ contumeliam inferre. *Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Porro, ut peccator in pristinam cum Deo amicitiam redeat, pœnitentia, quæ fructus edat, delere contractam peccati maculam debet. *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, inquit *Matth.* III. Quos fructus enumerat Paulus *II. Cor.* VII. his verbis. *Ecce enim hoc ipsum secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem; sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam.*

II. Cum interna peccatoris conversio ignota Confessariis sit, ad hæc veræ conversionis, & pœnitentiæ christianæ signa convertere serio oculos debent, antequam sententiam absolutionis pronuntient. *Pœnitere* (inquit S. Augustinus sive Auctor de ver. & fal. pœnit. cap. XIX.) *est pœnam tenere, ut semper puniat in se ulciscendo quod commisit peccando . . . . Pœnitentia est vindicta semper puniens in se quod dolet commisisse.*

III. Sed ipsius Tridentini Concilii *sess.* XIV. *cap.* II. verba sub oculos revocemus. *Plenam & integram peccatorum omnium remissionem consequentes*, (per baptismum) *ad quam tamen novitatem, & integritatem, per sacramentum pœnitentiæ*

tiæ sine magnis nostris fletibus, & laboribus, divina id exigente iustitia, pervenire nequaquam possumus; ut merito pœnitentia laboriosus quidam baptismus a sanctis Patribus dictus fuerit.

IV. Piissimus, atque doctissimus Episcopus Atrebatensis in sua *instruct. cap.* II. hæc inter plura docet. „ Quisquis animum advertere voluerit, non poterit non „ deprehendere . . . . paucissimas esse inter Christianos pœnitentias, quæ notas „ præferant quas hic exigit (*Synodus Tridentina*) ut veræ sint: adeoque plerasque earum quibus hoc nomen tribuitur, non esse nisi pœnitentiarum *species*, „ *& phantasmata*. Proinde dici posse, numquam in Ecclesia fuisse tam paucos „ veros pœnitentes, etsi numquam fuerint & confessiones magis iteratæ, & ab„ solutiones frequentiores.

„ Verum si a pœnitentibus convertamus oculos ad illorum *Directores*, qui ipsis „ sacramentum reconciliationis, & gratiæ . . . . administrant; potest ne non ob„ servari pari admiratione, & dolore, quam pauci ministerio suo fideles sint; „ cum certe difficillimum sit, aut potius omnino impossibile, verba Concilii, „ quæ iam recitata sunt, cum *ignava illa ac molli innumerorum Confessariorum* „ *directione conciliare?* A quibus utique peccatores in sacramento pœnitentiæ du„ cuntur *per viam suavem, gratam, inter medias voluptates & delicias sæculi*, „ nullo iniuncto labore. Nam illorum pœnitentia, cum absque laboribus sit, ve„ ra pœnitentia non est: & qui illos per vias istas ducunt, *cæci sunt, & duces* „ *cæcorum* . . . . qui aut metu forte displicendi, aut ignava spe commodi, scien„ tes, & volentes illos perdunt. "

V. Sequentia Concilii Tridentini verba (*loc. cit. cap.* VIII.) in medium promit sapientissimus Episcopus. *Sane & divinæ iustitiæ ratio exigere videtur ut aliter ab eo in gratiam recipiantur qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint, aliter vero qui semel a peccati & dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritus sancti dono, scienter templum Dei violare, & Spiritum sanctum contristare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut, occasione accepta, peccata leviora putantes, velut iniurii, & contumeliosi Spiritui sancto, in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ.* Deinde sic pergit. „ Decet insuper ut intelligat peccator, iuxta S. Augusti„ num, ludum non esse Deum contemnere, & creaturam ipsi præferre. Decet „ iuxta S. Gregorium, ut ultro renuntiando voluptatibus licitis, reparet iniqui„ tatem, qua se infeliciter tradidit illicitis. Hæc absque dubio dispositio est, qua „ culpam reparare debet verus, & sanctus pœnitens, & ad quam eum ducere „ deberet bonus *Director*. Verum, etsi istam agendi rationem exigat divina iusti„ tia, non continuo exigit *commodum Directoris*, qui timet pœnitentem suum a „ se alienum reddere: non eam exigit naturæ propensio, non teneritudo sæculi. "

„ Novatiani (pergit Episcopus) quos iniqui & immoderati rigoris spiritus ab „ Ecclesia separavit, cum olim quererentur de indulgentia, quam peccatoribus „ vere se convertere volentibus Ecclesia exhibebat, dando eis, quorumcumque „ criminum rei forent, pœnitentiam, modo eam explendam susciperent, ac de- „ inde, ubi eam expleverant, veniam concedendo: Novatiani, inquam, dice- „ bant probari crimina, dum ita facile remittebantur: *qui sæpius*, aiebant, *re-* „ *medium criminis monstrat, crimen ostendit*. Respondebat illis Ecclesiæ nomine „ S. Episcopus Pacianus epist. III. *Fortasse paterer hoc credi, si pœnitentia deliciæ* „ *putarentur, cui tantus labor impenditur, cui carnis interitus imperatur, cui* „ *iuges lacrymæ, cui gemitus sempiterni*: inde ostendens periculum non esse, ne „ pœnitens tam dure habitus, ad peccatum redeat, iterumque se subeundis pœ- „ nis illis, & laboribus subiiciat. Concludebat enim: *Volet ergo ille sanatus ite-* „ *rum secari, rursus exuri?*

„ Quid hoc sæculo obiectioni illi respondere possent qui in iniquo se fundantes „ abusu, eam rationem tenent quæ iuxta sanctum illum Præsulem, si in Eccle- „ sia stabilita foret, essetque menti illius conformis, iustas esse probaret illorum „ hæreticorum querelas, quas ipse tam diserte verbis mox relatis condemnat? „ Sed quo non progreditur cæcitas, dum proprio commodo favet, & cupiditati „ blanditur? Scimus, fratres mei, nec possumus non cum horrore dicere, sci- „ mus, peccatores, postea vere compunctos, questos fuisse, se pro satisfactione „ criminum enormium, quæ plurium annorum pœnitentia primis sæculis casti- „ gata fuissent, accepisse pœnitentias tam leves, ut referre pudeat, quales sunt „ quinquies *Pater*, & quinquies *Ave*, aut decades aliquas Rosarii; ita ut arbi- „ trati minime se per pœnitentias criminibus suis tam parum congruas, Deo „ satisfecisse, alios Directores intelligentiores quæsierint, qui aliis ipsos viis du- „ cerent, sola illis religione persuadente, vias istas, vias Ecclesiæ esse non „ posse.

„ An non liceret mihi hic exclamare cum Cypriano deplorante abusum simi- „ lem, qui per diœcesim illius diffundebatur? . . . *Emersit, fratres carissimi, no-* „ *vum genus cladis, & quasi parum persecutionis procella sævierit, accessit ad* „ *cumulum sub misericordiæ titulo malum fallens, & blanda pernicies. Contra* „ *Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem temeritate quorumdam laxatur* „ *incautis communicatio. Irrita, & falsa pax, periculosa dantibus, & nihil acci-* „ *pientibus profutura.* "

VI. Quæ piissimus hic Episcopus absurda & corruptelas deplorat, in dies Confessarii, sanioris doctrinæ assertores, experiuntur. Quot pœnitentes ipse audivi sic aientes? Si ceteri Confessarii, quos hactenus adivimus, adeo faciles non fuissent in absolutione impertienda; si vulnera toties repetita conscientiæ nostræ nobis

bis exaggerasent; si severiores imposuissent pœnitentias; si caussas nostrorum relapsuum, illecebras nempe, oblectamenta, amicitias promiscuas, severius intersecasent; si absolutionem suspendisent, aut distulisent : forsitan ad hoc malorum extremum delapsi non essemus.

VII. Qui sincera pœnitentia, & vero dolore cordis tacti sunt, ita odio prosequuntur scelera, ut ea omnia execrentur quæ ad peccandum impellunt. Et quia concupiscentia, caro, & sensus ad peccandum continenter urgent; ideo in proprium corpus, & sensus severe animadvertunt. Tertullianus *Lib. I. de pœnit.* salse, & acriter irridet, sibilatque pœnitentes illos larvatos qui pro commissis delictis subire corporis incommoda reformidant. *Num ergo*, inquit, *in coccino, & in Tyrio pro delictis supplicare nos condecet? Cedo acum crinibus distinguendis, & pulverem dentibus elimandis, & bisulcum aliquid ferri, vel æris ung uibus repastinandis: si quid ficti nitoris, si quid coacti ruboris in labia, aut genas urgeat. Præterea exquirite balneos latiores hortulani, maritimive recessus. Adiicito ad sumptum, conquirito altilium enormem saginam, defæcato senectutem vini. Cumque quis interrogaverit cuinam ea largiaris; Deliqui, dicito, in Deum, & periclitor in æternum perire. Itaque nunc pendeo, & maceror, & excrucior, ut Deum reconciliem mihi, quem aliquando læsi*. Postquam deridendos propinavit Tertullianus illos qui mediis in deliciis pœnitentiam iactarent, iterum eos aggreditur exemplo illorum quos Magistratum aliquem ambientes *neque pudet, neque piget incommodis animæ, & corporis . . . & contumeliis omnibus eniti in causa votorum suorum. Quas non ignobilitates vestium affectant? Quæ atria nocturnis, & diurnis salutationibus non occupant? Ad omnem occursum maioris cuiuscumque personæ decrescentes, nullis conviviis celebres, nullis congregationibus congreges, sed exules a libertatis & lætitiæ felicitate. Idque totum propter unius anni volaticum gaudium. Nos, quod securium, & virgarum petitio sustinet, in periculo æternitatis tolerare dubitamus? Et castigationem victus, atque cultus, offenso Deo, præstare cessabimus? Qui ista recusant, hi sunt de quibus Scriptura commemorat*: Væ illis qui delicta sua velut procero fune nectunt. *Si tu, qui talis es, de exomologesi retractas, gehennam in corde considera, quam tibi exomologesis extinguit, & pœnæ potius magnitudinem imaginare, ut de remedii adeptione non dubites*.

VIII. Similia scribit S. Cyprianus *Lib. de lapsis* inquiens: *Lamentari eum putamus ex toto corde, ieiuniis, fletibus, planctibus (sicut admonet ipse Dominus) Dominum deprecari, qui ex primo criminis die lavacra quotidie celebrat, qui epulis affluentibus pastus, & sagina largiore distentus cruditates suas postridie ructat, nec cibos, & potus suos cum pauperum necessitate communicat? Quis hilaris, & lætus incedit, quando mortem suam deflet? . . . An ille ingemiscit, &*

 plan-

plangit cui vacat cultum pretiosæ vestis induere, nec indumentum Christi, quod perdidit, cogitare? Accipere pretiosa ornamenta, & monilia elaborata, nec divini & cælestis ornatus damna deflere? . . . Si quem de tuis caris mortalitatis exitu perdidisses, ingemisceres dolenter, & fleres facie inculta, veste mutata, neglecto capillo, vultu nubilo, ore deiecto, indicia mœroris ostenderes. Animam tuam misere perdidisti, spiritualiter mortua supervivere hic tibi, & ipsa ambulans funus tuum portare cœpisti, & non acriter plangis, non iugiter ingemiscis? Non te vel pudore criminis, vel continuatione lamentationis abscondis? Ecce adhuc peiora peccandi vulnera: ecce maiora delicta peccasse, nec satisfacere.

IX. S. Ambrosius *Lib. II. de pœnit. cap.* VI. hæc habet. *Audiant qui agunt pœnitentiam, quomodo agere debeant, quo studio, quo affectu, qua mentis intentione, qua intimorum concussione viscerum, qua cordis conversione.* „ Vide, *inquit*, „ Domine quia tribulor, venter meus turbatus est a fletu meo. Conversum est „ cor meum in me. " *Cognovisti intentionem meam, fidem mentis, cognosce & habitum corporis.* „ Sederunt, *inquit*, in terra, tacuerunt seniores filiæ Sion, & „ imposuerunt terram super caput suum, præcinxerunt se cilicio, deduxerunt in „ terram Principes, Virgines Ierusalem defecerunt in lacrymis, oculi mei caligaverunt, turbatus est venter meus, effusa est in terra gloria mea. " *Sic flevit & Ninive populus.* Item cap. X. *An quisquam illam pœnitentiam putat, ubi acquirendæ ambitio dignitatis, ubi vini effusio, ubi ipsius copulæ coniugalis usus? Renuntiandum sæculo est, somno ipsi minus indulgendum quam natura postulat . . . Unde bene Dominus ait:* „ Qui vult post me venire, abneget semetipsum, & „ tollat crucem suam, & sequatur me. "

X. S. Gregorius Magnus (sive alius Auctor) *Lib. VI. in I. Reg. cap.* II. hæc inter cetera scribit. *Quid prodest censiteri flagitia, si confessionis vocem non sequitur afflictio pœnitentiæ? Tunc namque bene conversum peccatorem cernimus, cum digna afflictionis austeritate delere nititur quod loquendo confitetur. Unde & Dominus arborem foliis decoram, sed fructu sterilem maledixit, quia confessionis ornatum non recipit sine fructu afflictionis.*

XI. Similia Augustinus, Hieronymus, & ceteri Patres omnes scribunt. Cedo: an, dum hæc Scripturarum, & Patrum sanctorum testimonia serio meditaris, non te commotum sentis? E contrario, dum Casuistarum plurium volumina revolvis, nihil horum offendis; sed meras verborum pugnas, & arbitrarias distinctiunculas, & phantasmata propria, quibus blandam, & delicatam efficere pœnitentiam student. His plurium Casuistarum, & Confessariorum opiniunculis, & praxi blandiente præventi & decepti peccatores plurimi, post gravissima, & repetita flagitia, nolunt reipsa suscipere media, & pharmaca necessaria ad cavendos relapsus. Porro qui exequi media recusant quæ ad veram conversionem necess-

cessaria esse & Scripturæ sanctæ, & Patres omnes testantur, revera conversionem ipsam sincere nolunt. Media autem quæ tum ad comparandam veram conversionem, divina gratia præeunte, disponunt, tum ad acquisitam custodiendam requiruntur, sunt cum primis abstinentia, & secessio exacta a mundi oblectamentis, & præstigiis, quæ ad peccata viam olim aperuere: deinde gemitus, lacrymæ, afflictio, tribulatio, preces, eleemosynæ, ieiunia, sanctorum librorum lectio, & seria æternitatis meditatio, perpetua pugna cum carne & appetitionibus, & continua violentia atque abnegatio sui ipsius. Hæc sunt & Scripturarum, & SS. Patrum omnium documenta. Porro quot sunt, sive viri, sive mulieres, quæ post inveteratam consuetudinem procandi, fornicandi, adulterandi sive oculis, sive corpore, frequentandi theatra, comœdias, choreas, congressus amasiorum, & amasiarum, quæ sub prætextu dilectionis platonicæ subtiliter fornicantur, inquit Cyprianus: quot, inquam, sunt qui pompis, luxui, deliciis, oblectamentisque consuetis nuntium remittere velint? Quot sunt qui ieiunia, lacrymas, eleemosynas, pœnitentium & gementium vestes induere, & flagellis carnem rebellem, & petulcam concupiscentiam coercere, & pravas inclinationes ex consuetudine peccandi relictas, suoque pondere ad nova perpetranda peccata impellentes, abolere pro virili parte velint? Quot hi sunt? Experientia ipsa testis est. Confessarii ipsi iudices sint. Ergo, antequam Confessarii absolutionem istiusmodi pœnitentibus impertiant, experiri illorum sinceram pœnitendi voluntatem debent. Manifesta & omnibus pervia experientia constat, paucos esse qui argumenta & fructus sinceræ conversionis perhibeant. Ergo Confessarii non dispensatores, sed dilapidatores thesaurorum Dei sunt, dum istis indiscriminatim, & non præmisso eorumdem voluntatis experimento absolutionem impertiunt. Finem huic paragrapho imponat Concilium Tridentinum *sess.* VI. *cap.* XIII. ubi ait, vel ipsos iustos, revera ad Deum sincera pœnitentia conversos, non posse in observantia mandatorum Dei perseverare, *nisi cum timore & tremore salutem suam operentur in laboribus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus, & oblationibus, in ieiuniis, & castitate: formidare enim debent, scientes quod in spem gloriæ, & nondum in gloriam renati sunt, de pugna quæ superest cum carne, cum mundo, cum diabolo, in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia Apostolo obtemperent dicenti*: „ Debitores sumus, non carni, ut secundum carnem „ vivamus: si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu fa„ cta carnis mortificaveritis, vivetis." Hæc, o Confessarii, serio, & profunde meditemini.

§. IV.

Peccatores graviſſimorum ſcelerum ſontes, & præſertim conſuetudinarii, facileque relabentes in fornicationes, in pollutiones voluntarias, & id genus crimina, communiter repente & brevi temporis intervallo non convertuntur.

I. QUemlibet peccatorem vel ſceleſtiſſimum poſſe divina gratia momento converti, & ſanctum fieri, fatentur omnes, & patet in Matthæo, in Latrone, in Saulo, & in illis tribus millibus quos uno ſermone S. Petrus convertit. Verum tametſi Deus ſua abſoluta poteſtate, & ſingulari providentia, magnaque miſeratione poſſit, & interdum velit vel iniquiſſimos peccatores repente & momento perfecte convertere; nihilominus iuxta ſuum ordinariæ providentiæ curſum, modumque, hæc ſingulariſſima dona ſubito non largitur, immo hæc dona extraordinaria ſpeciem prodigii, & quaſi miraculi præferunt. Communiter enim ordo gratiæ naturæ ordinem imitatur, in quo res non ſubito, ſed ſenſim & pedetentim ad ſuam integritatem perveniunt. Hoc explicat ipſe Salvator noſter divinus *Marc.* IV. inquiens: *Sic eſt regnum Dei, quemadmodum ſi homo iaciat ſementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte & die, & ſemen germinet, & increſcat, dum neſcit ille. Ultro enim terra fructificat, primum herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica: & cum produxerit fructus, ſtatim mittit falcem, quoniam adeſt meſſis*. Simili modo peccatoris præſertim magni & inveterati converſio paullatim, & gradatim formatur; & tandem ad plenitudinem pervenit. Ad plenam enim converſionem, totius hominis & interioris, & exterioris mutatio neceſſaria eſt. Requiritur enim, inquit S. Ambroſius *Lib. II. de pœnit. cap.* X. ut homo *ſeipſum abneget, & totus mutetur, ſicut quemdam adoleſcentem fabulæ ferunt poſt amores meretricios peregre profectum, & abolito amore, regreſſum, poſtea veteri occurriſſe dilectæ: quæ ubi ſe non interpellatam mirata, putaverit non recognitam, rurſus occurrens dixerit, Ego ſum; reſponderit ille, ſed ego non ſum.*

II. Hæc conſuetudinarii & inveterati peccatoris converſio non fit abſque magna, & acri colluctatione partem ſuperiorem inter & inferiorem, abſque conatu & molimine. Amor mundi, ſenſuum, & carnalium appetitionum præſidio munitus, & a multo tempore in anima dominans, & abſolutum imperium exercens non eiicitur, non evellitur, niſi poſt magnam, & laborioſiſſimam luctam. An corpus inveterato morbo laborans cito ſanatur? An nigræ fabrorum manus una ablu-

ablutione albedinem & nitorem assequuntur? S. Augustinus in *Psal.* VI. fuso sermone hanc luctam & intestinum bellum explicat, inquiens. *Laboravi in gemitu meo. Lavabo per singulas noctes lectum meum*, per *lectum* intelligens *voluptatem corporis, & omnem delectationem saecularem.* Quam *delectationem lacrymis lavat qui se ab illa conatur expedire. Videt enim se damnare carnales concupiscentias, & tamen delectatione tenetur infirmitas, & in ea libenter iacet, unde surgere nisi sanatus animus non potest .... Quis non intelligit animam luctantem cum morbis suis? .... Post laborem, & gemitum, & imbres creberrimos lacrymarum, in illa temporum varietate effusos, quia inane non potest esse quod tam vehementer rogatur ab eo qui fons est omnium misericordiarum ... post tantas difficultates exauditam se piam animam significans.... adiungit :* Discedite a me qui operamini iniquitatem : quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei .... *Invenit ergo se ligatum difficultatibus cupiditatum, & non posse viam propter compedes ambulare. Inclusum se sentit difficultate vitiorum, & tamquam muro impossibilitatis erecto, portisque clausis, qua evadat, ut recte vivat, non invenit ... Exclamat ad Dominum. Liberat Dominus de necessitatibus, rumpit vincula iniquitatis, constituit in operatione aequitatis.... Potuit hoc Dominus sine difficultate praestare. Sed si hoc sine difficultate haberemus, largitorem huius boni non agnosceremus. Si enim primitus cum vellet, posset, & non sentiret adversum se obnitentes cupiditates, nec vinculis suis gravata anima collideretur; suis viribus tribueret quod se posse sentiret.*

III. Et ne erronea persuasio mentes hominum occupet, hanc gravissimam & laboriosissimam difficultatem plenae conversionis peccatoris inveterati, & consuetudinarii facilem esse, exemplum propriae conversionis S. Doctor proponit. Difficultates, pugnas, conflictus, conatus enarrat quos ipse sustinuit, antequam, debellata concupiscentia, pravisque consuetudinibus devictis, plena conversione Deo adhaereret. Siquidem *Lib. VIII.* Confess. a *cap.* I. usque ad XII. suam luctam pugnamque exponit. *Cap.* I. inquit : *Mihi enim displicebat quod agebam in saeculo : & me non delectabant, sicut antea, honor, & pecunia prae dulcedine tua, & decore domus tuae. Sed adhuc tenaciter colligabar ex femina.* Deinde *cap.* V. post colloquium habitum cum Simpliciano, auditamque Victorini conversionem, bellum ardentius, & acriorem pugnam describit. *Sed ubi mihi homo tuus Simplicianus de Victorino ista narravit, exarsi ad imitandum .... Cui rei ego suspirabam ligatus, non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa facta est libido : & dum servitur libidini, facta est consuetudo : & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus quasi ansulis quibusdam sibimet innexis (inde catenam appellavi) tenebat me obstrictum dura servitus. Voluntas autem nova, quae mihi esse coeperat, ut te gratis colerem, fruique vellem, Deus sola certa iucunditas, nondum erat*

idonea ad superandam priorem vetustate roboratam. Ita duae voluntates meae, una vetus, alia nova, illa carnalis, illa spiritualis, confligebant inter se, atque discordando dissipabant animam meam.

Sic intelligebam meo ipso experimento id quod legeram, quomodo caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem . . . . Sed tamen consuetudo adversus me pugnacior ex me facta erat : quoniam volens, quo nollem, perveneram . . . . Ego autem adhuc terra obligatus militare tibi recusabam ; & impedimentis omnibus sic timebam expediri, quemadmodum impediri timendum est. Ita sarcina saeculi, velut somno assolet, dulciter premebar, & cogitationes quibus meditabar in te, similes erant conatibus expergisci volentium; qui tamen superati soporis altitudine remerguntur . . . . Certum habebam, esse melius tuae caritati me dedere quam meae cupiditati cedere.

Sed illud placebat, & vincebat ; hoc libebat, & vinciebat . Non enim erat quod tibi responderem, dicenti mihi : Surge qui dormis, & exurge a mortuis ; & illuminabit te Christus : *& undique ostendenti vera te dicere , non erat omnino quod responderem veritate convictus, nisi tantum verba lenta, & somnolenta : Modo, ecce modo, sine paullulum. Sed Modo, & Modo non habebant modum : & Sine paullulum, in longum ibat. Frustra condelectabar legi tuae secundum interiorem hominem, cum lex alia in membris meis repugnaret legi mentis meae, & captivum me duceret in legem peccati, quod in membris meis erat. Lex enim peccati est violentia consuetudinis, qua trahitur, & tenetur etiam invitus animus, eo merito quo in eam volens illabitur. Miserum ergo me, quis liberaret de corpore mortis huius, nisi gratia tua, per Iesum Christum Dominum nostrum?*

IV. Pulcherrima est, & mirum in modum vivida similitudo qua Doctor sanctus voluntatem peccatoris comparat voluntati hominis alto sopore demersi. Excitatur, & respondet, *Modo*; & continuo somno se dat. Rursus excitatur, & respondet, *Sine paullulum*. Iterum stimulatus dicit, *Modo modo surgam*; & continuo in soporem remergitur. Haec aptissima imago peccatoris consuetudinarii divinam vocationem suscipientis, & reiicientis. Pergit cap. VII. *Quibus sententiarum verberibus non flagellavi animam meam, ut sequeretur me conantem post te ire? Et renitebatur.* Rursus cap. VIII. *In illa grandi rixa interioris domus meae, quam fortiter excitaveram . . . ego fremebam spiritu, indignans turbulentissima indignatione, quod non irem in placitum & pactum tecum, Deus meus, in quod eundum esse, omnia ossa mea clamabant . . . . Tam multa ergo feci, ubi non hoc erat velle, quod posse, & non faciebam quod & incomparabili affectu amplius mihi placebat, & mox ut vellem possem . . . . Ipsum velle, iam facere erat, & tamen non fiebat.*

V. *Cap.* IX. monstrum illud exaggerat animi sibi imperantis, & sibi non obedientis, cuius verba supra rescripsi. Tandem post tot conflictus, colluctationes, cunctationes, & bella intestina suam plenam victoriam, seu conversionem sub

ficu

ficu peractam narrat. Ne autem quispiam credat, hæc tam immania bella, & turbulentos conflictus contigisse soli Augustino, subdit magnus Pater, communiter peccatores omnes consuetudinarios, & inveteratos similes præter propter experiri conflictus. *Quidquid* (inquit in Psal. CVI.) *loquor, agnoveris in te, noli cogitando quasi remanere in te, & putare quod in te solo contingit; sed crede ista contingere in omnibus, aut prope in omnibus qui veniunt ad hunc populum, & de manu inimicorum pretioso sanguine redimuntur.*

VI. Plura rationum momenta præter ipsam experientiam Theologi assignant, quæ evincunt, repentinam communiter non esse eiusmodi peccatorum conversionem. Nemo quippe sive in bono, sive in malo repente fit summus; sed communiter in qualibet mutatione, inquit S. Thomas 2. 2. *quæst.* XIV. *art.* 4. *ad* 1. ordinatus transitus est ab imperfecto ad perfectum. Accedit quod Deus infinita sua providentia gradatim distribuit eiusmodi peccatoribus convertendis cælestia lumina, & auxilia, ut malorum succedentium, difficultatum, & ærumnarum experimento discant, quam malum sit peccatum, & ut cautius vigilantiusque sanitatem illam custodiant quam tanta pœnarum, conflictuum, lacrymarum, & afflictionum severitate, & tam perdifficili victoria assecuti sunt. *Quod enim* (inquit S. Augustinus in Psal. VI.) *facile sanatur, non multum cavetur. Ex difficultate autem sanationis erit diligentior custodia receptæ sanitatis.*

VII. Aliorum Patrum testimonia pauca perstringam. Omnes uno ore testantur, difficillimam esse, & non nisi post lacrymas, ieiunia, preces, eleemosynas, & multorum conflictuum victoriam plenam & integram, qualis esse debet, contingere peccatorum inveteratorum, & recidivantium conversionem: idque evincunt ceteri Ecclesiæ Patres, quemadmodum Augustinus, tum experientia, tum divinis Scripturis. *Perversi* (inquit Eccl. 1.) *difficile corriguntur*. Ieremias vero *cap.* XIII. subdit: *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum*. Rursus cap. XXX. *Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua. . . . Curationum utilitas non est tibi. . . Propter multitudinem iniquitatis tuæ, & propter dura peccata tua feci hæc tibi*. Christus Dominus exemplum huius difficillimæ conversionis perhibuit *Ioan.* XI. in resuscitatione Lazari, figura peccatoris consuetudinarii. *Infremuit spiritu, & turbavit seipsum. Et lacrymatus est Iesus. Iesus rursum fremens in semetipso voce magna clamavit: Lazare veni foras*. Cur hoc? Quia, inquit S. Augustinus cum ceteris Patribus *tract.* XLIX. in Ioannem, *difficile surgit quem moles consuetudinis premit*. Quid produnt illa *Luc.* XVIII. verba: *Facilius est camelum per foramen acus transire quam divitem intrare in regnum cælorum?* Quid produnt hæc alia Matth. XII. *Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non invenit. Tunc dicit: Revertar in domum meam, unde exivi . . . Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus*

ritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi : & fiunt novissima hominis illius peiora prioribus. Quid tandem produnt hæc formidanda Apostoli Pauli ad *Hebr.* VI. verba? *Impossibile est eos qui semel illuminati sunt, gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt; rursus renovari ad pœnitentiam . . . . . Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem . . . proferens autem spinas, & tribulos, reproba est, & maledicto proxima : cuius consummatio in combustionem*. Iterum cap. X. *Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis iam non relinquitur pro peccatis hostia; terribilis autem quædam expectatio iudicii , & ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios. . . Irritam quis faciens legem Moysis, sine ulla miseratione, duobus vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui Filium Dei conculcaverit , & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est , & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Impossibilitatem Apostoli alibi exposui pro re pervalde difficili , ut interpretatur S. Thomas. Alias exhibent plures Patres interpretationes.

VIII. Opportuna est S. Thomæ Villanovani expositio *conc* V. *in Domin.* IV. *Advent. & conc.* III. *in Domin.* III. *Quadrag.* ubi hæc habet : *Postquam Deus ex sua misericordia liberavit aliquem a servitute peccati, eripiens eum de potestate tenebrarum, & transferens in regnum Filii dilectionis suæ, nimis magna malitia est . . . . iterum se subiicere servituti peccati. Et quidem , antequam nosceret peccati servitutem, & iustitiæ pacem, nihil mirum. Sed postquam novit utrumque statum , commutare iustitiæ delicias pro sensibus peccatorum . . . . peccatum est dignum omni supplicio, indignum misericordia. Exemplum. Si quis pater filium maximis sumptibus eriperet de potestate Turcarum, & ille se iterum obiiceret servituti , quis miserebitur eius? Quis non dicat : Moriatur stultus in sua servitute, ex quo sic voluit? Unde Apostolus ostendens, quam difficulter huiusmodi pœniteant, ait :* Impossibile est eos &c. *Impossibile, idest valde difficile, propter malitiam, propter contemptum, propter ingratitudinem.. Propter malitiam : noverant enim iam miseriam servitutis peccati ; nec possunt allegare ignorantiam. Propter contemptum : quia experti utrumque statum , delicias iustitiæ pro voluptatibus commutarunt. Propter ingratitudinem : quia liberati misericorditer, & potenter, neglexerunt. Propterea iusto Dei iudicio deserti traduntur in reprobum sensum, & quasi contemptores contemnuntur, & fiunt pessimi. Nam sicut ait Evangelium , non redeunt ad illud peccatum solum , sed etiam ad septem alia peiora, quibus indurant : & fiunt novissima illius peiora peioribus. Sic Iudas , qui aliquo tempore malus fuit, & vocatus ad Apostolatum, aliquo tempore resipuit : quia deinde rediit ad priorem avaritiam, habuit finem quem scitis. Isti . . . . similes sunt illis quos Dominus in manu valida eduxit de servitute Pharaonis, & postquam gustaverunt manna, desiderabant cepas, & pepones, & allia, & ollas Ægypti, & optabant redire in*

in Ægyptum : quibus iuravi [*inquit*] in ira mea, si introibunt in requiem meam. *Sic isti liberati a servitute peccati, gustaverunt bonum Dei verbum, & delicias sæculi venturi, & commutaverunt pro cepis, & alliis voluptatum carnalium, reprobi, & indigni cælesti patria.*

IX. Similia docent omnes Patres, quia omnes ex eodem sanctarum Scripturarum fonte suam hauserunt doctrinam. Iustinus *Lib. I. serm.* XIX. inquit : *Perdifficile anima ad ea, quibus excidit, bona regreditur : & peragre a malis, quibus assuevit, egreditur.*

X. S. Cyprianus *Lib. de lapsis* hæc inter plurima scribit. *Putas ne Dominum cito placari, quem verbis perfidis abnuisti, cui patrimonium præponere maluisti, cuius templum sacrilega contagione violasti? Putas ne eum facile misereri tui quem TUUM non esse dixisti? Orare oportet impensius, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere . . . stratos solo adhærere, in cinere & cilicio volutari* &c.

XI. S. Ioannes Chrysostomus hom. LXXXVII. in Matth. *Cum semel quasi vinolentia, vel insano furore oppressa sit ratio, difficillimum est resipiscere, nisi generosissima sit anima quæ opprimitur.*

XII. S. Gregorius Magnus Lib. IV. cap. XIII. in III. Reg. & Lib. II. Moral. cap. V. *Sæpe nonnulli a pravis actibus exire cupiunt; sed quia eorumdem actuum pondere premuntur, in malæ consuetudinis carcere inclusi, a semetipsis exire non possunt.*

XIII. S. Laurentius Iustinianus Lib. II. de spirit. resur. *Tot quippe funibus tenetur adstrictus, quot sceleribus prægravatur : tantisque spiritualibus compeditus est vinculis, quanto caducis rebus immoderato inhæret affectu. Captivatur itaque consuetudine delinquendi, retrahitur a sensualitate, quæ pœnitentiæ iugo colla subiicere recusat. Repellitur suasionibus dæmonum, visibilium detinetur amore.*

XIV. S. Bernardus ser. LXXXI. in Cantic. *Premitur iugo voluntariæ servitutis, & est quidem pro necessitate miserabilis, pro voluntate inexcusabilis.* Et rursus serm. de tripl. miser. *In gravioribus, & quæ ad mortem peccata sunt . . . . . difficilis prorsus est, & soli divinæ virtuti possibilis susceptum semel peccati iugum a cervicibus excutere. Quoniam qui facit peccatum, servus est peccati, nec est eum liberari, nisi in manu forti.*

XV. S. Thomas lect. I. in cap. VI. ad Hebr. *Sicut in corporalibus nullus status est ita periculosus, sicut recidivantium; ita in spiritualibus, qui post gratiam cadit in peccatum, difficilius surgit ad bonum.* Et in cap. VI. Epist. ad Rom. *Consuetudo peccati quamdam necessitatem inducit ad peccandum.*

XVI. Ex quibus omnibus colligitur, peccatoribus inveteratis & consuetudinariis impertiendam non esse absolutionem, nisi prius propriam conversionem plenam, & sinceram esse, operum argumentis, precibus, lacrymis, ieiuniis ostendant.

C A-

CAPUT V.

Theologi ultimæ ætatis, sanctitate & doctrina celeberrimi, SS. Franciscus Xaverius, Thomas Villanovanus, Carolus Borromæus, Cardinalis Bellarminus, Cardinalis Aguirre, Cardinalis Denhoff, *& alii docent, probandos esse piorum operum exercitio peccatores frequenter relabentes, & consuetudine peccandi ligatos, antequam absolvantur.*

I. ADversus ea quæ ex divinis Scripturis, & antiquis Ecclesiæ Patribus adducta sunt, & plurima quæ adduci possent, quæque brevitatis caussa præterii, reponere forsitan Casuistæ plures non verentur, Patres locutos esse pro pœnitentibus suorum temporum, secus pro nostræ ætatis hominibus. Insolens responsum apparebit; & tamen non ita pridem typis publicis in lucem prodiit. Porro, ut tam inauditum paradoxon refellam, operæ pretium existimavi testimonia rescribere ultimæ ætatis Theologorum, qui singulari sanctitate, & doctrina Ecclesiam catholicam illustrarunt, quique explorandam pœnitentium recidivantium conversionem ex eorumdem piis operibus docent.

§. I.

S. FRANCISCUS XAVERIUS S. I. *Indiarum Apostolus.*

II. HOnoratus Turfellinus *Lib. VI. cap.* XVII. hæc de S. Francisco Xaverio scribit. *Si quando locupletes atque opulenti negotiatores, magistratus, ac præsides vitæ solutioris ad confessionem accederent, ante omnia censebat, eos esse sedulo admonendos, ut sumpto spatio bidui, triduive, intentius anteactam vitam suam inquirentes, delicta omnia, si diffiderent memoriæ, mandarent litteris, DOLORISQUE SENSUM, CONTRITIONEM ADEO SUPPLICITER peterent &c. Neque tamen a confessione absolvendos ILLICO, sed postquam ea quæ deberent, persolverint. Itaque Patri Gaspari de talibus hominibus præcepit in hunc modum. CONFESSIONEM NON CONTINUO SEQUETUR ABSOLUTIO; sed biduum triduumve dabitur eorum pectoribus, certarum rerum meditatione præparandis; ut interim primo ANIMORUM MACULAS VOLUNTARIIS ELUANT POENIS; secundo, si quid*

quid debent, restituant; tertio simultates, si quas habent, deponant; quarto redeant cum inimicis in gratiam; quinto a libidinis consuetudine; sexto & a ceteris flagitiis, quibus impliciti sunt, expediantur. HAEC OMNIA ABSOLUTIONEM PRAECURRANT RECTIUS QUAM SEQUANTUR. *Namque istiusmodi homines in ipsa confessione promittunt se cuncta facturos; post absolutionem fidei datæ immemores promissa irrita cadere patiuntur.* PROINDE ELABORANDUM EST UT ABSOLVENDI REPRAESENTENT QUOD PRAESTARE DEBENT ABSOLUTI. Quis dixerit, non pluris esse faciendam hanc tanti Apostoli, qui sanctitate, & miraculorum gloria non modo inclytam IESU Societatem, sed universam Ecclesiam illustravit, doctrinam, quam centum Casuistarum contrarias opiniunculas?

§. II.

S. THOMAS VILLANOVANUS *Augustinianus*.

III. HAEc in *concione fer.* VI. *Dom.* IV. *Quadragesimæ* scribit. *PRIUS vadat, & concubinam a domo pellat, pecuniam alienam restituat, contractus usurarios rumpat, famam proximi læsam, prout potest, resarciat, mercenariorum labores, & pauperum DEBITA solvat, offenso reconcilietur, & veniam petat:* ET TUNC AD CONFESSARIUM REDEAT, ET ABSOLVATUR. HUNC ORDINEM NE TRANSGREDIARIS. Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus &c. *Quid Ecclesiam hodie perdit, nisi Confessariorum & Pastorum blandiens adulatio? Væ miseris animarum* &c. Plura ex huc sanctissimo Episcopo alibi transcripsi.

§. III.

S. CAROLUS BORROMAEUS.

IV. HAnc eamdem doctrinam tradit S. Carolus Borromæus tum in tractatu de ratione administrandi sacramenti pœnitentiæ, tum in instructione Confessariorum, quorum meminit P. Antonius Possevinus celebris S. I. Scriptor Bibliothecæ selectæ *sec.* I. *Lib. III. cap.* XXIII. ubi hæc habet. *Est præterea consultum absolutionem differre, donec EVIDENS appareat emendatio in iis qui tametsi dicant, ac polliceantur quod se eximent a peccato, tamen Confessario probabilem faciunt metum, ne contrarium contingat.*

V. Porro S. Archiepiscopus Carolus Barromæus *loc. cit.* & præsertim in Instruct. Con-

Confess. plurima de differenda absolutione præscribit. Pauca ex multis transcribo. *Nec etiam eos absolvat qui in vestium splendore, & superfluo ornatu corporis mortaliter peccant. Et quia hodie sæculi pompæ & vanitates ad summum creverunt, potissimum ex culpa, & negligentia Confessariorum, qui ab hoc peccato pœnitentes suos inconsideratius absolvunt, & nullum fortassis ea de re scrupulum ipsis movent, aliquos hic casus designare placuit, in quibus mortaliter peccat cui cordi est nimius ille luxus; ut iuxta præscriptas regulas se gerant in illorum absolutione.*

VI. Alia exempla indicat illorum quibus differenda absolutio est, inquiens: *Cuiusmodi sunt præsertim iuvenes, otio ut plurimum dediti, qui maiorem vitæ suæ partem insumunt in ludis, comessationibus, ebrietatibus, & impudicitiis, blasphemi, detractores, turpiloquio addicti, innumerisque id genus vitiis, qui semel tantum, quotannis sub finem quadragesimæ sese Sacerdoti sistunt ad confessionem; sicut & universi omnes, qui per plures annos in eisdem peccatis perseverant, abiecto omni correctionis studio*. Plura alia huius SS. Cardinalis infra dabo.

§. IV.

VEN. CARDINALIS BELLARMINUS *Soc. I.*

VII. PLurima de hoc argumento in diversis concionibus scribit Ven. hic Cardinalis, cuius nunc beatificationis caussa feliciter, & faustis auspiciis agitur. *Con.* VIII. *Dom.* IV. *Adventus* hæc habet. *Multi hodie reperiuntur imperiti œconomi, qui nec munus, nec locum, nec gradum suum intelligunt .... Illi postremo se ministros & dispensatores non agnoscunt qui, quasi non essent Domino rationem reddituri, summa facilitate omnibus manum imponunt, & tam contritos, quam non contritos, tam plene & perfecte confitentes, quam peccata confusa quadam generalitate involventes, tam satisfacere paratos, quam non paratos quasi propria potestate, & auctoritate ABSOLVUNT. ISTI SUA IMPERITIA, ET SUPERBIA CORRUMPUNT POPULOS, ET EIS VERAE POENITENTIAE VIAM PRAECLUDUNT. Nec enim esset hodie tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolvendi. Veniunt homines onusti peccatis, & qui millies in eadem ceciderunt, & veniunt sæpe sine ullo signo doloris vel pridie, vel ipso die summæ celebritatis; & statim absolvi, & ad sanctorum mysteriorum communionem accedere volunt. Et nos iudices inconsiderati, dispensatores infideles manum imponimus, omnibus dicimus*: Ego te absolvo: Vade in pace. *Sed væ nobis, cum Dominus rationem ponet cum servis suis.*

VIII. Post multa & gravia adversus hanc funestissimam corruptelam absolutionis

nis impertiendæ imparatis, explicat doctissimus Cardinalis quæ peragenda sunt ab istiusmodi peccatoribus frequenter relabentibus, antequam absolvantur. *Deus enim* (subdit ibidem) *duo baptismata instituit, unum aquæ frigidæ, vel potius tepidæ; ac temperatæ; alterum aquæ ferventis. Percipite, quæso, rem istam. Hoc enim est caput præcipuum totius controversiæ inter Catholicos & Lutheranos. Priori baptismate lavantur ii qui veniunt ex infidelitate: & tunc Deus mitissime, & liberalissime agit, & omnia simul dimittit, culpas videlicet, & pœnas, tam æternas, quam temporales... At vero cum homines iam priori baptismate absoluti, negligenter, & dissolute vivunt, & Deo ingrati, iterum maculas contrahunt, tum Deus restringit nonnihil manum, & Sacerdotibus dicit: Si rursum ad vos pro medicina peccatorum venerint homines isti quos semel lavistis, non amplius eos lavabitis baptismo aquæ frigidæ; sed adhibete balneum ferventis aquæ, & eorum pellem diligenter excoquite, ut alias sint prudentiores, & maiori diligentia caveant flagitia. Hoc est sacramentum pœnitentiæ, Auditores, baptismus laboriosus, baptismus lacrymarum, balneum aquæ ferventis, quod requirit gemitus, contritionem, lamenta, fructus dignos pœnitentiæ, preces, eleemosynas, & alia id genus opera.*

At hæretici quidem rem istam non intelligentes, neque considerantes baptismi, & pœnitentiæ discrimen, sed in utroque Deum æque liberaliter agere sibi persuadentes, nescio quam sibi fingunt resipiscentiam, & vitæ mutationem suavem, ac delicatam, quæ nullam habeat contritionem, & satisfactionem pro peccatis præteritis.

IX. Cavendum itaque ne Lutheranorum doctrinæ accedamus, dum blandam, suavem, & delicatam propugnantes ætatis nostræ disciplinam, *Iansenistarum*, seu *Rigoristarum* loco habemus illos qui hanc piissimi Purpurati doctrinam, & disciplinam servandam inculcant. Nam subdit continuo Bellarminus, hanc esse viam regiam, *quam Ecclesia catholica tenet, & quam semper Patres, ac Doctores orthodoxi, ac probati docuerunt. Audite Cyprianum* &c. *Audite B. Gregorium* &c. *Audite Theodoretum* &c. . . . *Sed quid opus est tam multis testimoniis hominum, cum ipse Spiritus sanctus in Scripturis sanctis semper cum pœnitentia planctum amarum, cordis contritionem, cinerem, & cilicium, ieiunia, & elemosynas coniungat?*

Quare Auditores optimi, si bonam, si utilem, si salutarem confessionem facere vultis, si vere cum Deo in gratiam redire, & eius amicitia, ac benevolentia frui desideratis, balneum istud calidum magno animo ingredi debetis, & primum diu, & multum in amaritudine animæ peccata præterita recogitare; deinde ea largis & diuturnis imbribus lacrymarum abluere; tum Sacerdotem probum, & eruditum adire, qui non solum absolvere, sed etiam consolari, docere, increpare, monere, remedia morbis, & ægritudinibus accommodata adhibere sciat.... Aspera tibi videntur? Cogita duriorem & asperiorem esse gehennam. Animum intende, lector, non modo

modo in doctrinam, verum etiam in testimonium Bellarmini, adfirmantis hanc esse doctrinam *Ecclesiæ catholicæ, quam semper Patres & Doctores orthodoxi docuerunt*. Quis hæc cum legerit, fidem adhibebit Tamburinis, Gobatis, Escobariis, Caramuelibus, Dianis, Leandris, Bonacinis, & sexcentis aliis Casuistis, manifeste opposita axiomata propugnantibus, ut mox infra palam fiet? Plura alia essent ex hoc præclarissimo Cardinali, in Ecclesiæ catholicæ doctrina versatissimo, pro qua tamen strenue, tam sapienter, tam feliciter adversus novatores pugnavit, & triumphavit, transcribenda; sed illa supra rescripsi *diss. I.*

§. V.

CARDINALIS DE AGUIRRE
Ord. S. Bened.

X. Inter numerosissimam multitudinem Sanctorum & Doctorum, quibus non intercisa tot sæculorum serie abundavit semper celeberrimus BENEDICTINUS ORDO, hac postrema ætate cum plurimis aliis, & quidem doctissimis atque probatissimis Purpuratis summopere resplendent Cardinalis de Aguirre, qui in Concilium Toletanum III. Diss. VIII. de instauratione sacrorum canonum *excurs.* 2. hæc docet.

XI. „ In præsenti autem inherentes non modo Conciliis, canonibus, & Patribus supra laudatis, nec solum gravissimis Cardinalibus, Episcopis, & Theologis horum temporum, sed etiam rationi manifestæ, fundatæ in doctrina fidei, & experimento frequenti, dicimus, maxime oportere ut gravium peccatorum rei, præsertim relapsi, antequam confiteantur, *vel ut minimum* ANTEQUAM ABSOLVANTUR, præmittant aliquo tempore, iuxta numerum & qualitatem scelerum, fructus dignos veræ pænitentiæ interioris, exteriorisque, licet longe breviores quam peccatis eorum respondeant iuxta sacros canones . . . . . Licet enim Deus potestate absoluta, aut providentia singulari, vel miseratione magna possit hominem gravium scelerum reum subito ad ingentem contritionem movere efficaciter, & perfecte ad se convertere; nihilominus iuxta cursum ordinarium ea insignia & præstantissima dona non largitur subito, sed gradatim, ac media impetratione facta per opera pœnalia in oratione, eleemosyna, ieiunio, & fletu, & planctu, aliisque mortificationibus corporis & animæ. Per eos actus divino auxilio exhibitos paullatim impetrat peccator maiora & uberiora auxilia ad dilectionem Dei, & contritionem, in eo gradu doloris, ac detestationis de peccatis, ut simul cum sacramento pœnitentiæ in re suscepto, aut eius voto in perfecta contritione clauso sufficiant ad impetrandam peccatorum veniam &c.

„ Qua-

„ *Quapropter vel hac solum ratione concludenti, quamvis aliunde non essent tot*
„ *urgentia Scripturæ, Conciliorum, ac Patrum testimonia*, OPORTET OMNINO
„ UT QUILIBET *homines criminibus maculati, & præsertim relapsi, aut recidivi,*
„ *antequam confiteri incipiant*, AUT SALTEM ANTEQUAM ABSOLVANTUR,
„ PRAEMITTANT *per aliquod tempus eiusmodi dispositiones pœnales ad impe-*
„ *trandum auxilia Dei opportuna; ut tandem iis obtentis, & habita ingenti omnium*
„ *peccatorum contritione, profecta ex vero amore Dei super omnia, & ceteris re-*
„ *quisitis, assequantur illorum veniam, & reddantur idonei ad sacram communionem*
„ *opportune recipiendam* &c.

„ Quid quod vel *Moscovitæ*, barbari licet, ac schismatici, hoc ipso sæculo, an-
„ tequam confiteantur, sese per octo dies continuos austero, & rigido ieiunio af-
„ fligunt, nihil aliud sumentes quam panem induratum, & vilem acidumque po-
„ tum, ut proinde viscerum dolores, & invaletudinem contrahant: testante id
„ de visu & habitatione cum iis diuturna Adamo OLECRIO *Lib. III. itineris*
„ *Persici cap.* XXX.

„ *Ex toto huius dissertationis contextu constat, quam nimium delicati, & digni*
„ *reprehensione quicumque peccatis mortiferis inquinati (de his enim locuti fuimus,*
„ *& adhuc loquimur, ne quis imperitus hallucinetur) ac nonnumquam plurimis*
„ *& gravissimis, non se præparant ad illa confitenda ieiuniis, orationibus, eleemo-*
„ *synis, alisque pœnitentiæ veræ operibus, ac mortificationibus per aliquod tempus*
„ *ad impetrandam misericordiam, & auxilia opportuna, quibus toto corde conver-*
„ *tantur ad Deum, ut salutarem fructum sacramentorum recipiant; sed statim post*
„ *siccam, aut præproperam confessionem absolvi volunt*. Constat similiter, quam in-
„ iuste, & impudenter ii criminentur Confessarios (quamvis doctos, pios, ac
„ notæ prudentiæ) nolentes absolutionem impendere statim, sed illam differre,
„ donec ea pœnalia opera exhibeantur per aliquot hebdomadas, vel dies saltem,
„ iuxta prudens eorum iudicium. Neque enim pro omnibus idem tempus exigi
„ debet, nec requirendæ sunt satisfactiones æque pœnales pro inæqualibus pecca-
„ tis secundum gravitatem & numerum.

„ Iniustissima plane est eorum querela, & quæ horrori esset toti antiquitati
„ christianæ, si contingeret tunc audire quemquam vociferantem, & conquerentem
„ de satisfactione sibi iniuncta ante, aut post absolutionem, quæ nec secundum
„ durationem temporis, neque secundum acerbitatem æquat centesimam partem
„ eius pœnæ quam imponebant canones illi veteres *Dei spiritu conditi, & totius*
„ *mundi reverentia consecrati*, ut loquitur S. Leo Papa. Atqui satisfactiones im-
„ poni solitæ hoc tempore, ante, aut post absolutionem pro gravibus peccatis
„ (*etiam ab iis Confessariis qui rigidi habentur, & crudelitatis incusari solent*
„ *tamquam conscientiarum carnifices*) non æquant ne centesimam quidem partem

„ eius pœnitentiæ quam imponebant canones illis, nec penes durationem; nec „ secundum acerbitatem, ut patebit consideranti. Iniustissima eiusmodi impiorum, „ & pseudopœnitentium querela est. “

XII. Plurima documenta, & rationum momenta, quæ doctissimus Purpuratus allegat in *excursu* 2. prætereo. Pauca transcribo ex iis plurimis quæ habet in *excursu* 3.

„ Oportet (inquit) nunc explanare, & confirmare aliquando amplius ea quæ dixi- „ mus excursu superiore *de absolutione* interdum differenda quibusdam peccatori- „ bus gravium scelerum reis, præsertim relapsis, aut duris corde, de quorum ve- „ ra conversione, & firmo emendationis proposito prudenter dubitatur; immo & „ de hortandis iis, aut etiam constringendis quandoque, ut præmittant non qui- „ dem totam pœnitentiam iuxta antiquos canones debitam (ut censuisse videtur „ Petrus de Osma supra reiectus) nec quia censeamus satisfactionem in re pro „ peccatis ex institutione divina per se ac generatim exhiberi debere, antequam „ conferatur absolutio (hoc enim reiicit Alexander VIII. in prop. 15. inter 31. „ damnatas) sed solum partem aliquam dignorum pœnitentiæ fructuum, antequam „ absolvantur. Nimirum sæpe ita exigit nimia fragilitas, aut pessima conditio con- „ fitentis. Insuper ea opera pœnalia non solum deserviunt ad placandam indi- „ gnationem Dei, & vindicandum scelera in ipsum commissa, impetrandumque „ auxilia opportuna perfectæ conversionis; *sed etiam ut Confessarius habeat mora- „ lem quamdam certitudinem de sufficienti dispositione pœnitentis, ac requisitis con- „ venientibus ad remissionem, sive absolutionem accipiendam . . . Porro doctrinam „ præiactam veluti certam, & communem in sensu explanato, legere est passim „ apud cordatos quoslibet Theologos antiquos & recentes.* Plurimorum generatim „ fidem facit, eosque sequitur D. Cardinalis de Lugo. “

XIII. Tandem post plurimorum Theologorum producta testimonia concludit. „ In Concilio Pragensi provinciali anni 1605. postea recuso an. 1650. iussu Do- „ mini Archiepiscopi de Harrach titulo *de pœnitentia* ita admonetur Confessarius. „ *Quos in graviora crimina frequenter ex prava consuetudine incidisse animadvertit, „ iis AD ALIQUOT DIES, ATQUE ADEO MENSES, PROUT MORBI GRAVI- „ TAS EXEGERIT ABSOLUTIONEM DIFFERAT; ita tamen ut illos sanare, non „ autem in desperationem, aut confusionem inducere pie prudenterque procuret.* „ Quod fere monitum nos iam præmisimus supra. Mitto plurimos alios Theolo- „ gos magni nominis ita loquentes; quorum quispiam non dubitavit dicere, *hoc „ uno remedio differendi prudenter absolutionem, & interea impellendi peccatores ad „ exibendum aliquandiu opera veræ pœnitentiæ, sperari posse ingentem fructum in Ec- „ clesia, & correctionem morum in plerisque hominibus gravium scelerum reis, ac præ- „ sertim relapsis.* “

CAR.

§. VI.

CARDINALIS DENHOFFIUS.

XIV. Celeberrima est, & in varias linguas versa, *Instructio pastoralis* Cardinalis Denhoffii Episcopi Cæsenatensis ad suum Clerum. Ex epistola, quam huic Pastorali præmittit, pauca delibo.

XV. „ Ad succurrendum in hac tanta calamitate populo, e peccati tenebris ad „ admirabile lumen gratiæ vocato, nullum invenimus remedium efficacius quam „ ut accurate doceamus, qua ratione in foro pœnitentiæ vos gerere debeatis.... „ Vos admonemus, quod tametsi Ecclesia, conditis in ultimo generali Concilio „ decretis, seu canonibus manifeste nobis testata sit, se per omnes temporum „ ætates eumdem in hac re servare spiritum; nihilominus sparsæ sunt per orbem „ *opiniones quædam menti illius adversantes, quas veluti latentes scopulos quosdam* „ *portum obsidentes sollicite evitare oportet* &c.

„ Idcirco vobis in hoc opere tutas monstramus semitas, quibus incedentes effi„ ciatis ut animæ cum Deo redeant in gratiam, a qua exciderant, & in recupe„ rata confirmentur: ne salutem peccatorum resipiscentium periculo exponatis, „ & ut Jesu Christi Redemptoris nostri gratiæ, qua liberamur, magnam apud „ omnes concilietis reverentiam, & existimationem. Bona fide illis utamini, „ *memores ab administratione sacramenti pœnitentiæ vestram quoque æternam ma-* „ *xime dependere salutem*.... Est profecto quod timeatis a divina iustitia pro „ perditione tot animarum, quæ alioquin salvæ evasissent: quandoquidem verum „ sit *multos Sacerdotes futuros non fuisse de numero damnandorum, nisi fuissent de* „ *numero Confessariorum*. "

XVI. Ex iis quæ in ampla Instructione habet perinsignis hic Cardinalis; unum & alterum dumtaxat transcribam monitum. Inquit §. 9. oportere ut pœnitentes *sese præparent precibus, humilibus, ac piis operibus, & repetitis actibus virtutum, quæ vitiis dominantibus adversentur. Id verum esse agnoscit D. Bernardus, & mirifice rem illustrat.* „ Sicut sunt peccata minima, sunt mediocria, sunt & „ magna. Magnus ergo peccator magna misericordia opus habet, ut, ubi abunda„ vit delictum, superabundet & gratia. Idcirco Rex David post adulterii flagi„ tium Deum rogat: *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.*" *Hanc autem misericordiam magnam non largitur Deus magnis pecatoribus sine præcedenti luctu gemituque, nec sine multa pœnitentiæ exercitatione, flagitante hanc œconomiam iustitia Dei, ut e Tridentino Concilio sumus edocti.* " Ad quam tamen „ novitatem, *inquiens*, & integritatem per sacramentum pœnitentiæ sine magnis

 „ nostris

„ nostris fletibus, & laboribus, divina id exigente iustitia, pervenire nequaquam „ possumus. " *Et sane rationi prorsus est consentaneum ut ad impetranda a Deo magnæ misericordiæ beneficia, cuiusmodi sunt copiosa gratiæ opitulantis auxilia, quibus omnino, & peculiariter opus est ad conversionem peccatoris, qui diutina vitiorum consuetudine languescit, longe maior etiam præcedat apparatus pœnitentiæ; quam si quis nuper admodum in crimen aliquod infortunio sit prolapsus.*

At præter divinam iustitiam, quæ id postulat, ipsa quoque vitia consuetudini adhærentia, quæ vehementer ad peccandum stimulant, aliquo plane temporis spatio oppugnanda sunt ante absolutionem; ut Sacerdos, dum eam impendit pœnitenti, sit morali modo certus hunc esse ab illis iam satis liberatum: quod tum demum credere possit, quum viderit frequentiam delictorum ex consuetudine profluentium per præcedentia pœnitentiæ exercitia ad hanc rem idonea, notabiliter esse diminutam.

XVII. Subdit §. 12. *Si recens est consuetudo, cum & hæc tamen veluti funis sit ex multiplicatis peccandi actibus contortus, qui miserum & infelicem reum fortiter ligatum tenet, dicente Psalmographo:* Funes peccatorum circumplexi sunt me: *etiam hic consultum erit ut plusculum temporis, quo rumpi possit, illi detur. Ita & docuit, & fecit magnus Indiarum Apostolus S. Franciscus Xaverius .... Neque arbitremini, exhortationes vestras, quæ exiguo tempore inter confitendum cursim, & velut in transitu fiunt, supplere posse erga homines prava consuetudine implicatos quod deest præparationi, quæ per exercitationes pœnitentiæ præcedere debet: eum ciusmodi non solum mortui iaceant, sed etiam sub grandi perversæ consuetudinis lapide sepulti; adeo ut gratiæ auxilio minime vulgari, & quasi miraculo opus sit ut e tali profundo subito eruantur. Cum autem putandum non sit, confitentes id auxilium nactos esse ob subitarum conversionum raritatem, id erit vobis amplectendum, quo nec sacramentum, nec salus pœnitentis in periculum veniat: quia præsto sunt remedia lege communi adhibenda, nempe ut iustum temporis spatium pœnitenti adsignetis; quo se ad impetrandum absolutionis beneficium præparet, id agendo quod innuit Concilium Tridentinum sess.* XIV. *de pœnit. cap. 2. scilicet, ut tempus aliquod exigat gemitibus ex animi dolore profectis, & operibus pœnitentiæ supra descriptis.*

XVIII. Hæc pauca delibasse sufficiat ex plurimis quæ ibidem docet Cardinalis Denhoffius.

CA-

CAPUT VI.

Omnes Concionatores, & sacri Missionarii e suggestu doctrinam hactenus explicatam docent. Ergo opposita plurium Casuistarum doctrina falsa est.

I. Capite superiore paucorum ex celebrioribus ultimæ ætatis nostræ Theologorum testimonia retuli brevitatis studio. Ceterum innumeros alios allegare potuissem ad confirmandam doctrinam menti & spiritui Ecclesiæ omnino consentaneam, & unanimi consensu SS. Patrum probatam. In præsens auctoritatem omnium ætatis nostræ Concionatorum recordari lubet. Revolvantur omnes libri qui *Quadragesimales* nuncupantur, in omnibus ubi sermo est de pravis peccantium habitibus, occasione proxima, consuetudine, atque frequenti in eadem crimina relapsu, de pœnitentiæ protractæ difficultate, doctrina superiori capite tradita invenietur altius exaggerata. Quodnam argumentum robustiori eloquentiæ vi Concionatores amplificant, urgent, inculcant, quam difficillimam peccatoris aut consuetudinarii, aut frequenter relabentis, aut diu permanentis in scelere conversionem? Hanc contingere non posse clamant, nisi lacrymis, ieiuniis, precibus, eleemosynis, vigiliis, & laboriosis operibus præviis. Instantaneam non esse, sed gradatim & pedetentim fieri hanc conversionem monent. Paucos ex his peccatoribus consuetudines, pravosque peccandi habitus exuere, a via mala recedere, ad Deum sincere converti, novamque christianam vitam assumere concludunt, & innumeris Scripturarum, SS. Patrum, rationumque momentis, & funestissimis exemplis hanc doctrinam confirmant. P. Claudius de la Colombiere Soc. I. Concionator celeberrimus, & divino spiritu fervens, ut ex eiusdem concionibus, & sublimissimo, quod edidit, voto apparet, *serm.* LXXII. adversus eos qui ieiunia quadragesimalia violant, & nihilominus in Paschate & confitentur, & communicant, his verbis latine redditis eos alloquitur. „ Vos, auditores, „ persuadere mihi contenditis pœnitentiam vestram veram esse? Adeo falsam il„ lam ego existimo, ut vobiscum Redemptoris sanguinem profanare vererer, si „ vos absolverem, antequam *vos, elapsis festis, quadraginta dierum ieiuniis ad* „ *pœnitentiam disponerem*, ut hoc experimento colligerem, num revera vos vio„ latæ Quadragesimæ pœniteat. " Hactenus Concionator hic ferventissimus. Rigorista ne *P. de la Colombiere?* Decepit ne auditores suos hac doctrina? Si ob violatam Quadragesimam aliam Quadragesimam servandam imponeret, qua pœnitentia affligeret adulteros, & fornicatores consuetudinarios? Quid ad hæc Casuistæ benigni?

II. Auditores, dum eiusmodi conciones audiunt, impallescunt, commoventur, lacrymantur, & perterrefacti discedunt. Accedunt ad Confessarios, doctrinis Casuistarum præventos, & vix manifestatis illis ipsis peccatis quæ præter propter plurium annorum intervallo confessi semper sunt, absolutionem obtinent, & exsiccatis lacrymis, pulsoque pavore, & terrore ex concione concepto hilares & læti se iustos reputant, & post paucos dies in eadem relabuntur flagitia. Luxum, pompas, fastum, & paganicam vestiendi formam, quam *MODA* vulgo appellant, & cetera mundi oblectamenta, in quæ tanto ardoris zelo invecti Concionatores sunt, resumunt ut antea. Intimos conscientiæ morsus & latratus, quos excitarunt Concionatores, patefaciunt Confessariis & Casuistis suis, quorum non pauci respondere solent: *Prædicatores concionatorie*, *oratorie*, *figurate*, *emphatice declamant*, *exaggerantque*. Cum hæc audiunt mœsti pœnitentes, lætantur, triumphant, & sin expresse & directe, certe reipsa, & sub cuiusdam hypocrisis velo animos resumunt, viresque instaurant ad arripiendas vias suas malas.

III. Hæc universo mundo comperta sunt, nempe Concionatores omnes difficillimam, & raram esse peccatorum *recidivantium*, *habituatorum*, & *consuetudinariorum* conversionem e suggestu enuntiare, exaggerare, & invictis argumentis demonstrare. Nihilominus consuetudinarii, & pravis habitibus irretiti communiter absolvuntur a pluribus & pluribus Confessariis, continuo ac fassi sunt peccata sua, si pectus tundant, si lacrymas fundant, spondeantque emendationem, quam tot annis antea spoponderunt absque fructu. Vix unum & alterum in centum reperies ex his peccatoribus qui communiter, ut dixi, non absolvantur a pluribus Confessariis. Et hoc factum adeo verum exploratumque est, ut si quandoque eiusmodi peccatores incidant in aliquos Confessarios doctos, cordatos, & probos, qui differre absolutionem velint, illos ut crudeles, rigoristas, & carnifices conscientiarum traducant, & insectentur.

IV. Quibus adhærendum, quorum præferenda doctrina est, Casuistarum, aut Concionatorum? Concionatores argumenta sua hauriunt ex Scripturis sanctis, ex Patribus, & Conciliis. Concionatoribus coniunguntur omnes ad unum libri quos *spirituales* & *asceticos* appellamus. Auctores isti magna sunt auctoritate præditi, utpote & morum probitate ornati, & cælesti lumine perfusi. Accedit quod isti solam Scripturæ divinæ, & SS. Patrum doctrinam explicent. Itaque tum ab auctoritate, tum a rationum momentis eruitur, oppositam plurium Casuistarum doctrinam, & praxim omni destitutam esse vera probabilitate. Hæc serio meditentur Confessarii, & missis plurimis Casuistis, qui abusum fovent impertiendæ absolutionis sacramentalis quibuslibet peccatoribus *recidivantibus*, dummodo ore dicant se dolere, spondeantque emendationem, doctrinam Ecclesiæ in tot Conciliis,

iis, & præsertim in Tridentino explicatam, & tot sanctorum virorum testimoniis munitam amplectantur.

V. Unum nunc deplorandum amaris lacrymis est, nempe dissidium, & tam aperta contrarietas verbi Dei Prædicatores inter, & Confessores. Aliam ne doctrinam pro *pulpito*, seu pro *suggestu*, aliam doctrinam pro *confessionario*, Evangelia Christi tradunt? Unde, quæso, tam aperta, & omnibus pervia oppositio? Plura hac de re scribit numquam sine laudis præfatione memorandus P. Michael Elizalde Iesuita *Lib. VI. quæst.* VI. *§. 6.* Pauca transcribere lubet. „ At sacris Con„ cionatoribus id propositum est sibi *ex libris Dei, & per libros maxime Sancto„ rum* caussam esse agendam. Ex his ergo ipsis, & per hos ipsos, non per o„ mnino alios, & Theologus, & Confessor, & consultor directorque conscientiæ „ uti deberent: ex qua plane concordia fructus ingentes colligerentur. Ut ita„ que in sacris concionibus vix alii libri audiuntur: Augustini, Hieronymi, „ Chrysostomi, Gregorii, ac similes perpetuo teruntur: hi noti, hi domestici, „ familiaresque sunt . . . Cum porro alii in templis proferuntur, ex aliis vero „ dein vivitur, fiet plane ut Sanctorum doctrina in templis maneat, haud vero „ transeat ad mores.

„ Ubi illud perpetuo quærere soleo, utrum quæ ex Scripturis, & Sanctis in „ templis efferuntur, vera sint, aut falsa? Si falsa, quod absit, nec quidem in „ templis esse ingerenda. Sin vero vera sint, ut utique sunt; ergo etiam in „ schola, & in libro morali, & ubique vera sunt. Fieri ergo nequit ut aliud „ sit verum templorum; & non hoc, *sed aliud sit verum librorum moralium*: „ & uno modo ex suggestibus sacris instituendi simus de via salutis, & prorsus „ alio alibi.

„ Dixi eadem in eumdem finem media a Concionatore, & Theologo morali „ esse adhibenda; non alia & alia: nam cum utraque poni simul nequeant, al„ terutra omittentur, ut plerumque sane contingit: quemadmodum si alter mihi „ dicat, Vallisoletum nonnisi equo, aut nonnisi hac via esse eundum; alter „ vero aut cursu, aut alia via eundum doceat; alterutrum omittatur necesse „ est. Et sane ex Missionariorum, aliorumque similium doctrinis pauci sunt „ qui vivant &c.

„ A principio plane non fuit sic. Neque enim Apostolorum in primis tempo„ re, alia ipsi in concionibus dabant; & alia deinde Theologi, ex quorum di„ ctis esse vivendum supererat: aut alia ipsi tamquam magistri sermonum, & „ verbi Dei annuntiabant; & alia deinde tamquam Theologi epistolis suis, aut „ verbo edocebant. Neque Martyrum tempore, nec ætate Doctorum fuit ista „ sacrorum Oratorum, Theologorumque divisio; ut alii quidem Theologi es„ sent, & alii dein verbi Dei annuntiatores: & alia & alia utrique docerent:

„ & Theologorum esset doctrinam tradere; Concionatorum vero *nescio quid a-* „ *liud* : & hi quidem ex Scripturis; illi autem aliunde differerent, causasque „ terminarent, atque ad hos ex illis appellaretur. "

VI. Sed heu! Adeo invaluit gravissimus abusus iste, alios pro concionibus, alios pro moribus formandis habendi libros, aliamque pro munere concionandi, & aliam pro audiendis confessionibus comparandi doctrinam, ut candidati unum examen pro munere Concionatoris, aliud pro officio Confessarii sustineant. Et quamquam hoc duplex examen honestari aliqua ratione valeat; nemo tamen corruptelam hanc immanissimam probabit, videlicet aliam e suggestu, aliam in confessionali tradendi doctrinam. Et tamen quot Concionatores, quot apostolici ministri, seu *Missionarii*, ut vocantur, tempore sacrarum missionum, e suggestu ardentissimo zelo declamant, detonantque adversus peccatores recidivos, consuetudinarios, & pœnitentiam procrastinantes; &, ut superius dixi, omni argumentorum genere evincunt extremam difficultatem evellendi depravatos inveteratosque habitus, mutandi arreptam vivendi consuetudinem? Quæ non adducunt argumenta adversus falsam moribundorum pœnitentiam? Clamant, inclamantque, moraliter possibilem non esse veram pœnitentiam in illa extrema lucta. Cur? Quia transitus iste de extremo vitiorum ad extremum virtutum evangelicarum paucis momentis, sublato miraculo, non fit. Repetita flagitia & continuata mentis cæcitatem, cordis duritiem, & obstinationem parere, Dei furorem accendere, divinam vindictam provocare, obstacula divinæ misericordiæ, & quasi vim inferre, sexcentis Scripturarum, & SS. Patrum testimoniis probant, demonstrantque.

VII. Quid postea? Ex iis ipsis Missionariis non pauci, e suggestibus ad confessionalia transeuntes, quasi aliud munus exercerent, aliam omnino contrariam doctrinam usurpant. Plura & plura hominum millia absolvunt, & ad sacrosanctam communionem admittunt spatio trium quatuorve hebdomadum. Inveteratos periuros, feneratores, blasphemos, fornicatores, iuvenes, puellasque mutuo se impudico amore prosequentes, vindicatores, maledicos, lusores, & cuiusque status, professionis, & artis absolvunt, & indulgentia plenaria eosdem ornant viginti dierum intervallo, vix uni inveterato peccatori convertendo opportuno. Et cum plura hominum millia sacramento pœnitentiæ expiaverint, sacraque communione paverint, tum ingentis messis fecundam reputant apostolicam missionem. Quot autem ex tot hominum, & mulierum, iuvenum, & puellarum millibus sincere in Deum conversi? Tot, quot illi ipsi sacri Missionarii, e suggestibus Dei verbum prædicantes, annuntiarunt convertendos: quot illi ipsi ex peccatoribus, periuriis, impudicitiis, ludis, profanis amoribus, iniustitiis, mendaciis, fraudibus, dolis, fenoribus assuetis annuntiaverunt sincere & plene inter paucos dies conver-

ver-

vertendos? Paucos, paucos. Et quoniam doctrina ex cathedra evangelica praedicata, & ex Scripturis, & SS. Patribus hausta vera est; idcirco pauci reipsa sincere & vere convertuntur. Ex repraesentatione fornacis gehennalis, ex tremenda imagine aeternitatis, iudicii universalis tetris depicta coloribus a Missionariis, auditores perterrefacti, & timore quodam servili correpti, lacrymabundi alii, alii siccis oculis Missionarios in confessionali sedentes adeunt, dicunt dolere sibi, spondentque in posterum se amplius non peccaturos; & communiter omnes absolvuntur. Experientia ipsa omnibus luculenta testis est, quam confirmo sequenti facto. Parochus quidam doctus, & morum probitate ornatus, atque curae gregis sui zelo flagrantissimus, audiens quosdam Missionarios e suggestu apostolico pectore declamare adversus peccatores consuetudinarios, eorumque larvatam poenitentiam, inclamantes difficillimam esse istorum conversionem, hanc paucis diebus fieri non posse, sed necessario requiri ut praecedant ieiunia, eleemosynae, iuges preces, lacrymae, gemitus, & alia laboriosa pietatis opera, exultabat quod tam sana doctrina oves sibi concreditae pascerentur. Quid postea? Ingrediuntur *confessionalia* Parochus, & Missionarii, sedentque horis pluribus. Parochus vix decem poenitentium confessiones excepit illo intervallo quo Missionarius plusquam centum absolutos dimisit. Expleto ministerio Parochus, qui propriis oculis universalem hanc absolutionum dispensationem prospectavit, Missionarium adiit, cumque allocutus est. *Manbu?* Quid est hoc? Tu e suggestu invictis rationum momentis ostendisti, non esse peccatores frequenter relabentes absolvendos, nisi prius probentur, nisi prius exhibeant sincerae conversionis signa: & tu eo intervallo quo ego vix decem poenitentes expedire potui, plusquam centum iudicatos, & absolutos dimisisti? *Manbu?* Quid est hoc? Reposuit intrepide Missionarius. *Aliud est pulpitum, aliud confessionarium. Una res est suggestus, alia res est tribunal poenitentiae.* Obmutuit Parochus, & tum intellexit, aliam esse quorumdam Concionatorum, & Casuistarum Theologiam. Quid heinc? Negligendae ne conciones, & missiones? Absit. Hoc est verum apostolicum ministerium. Corruptelae, quae omnem professionem, tametsi sanctissimam, comitantur, corrigendae & eliminandae sunt. Doctrinam quam Missionarii e suggestu tanto ardore, & tot argumentis munitam praedicant, in confessionali executioni demandent, ut tot insignes & sancti Missionarii reipsa faciunt. At, inquiunt, tempus missionibus in hoc aut illo loco peragendis destinatum tribus quatuorve septimanis concluditur; quo spatio elapso abeundum est. Quid heinc? Absolvendi ne propterea omnes accedentes ad *confessionale*, tametsi pluries eadem flagitia perpetrata confessi fuerint? Nequaquam. Desperantes ne, & impoenitentes relinquendi? Ne quidem. Quid ergo agendum? Id quod praecipiunt Scripturae, Patres, Concilia, &. praesertim Tridentinum. Revocanda nempe in memoriam est,

&

& altius animis inculcanda doctrina e suggestu prædicata, ut lacrymis, gemitibus, ieiuniis, vigiliisque se se disponant ad plenam conversionem. At proficisci, & abire Missionarii debent. Esto. Instruantur pœnitentes peregrinationum quas olim pœnitenres veri suscipiebant, ut ad absolutionem obtinendam se se disponerent. Imponatur iisdem, ut postquam laboriosis operibus se præparaverint, iter suscipiant, & ad locum quo profecti sunt Missionarii, accedant, quo ibi exhibitis plenæ conversionis argumentis absolutionis beneficium assequantur. At iter istud perincommodum illis est. Verum habet. Sed neque millesima pars est pœnitentiæ quæ iisdem debetur, & quæ olim imponebatur. At plures sunt patresfamilias, mulieres, puellæ, filiisfamilias, artifices, operarii, qui has peregrinationes, vel itinera arripere nequeunt. Verum est. At plurimi sunt qui possent, si revera essent contriti, & sincero desiderio flagrarent se se in Deum convertendi. Istis onus tale imponatur; ceteris omnibus methodus vitæ ducendæ, & pœnitentiæ peragendæ, qua se disponant ad veram confessionem, & validam absolutionem obtinendam, præscribatur; & instruantur, ut suis Parochis, aliisve probatis Confessariis tempore præscripto confiteantur.

VIII. Difficillima hæc sunt, & pauci ad praxim eadem redigent, paucique in missionibus confiterentur, hac servata methodo. Fateor: quia pauci sunt electi. At saltem millena sacrilegia evitarentur, & occasio subtraheretur, ne in errorem inducerentur, si fieri posset, etiam electi. Scandalum enim gravissimum interdum pati civitates, & loca sacrarum missionum possunt. Vident inveteratos avaros, feneratores, adulteros, periuros, blasphemos, impudicos, ambitiosos tempore missionum indiscriminatim absolvi, & ad sacra altaria communicaturos accedere. Peractis sacris missionibus vident eosdem coasueta crimina patrare, & antiquam vivendi formam tenere. Quid heinc? Secum colluctantur, pugnant, & quasi in fide nutant, vacillantque. Doctrinæ e suggestu a Missionariis prædicatæ, & doctrinæ in confessionali executioni demandatæ menti occurrunt. Pugnam & contrarietatem inter has doctrinas meditantur, & secum ipsis belligerant. Plures confirmantur in iniquitate, & ex facilitate veniæ, atque absolutionum, peccandi animos, & incentiva sumunt delinquendi; ut Cyprianus, Ambrosius, & Patres omnes clamant, & experientia ipsa vociferatur. Gloriantur interdum, & veluti triumphabundi discedunt sacri Missionarii, quod integrum fere populum loci in quo missionem egerunt, absolverint, sacra Eucharistia refecerint, & plenaria indulgentia donaverint. At Seraphicus Patriarcha Franciscus lumine divino perfusus lacrymatur, quod ex viginti & amplius millibus hominum quatuor tantum assecuti Assisii essent plenariam indulgentiam. Ostentant plures, & iactabundi clamant, sæculum nostrum aureum esse, quod numquam fuerit tanta sacramentorum frequentia. At contra viri Dei, & servi Iesu Christi lu-

lugent, quod numquam fuerit tanta morum dissolutio, quod numquam tam sacrilege profanata sacramenta fuerint, quod numquam tam aperte consenserint iura peccatis, & licitum non modo esse cœperit, ut lacrymatur Cyprianus, sed evaserit, & altas radices egerit, quod publicum est. Lubet huic capiti finem imponere verbis quæ habet doctissimus atque morum integritate probatissimus *Guido de Seve de Rochechouart Episcopus Atrebatensis* in sua pastorali amplissima Instructione III. *cap.* 1.

IX. „ Non absque ratione, fratres mei, in 2. nostra epistola pastorali axiomate primo, ac ceterorum omnium fundamento, posuimus grandem hanc & gravem Christianismi veritatem: tenendam esse viam arctam, si quis velit ad salutem pervenire. Videtur enimvero quod axioma istud ignoretur, vel non satis serio ad primam illam ac fundamentalem religionis nostræ veritatem attendatur, si tot Christiani longissimo tempore, non deserta via lata sæculi, ad sacramenta accedunt; tot etiam Confessarii, qui eos in vitiis suis fovent directione adeo ignava & molli, ut quamquam peccatores isti baptismi sui innocentiam servassent tam fideliter, ac eam per crimina sua amiserunt infideliter, deberent eos tamquam Christianos ad vias duriores ac molestiores constringere. *Neque enim vita deliciarum & voluptatis est Christianismus* . . . Idcirco tamquam veritas constans, eaque fidei asseverari potest, Christianos qui spatiosas mundi vias ambulant, quorum vita in mediis sæculi deliciis, corde numquam ab eis avulso, agitur, qui cupiditatibus toti addicti sunt, quorum unus scopus est, una cura, unum in mundo negotium, aut avaritiæ, aut ambitioni, aut voluptatibus suis satisfacere, quos sæculo, & regulis ipsius plenos conspicimus, qui, dum semper laborant, semper otiantur, quia numquam, vel parum laborant Deo . . . *Domicella* mundi e. g. quæ seipsa occupatur dies totos, ut hominibus placeat, quæ modo mundano, & immodesto se vestit; quæ, dum modum (*la Moda* ut aiunt) habet veluti speciem quamdam religionis, collo, & humeris nudis laqueos tendit innumerorum hominum castitati; cuius cor mundo plenum est, numquam Deo; quæ templum non ingreditur, nisi ut maiori illic pompa, & graviori crimine immodestiam suam oculis Dei ostentet, ipsique Christo Iesu in altaribus nostris quodammodo insultet: mulier, inquam, ista semper in gaudio, in voluptatibus, in deliciis, estne in via arcta? Minime sane. Est ergo in via perditionis. *Numquid confitetur? Sæpissime. Non ergo suus eam novit Confessarius? Versatur cum illa frequenter. Numquid hæc agendi ratio in mundo communis est, at simul prorsus damnanda? Quot in hac effigie cognoscere licet? qui in perniciem suam currunt, dum forte Confessarius tantum caritatis non habet, ut eos admoneat timore displicendi; aut non tantum firmitatis, ut post inutilia monita cogat eos ne-*

„ *gan-*

„ *gando sacramentum* (*quo nocentiores fiunt*) *vitam mutare*. Quot mercatores, „ qui quavis arte semper lucrantur? Quot operarii iniquitatis inter eos qui vel „ debent administrare, vel curare administrari iustitiam, ut iudices, advocati, „ procuratores? Quot Sacerdotes in vita omnino otiosa? Quot Religiosi, qui, „ postquam se a sæculo separarunt, in viam mundi spatiosam redeunt per nego„ tia, & artes, quibus, insciis sæpe Superioribus, se se immiscent? . . . . Quot „ apud mundum honesti, qui alias non habent regulas quam sæculi, semper in „ comessationibus, nec tamen ebrii; semper circa fortunam suam occupati, de„ siderio immoderato, & ambitione, quæ limites non habet, nec tamen iniusti; „ semper in voluptatibus, quas non damnat mundus, nec tamen impudici? Hi „ omnes incedunt ne per viam arctam? Numquid incedunt per viam spatio„ sam, ac proinde per viam perditionis? Hi omnes numquam aut debito con„ scientiæ, aut Ecclesiæ præceptis de confessione & communione annua satisfa„ ciunt? Nulla interim mutatio. *Unde hoc? An quod practice convicti non su„ mus, tenendam esse viam arctam, ut veniatur ad cælum? An quod hæc veritas „ salutis sterilis maneat in mente, nec ad cor usque transeat? An quod nec ad „ mentem forte ipsam perveniat? An quod excæcet ipsa cupiditas? An quod ver„ sentur in ignorantia? An quod forte Directores, & Confessarii veritatem illam „ ignorent, & sint duces cæci, qui aliis ducatum præstant? An quod oblivíscan„ tur, aut negligant pœnitentes suos de hoc instruere; aut pœnitentes monita ipso„ rum contemnant? Quæ breviter est origo illius cæcitatis, qua tantum non ever„ sum it FUNDAMENTUM CHRISTIANISMI, STABILITAMQUE SPECIEM „ QUAMDAM HAERESEOS IN RE MORALI PERICULOSIOREM (si dicere li„ ceat) Christianis quam quæ ad fidem spectat? Cum tam frequens sit impugnari „ in Ecclesia huiusmodi veritates practicas, quam est rarum (apud Catholicos) illic „ impugnari eas quæ in sola hærent speculatione. Aliunde sæculum nostrum suppe„ ditat exempla, de quibus non ingemiscere non possumus. Et omnes errores isti, „ quibus MORALIS RESPERSA EST, & e quibus aliqui in ipsa principia, & „ legem naturæ impingunt, ex quo fonte alio scaturiisse poterant, nisi quod ignora„ retur tum magnum illud principium de necessitate ingrediendi viam arctam, tum „ indispensabile præceptum, quo tenetur Christianus naturæ suæ sensa, ac desideria „ oppugnare; simul quod parum animadverteretur, quorum se debitorem constituerit „ in baptismo?*

„ Porro cum ignorantia illa non aliunde nascatur, quam quod istiusmodi ma„ lorum dogmatum auctores, qui in caput suum Sedis Apostolicæ, & plurimo„ rum Episcoporum fulmina, & anathemata provocarunt, consulere pro suis de„ cisionibus non soleant sacras litteras, aut SS. Patres. aut Concilia, *quæ apud „ ipsos tam raro citata invenies, quam illic frequenter videbis ingentes quorumdam*

„ Theo-

„ *Theologorum ultimi sæculi catervas : putamus ad veritatem illam solidius stabi-*
„ *liendam, constituendamque extra omnem controversiam, debere nos eam sacris lit-*
„ *teris, Patribus, & ultimi Concilii auctoritate fulcire* ; confidimusque fore ut fi-
„ deles, dum intelligent, quid status Christiani exigat a iustis, se submittant le-
„ gibus quas Ecclesia pœnitentibus, & peccatoribus præscripsit. "

CAPUT VII.

Plures quæstiones casuisticæ de absolutione impertienda, vel differenda peccatoribus relabentibus, consuetudinariis, & in occasione proxima versantibus.

I. Doctrinam Scripturarum, SS. Patrum, & insignium ultimæ ætatis Theologorum præmittere operæ pretium existimavi, ut lectores, hac sanæ doctrinæ lectione præventi, iudicare, & seligere, vel improbare valeant plurium recentiorum Casuistarum opiniones. Sed primum omnium doctrina de occasione proxima præmittenda est.

§. I.

De occasione proxima. Variæ recentiorum distinctiunculæ. Has P. Michael Elizalde salse deridendas exhibet.

I. Libro superiore *diss.* II. *cap.* XIII. ubi exposui propositum necessarium ad contritionem, sermo fuit de occasione. At quia materia hæc implicata est, eiusque notitia summe necessaria; idcirco lubet iterum clarius eamdem explicare.

II. Plures recentiores Casuistæ definiunt *occasionem proximam esse in qua homo fere semper peccat*: quæ sane definitio mihi haudquaquam probatur; immo eam tamquam æquivocam, & sensibus falsis, atque periculis obnoxiam reiicio. Ex data quippe definitione consequitur, occasionem aliquam desinere esse proximam, dum in ea frequentius non peccatur quam peccetur; tametsi frequenter peccetur. Nam si quis, e. g. quotidie conversaretur cum muliere, dum nonnisi bis terve in hebdomada peccaret, dici iuxta datam finitionem deberet, hunc non versari in occasione proxima; propterea quod minus frequenter peccet quam quod peccet; atque adeo falsum sit eum peccare *fere semper*.

III. Reiecta itaque recensita finitione, existimo occasionem proximam describi pos-

posse, esse illam *in qua quis frequenter peccat*, aut *quae natura sua; vel illius qui in ea versatur, conditione spectata, proxime ad peccandum inducit*. Distinguendae porro sunt duae occasionis proximae species. Altera est proxima per se; & natura sua; ut locus infamis, vel mulieris profligati pudoris commercium: altera, quae est proxima tantum per accidens, ut ingressus tabernae ebrioso, ut mercatura homini avaro, militia iuveni effrenato, officium medici homini inepto, officium iudicis homini aut ignoranti, aut ad iniuste iudicandum valde propenso. Eiusmodi occasiones proximae per accidens vocantur: quia proximae non sunt relate ad omnes, sed solum ad quosdam; quibus tamen desinerent esse tales, si isti revera converterentur. S. Carolus Borromaeus *in Instruct. poenit.* enumerat plures occasiones istius secundi generis. *Sic* (inquit) *plerisque sunt hodie; saeculi nostri vitio, bellum, negotiatio, magistratus, advocatorum, procuratorumque professio. Qua in re vigilare eo maius operae pretium est, quod Confessariorum hac in parte INCURIA in omnibus artibus, & professionibus regnent plures abusus; gravissimaque peccata, sine quibus iam videtur a multis ne iustissimas quidem professiones exerceri posse. Sic v. g. in magistratuum, & aliorum officiorum institutione, ea solemni saepe sacramento promittuntur quae numquam observantur. Apud iurisconsultos, advocatos, & procuratores clientum improbitati, & iniustitiae contra propriam conscientiam servitur. In militia, duello, odiis, homicidiis, alea, blasphemiis, rapinis, & impudicitiis peccari solet. Mercatores usuras palam exercent, pro sinceris fucatus merces plerumque proponunt, pretiis longe iusto maioribus omnia vendunt, frequentia sunt apud eos periuria, fraudesque in solvendis pedagiis, aliisque*. Plurima alia in artificibus, & mercatoribus non paucis reprehendenda occurrere solent, videlicet opificia male confecta, sive fraude, sive malitia, sive imperitia. Deinde festis diebus laborant, & famulos occupatos tenent, & divinum cultum negligunt. Propter quae crimina, quae variis fucis honestant, raro valide confitentur non pauci.

IV. Occasio proxima insuper alia voluntaria, alia involuntaria. Voluntaria est quam quis sponte libereque eligit, & a qua tum physice, tum moraliter separare se potest; ut herus, qui peccat cum muliere, quam penes se habet, quamque dimittere libere valet. Involuntaria est a qua quis separari nequit: eaque duplex est: alia involuntaria physice, a qua nullo modo se quis separare potest, cuiusmodi sunt damnati ad carceres, ac triremes &c. Occasio proxima involuntaria moraliter dupliciter rursus consideratur. Alia quae deseri non potest absque peccato vel semper, vel ad tempus; ut maritus & uxor, quando sibi mutuo occasio proxima peccandi sunt. Mutuo tamen consensu debent sibi consulere, & ea adhibere remedia quae opportuna sunt ad occasionem criminosam auferendam. Alia est occasio proxima involuntaria moraliter, quae deseri absque gra-

gravi damno nequit. In istiusmodi occasionibus versantur mercatores, milites, iudices, advocati; & ceteri omnes quibus proprius status est occasio proxima peccandi; quem statum si desererent, ad mendicitatem reducerentur. Hæc involuntariæ occasionis proximæ species origo fuit, & est plurimarum opinionum laxarum, quas infra expendam.

V. Distingui etiam solet occasio proxima in eam quam quis contraxit per habitus pravos, seu peccandi frequentiam, quæ intra ipsum peccatorem est; & in illam quæ extra peccantem est, cuiusmodi sunt omnes occasiones exteriores. Distingui occasio a periculo solet; sed pro eodem communiter accipitur. Dividi etiam solet periculum seu occasio in materialem, & formalem. Occasio seu periculum proximum materiale suapte natura, & secundum circumstantias extrinsecas est coniunctum cum peccato; tametsi non coniungatur ob peculiarem conditionem personæ. Periculum vero formale proximum, seu occasio formalis proxima est, quæ, omnibus tum extrinsecis, tum intrinsecis circumstantiis spectatis, coniungitur cum peccato. Tandem distinguunt recentiores periculum, seu occasionem in certam, & probabilem; in gravem, & levem: quæ pariter distinctio plurium laxarum opinionum origo est. Periculum formale certum tunc esse aiunt, quando quis certo sibi persuasum habet in tali occasione seu periculo constitutum se peccaturum. Probabilem occasionem vocant, quando quis probabiliter, seu, ut ipsi aiunt, prudenter timet se in tali occasione lapsurum; simul tamen etiam probabiliter sperat se non lapsurum: & hæc probabilistica distinctio altera laxarum opinionum scaturigo est. Periculum leve est, quando quis leviter timet, aut suspicatur se lapsurum. De periculo, seu occasione remota nihil dicendum occurrit. Has omnes distinctiones recensere volui, non quod necessarias iudicem, sed ut colligat lector, quanta distinctiuncularum diversitate ipsius occasionis & periculi natura implicetur. Nec propterea inficior variam esse & occasionis, & periculi naturam, cum experientia hoc manifestum sit. Illud tantum in antecessum animadverto, in constituendo periculo seu occasione proxima peccandi duo spectanda esse, periculi seu occasionis naturam, & hominis statum, eiusque vel lapsus, vel morum integritatem.

VI. Sed P. Michaelem Elizalde *Lib. VIII. quæst.* xv. *§.3.* audiamus. *Sunt etiam* (inquit) *qui de periculis tamquam de opinionibus probabilibus imperitissime philosophantur, dicendo alia esse magis, alia minus, alia æque probabilia. Illa æque probabilia aiunt in quibus toties plus minusve peccatur, & toties non; illa pericula magis probabilia in quibus pluries; illa minus in quibus non toties, sæpe tamen delinquitur. Resolvunt tamen iuxta viam opinionum probabilium, nullum horum discriminum nos teneri vitare: quia in eis omnibus oppositum quoque, idest me peccaturum non esse, est probabile. Ergo grave fundamentum sequor, prudenterque periculum adeo.*

Con-

Consecutio, & logica optima est ex VIA PROBABILIUM; sed quae una viam illam (paradisi) *evertat, & INFERNUM IMPLEAT. Quis enim sibi plene constans fateatur, licere iuveni domum illam adire in qua vel ipse, vel similes, & instar sui adeuntes toties, vel etiam pluries labuntur, caduntque? Patet hoc dici non posse ex p. 1. esseque sorti, vel casui animam committere: quod scelus est. Ac postremo, ne in re absona conterenda moremur, hoc uno verbo est, ad nullum periculum vitandum obligare, sed dumtaxat ad vitandam necessitatem peccandi: nam post ea probabilia pericula sequitur necessitas; & quae infra necessitatem existunt, aiunt esse utrimque probabilia. At nulla probabilia vitare teneor: ergo nulla pericula, sed solum necessitatem. Necessitas autem periculum non est. Et de propria periculi ratione est contingentia aliqua in oppositum, & nemo non fatuus ignem ad stupam applicatum videns dicit, periculum esse ne comburat: & ita in aliis necessariis. O HOMINES!*

VII. Hac exclamatione talia opinionum commenta primum improbat P. Elizalde, deinde ex ipsius Probabilismi principiis eadem profligat. Nam iuxta communem hominum sensum periculum grave & magnum peccandi mortaliter vitandum est. Sed omne periculum probabile grave & magnum periculum est. Siquidem iuxta Probabilistas omnis opinio vere probabilis gravi magnoque nititur fundamento; Auctoresque opinionis probabilis graves Doctores appellant. Ergo omne periculum probabile vitandum est. Transcribo verba P. Elizalde. *Atque ad hominem nullo negotio demonstratur. Nam aiunt omnem conclusionem, opinionemque probabilem magno gravique niti fundamento: estque proinde opinio ipsa gravis, graviterque fundata: & Auctores etiam graves propterea dicere consueverunt. Ergo & omne periculum probabile est grave, & magnae contingentiae subest. Tenemur porro gravia, & magna pericula vitare. Ergo.* At instant Probabilistae. Si periculum peccandi magnum est, quia probabile est; etiam spes non labendi magna est, quia probabilis est. Ergo liberum cuique est alterutrum extremum eligere. Consequentia, subdit P. Elizalde, in via Probabilismi vera est. Sed via haec a paradiso abducit, & infernum implet. Via haec sorti & fortuito ludo animas Christi IESU sanguine redemptas committit. Verum de his iterum paullo infra.

§. II.

§. II.

Propositiones de occasione proxima ab Ecclesia damnatæ veluti antievangelicæ, paucis declarantur.

I. Alexander VII. sequentem propositionem, quæ est 41. damnavit. *Non est obligandus concubinarius ad eiiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo* Regalo; *dum deficiente illa nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.*

II. Ven. Innocentius XI. sequentes propositiones de occasione proxima damnavit.

60. *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, non est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, & proponere emendationem.*

61. *Potest aliquando absolvi qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quinimmo directe, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.*

62. *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.*

63. *Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.*

III. Quam sint recensitæ propositiones directe Evangelio oppositæ, patet ex iis quæ supra dicta sunt. Cursim sub oculos textus evangelicos revoco. Matth. v. hæc habentur. *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proiice abs te .... Expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum quam totum corpus tuum mittatur in gebennam. Et si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam, & proiice abs te . Expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum quam totum corpus tuum eat in gebennam.* Quisnam horum germanus sensus? Rescindenda amicitiarum, societatum, conversationum vincula, renuntiandum illecebris, oblectamentis, coniunctis, parentibus ipsis, quando ex istis peccandi, animamque perdendi occasio nascitur. Hæc est omnium Patrum interpretatio, & res ipsa patet.

IV. Ex recensitis proscriptis opinionibus hostiliter cum Evangelio pugnantibus collige, cuius pastilli sit Theologia illorum recentiorum qui easdem invexerunt, & propugnarunt. Et tamen illi ipsi eas docuerunt quorum libri manibus teruntur, & quorum doctrina Confessarii utuntur. Nam licet damnatas theses absolute improbent; tamen alias doctrinas quæ ex eodem principio, & opinandi modo

proficifcuntur, ambabus manibus fufcipiunt, & illas ipfas damnatas thefes una diftinctiuncula adiecta eludunt.

§. III.

P. Dominici Viva *interpretationes in thefim* 41. *Alexandri VIII difcutiuntur Doctor eximius* P. Suarez *a laxa doctrina vindicatur adverfus* Leandrum, *&* Viva.

I. SUpra *Tom. IV. in Decal. Lib. VIII. diff.* 1. *cap.* 1. *pag.* 360. refcripfi interpretationem P. Dominici Viva in *propof.* 41. Alexandri VII. Sed quia prolixa erat, nonnulla omifi ibi, quæ ad rem non pertinebant, interiectis tamen fignis, quibus monitus lector effet, aliqua omiffa effe. Hac licet diligentia adhibita, nihilominus nonnulli, quorum nomini parco, & a iufta correctione fuperfedeo, fretus illorum probitate, qua illi ipfi femetipfos corrigent, abftinebuntque impofterum ab exponenda peccandi & quidem graviter periculo propria anima, ut partium ftudio indulgeant: nonnulli, inquam, aufi funt inveteratam rancidamque cantiunculam, qua aurito gregi a tot annis imponitur, recanere, me fcilicet minus fincere, fideque mala truncatam exhibuiffe dictam interpretationem. Quare, ut aliquo tangantur pudore, &, fi fieri poteft, tandem aliquando ab eiufmodi impofturis abftineant, integram, opportunitate data, interpretationem illam refcribo.

II. Itaque P. Dominicus Viva in fua trutina in *prop.* 41. Alexandri VII. num. 16. hæc fcribit. „ Dubitatur hic, an poffit abfolvi qui in occafione peccandi proxima verfatus eft, antequam illam tollat; præfertim fi in alia confeffione id promifit, & deinde non ftetit promiffis. Nonnulli cum Con. *difp.* VIII. *de poenit. num.* 133. Fill. Azor. Sanch. putant, abfolvi non poffe extra cafum neceffitatis; immo Cardenas *diff.* XL. *cap.* V. *art.* 4. *num.* 108. putat, id colligi ex pofit. 61. Innoc. XI. ubi damnatur, quod abfolvi poffit qui in proxima occafione peccandi verfatur, quam poteft, & non vult omittere. Et ratio videtur effe, quia qui ad facramentum pœnitentiæ accedit, antequam occafionem illam tollat, cenfetur eam nolle eiicere, atque adeo fine debito propofito efficaci non peccandi de cetero accedere, quandoquidem in hoc ipfo quod occafio peccandi non tollatur, quando poteft tolli, peccatur. Neque obftat quod dicat, habere propofitum tollendi. Nam fi folum proponit illam tollere de futuro, & non ftatim tollit, eo ipfo vult de præfenti in ea occafione manere, atque adeo „ pec-

„ peccat; ficut qui appropinquante leone proponit fugere, & non ftatim fugit ; „ cenfetur velle in periculo mortis manere.

„ Communius tamen cum Suar. *dif.* XXXII. *fec.* 3. Tabiena, & aliis cenfent, „ poffe huiufmodi pœnitentem abfolvi femel ac iterum, fi appareant hic & nunc „ vera figna doloris, & propofiti efficacis tollendi ftatim occafionem proximam. „ Immo Corduba, Caiet. & alii putant, quod poffit etiam tertia, & quarta vice „ abfolvi; efto fæpe expediat abfolutionem differre, quoufque proxima illa occa- „ fio tollatur. Debet tamen omnino abfolvi, etiam ante feparationem ab illa, „ tum fi inftet mortis periculum, tum fi, dilata abfolutione, credatur non habi- „ turus ille opportunitatem redeundi, aut ex alia caufa non rediturus. Ratio „ cur videatur poffe prima, & fecunda vice abfolvi, eft, quia potuit pœnitens „ aut immediate ante, aut audiendo concionem, aut audiendo ipfius Confeffarii „ admonitiones, excitari ad verum, & efficax propofitum non peccandi; in quo „ cafu eft fufficienter difpofitus. Sic paffim abfolvuntur pœnitentes per hoc quod „ proponant reftituere, quamvis ante confeffionem non reftituerint, prout pote- „ rant: quia ex admonitionibus Confeffarii poteft hic & nunc confurgere ve- „ rum propofitum reftituendi, quod ante confeffionem vel erat debile, vel pu- „ tabatur fufficiens; efto per aliquod tempus opportunum reftitutio effet differen- „ da: ergo hoc idem fieri poteft in eo qui tenetur proximam occafionem tolle- „ re. Neque ex propofitione illa 61. Innoc. XI. eruitur, quod abfolvi non pof- „ fit. Nam qui proponit occafionem ftatim tollere, non poteft dici, quod illam „ velit de præfenti; ficut nec dicitur velle periculum mortis qui appropinquan- „ te leone proponit fugere ftatim ac poteft. Caute tamen in hoc procedendum, „ eo quod paffim huiufmodi propofitum non eft efficax in eo qui potuit antece- „ denter occafionem peccandi tollere, & nondum fuftulit. “

III. Conferat nunc lector hanc integram interpretationem cum illa quam *loc. cit.* retuli, & videbit, nihil, quod ad rem & intentum pertineret, omiffum fuiffe. Fufe confutavi *loc. cit. pag.* 392. hanc doctrinam, quam, falvo erga doctum piumque virum P. Viva officio, nimium laxam, & in thefi a Ven. Innocentio XI. damnata inclufam reputo, ut ibidem dixi. Igitur, ut Auctor nofter evincat poffe femel & iterum concubinarium, de quo fermo eft in profcripta ab Alexandro VII. thefi, feu peccatorem exiftentem in occafione proxima abfolvi, exemplum obtrudit debitorum, qui *paffim*, inquit, *abfolvuntur per hoc quod proponant reftituere, quamvis ante confeffionem non reftituerint, prout poterant*. Paffim fane, & utinam non paffim, abfolvuntur debitores, quamvis ante confeffionem non reftituerint, prout poterant, a Confeffariis indoctis, imperitis, aut laxis opinionibus præventis. Abfolvuntur. Numquid valide? Numquid fæpius non facrilege? Verba Indiarum Apoftoli fupra relata fub oculos iterum redeant. *Confeffionem non*

continuo sequetur absolutio . . . . Si quid debent, restituant. Simultates, si quas habent, deponant, redeant cum inimicis in gratiam, a libidinis consuetudine, & a ceteris flagitiis, quibus impliciti sunt, expediantur. Hæc omnia absolutionem præcurrant. An non magis facienda est istius Orientis Apostoli auctoritas quam Leandri, Tamburini, Escobarii, Dianæ, aliorumqne commenta? Audiat P. Viva alium Italiæ nostræ, & Occidentis celeberrimum Apostolorum successorem, S. Carolum Borromæum, qui in Concilio I. Mediolanensi hæc præscribit. *Caveant Confessarii ne ante debitam satisfactionem illos absolvant quibus, cum facultas adsit aliena restituendi, vel legata quæ ad pias causas facta sunt, persolvendi, illisque, ut id facerent, superiori . . . . confessione præceptum sit, præstare tamen neglexerunt.* Latius hæc inculcat S. Archiepiscopus in *Instruct. Confess.* An innumera alia Conciliorum decreta huc transcribenda sunt, ut laxam doctrinam convellam? Iterum de hoc infra sermo redibit. Lugent mercenarii, artifices, mercatores ob exhibitam laxam doctrinam, quæ crudelem avarorum hominum dilationem fovet in persolvendis debitis. Pluribus enim non minus est occasio proxima detentio alienæ pecuniæ quam aliis mulierum familiaris conversatio. Scriptura ipsa divina damnat rescriptam doctrinam: *Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane*: Lev. XIX. Iterum Tob. IV. *Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, STATIM ei mercedem restitue: & merces mercenarii tui apud te omnino non maneat.*

IV. Doctrina P. Viva includitur in *prop. 61.* damnata ab Innocentio XI. *Potest ALIQUANDO absolvi qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult dimittere, quinimmo directe, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.* Hæc propositio damnata non asserit absolvendum *toties quoties*, aut sæpius, aut bis terve, quaterve, sed *aliquando* versantem in occasione proxima. Hæc autem doctrina damnata est. Ergo iuxta decretum Ecclesiæ numquam absolvendus iste est, nisi prius, cum possit, occasionem dimittat. Et Auctor noster docet, hunc absolvi posse *prima & secunda vice?* Cur hoc? Quia, ait ille, *qui proponit occasionem statim tollere, non potest dici, quod illam velit de præsenti.* Ita ne vero? An Auctores damnatæ thesis docebant absolvendum esse illum qui *de præsenti* vellet occasionem? Quis inter Catholicos adeo insanivit, ut docuerit absolvendum esse eum qui de præsenti velit peccati occasionem? An damnatæ thesis Auctores non requirebant propositum de præsenti dimittendæ occasionis, ut eumdem absolvere possent? *Qui proponit occasionem statim tollere, non potest dici, quod illam velit de præsenti?* Hac admissa doctrina, frustraneum prorsus est, & in nihilum occidit decretum pontificium. *Ratio cur videatur*, inquit P. Viva, *posse prima & secunda vice absolvi, est, quia potuit pœnitens aut immediate ante, aut audiendo concionem, aut audiendo ipsius Confessarii admonitiones excitari ad verum, & efficax propositum non peccandi: in quo casu est sufficienter dispositus.* Hæc omnia possibilia esse nemo

mo inficias iverit. Sed hæc ipsissima commenta allegabant Auctores damnatæ thesis. Possibilitas ne, ut sic loquar, propositi efficacis solidum fundamentum est, cui nixus Confessarius prudenter iudicet, talem pœnitentem versantem in occasione proxima esse sufficienter dispositum? Si hæc contritionis & propositi possibilitas sufficiens sit ut absolvi peccatores valeant, qui erunt illi concubinarii, & scelesti homines qui absolvi non possint? Concludit Auctor citatus: *Caute tamen in hoc procedendum, eo quod passim huiusmodi propositum non est efficax in eo qui potuit antecedenter occasionem peccandi tollere, & nondum sustulit.* Nonne prudens atque blanda moderatio? Caute ergo procedendum est? Hoc unum profecto deerat quod eiusmodi peccatoribus Incaute etiam, & absque ullo discrimine impertienda absolutio esset. Sed cur caute incedendum? Quia *passim* propositum in istis non præsumitur efficax. Quid amplius dicebant Auctores damnatæ thesis, quantum ad eiusdem primam partem? *Potest aliquando absolvi.* Neque ipsi ergo dicebant, *passim* præsumi posse efficax propositum, sed *aliquando*. Auctor vero noster defendit pro prima & secunda vice absolvi posse. Eccur? Quia propositum istud possibile est: quia potest pœnitens ad illud excitari. Peregregie. At potest etiam & tertia, & quarta, & sexta, & decima &c. excitari ad hoc propositum. Sed quid ultra provehor? Pauca quæ dixi, satis superque, nisi me omnia fallant, evincunt tum laxitatem doctrinæ descriptæ, tum inconsiderantiam, ut mitissime loquar, illorum qui minus sincere rescriptam a me fuisse præfatam doctrinam calumniati sunt. Ipsi, præiudiciis positis, iudices sint, num aliquid omissum a me fuerit, quod temperare doctrinæ laxitatem valeat, consulantque conscientiæ suæ, num retractare imposturam apud imperitum vulgus disseminatam obstringantur. Sciant tamen, me hæc omnia nihil morari. Ipsi viderint, quantum sit criminis invidiam conflare veritati, & sanæ doctrinæ; & quæ hinc mala proficiscantur.

V. Ut suam P. Viva confirmet doctrinam, allegat auctoritatem Doctoris eximii P. SUAREZ, Tablenæ, & Caietani, inquiens: *Communius tamen cum Suar. disp.* XXXII. *sec.* 3. *Tabiena, & aliis censent, posse huiusmodi pœnitentem absolvi semel & iterum . . . . Immo Corduba, Caietanus, & alii putant, quod possit etiam tertia & quarta vice absolvi.* Et hanc laxissimam Cordubæ, & Caietani doctrinam non refellit P. Viva, sed illam lectoribus, & Confessariis proponit? Doctores isti gravissimi sunt, efficiuntque iuxta Probabilistas opinionem probabilem. Illam ergo adhibebunt Confessarii minus docti, quod non videant oppugnatam. Si Corduba, & Caietanus docuerunt hanc doctrinam, excusatione digni sunt, quod tanto tempore ante damnatas theses ab Alexandro VII. & Innocentio XI. scripserint. At numquid excusatione dignus est P. Viva, proponens Confessariis opiniones antiquorum Theologorum, quas postea Romana Sedes proscripsit?

VI. Verum enim vero, quid, si neque Tabiena, neque Caietanus, neque Do-

ctor eximius P. Suarez docerent id quod narrat P. Viva? Ad duos Dominicanos, *Tabienam*, & *Caietanum*, quod attinet, nec verbum ego reponam. More meo, si talem doctrinam docuerunt, illam improbo non minus ac si illam docuissent Tamburinus, La-Croix, Diana, & Sporer. Id dumtaxat rescribam quod *P. Milante* Episcopus Stabiensis docet *Tom. II. exerc. in prop. damn. ab Innoc. XI.* Hæc autem *exercit. 36. in prop. 62. pag. 47.* scribit. „ *P. Dominicus Viva* refert, N. *Tabiena* docuisse, quod pœnitentes qui sunt impliciti occasione proxima peccandi, „ possint absolvi *semel & iterum*, si adhuc retenta occasione peccandi, v. g. con- „ cubina, vera dent signa doloris, & propositi efficacis tollendi occasionem pro- „ ximam. Refert insuper, quod N. Cardinalis *Caietanus* docuerit, id genus pœ- „ nitentes posse absolvi etiam tertia & quarta vice. Sed ubinam hoc doceant „ Tabiena, & Caietanus, non dicit. Eorum opera lustravi; nec verbum de hac „ re apud eos reperi; quin potius oppositum directe ab eis traditum." Quid ad hæc defensores P. Viva? Hic est ille P. Milante quem ipsi doctissimum sapientissimumque appellant, cuiusque auctoritatem pro sarta tecta custodienda peculiari crumena monastica centies ad ravim usque contra me concrepantibus buccis allegarunt. Verum, ut dixi, doctrinam Tabienæ, & Caietani ab imposturis vindicare nolo. Id solum moneo, ut lector recogitet, quam necessarium sit citare loca, sicut ego probavi in *præf. ad Tom. I.* ubi Auctores docent opiniones quæ illis tribuuntur: alioquin quisque poterit pro arbitrio, quidquid sibi libuerit, imponere.

VII. Brevissime vindicandum assumo eximium Doctorem *P. SUAREZ*, quem in suæ laxæ doctrinæ patrocinium citat P. Viva, & locum designat nempe *disp.* XXXII. *sec. 3.* Attente legi integram hanc tertiam sectionem Doctoris eximii, & nec verbum reperi quod faveat laxæ doctrinæ P. Viva. Erravit ergo P. Viva in hac citatione; excusari tamen ab errore potest, quia suspicari licet, eum non legisse in fonte P. Suarez; sed illam citationem exscripsisse a P. Leandro a SS. Sacramento, laxarum opinionum collectore, qui *tract.* V. *de sacram. pœnit. disp.* VII. *quæst.* XXXV. *pag.* 165. reipsa citat pro hac laxa opinione P. Suarez *disp.* XXXII. *sec. 3.* & ibidem citat etiam *Tabienam*, *Cordubam*, *Caietanum*, sicuti eos citat P. Viva, qui frequenter laxas Leandri opiniones amplectitur. Ex his coniecturis probabile est P. Viva legisse Suarez non in operibus Suarez, sed in operibus P. Leandri. Verum, ut ut de hoc sit, quod levioris momenti est, ad vindicias accedamus Doctoris eximii.

VIII. Porro non modo doctissimus Suarez non favet laxæ opinioni P. Viva, sed *ibidem* sectione proxime antecedenti, nempe 2. *num. 3.* potius oppositum docet. En illius verba. „ Tota ergo difficultas ad hoc revocatur, quando ex confessione „ resultat specialis obligatio restituendi, vel relinquendi occasionem in futurum. „ Circa quod primum observandum est, non semper debere Confessorem cogere

„ pœ-

„ pœnitentem, priusquam illum absolvat, ut id exequatur quod facere tenetur, „ idest ut restituat &c. quia hæc obligatio non semper urget pro statim; & quia „ satis est ut pœnitens credatur habere firmum propositum suam obligationem „ implendi, cui credendum est, *præsertim si tunc primum incidit in eam occasionem,* „ *seu obligationem implendi, & non est inventus infidelis, vel inconstans* in similibus „ propositis, neque ex *aliis conie&uris* potest talis suspicio *probabiliter* concipi. „ Neque oportet ab illo iuramentum, aut aliam cautionem exigere, nisi in casi- „ bus a iure expressis, ut notavit Navarrus *cap.* XXVI. *num.* 2. Silv. *Confess.* 3. „ *quæst.* XII. & Antoninus *III. Part. tit.* XIV. *cap.* XIX. *§.* 19. Aliquando vero opor- „ tet remittere pœnitentem, *& illum* non absolvere, donec suam obligationem „ impleat, PRAESERTIM quando iterum atque iterum illam confessus est, & „ implere promisit, neque implevit: quia alias relinquetur in morali occasione „ peccandi: & eius propositum moraliter non potest iudicari efficax, quandoqui- „ dem convincitur esse in magna mora, & posse, & non facere. Quapropter o- „ portet Confessores in hoc esse cautos & constantes, ne graventur peccatis alie- „ nis, quod notavit CAIETANUS verb. *Restitutio* cap. VI. & ANTONINUS „ *III. Part. tit.* II. *cap.* VIII. & NAVARRUS *cap.* XVII. *n.* 54. & *cap.* XXVI. *n.* 5."

IX. Ex doctrina hactenus rescripta quisque prudens inferet, Doctorem eximium Suarez non modo non favere, sed potius obesse laxæ opinioni P. Viva. Et hæc quidem docuit P. Suarez medium sæculum, antequam Innocentius XI. damnaret doctrinam quam suis distinctiunculis eludit P. Viva. Quid quod, si etiam ambigua foret P. Suarez doctrina, in sanum sensum contrarium damnatæ opinioni exponenda esset? Verum unus affectus interdum vincit alterum, & amor erga blandam doctrinam interdum prævalet obsequio erga P. Suarez. Verum quia P. Suarez sinceritate summa citat locum in quo Caietanus suam doctrinam exponit, deliberavi, contra propositum iam supra conceptum, expendere factum istud, & videre, num revera doceat Caietanus id quod illum docere rotunde narrat P. Viva. Adii ergo locum Caietani indicatum a P. Suarez, nempe *Summulam*. Verbo *Restitutio* cap. VI. quærit: Quando restitutio fieri debet? *Certum est oportere fieri statim.* Deinde post plura sic concludit. *Et ne præceptum hoc de statim restituendo, confitentes & Confessores reos simul involvat, non sunt absolvendi pœnitentes, antequam CUM EFFECTU restituant, si in alia confessione absoluti neglexerunt restituere. Dicentibus enim: Hac vice, Pater, restituam vere &c. responderi debet, Credo tibi .... & propterea modo in illa bona dispositione vade ad restituendum: & postea absolveris.* Cum hac Caietani doctrina conferantur ea quæ eidem impingit P. Viva nullo indicato loco: *Caietanus, & alii putant, quod possit etiam tertia & quarta vice absolvi.* Deinde P. Viva id tamquam communem doctrinam obtrudit. *Sic passim absolvuntur pœnitentes per hoc quod proponant restituere, quamvis ante confessionem non restituerint, prout*

poterant. Si Caietanus docet, non esse absolvendos debitores, antequam *cum effectu* restituant, si in alia confessione semel absoluti neglexerint restituere; numquid docebit absolvendum concubinarium pro tertia & quarta vice? Verum, quia incepi, vel nolens coactus sum explodere imposturam a P. Viva impactam Caietano, qui verbo *Concubinatus* hæc docet. *Concubinatus non solum includit peccatum mortale fornicationis, sed addit statum peccati mortalis. Et propterea ad sui VERAM POENITENTIAM exigit non solum omissionem actus carnalis, sed RECESSUM A TALI STATU*. Nec verbum ibi aliud Caietanus habet. Caietanus ad veram pœnitentiam concubinarii duo requirit, nempe *omissionem actus carnalis*, & *recessum a tali statu*. Ergo falsa est pœnitentia concubinarii non recedentis ab eiusmodi statu. Judicent nunc æqui rerum æstimatores, quid dicendum sit de P. Viva, qui intrepide narrat, Caietanum docere absolvi concubinarium posse pro tertia & quarta vice, antequam talem statum deserat. Si similia a me imposita fuissent vel Busembau, vel Gobatio, nedum amplissimo & sapientissimo Cardinali Caietano, qui sane Suarezio inferior non est, evolarent folia per universum orbem, meque tamquam solemnem falsatorem &c. traducerent. Excuso tamen ego Patrem *Viva*, qui sicut Suarez, ita & Caietanum non in fonte proprio, sed in lacuna Leandri legit: & hoc familiare est Casuistis non paucis, qui mutuo fide bona, & tacito consensu se transcribunt. Verum satis mihi nunc est vindicasse Doctorem eximium *Suarez* a nota laxitatis eidem impacta a P. Viva, ut videant, & confundantur illi quos evulgare non pudet, me expiscari tanti Doctoris nævos, ut eosdem in publicum efferam, Quæ calumnia eo est atrocior, quo maiori obsequio prosequor doctissimum *Suarez*, quem semper magni feci, & vix umquam sine laudis præfatione nomino. Si aliquando aliquam eiusdem opinionem refello, id coactus præsto, quia Probabilistæ non pauci eiusdem auctoritatem opponunt, illum Probabilismi patronum & defensorem volunt, & frequenter ad laxas opiniones confirmandas allegant. In hos ergo, non adversus me defensorem eximii Doctoris, invehantur. At de hoc plusquam satis.

§. IV.

Plurium Casuistarum Leandri, Hurtado, Tamburini, Gobat, Sporer, La-Croix, & aliorum opiniones laxæ, Evangelio, Patribus, Conciliis, & Ecclesiæ decretis adversæ, refelluntur.

I. PAter Leander a SS. Sacramento colligit, & propugnat laxiores Moralistarum opiniones in qualibet fere materia. Quare principio ex hoc Auctore plures de absolutione impertienda opiniones proponam, & refellam.

II

II. Quæst. I. *An possit absolvi concubinarius, usquedum expellat concubinam?* Resp. P. Leander *tract.* v. *disp.* vii. *quæst.* xxxv. hæc scribit. „ Probabilius respon„ deo, posse licite semel ac iterum absolvi concubinarium, antequam eiiciat con„ cubinam, dummodo denuo proponat Confessario firmiter illam e domo eiicere... „ Ratio est, quia ex secunda, *immo ex tertia aut quarta* promissione facta de „ eiicienda concubina, aut alia occasione proxima non sumitur *iudicium grave de* „ *defectu dispositionis pœnitentis*. Ergo licite potest absolvi." Expende, lector, rationem quam promit hic benignissimus Probabilista; & inde collige indolem recentis Theologiæ benignæ. Ex hoc Auctore suam transcripsit sententiam P. Viva, non advertens hunc Auctorem scripsisse ante damnatas theses.

III. Quæst. II. *An possit absolvi concubinarius, non eiecta e domo concubina, quod nequeat absque magno detrimento suæ vitæ, honoris, vel pecuniæ?* Resp. P. Leander *quæst.* xxxvi. „ Probabilius respondeo, posse absolvi, immo & debere „ toties, quoties vere pœnituerit, & non solum quando adest aliqua emendatio, „ *verum etiam quando nullus apparet profectus*; dummodo, ut diximus, talis con„ cubinarius dolorem habeat de peccatis, & verum propositum de illis cavendis „ in futurum &c. . . . Probatur nostra responsio: quia adhuc post experientiam „ illam nullius profectus potest stare dolor verus, & propositum requisitum abs„ que voluntate auferendi illam occasionem cum tanto detrimento. Ergo potest „ absolvi pœnitens . . . . Sic Vivaldus, Sanctius, Diana: & novissime & doctis„ sime (ut solet) De Lugo *disp.* xiv. *num.* 152. & 156. Hurtado, Candidus, „ Bonacina, Sa, Layman, Baunius &c." Vides, quomodo hi Probabilistæ conciliant cum retentione occasionis propositum emendationis? Vides, quomodo eam propugnant *doctissime* primores Probabilistæ? Sed damnata est, & antievangelica.

IV. Quæst. III. *An possit absolvi concubinarius, non eiecta e domo concubina, eo quod famam amitteret, si concubinam expelleret?* Resp. P. Leander *quæst.* xxxviii. „ Probabilius respondeo, posse absolvi ipsum, *immo & ipsam*, si eadem nota in„ famiæ incurreretur, aut absque gravi damno, aut scandalo eam eiicere non „ posset . . . Sic *Sanctius, Lugo, Bonacina, Candidus*." Hæc opinio filia est præcedentis, & ab Ecclesia damnata.

V. Quæst. IV. *An possit absolvi, non eiecta concubina, concubinarius qui dictæ feminæ dedit mutuo v. g. centum aureos, & credit se illos esse amissurum, si domo illam expellat?* Resp. P. Leander *quæst.* xxxix. „ Probabilius respondeo, posse „ absolvi ipsum, sicut & ipsam feminam, casu quo non recuperaturus esset cen„ tum aureos sibi debitos, si illam e domo eiiceret, dummodo proponat amplius „ non peccare. Quia nemo tenetur vitare occasionem proximam cum magno suo „ detrimento etiam temporali. Sic Sanctius, Lugo, Bonacina." Evangelium Christi

„ cla-

clamat: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Et iuniores Casuistæ citati ad evitandam iacturam centum aureorum non dimittendam concubinam defendunt. Hi sunt Doctores temporum?

VI. Quæst. V. *An absolvi possit pœnitens qui adhuc post repetitam monitionem modo cum una, modo cum altera fornicatur?* Resp. P. Leander *quæst.* XLIV. „ Respondeo, posse *toties quoties* ad confessionem cum dolore, & proposito non „ peccandi accedat, dummodo nullam feminam alibi retineat, aut alat. Sic Bo- „ nacina, Sa, Lublinus, Trullenchus. " Concubinarius propriis expensis alere domi, vel alibi concubinam astringitur, & cum eadem sola peccat. Hic autem peccator absque tot incommodis potest modo cum una, modo cum altera coire, idest multiplicare scandala, plures seducere feminas; & nihilominus *toties quoties* accedit ad confessionem cum dolore, absolvendus erit. Dolor iste chimæricus est. Hæc doctrina in proscriptis thesibus continetur, & ab omnibus improbanda est.

VII. Quæst. VI. *An possit absolvi Confessarius qui ex devotione excipit confessiones, in quibus audiendis crebro voluntarie polluitur?* Resp. P. Leander *quæst.* XLVI. „ Affirmat Iosephus ab Orto in specul. Paroch. cap. 10. & *Castropalao apud* „ *Dianam*, docentes, posse talem Confessarium absolvi, dummodo cum dolore, „ & proposito non peccandi accedat. " Hæc opinio falsa, laxa, & scandali plena est. Adiectio doloris & propositi mera est chimæra, sicut & illa devotio excipiendi confessiones, in quibus voluntarie, & quidem crebro, polluitur Confessarius iste.

VIII. Quæst. VII. *An possit absolvi medicus, vel chirurgus qui in medendis feminis sæpe peccant, si propositum cessandi a curatione non habeant?* Resp. P. Leander *quæst.* XLVIII. „ Probabilius respondeo, posse absolvi, quantumvis ne- „ queant suum deserere officium, dummodo pœniteant, & proponant amplius „ non consentire. Patet ex dictis. " Ex dictis scilicet patet falsitas & laxitas huiusce venefici antecedentis, nempe laxitatis. Aut emendare se, aut relinquere artes suas debent medici, chirurgi; & idem esset de advocatis, iudicibus, ceterisque, quando professiones propriæ essent illis occasio proxima peccandi.

IX. Quæst. VIII. *An possit absolvi hospita sine proposito non recipiendi hospitem quocum pluries peccavit, quando absque magno scandalo, aut detrimento non posset eum hospitio suo probibere?* Resp. P. Leander *quæst.* LV. „ Probabilius re- „ spondeo, posse absolvi, dummodo promittat, ac proponat, numquam se solam „ cum eo solo in aliquo cubiculo separato versaturam, & se præteriti ex animo „ pœnitere, etiamsi confessa fuisset, proposuissetque numquam se amplius cum eo „ peccaturam. Sic Navar. & alii DD. quibus adde Stephanum Baunium sic di- „ centem. *Sequitur ex dictis, absolvi posse feminam quæ domi suæ virum exci-* „ *pit, cum quo sæpe peccat, si eum honeste inde non potest eiicere; aut causam*

„ *ba-*

„ *habet eum retinendi, dummodo firmiter proponat se eum eo amplius non pecca-* „ *turam.* "

X. Plurima alia similium opinionum portenta, & monstrosa paradoxa transcribere possem ex hôc celebri inter novæ benignitatis Casuistas P. Leandro a SS. Sacramento. Sed transcribenda sunt aliqua etiam ex aliis Casuistis. Nota, quomodo omnes isti Doctores semper requirunt verum dolorem, & propositum non peccandi.

XI. Quæst. IX. *Absolvendi ne sunt comœdi, cantatrices, & saltatrices?* Resp. Nisi isti prius relinquant artem suam, quæ, ut hodie exercetur, spectatis omnibus, reipsa mala est, & scandalorum plena, non sunt absolvendi. Patres omnes eiusmodi theatra improbant, tamquam consistorium impudicitiæ, ut inquit Tertullianus. Innumeri sunt canones contra & agentes, & frequentantes spectacula. S. Thomas, qui iniuria summa a quibusdam in favorem spectaculorum adduci solet, aperte illa improbat in *IV. dist.* XVI. *quæst.* XVI. *art.* 2. *quæst.* 2. *in cor.* ubi inquit: *Dicendum, quod huiusmodi spectacula, si sint rerum turpium, & ad peccatum provocantium, studiosa eorum inspectio peccatum est, & quandoque in eis tanta potest libido adhiberi, ut sit etiam mortale. Unde a tali inspectione omnes se arcere debent.*

XII. Quod histriones, & comœdi absolvi non debeant, nisi prius artem deserant, neque in controversiam vocari a Theologo christiano debet. De Christianis, qui hodierna theatra frequentant, disputari forte a quibusdam posset. Verum ego post diuturnum studium neminem theatra adire permitterem, neque absolverem, nisi ab hodiernis theatris abstinere vellet. Frequentantes enim theatra alunt, & sustentant comœdos, quorum ars infamis est. Ergo peccant. Quam rationem inculcat ex Augustino *tract.* c. *in Ioan.* S. Thomas. *Si quis autem superflua in tales consumunt, vel etiam* (N. B.) *illos histriones, qui illicitis ludis utuntur, peccant, quasi eos in peccato foventes. Unde Augustinus dicit super Ioannem, quod donare res suas histrionibus vitium est immane.* loc. cit. Multa quæ opponere concupiscentiæ advocati solent, facillime diluuntur.

XIII. Plura paradoxa laxitatis docent hac de re Moralistæ non pauci. P. Thomas Hurtado *tract.* 1. *cap.* V. *resol.* 8. *num.* 70. hæc scribit. „ Quare ars histrionica „ secundum se non est illicita, sicut nec tabellionatus, & aliæ similes, in quibus „ difficile quis evadit peccatum; & tamen non tenentur eam dimittere, antequam „ absolvantur; sed, si habeant propositum non peccandi, & dolorem de præteritis, possunt *septuagies septies* absolvi. Quod enim histriones ex cohabitatione „ cum mulieribus sint *fere semper in occasione concubinatus, & adulteriorum, fornicationumve*, cum mulieres istæ semper fere sint malæ, & inordinatæ vitæ, „ nihil obstat, quominus possint absolvi, si, dum ad confessionem sacramenta- „ lem

„ lem accedunt, habeant illa quatuor quæ supra Nav. & alii requirebant. "
Hæc sunt axiomata evangelicæ puritatis quæ typis edunt non pauci Casuistæ.

XIV. Laxius hac de re scribit P. Marcus Vidal in sua *Arca vitali pag. 38. num. 33.* ubi hæc habet. „ Quinta conclusio. Adstantes & assistentes comœdiis notabiliter turpibus, & *provocantibus ad venerem* dictis vel factis, per gestus, & nutus *turpiter* expressis, ob solam animi recreationem, & curiositatem, absque tamen probabili periculo propriæ spiritualis ruinæ, ac sine prava intentione, & malo fine, non sunt condemnandi, tamquam rei letalis culpæ. " Citat Bonacinam, Filliucium, Sanchez, Dianam, & alios. Monstra pugnantia inducit hic benignus Probabilista. Supponit comœdias esse notabiliter turpes, & provocantes ad venerem; simulque addit, quod spectentur absque propriæ spiritualis salutis probabili periculo, & ob solam animi recreationem, & curiositatem. Paradoxa hæc sunt quæ mutuo pugnant, nec egent confutatione. Sed insistit P. Marcus Vidal *ibidem num. 43.* „ Quia hic & nunc ubique fere omnes fideles assistunt comœdiis, „ & illas audiunt, etiamsi fiant *turpes & obscœnæ*, cum sint repræsentatæ per „ verba impudica, & gestus, & nutus indecentes: & nihilominus Confessarii *prudentes ac docti* id illis permittunt, & *absolvunt a peccatis*, etiamsi propositum „ non habeant pœnitentes se abstinendi imposterum ab auditu, & aspectu *talium* „ *comœdiarum* turpium; dummodo tamen absit probabile periculum lapsus in mortale peccatum, tum ratione scandali gravis, tum etiam delectationis venereæ. „ *Ergo, cum prudenter condemnare non possumus omnes Confessarios* tamquam imprudentes, indoctos, & pravæ conscientiæ, *debemus absolute* asserere, simpliciter, „ & per se loquendo non esse crimen letale assistere *comœdiis turpibus, & obscœnis graviter provocantibus ad venerem*, sublato tamen periculo consensus in „ delectationem veneream. " Hoc est axioma probabilisticum. Doctores moderni, Confessores prudentes & docti absolvunt frequentantes comœdias turpes, & *graviter* provocantes ad venerem. Ergo licet frequentare comœdias istas ob curiositatem. Conditionem chimæricam adiiciunt, ut fucum faciant, dum aiunt, dummodo absit periculum. Res turpes, & natura sua graviter ad venerem provocantes insitum periculum habent. Quid ergo garriunt, Dummodo absit periculum?

XV. Quæst. X. *An liceat adire occasionem, in qua probabile est te lapsurum?* Resp. Affirmant Probabilistarum aliqui, suo probabilistico axiomate fulti: *Qui probabiliter operatur, prudenter operatur.* Si probabile est, inquiunt, te lapsurum, probabile eo ipso etiam est te non lapsurum. Ergo prudenter adire periculum poteris, in quo probabile tantum est te succubiturum tentationi. Incredibilia paradoxa hæc videntur; tamen sunt Probabilismi legitima consectaria. Et ne videar Probabilismo invidiam creare, en quæ scribit P. Georgius Gobat *tract.* VII. *cas. 16. num. 525. pag. 595.* „ Quando enim est dumtaxat solum probabile te suc-

„ cubi-

„ cubiturum tentationi, certe etiam probabile eſt te non ſuccubiturum. *Atqui „ ſicut in pluribus aliis materiis* fas tibi eſt ex utralibet ſententiarum ſpeculative „ probabilium deducere concluſionem TIBI GRATAM; ita licebit hic argumen- „ tari. Occurrunt mihi graves tentationes, ob quas vir prudens ſapienter iudicare „ poteſt, me lapſurum in novum crimen mortale, ſi acceſſero hanc domum. Vi- „ ce verſa ſunt aliæ rationes etiam graves, ob quas alius æque prudens pronun- „ tiaret, me non lapſurum. *Ergo poſſum ſine nota temeritatis & imprudentiæ „ me committere illi occaſioni*, certo non commiſſurus, ſi liquido ſcirem, me in, „ illa admiſſurum iſtud grave peccatum. Adeoque fas eſt per ſe loquendo com- „ mittere ſe periculo probabili peccandi mortaliter. "

XVI. Hoc principio probabiliſtico poſito, conſectaria tanto principio digna elicit P. Gobat *ibidem num.* 530. *pag.* 596. „ Si concubinarius nequeat dimittere ſuam „ concubinam ſine iactura centum aureorum, ſeu *ducatorum*, poterit Confeſſarius „ pro re nata amplecti ſententiam *Ioannis Sanchez*, *vel Oviedi* paullo ante relatam.". Amplificat P. Gobat opinionem Ioannis Sanchez, cum iacturam centum aureorum extendat ad centum etiam ducatorum. Aliud etiam conſectarium deducit non minus deteſtandum *ibid. num.* 532. Audi. „ Si ipſa eſt ita effrons, ut dimiſſa pro- „ palatura ſit concubinatum occultum, retinere eam volenti patrocinabuntur ple- „ rique ex citatis; ſed utique muniendus erit peculiaribus propoſitis, & aliis me- „ diis: ſicut patrocinabuntur, ſi ipſa ſit eius ancilla, & nequeat aliam adipiſci „ abſque pari periculo; cum tamen haud poſſit ullo modo carere ancilla omni." Subdit ibidem P. Gobat. Si illa concubina ſit tantum *aliqualiter neceſſaria rei do- meſticæ, & tamen perdite ametur a concubinario, tum nec Ioannes Sanchez inficia- bitur non poſſe abſolvi*. Hæc doctrina notanda eſt propter ea quæ mox deſcriptu- rus ſum. Plura alia laxitatis paradoxa P. Gobat nunc prætereo.

XVII. P. Paulus Layman *Lib.* V. *tract.* VI. *cap.* 4. *num.* 9. „ Excipe. Niſi pro- „ pinquum periculum, ſeu occaſio mortaliter peccandi, ſine gravi incommodo „ corporis, famæ, vel fortunarum tolli non poſſit: tunc conſilium quidem eſt „ minorem illam iacturam maiori bono ſecuritatis animæ poſthabere, ſed non „ præceptum. Quare abſolvendi ſunt qui officio, negotiatione, domo, in qua pec- „ candi periculum propinque imminet, diſcedere nolunt, quia ſine maxima diffi- „ cultate non poſſunt, interim parati adhibere peccatorum remedia, præſertim „ ea quæ a Confeſſario ipſis præſcribuntur, ut docent Sa, Henriquez &c.... Ra- „ tio eſt, *quia occaſio peccandi in ſe peccatum non eſt, neque neceſſitatem infert, „ aut animi libertatem aufert: quare cum ea conſiſtere poteſt peccatorum deteſtatio, „ & abſolutum propoſitum adhibendi operam, & conatum ut impoſterum peccata „ vitentur*, quamvis interim adiunctus ſit timor, aut exiſtimatio voluntatem ali- „ quando immutatum iri, ut ſupra dixi. Deinde ſic ratiocinor. Vel præceptum

„ decli-

„ declinandi occasiones peccati affirmativum est; & tunc manifesto liquet non obligare in tali necessitate. Vel si contendas, negativum esse præceptum non adeundi periculum, aut in eo non persistendi: *tum respondeo*, intelligendum esse „ præceptum, ne quis ultro, ac voluntarie in peccandi periculum se coniiciat, „ aut in eo persistat. "

XVIII. Hic est totus succus Probabilismi, & propositionum damnatarum. His rationibus quas allegat P. Layman, usi sunt Ioannes Sanchez, Leander, Caramuel, Gobat, & ceteri auctores propositionum damnatarum. Subdit Illustrator posterioris editionis Laymani. „ Hæc doctrina *non videtur* repugnare cum propositione 26. damnata. *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa „ aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit*. Ratio est, quia Auctor requirit „ non quamcumque, sed gravem causam, sicut significat per particulas illas *sine „ gravi incommodo*. Attendendum igitur est, quod causa sit valde gravis, ne sententia subeat suspicionem propositionis damnatæ. " Vel ipse Ioannes Sanchez, ut testatur P. Gobat, negavit absolvendum non esse peccatorem qui ob *aliqualem* caussam non vult recedere ab occasione mortaliter peccandi. Quis est qui *valde grave* incommodum non experiatur in recedendo ab occasione peccandi, quam magnopere diligit? An avari, feneratores, debitores morosi, amasii sine difficultate valde gravi dimittere occasiones peccandi sibi maxime dilectas possunt? Doctrina Laymani continetur & in proposit. 62. Innocentii XI. & in 41. Alexandri VII. sicut doctrina Interpretis Laymani. En quam verum sit, una aut altera vocula, vel distinctiuncula nonnullos Casuistas eludere pontificia decreta.

XIX. Quæst. XI. *An, quando occasio proxima coniuncta est cum periculo formali peccandi, teneatur quisque eam vitare cum iactura omnium bonorum, famæ, & etiam vitæ?* Resp. Sermo est de occasione proxima quæ nullis remediis fieri remota possit, sed quæ sit coniuncta cum periculo formali, & deseri nequeat absque gravissimo detrimento iacturæ omnium bonorum, famæ, & etiam vitæ. Disputatur, num in casu in quo omnia remedia sint inutilia, deserenda hæc occasio coniuncta cum periculo formali peccandi sit. P. Claudius La-Croix *Lib. V. num.* 261. pro sententia negante refert Auctores, quos ipse vocat gravissimos, nempe *Ioan. Sanchez, Castropalaum, Tamburinum, Gobat, Honorat. Fabri, Stoz, Burgaber, Lugo, Vindic. & alios*. Plures ex his Auctoribus docent, non deserendam occasionem non solum quando imminet iactura vitæ, sed etiam quando amittendi essent centum vel aurei, vel ducati, vel aliud grave detrimentum. Porro hæc negans opinio directe pugnat cum Iesu Christi Evangelio Matth. XVI. *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Rursus Evangelista Marcus cap. IX. *Si scandalizaverit te manus tua, abscinde illam. Bonum*

num est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur .... Si pes tuus scandalizat te, amputa illum. Bonum est tibi claudum introire in vitam æternam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis .... Quod si oculus tuus scandalizat te, eiice eum. Bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Iterum Matth. cap. x. *Veni enim separare hominem adversus patrem suum, & filiam adversus matrem suam, & nurum adversus socrum suam. Et inimici hominis domestici eius. Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus: & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.*

XX. Cedo: si Christus venit separare filium a patre, filiamque a matre, fratrem a sorore, sororem a fratre; quandonam hæc separatio contingere evidentius, & certius debet, nisi cum filius habitare cum sorore, cum matre, cum ancilla nequit, nisi Christum Iesum offendendo, rursus crucifigendo, & factis negando? Expertus est filiusfamilias omnia remedia, ut occasionem proximam cum sorore, cum ancilla &c. efficeret remotam, amoveretque periculum formale peccandi. Omnia inefficacia, & frustranea expertus est. Occasio proxima, & quidem efficaciter seducens, persistit. Si recedit, iacturam omnium bonorum, & famæ, immo ipsius vitæ incurrit. Fac hæc omnia evenire, quæ rarissime contingunt, quamvis eadem novi Casuistæ passim obtrudant. Respondeant ergo. Quandonam opportunius habere locum potest oraculum Christi: *Veni separare filium a patre, & filiam a matre? Qui amat patrem, & matrem plusquam me, non est me dignus?* Qui renuit se ab occasione proxima descripta separare, ne relinquat familiam, patrem, & matrem, ne amittat bona; an non diligit patrem, & matrem, & bona temporalia, & seipsum plusquam Deum? An non ex illis est de quibus Christus ait: *Qui me erubuerit coram hominibus, & ego erubescam eum coram Patre meo?*

XXI. Quis prudens, doctusque, & præiudiciorum vacuus non videt, ex ipso Evangelio decisam esse hanc controversiam, quam tanto ardoris æstu disputant recentiores Probabilistæ? Verum nihil est tam exploratum luculentumque quod Probabilismi subtilissimis distinctiunculis eludi non queat. Ne gratis hæc asserere videar, audi quæ sequuntur.

XXII. De Lugo *disp.* XIV. *sect.* 10. *num.* 152. „ Sic ergo poterit filiusfamilias *ab-* „ *solvi*, quamvis maneat domi serva, cum qua solet peccare, quam tamen ipse „ expellere non potest, nec *facile*, aut decenter fiet: & a fortiori, si cum fra- „ tre, vel sorore habet occasionem peccandi, a quorum convictu seiungi non „ potest absque gravi detrimento; debet tamen adhibere *alia remedia faciliora* „ quæ potest &c. . . .

„ Con-

„ Contra hanc tamen *communem* doctrinam occurrere videtur difficultas: quia, „ si scires ex divina revelatione te damnandum, si talem domum intrabis, de„ bes utique etiam cum gravissimo detrimento ingressum illius domus omnino „ fugere ex obligatione *saltem caritatis erga te ipsum*, qua debes velle & pro„ curare tibi bonum salutis æternæ cum iactura etiam omnium bonorum tem„ poralium. *Quid enim prodest tibi, si universum mundum lucreris, animæ vero „ tuæ detrimentum patiaris?* Maius autem malum est peccatum mortale quam „ infernus ipse, & carentia beatitudinis æternæ. Ergo ex eadem obligatione ca„ ritatis erga te ipsum debes procurare vitare illud malum, etiam cum graviſſi„ mo detrimento, & cum iactura cuiuscumque alterius boni. Si ergo perseveran„ tia occasionis proximæ affert secum fere certam ruinam, & lapsum in pecca„ tum mortale, non poteris licite perseverare in occasione proxima, etiamsi abs„ que detrimento temporali non possis illam relinquere.

„ Hoc argumentum, *si aliquid probat*, probaret etiam, maiorem esse obliga„ tionem vitandi occasionem proximam peccati venialis etiam cum maximo de„ trimento quam vitandi infernum: quia maius malum est peccatum veniale „ quam carentia beatitudinis, aut quam ipse infernus. Occurrendum ergo est „ huic difficultati ex doctrina tradita *dis.* v. *sect.* 3. ubi ad non dissimilem obie„ ctionem diximus, *peccatum quidem esse maius malum, hoc est minus volibile per „ voluntatem activam, & practicam; non vero per voluntatem speculativam & „ permissivam. Nam licet debeam potius non velle peccare quam non velle mor„ tem, vel infernum; non tamen debeo magis non permittere peccatum quam mor„ tem, vel infernum: quia peccatum non refundit tantam malitiam in voluntatem „ sui permissivam, quam in voluntatem causativam.* "

XXIII. Integram, licet prolixam, doctrinam rescribere volui, ne clamitetur de more, truncatum esse textum. Quam hostiliter cum Evangelio hæc doctrina pugnet, iudicent docti. Hoc verborum involucro Iesu Christi oracula eluduntur? Peccatum est maius malum, hoc est *minus volibile per voluntatem activam, & practicam, non vero per voluntatem speculativam, & permissivam*. Intellexistin'? Fateor me vix intelligere. Si quid tamen capio, dicere ausim, dementes fuisse tot sæculorum Christianos, qui exilia, proscriptiones, bonorum confiscationes invicto animo pertulere, ut occasioni Christum Iesum offendendi, vel denegandi se se subducerent. Potuissent recensita doctrina instructi dicere, esse quidem peccatum *minus volibile per voluntatem activam, & practicam, non tamen per voluntatem speculativam, & permissivam*. Potuissent dicere, se se thus adolere idolo, gustare libamina, non voluntate *activa, & practica*, sed voluntate *speculativa, & permissiva*. Etiamne voluntatem ipsam *speculativam* effecit Probabilismus? Peccatum non refundit tantam malitiam in voluntatem sui *permissi-*

missivam quam in voluntatem *causativam?* Esto. Tantam malitiam non contrahet filiusfamilias, qui eiicere ancillam nequit, quantam herus, qui expellere illam potest; at peccat tamen mortaliter & filiusfamilias eamdem recognoscens, & cum eadem commorans, quando sibi occasio proxima est. *Voluntate activa & practica, voluntate speculativa, permissiva, & causativa* implicantur luculentissima Iesu Christi documenta? *Quid prodest homini* &c. *Si oculus tuus scandalizat* &c. *Veni separare hominem a patre* &c. *Qui diligit patrem plusquam me* &c. Sed quid longius refello doctrinam, quae sua nimia & inaudita laxitate lectorem, ut mihi videtur, offendit?

XXIV. Aliam doctrinam aeque laxam tradit idem Lugo ibidem *num.* 156. *pag.* 255. „ An qui saepius absolutus propter grave detrimentum quod sequeretur ex „ remotione occasionis proximae, *eodem tamen modo semper relabitur, nec in eo* „ *ulla correctio reperitur*, cogendus sit subire illud detrimentum, & relinquere „ occasionem illam proximam? Affirmare videntur Suarez, Graffius, Reginaldus „ &c. . . . Oppositam sententiam docent Vivaldus, Ioan. Sancius, & alii Theo„ logi. Quae sententia in rigore verior videtur per se loquendo . . . Quia scilicet „ adhuc post experientiam illam nullius profectus (ait num. 158.) potest stare „ dolor verus, & propositum requisitum absque voluntate auferendi occasionem „ cum tanto detrimento. Ergo potest absolvi poenitens. Antecedens probatur. „ Quia sicut prima vice potuit absolvi, eo quod cum tanto detrimento non te„ nebatur auferre occasionem illam; sic propter idem detrimentum, quod per„ severat, excusatur tempore sequenti ab auferenda occasione . . . Sicut ergo „ (num. 159.) potest stare dolor & propositum requisitum cum certitudine illa „ morali de lapsu futuro, non ita frequenti; *cur* non poterit stare cum certitu„ dine morali de lapsu futuro sequenti?" Argumentatur *ibid.* Lugo contra Doctorem eximium P. Suarez, & alios, qui docent, absolvi posse poenitentem, quando signa aliqua emendationis perhibet, & non ita frequenter labatur. Quidni ergo, infert Lugo, absolvi poterit *cum certitudine morali de lapsu futuro frequenti?* An haec Logica cum Morali christiana componi valeat, ceteri viderint. Plura alia similiter laxa ibi docet Lugo cum *Ioanne Sanchez*, cuius opus, ob horrendam laxitatem damnatum est. Excusandus est Lugo, sicut & plures alii, qui scripserunt ante theses ab Ecclesia proscriptas, quarum plures decerptae fuere ex Ioanne Sanchez, a pluribus tamen aliis propugnabantur.

XXV. Laudatus P. La-Croix, qui *loc. cit.* recenset utramque opinionem, & primam affirmantem, quam defendunt *Lugo*, *Ioan. Sanchez*, *Castropalaus*, *Tamburinus*, *Gobat*, *Burgaber*, *Stoz*, & alii, absolvendum nempe esse talem peccatorem; & secundam negantem esse absolvendum. *Num.* 261. inquit: *Haec* 2. *sententia admodum rigida est, attamen videtur vera . . . . Qui primam benigniorem*

 sen-

sententiam volet defendere, legat vindicias Gobat. En limpidissimum fontem, ad quem te remittit. Has vindicias Gobatianas numquam videre potui; sed sat est mihi legere Patrem Gobat, ut inde concipere harum vindiciarum imaginem possim. Sententia quæ in Evangelio docetur, admodum *rigida* est; attamen videtur vera. At quamvis videatur vera, cum sit admodum rigida, qui volet benigniorem contrariam sententiam sequi, legat *vindicias P. Gobat*. Confessarios remittit P. La-Croix ad hunc Doctorem, qui docet, *iuvenes plebeios, & puellas indutas, & exutas posse simul cubare in eodem lecto*. Verba supra rescripsi. Vindiciæ Gobatianæ vindicant ne a laxitate hanc castissimam doctrinam?

XXVI. P. Thomas Tamburinus *Lib. III. meth. exped. conf. cap.* III. *§.* 3. transcribit laxas opiniones Ioan. Sanchez, & de Lugo totidem fere verbis. Idcirco illas confutare prætereo, satisque est monuisse lectorem, ut ab eisdem sibi caveat.

XXVII. Quæst. XII. *Absolvendi ne sunt recidivi, quoties sponte accedunt ad confessionem?* Resp. Recidivi, si vera emendationis signa exhibeant, absolvendi proculdubio sunt. At difficultas vertitur in assignandis eiusmodi emendationis signis. Recentiores Probabilistæ non pauci defendunt, tum recidivum emendationis signum perhibere, quando sponte & libere confitetur. P. Layman *Lib. V. tract.* VI. *cap.* IV. *num.* II. „ Qui est recidivus, si *affert aliquod signum emen-„ dationis, est SEMPER absolvendus. Signa autem sunt vel varius peccare, vel „ aliquis maior dolor ex vero animo conceptus, vel IPSUM SPONTE CONFI-„ TERI, in his qui non urgentur a præceptore, patre, pædagogo, consuetudi-„ ne congregatorum ad confitendum &c. Tunc enim habetur signum emendationis, „ secus non item.* " *Placet quod docet Layman*, inquit Tamburinus. Revera mirum esset, nisi Tamburino placeret doctrina P. Layman adeo benigna, & mihi laxissima. Spontanea & libera confessio in recidivis est signum emendationis ita efficax, ut *semper* absolvi debeant. Omnes ergo peccatores qui non sint manifesti concubinarii, neque in occasione proxima constituti, neque in continuo peccato mortali versentur, sed frequenter labantur, *semper* absolvendi sunt, propterea quod sponte confiteantur? Verum quod lacrymas extorquet, est, quod multorum praxi hodiernæ respondet doctrina laxa.

§. V.

§. V.

Doctrina P. Claudii La-Croix *de frequenti relapsu cum vero dolore, & proposito, tamquam falsa & laxa reiicitur.*

I. Communiter, & iuxta prudentem christianam existimationem frequens relapsus est signum & argumentum valde probabile falsam esse talium recidivorum pœnitentiam. P. Claudius La-Croix *Lib. VI. part.* II. *num.* 1729. inquit: „ *Frequentem* relapsum esse signum, quod defuerit dolor, aut propositum, tenent „ *Iansenistæ*, & *Rigoristæ* plurimi cum Opstraedt in Pastore bono: sed certum „ est, id non esse universaliter verum. " Si hæc *P. La-Croix* assertio consisteret; Iansenismus, & Rigorismus esset in divina Scriptura, in Patribus; & Concionatores ætatis nostræ, non plurimi, sed omnes essent & Iansenistæ, & Rigoristæ. Legatur inter ceteros P. Paulus Segneri in suo celebri sane opere *Christ. Instruct. Part. III. ser.* XXII. ubi vel in ipso exordio hæc habet. *Dubito però io, che quando noi diamo a costoro il nome di recidivi, facciam loro un onore non meritato . . : Non dee dirsi, che costoro ritornino ad essere peccatori dopo la confessione, poichè per essa non divennero giusti. Questa è una verità importantissima, e però conviene che io ve la faccia toccar con mano.* Legatur integer illius sermo, legantur omnes libri concionatorii, & spirituales, & audiantur omnes Concionatores e suggestu hanc veritatem ardenti zelo inculcantes, videlicet frequentem relapsum esse communiter & universaliter (quidquid per accidens in aliquo casu contingere possit: moralia enim moraliter tractanda sunt) argumentum ficti doloris.

II. P. La-Croix hanc gravissimam veritatem implicat, obscurat, & fucum imperitis facere videtur. Duas enim assertiones *ibidem num.* 1730. adiicit: *Frequens relapsus est quandoque signum, quod defuerit dolor, aut propositum.* Deinde statim *num.* 1731. addit: *Frequens relapsus non semper est signum, quod defuerit dolor, vel propositum.*

III. Ambæ hæ duæ propositiones veritatem moralem obscurant, & imperitorum deceptioni viam aperiunt. Et ad secundam quod attinet, quis nisi demens dixerit, frequentem relapsum esse *semper* argumentum falsæ confessionis? Secreta cordium nos latent, & externa signa non semper indicant quod intus latet. Perperam ergo, ut mitissime loquar, P. La-Croix obtrudit τὸ *semper*. Quandoquidem sicut ineptiret qui propugnaret frequentem relapsum esse *semper*, accepto hoc *semper* in toto rigore, argumentum falsæ pœnitentiæ; sic aberrat P. La-Croix in altera assertione, qua dicit: *Frequens relapsus est quandoque signum, quod defuerit*

rit dolor. Hæc duo *semper*, & *quandoque* in hac materia sunt duo extrema æque falsa, & æque perniciosa. Quid ergo dicendum? Respondeo primum cum omnibus Theologis, *moralia moraliter accipienda esse*. Hinc infero, *frequentem* relapsum, iuxta divinas Scripturas, SS. PP. Concilia, & graviores Theologos, *frequenter*, *communiter*, & ut plurimum esse signum ficti doloris, & propositi; quamvis interdum hæc regula admittat exceptiones, nempe quod aliquando cum frequenti relapsu possit componi vera conversio. Dico itaque, falsam, laxam, Scripturis, Patribus, gravioribus Theologis, & ipsi experientiæ adversam esse doctrinam P. La-Croix, qui asserit *frequentem relapsum* esse dumtaxat *quandoque* signum falsi doloris, & propositi. Sed audiamus rationum momenta quæ allegat Auctor noster. Verum, antequam illius rationes refero, iterum moneo lectorem, sermonem nunc esse de *frequenti relapsu*. Hunc frequentem relapsum in sua probanda sententia proponit Auctor, quamvis postea in decursu solius relapsus mentionem faciat. Nam quod aliquis relapsus absolute acceptus non sit communiter signum falsæ pœnitentiæ, extra controversiam est, ut iam dixi. Controversia ergo est de *relapsu frequenti in peccata mortalia sive antiqua, sive nova*.

IV. Opponit P. La-Croix 1. Frequens relapsus est tantum signum, quod voluntas facta sit inconstans, quod facillime fit. 2. Potest esse verus & prædominans amor Dei, quamvis statim post sequatur lapsus; ut patet in *Angelis*, *primis parentibus*, *item in S. Petro*. 3. „ Non est maior obligatio vitandi peccata „ antiqua quam nova: ad omnia enim debet se æqualiter extendere proposi- „ tum: immo facilius est vitare nova quam antiqua: quia consuetudo, & habi- „ tus vitiosi magis impellunt ad antiqua. *Sed ex eo quod quis afferat NOVA* „ *nemo prudenter iudicat, quod defuerit dolor, vel propositum in priori confessio-* „ *ne. Ergo neque ex eo quod afferat antiqua.* " 4. Quamvis multi Patres, speciatim S. Augustinus, & Gregorius; item S. Bernardus, & Albertus M. *videantur dicere*, quod relapsus sit signum, quod præcedens pœnitentia non fuerit vera; tamen Raynaudus in *Heter. Tom. XV. part. 1. punc.* 4. recte ostendit, *hanc non fuisse eorum mentem*, *sed tantum voluisse esse signum inconstantis, & mutatæ voluntatis*.

V. Hæc totidem fere verbis rescribere placuit. Nullus dubito quin lector ex sola lectione commoveri debeat. Imbecillitati meæ horrorem hæc ingerunt. Inferunt enim, Scripturas, SS. PP. Concilia, & omnes Concionatores e publico suggestu fideles decipere. Sed ad rem.

VI. Respondeo ad 1. frequentem relapsum non modo esse signum inconstantis voluntatis, verum etiam ostendit, gratiam Dei non fuisse susceptam. Voluntas humana natura sua ad peccata prona est; at gratia divina roborata, & firmata de peccato triumphat. S. Thomas *III. Part. quæst. lxx. art.* 4. inquit: *Minima gra-*

tia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, & vitare omne peccatum mortale, quod committitur in transgressione mandatorum. legis: minima enim caritas plus diligit Deum quam cupiditas millia auri & argenti. Accedit quod gratia sacramenti pœnitentiæ addit peculiares vires, & singularia subsidia confert, subdit S. Thomas *III. Part. quæst.* lxii. *art.* 2. inquiens: *Gratia sacramentalis addit super gratiam communiter dictam quoddam divinum auxilium ad consequendum sacramenti finem*. Et sigillatim de pœnitentia hæc ibidem *quæst.* lxxxix. *art.* 2. *ad* 2. adiicit. *Pœnitentia, quantum est de se, habet virtutem reparandi defectus ad perfectum, & etiam promovendi in ulteriorem statum*. Argumentatio itaque P. La-Croix, ab inconstantia voluntatis humanæ repetita, a principiis Theologiæ christianæ abludit. Nam nos Theologi christiani loquimur de voluntate humana per gratiam sacramentalem erecta, sanata, & roborata. Voluntas humana natura sua inconstans, & mutabilis est; at gratia Christi, auxilia, atque validissima præsidia sacramentalia eidem conferunt robur, constantiam, & firmitudinem. Alterutrum ergo. Aut peccatores frequenter relabentes gratiam reipsa non suscipiunt: & tum falsa est illorum pœnitentia. Aut si suscipiunt, frequenter non relabuntur. Rursus. Aut gratia sacramentalis confert præfatas dotes; aut secus. Secundum hæresis est. Ergo verum primum. Ergo qui reipsa sunt veri pœnitentes, frequenter non relabuntur. Argumentatio P. La-Croix evertit non modo pœnitentiæ disciplinam, sed ipsam humanam societatem. Quis iure reprehendere homines poterit, si promissa frequenter violent? Mercatores non semel & bis, sed frequenter datam fidem frangunt. Decepti ad tribunal vocant mendaces istos homines. Hi reponunt: An ignoratis hominis voluntatem esse inconstantem, mutabilemque? Sincere promisimus; sed ob voluntatis inconstantiam promissa non implevimus. Propterea ne mendacii arguimur? Iusta ne excusatio isthæc? Quis dixerit puellam esse pudicam quæ frequenter polluitur? Quis dixerit hominem esse sincerum qui frequenter mentitur? Quis dixerit uxorem esse fidelem marito quæ frequenter adulteria perpetrat? Quis dixerit hominem esse sobrium, & temperantem qui frequenter ebrius est? Contra argutationem huiusce Auctoris quadrat illud Redemptoris oraculum: *Filii huius sæculi prudentiores sunt filiis lucis*. Quis imprudentissimum non reputaret mercatorem qui aureos nummos ut genuinos acciperet ab illis emptoribus quos frequenter deprehendit obtulisse adulterinos? Quis, inquam, imprudentissimum non reputaret, nisi nummos istos ad lydii lapidis tactum exigeret, ut hinc deprehenderet, sint ne genuini, an adulterini? Quis non irrideret, si reponeret: Inconstans est humana voluntas & mutabilis: licet frequenter emptores labantur in hanc fraudem, inde tamen inferri nequit, & nunc velle adulterinam monetam offerre? Si imprudens, ne dicam fatuus, esset mercator iste; aliorum esto iudicium, quam

sint imprudentes Confessarii illi qui genuinum dolorem, & sincerum propositum reputant illorum pœnitentium qui fidem solemni ritu Deo datam, non casu aliquo fortuito, & vehementi insolitaque tentatione pulsante, sed frequenter infringunt. *Propositum* (inquit S. Thomas in Psalm. XLVIII.) *optime manifestatur per operationem*.

VII. Ad secundum respondeo, fieri utique posse ut homo post iustificationem statim labatur; ut patet scilicet in Angelis malis, in primis parentibus, in S. Petro. Hæresis Calviniana est, iustificationem christianam esse inamissibilem. Sed addo, perperam hæc, ne quid plus dicam, obtrudi ad inferendum, frequentem relapsum non esse ficti doloris, & adulterini propositi signum. An sanctissimum Apostolorum Principem inter frequenter recidivos constituet P. La-Croix, ut laxam opinionem confirmet? Nolo longius argutationem ex lapsu S. Petri, Adami, & malorum Angelorum repetitam improbare, ne quid durius calamo excidat.

VIII. Responsio ad 3. sophisma lacrymis potius quam verbis danda esset. Non est maior obligatio vitandi peccata antiqua quam nova? Quis Catholicorum hoc umquam in disputationem vocavit? *Sed ex eo quod quis afferat nova, NEMO prudenter iudicat, quod defuerit dolor, vel propositum in priori confessione. Ergo neque ex eo quod afferat antiqua*. Ambæ propositiones & falsæ sunt, & scandali plenæ. Supra ex S. Paulo, & Scripturis sanctis palam feci, iustificationem christianam suapte natura constantem & firmam esse contra quodcumque peccatum mortale. Ex eo quod quis nova peccata mortalia afferat, nemo *prudenter* iudicat, quod defecerit dolor, vel propositum in priori confessione? Hæc paradoxa in Christi Theologia legere contigit? Nova peccata perpetrata non sunt ficti & doloris, & propositi signa? An peccata mortalia, cuiuscumque generis sint, non pugnant hostiliter cum iustificatione christiana? Auctor ipse fatetur, facilius vitari nova peccata posse: quoniam ad antiqua magis impellunt habitus vitiosi, assuefactio, & altius radicatæ propensiones & consuetudines. Ergo nova peccata alterius generis maiorem in peccante malitiam præferunt; & evidentius larvatum dolorem & fictum propositum, iuxta prudentem cogitandi modum indicant. Et Auctor asserere audet, quod nemo prudenter iudicat defuisse dolorem, & verum propositum. Immo communiter, & ut plurimum, nemo prudenter iudicat adfuisse. Quis reconciliatur cum inimico, proponit numquam imposterum se illum offensurum: & continuo novas alterius generis iniurias eidem iterum atque iterum intentat. Hæc ne germana reconciliatio? Nemo prudenter iudicat, insinceram fictamque fuisse reconciliationem istam? Dumtaxat novus opinandi modus hanc prudentem cogitandi, & iudicandi regulam invehere potuit. Et tamen ex hoc falso principio peiorem Auctor infert consequen-

quentiam. *Ergo neque ex eo quod afferat antiqua*. An ergo, ut securius absolvatur, & luculentius ostendat, sincerum fuisse dolorem, robustumque propositum, afferat pœnitens & nova & antiqua scelera? Imbecillitas mea nequit efficacius similes argutationes profligare, quam eas sapientum iudicio subiiciendo.

IX. Ad 4. oppositionem. Quamvis multi Patres videantur dicere, quod relapsus sit signum fictæ pœnitentiæ præcedentis; *tamen* Raynaudus *in Heter. Tom. XV. part.* 1. *sec.* 1. *punc.* 4. RECTE *ostendit, hanc non fuisse eorum mentem*. Quid in hoc gravissimo argumento contra luculentissima Patrum, non multorum modo, sed omnium testimonia Theophylus Raynaudus? Is ne arcana aliqua & inaudita distinctione eludet Patrum testimonia manifestissima, quæ a Conciliis, a Theologis, ab omnibus Concionatoribus adhibentur ad evincendum, ut plurimum fictam esse recidivorum pœnitentiam? Etiamsi Raynaudus aliquo arbitrario commento eludere tentaret Patrum testimonia; ideone eidem standum? Sed Auctor noster ait: Raynaudus *recte ostendit, hanc non fuisse eorum mentem*. Recte ostendit? Eccur adducta in medium non est in argumento momentosissimo una saltem ex his *rectis ostensionibus?* præsertim cum talis interpretatio inaudita sit, & hactenus Theologis incognita. Sicut supra in controversia de confessione epistolari remittit lectorem ad *P. Gormaz*; ita nunc remittit ad Raynaudum. Discendæ veritatis gratia legi *Gormaz*, quem errantem inveni. Nunc legere volui citatum *Tom. XV.* Raynaudi, qui *loc. cit.* nempe *sec.* 1. *punc.* 4. *pag.* 65. refert testimonia S. Gregorii, citat Petrum Blesensem, alia Augustini, & Gregorii testimonia complectentem. Refert testimonia Fulgentii, Chrysostomi, Bernardi. Pag. 66. addit: *Suffragari denique videntur omnes Patres, quorum illud est veluti effatum, ad novam pœnitentiam exigi novam vitam, utique destinatione saltem, & proposito firmo, quod facto æquiparatur*. Hoc vero confirmat auctoritate Augustini, & Gregorii, & refert S. Augustini verba ex *serm.* XXVIII. & XL. inquientis. „Tundentes pectora, & hæc eadem facientes, aliud non præstant quam peccati *pavimentationem*: necesse est subsequi emendationem, & abstinentiam a recidivo, quæ cum (non) subsequitur, videtur patentibus signis deprehendi inanitas propositi firmi emendationis, sine quo detestatio peccati ludicra est, & figmentum potius, vanumque pœnitentiæ simulacrum, quam vera pœnitentia.“

X. Hactenus de SS. Patribus P. Raynaudus: deinde ipse persequitur continuo *num.* 15. suam disputationem his verbis. „Ego hac in re ultra do, ad veram peccati detestationem exigi propositum saltem *virtuale*, sive inclusum in detestatione efficaci. Formalem vero propositum non exigi ad veritatem pœnitentiæ, ac detestationis, attigi supra contra Sotum, Cadum, atque Valentiam; *adde & BELLARMINUM Lib. II. de pœnit. cap.* 11. . . . Caducitas au-

 „tem

„ tem propositi, & relapsus eam consequens, non est argumentum inanitatis „ propositi, *quamdiu viguit*, *quale conceptum erat*; sed tantum est indicium hu„ manæ mutabilitatis, qua numquam in eodem statu permanemus." Dii meliora! Est constans propositum, robustumque pro *tunc*; sed non pro *post*. Sed homines, qui scrutari hominum corda nequeunt, cum vident promissa passim frangi, mendacia fuisse promissa, prudentissime inferunt. Falleris. Sat est quod promiserint: quia voluntas humana mutationi obnoxia est. Dispeream, si sic argutarent Casuistæ, quando contingeret, ipsos mercatores agere, & commercia inire.

XI. Hæc P. Theophylus Raynaudus. Nec verbum, nec iota aliud ibi habet; quo Patrum testimonia exponat, vel interpretetur. Sed contra omnes SS. Patres cervicem erigit, inquiens: *Ego hac in re ultra do* &c. Quare mirum non est, si insurgat contra Sotum, Cano, Valentiam, & *Ven. Bellarminum*; quando unus Bellarminus præstat mille Raynaudis. Sed hæc obiter. Ad id quod caput est, revertamur. Igitur P. La-Croix videns Patrum testimonia esse ineluctabilia, se recipit ad patrocinium Raynaudi, qui, etiamsi aliquo commento arbitrario, revera Raynaudo non insueto, Patrum testimonia eludere pertentaret, non propterea audiendus foret. Sinciput enim Raynaudi non Dominicani modo, verum etiam Iesuitæ experti sunt. Quid nunc dicendum, cum nullam nec rectam, nec distortam Patrum interpretationem perhibeat Raynaudus, sed illorum testimonia referat, & prætereat? Et cum hæc ita se habeant, ut quisque propriis oculis periculum facere valet, P. La-Croix audet scribere: *Tamen Raynaudus recte ostendit, hanc non fuisse eorum mentem?* Si talia ab aliis scriberentur vel de minimo Casuista, continuo orbis terrarum resonaret his vocibus: Sic imponitur imperitis? Ubi sinceritas? Ubi bona fides? In re adeo gravissima, in qua de æterna animarum salute agitur, Patrum testimonia flocci fiunt? Verum ego hæc omnia mitto: & optassem summopere ut P. La-Croix loco Raynaudi *Ven. Bellarminum* legisset, eiusque doctrinam hoc de argumento amplexus fuisset. Mira res! Testimonia Ven. Bellarmini contra recidivos, & Confessarios absolventes recidivos obsequio summo referunt sapientissimi Cardinales & Episcopi, Aguirre, Denhoff, Grimaldi, Le-Camus, Attrebatensis, & innumeri alii celeberrimi Theologi. Quis vero Casuistarum Ven. Bellarmini testimonia refert? An La-Croix, an Viva, an Tamburinus, an Burghaber, an Catalanus, an Escobarius, an alii? Nemo unus, quatenus mihi legere licuit. P. La Croix duo Bellarmini testimonia *num.* 1766. rescribit. Quorsum? Ut confirmet suas opiniones? Minime gentium. Sed sibi illa opponit, & consuetis distinctiunculis eludit. Et tamen, si dixero, Bellarminum, cuius sanctitatem spero fore ut solemni cultu Catholici omnes brevi adoraturi sint, splendorem esse & ornamentum, non modo Inclytæ

Se-

Societatis Iesu, verum etiam universæ Ecclesiæ, & quo superiorem Theologum in Societate, licet doctorum hominum fecundissima, ego non agnosco, a veritate non aberravero. Hæc in Venerabilis Bellarmini iustissimam commendationem, ut animi mei obsequium erga tanti viri doctrinam, & erga Inclytam Societatem, cuius est filius, patefacerem, quemadmodum ubique, occasione data, semper præstiti, æternumque præstabo. Verum o tempora! o mores! Quamvis Bellarminum, & ceteros sapientiores Societatis Scriptores debitis præconiis extollam, eorumque doctrinam saniorem propugnem; non propterea devotus Societatis amicus audio; sed quod laxa quorumdam Casuistarum paradoxa refellam, hostis, & quidem infensissimus traducor, ut iam animadverti in *Testimonio* pro Societate IESU inserto præfationi in *Tom. I. in Decal.* At est Deus in Israel, qui hæc iudicaturus sit. A iusto diverticulo in semitam regredior.

XII. P. La-Croix obiicit sibi ibidem textum evangelicum: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*. Ergo, ubi sit relapsus, non fuit dolor efficax. Quid responsi præbet? Audi. *Non fuit dolor efficax inconstanter, nego; constanter, concedo. Sed nego requiri efficaciam constantem*. Et sermo est de relapsu frequenti. Non ergo audiendus est Paulus Apostolus *I. Cor.* xv. clamans: *Itaque, fratres mei dilecti, stabiles estote, & immobiles?* Non ergo audiendus idem Paulus iterum *II. Cor.* VII. inclamans: *Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur?* Et rursus ad Coloss. cap. I. *Nunc autem reconciliavit in corpore carnis eius per mortem exhibere vos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso, si tamen permanetis in fide fundati, & stabiles, & immobiles*. Quid produnt hæc Evangelistæ Lucæ verba: *Constans esto?* Act. XXIII. Quid significant hæc alia: *Stabunt iusti in magna constantia?* Sed quid longius persequor lugendum commentum, & cavillationes, quibus forte dicturi erunt, hæc ad perfectionem, non ad substantiam pœnitentiæ requiri?

XIII. Obiicit sibi 2. Secundum SS. PP. vera pœnitentia est mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere. Ergo, ubi sit relapsus, non fuit vera pœnitentia. Quid ad hæc respondet? En eiusdem verba. *Ista est vera pœnitentia necessaria ad sacramentum; nego. Necessaria ad perseverantiam finalem concedo . . . Patres enim verbis illis significant pœnitentiam, qua perseveramus usque ad finem, & tandem salvamur. Non autem illam qua iustificemur in sacramento.* A Raynaudo ne tale commentum? At si pœnitentes frequenter relabuntur in scelera, resurgunt, & recidunt, quomodo perseverant usque ad finem? Refugit calamus hæc paradoxa refellere. Ut cavillationi locus occludatur, semper recolendum est, disputationem nunc esse de *frequenti relapsu*. Quo fundamento peccatores frequenter recidivi sperare donum illud specialissimum perseverantiæ possunt, si frequenter relabuntur in scelera?

XIV.

XIV. Instat sibi iterum ibi P. La-Croix. Iuxta SS. PP. qui iterum committit flenda, est potius irrisor quam pœnitens. Ad hanc instantiam respondet cum S. Thoma *III. Part. quæst.* lxxxiv. *art.* 10. *ad* 4. ubi inquit: *Quod autem postea aliquis peccat vel actu, vel proposito, non excludit quin prima pœnitentia vera fuerit, Numquam enim veritas prioris actus excluditur per actum contrarium subsequentem. Sicut enim vere cucurrit qui postea sedet; ita vere pœnituit qui postea peccat.* Ut heinc colligas, quanta sit fides adhibenda nonnullis Casuistis, scias oportet, hic S. Thomam disputare contra Novatianos: & in titulo articuli proponit, *Utrum sacramentum pœnitentiæ debeat iterari?* Et respondet in cor. art. *Dicendum, quod circa pœnitentiam quidam erraverunt, dicentes, non posse hominem per pœnitentiam secundo consequi veniam peccatorum. Quorum quidam, scilicet Novatiani, hoc intantum extenderunt, ut dicerent, post primam pœnitentiam, quæ agitur in baptismo, peccantem non posse per pœnitentiam iterato restitui. Alii vero fuerunt hæretici . . . qui post baptismum dicebant quidem esse utilem pœnitentiam, non tamen pluries, sed semel tantum.* Docet ergo S. Thomas cum omnibus Catholicis, relapsum non tollere quin prior pœnitentia, & confessio vera fuerit. Docet iterandum esse sacramentum pœnitentiæ, & relapsum non posse reddere frustraneam pœnitentiam priorem, quæ reipsa vera fuit. Quomodo enim actus posterior tollere priorem valet? At numquid hæc est disputatio nostra? In præsentia disputatur, num frequentes relapsus tale iudicium præbeant, ut Confessarii prudenter iudicare valeant, priorem pœnitentiam non fuisse veram; atque adeo differendam esse absolutionem, donec per opera pia & laboriosa, & per abstinentiam a peccatis mortiferis argumenta præbeant sinceri doloris, & constantis propositi. Caussa ista gravissima non vanis distinctiunculis, & cavillationibus, sed Scripturarum, & PP. regulis discutienda est.

XV. Prætereo examen aliorum quæ ibidem docet *P. La-Croix*, qui, ut Iansenistas, & Rigoristas, traducit Theologos docentes, frequentem relapsum esse falsæ pœnitentiæ grave indicium. Si nos, vicem rependeremus appellantes laxones, & palpones illos qui oppositum docent; nos severe increparent, & formidanda minarentur. Sed nos, laxas & perniciosas reputamus plurimas illorum opiniones; at pro certo habemus, pio animo faciliorem efficiendi paradisi viam easdem excogitatas fuisse. Quod sæpe repetimus, ut intelligant, nos officio & obsequio Auctores colere illo ipso tempore quo opiniones quæ laxæ & exitiosæ æternæ Christianorum saluti nobis videntur, profligare nitimur.

CA-

CAPUT VIII.

Rigorismus in tribus thesibus proscriptis ab Alexandro VIII. contentus, exploditur.

I. Alexander Papa VIII. sequentes tres theses proscripsit. *16. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, nec institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex & præscriptio, natura rei idipsum quodammodo dictante.*

17. *Per illam praxim mox absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus.*

18. *Consuetudo moderna quoad administrationem pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed pro abusu.*

II. Omnes istæ tres theses eodem fere recidunt. Primam ex his tribus propugnavit Petrus Oxomensis, ut narrat Natalis ab Alexandro in *Hist. Eccl. sæcul.* XI. *art.* 7. Hunc errorem damnavit primum Alphonsus Carillus Archiepiscopus Toletanus, & postea Sixtus Papa IV. Damnatum errorem renovarunt nonnulli in Belgio, & aliqui in Gallia, ut referunt & Natalis ab Alexandro *Lib. II. de pœnit. reg.* 3. & Hyacinthus Graveson in *Hist. Eccl. sæcul.* XVI. *colloq.* 6. Quid simile docuit Quesnellus in damnatis thesibus 87. & 88.

III. P. Dominicus Viva duas primas theses affingere Guillelmo Estio præclarissimo, doctissimoque Theologo non dubitavit in sua *Trutina num.* 1. Sed Estium ab hac impostura vindicat P. Thomas Milante *exercit.* x. *in propos. Alexandri VIII.* Non adeo raro errat P. Viva in adscribendis falsis, & erroneis opinionibus Theologis qui illas minime docuerunt: quia forte Auctores in fonte non legit. Hæc corrigere illi deberent qui blaterant, me truncatas referre laxas Casuistarum opinationes.

IV. Falsitas proscriptarum thesium ex se patet. Quoniam nullibi lex occurrit qua Christus Dominus præcipiat præmittendam esse satisfactionem absolutioni sacramentali. Ordo iste unice ab Ecclesiæ disciplina pendet, ut alias dictum est. Satisfactio, non ad essentiam sacramenti, sicut confessio, & contritio, sed ad integritatem tantum pertinet, ut declaravit Concilium Tridentinum *sess.* XIV. *cap.* III. Quid quod non modo Christus Dominus nullam tulit legem præmittendi ante absolutionem satisfactionem, sed documenta luculentissima in suo Evangelio reliquit, quæ oppositum evincunt? Siquidem ipse mulierem peccatricem, quæ plurimum dilexit, & lacrymarum imbre abluit scelera sua, absolutam in pace actutum dimisit. Matthæum, & Zachæum corde contritos in discipulos confestim susce-

suscepit. Latronem in cruce pendentem, animoque de peccatis dolentem, & eius divinitatem confitentem, protinus de æterna beatitudine certiorem fecit inquiens: *Hodie mecum eris in paradiso*. Paralytico peccata dimisit, quin præviam satisfactionem imposuerit. Tandem sacramentum pœnitentiæ institutum est ad normam iudicii forensis, in quo post absolutionem rei, mulcta exequenda imponitur. Similiter natura, & essentia sacramenti consistit, dum ante executionem operum pœnalium absolutio impertitur.

V. Ad essentiam itaque sacramenti attinet, ut nonnisi rite dispositis, & vere contritis absolutio peccatorum impertiatur. Quod vero satisfactio, quæ est pars tantum integralis sacramenti, ante, vel post persolvatur, ad disciplinam pertinet Ecclesiæ, quæ pro temporum diversitate illam mutare iure potuit. Ergo sicut effrenata temeritate non vacaret qui primæ ætatis Ecclesiæ disciplinam carperet; ita incredibilis audaciæ rei sunt Auctores secundæ & tertiæ thesis, quos præsentem Ecclesiæ disciplinam vellicare non pudet. Quæ opponere ex Cypriano, & aliis Patribus solent, nimis futilia sunt, ut refutari debeant. Patres enim sui temporis disciplinam Ecclesiæ commendant. Præ oculis ergo semper habenda est doctrina S. Thomæ, qui 2. 2. *quæst.* x. *art.* 12. docet: *Ecclesiæ consuetudo semper est in omnibus æmulanda*.

VI. Hinc colligere licet, quam turpiter hallucinentur nonnulli recentes Casuistæ, qui ex narratis thesibus gravissimam inferunt corruptelam, videlicet omnibus sponte accedentibus, tametsi inveteratis, habituatis, & frequenter relabentibus, absolutionis beneficium impendendum docent. Nec istos pudet, hanc esse disciplinam Ecclesiæ asserere: & Rigorismi calumniam imponere oppositum docentibus. Confundunt turpissimam corruptelam, & sacrilegum abusum cum Ecclesiæ consuetudine. Disciplina hodierna Ecclesiæ est, ut rite dispositis & sincere contritis absolutio impertiatur, quin necesse sit pœnalium operum satisfactionem præmittere. Sed difficultas vertitur in discernendis & dignoscendis optime dispositis, & vere contritis, a fictis & simulatis pœnitentibus. Ex fructuum qualitate, bonæ a malis plantis distinguuntur. Abusus & quidem gravissimus, non Ecclesiæ disciplina, est, ad sacra mysteria habituatos, inveteratosque peccatores admittere, nisi signa emendationis moraliter certa præcedant, quibus sacri ministri dignoscere valeant, quinam sint bene dispositi, & ex toto corde contriti. Advertant Benignistæ, trium thesium proscriptarum Rigorismum non in Merbesio, non in Gennetto, non in Pontasio, non in Besombio, non in Natali ab Alexandro, aut in alicuius catholici Theologi libris, qui manibus Confessariorum terantur, reperiri. Quamobrem gravissimam ipsi inferunt Ecclesiæ perniciem, quando iniuria summa Theologis catholicis, qui pro sana doctrina pugnant, notam teterrimam *Rigorismi* impingunt. Recogitent e contrario, *Laxismum* & proscriptum, & pro-

proſcribendum, contra quem calamum acuimus, in non paucis Caſuiſtarum libris, quos Confeſſarii ut magiſtros legunt, extare..

VII. P. Dominicus Viva ex poſtrema theſi proſcripta in ſua *Trut. in propoſ. 18. Alexand. VIII. num.* 20. duo falſa obtrudit, & teſtimonium mutilum S. Thomæ refert. Primo docet, in primitiva Eccleſia ſolos Clericos ad ſacram cœnam quotidie conſueviſſe accedere. Secundo negat, in primitiva Eccleſia acceſſiſſe ad ſacram communionem ſine confeſſione venialium culparum. P. Thomas Milante *exercit.* x. *in propoſ.* 18. *Alexand. VIII.* in utraque ſententia aberrare P. Viva omni argumentorum genere evincit, & S. Thomam vindicat. Controverſias iſtas tanti non facio, ut operæ pretium exiſtimem, eaſdem ad exactam criſim revocare. Eaſdem pro dignitate diſpexit præfatus P. Milante, qui pro ſe allegat doctiſſimos viros Mabillonium, Morinum, Martenium, Thomaſſinum, Duhamelium, Boilaum, Natalem ab Alexandro, alioſque illuſtres Scriptores. Itaque ſi plura hac de re cupis, ipſum legito.

C A P U T IX.

De officio Confeſſarii tum in examine, tum in abſolutione pœnitentium.

INtegra diſſertatione ſuperiori dotes, & prærogativas Confeſſarii expoſui. In præſentia regulæ praxim ipſam ſpectantes tradendæ ſunt. Prolixitatis forte accuſabor. Verum, ſpectata argumenti gravitate, difficultate, & neceſſitate, nulla fere prolixitas ſuperflua eſt. Perpendenda ſunt verba Concilii Lateranenſis X. celebrati ſub Innocentio II. an. 1139. ubi *cap.* XXII. hæc habet. *Sane, quia inter cetera unum eſt quod ſanctam maxime perturbat Eccleſiam, falſa videlicet pœnitentia, Confratres noſtros, & Presbyteros admonemus ne falſis pœnitentiis laicorum animas decipi, & in infernum pertrahi patiantur* &c. Caſuiſtæ plurimi contra exultantes & lætantes clamant, nihil hodie magis refulgere in Eccleſia catholica quam ſacramentorum frequentiam, veramque pœnitentiam, noſtrumque ſæculum *aureum eſſe*. At vos, Confeſſarii, Eccleſiæ, non quorumdam Caſuiſtarum vocem audite; & ad Conciliorum regulas, & documenta praxim veſtram exigite.

§. I.

§. I.

Quam adhibere diligentiam Confeſſarius in pœnitentium examine, & in eorumdem chriſtiana diſpoſitione procuranda debeat.

I. PRovinciam difficillimam exornandam ſuſcipio, de qua quidquid dixerim, minus dixero. Multa confundunt: pauca non ſatis inſtruunt. Dixi ſupra, Confeſſarium qui abſque ſpeciali vocatione in hoc ſe intrudit miniſterium, periculo non levi damnationis ſe exponere. In præſentia addo. Niſi Confeſſarius ſortitus ſit ingenium acutum, mentem ſagacem, prudentem, penetrantem, circumſpectam, qua diſcernere ſtatum pœnitentis, circumſtantias, opportunitates interrogationum faciendarum; ſuperfluæ ſunt & vanæ regulæ omnes quæ præſcribi ab Auctoribus ſolent. Siquidem, cum debitum interrogandi, examinandi, & diſcutiendi pœnitentium conſcientias a circumſtantiarum diverſitate pendeat, vix aliqua certa & fixa deſignari regula valet. Aliquas tamen deſcribam.

II. Confeſſarius, ut alias dictum eſt, ſuſtinet officium iudicis, doctoris, & medici: ut iudex abſolvit, ut medicus remedia opportuna applicat, ut doctor docet, inſtruit, examinat. De his dotibus ſatis ſuperque ſupra actum eſt. Nunc de Confeſſario ut doctore ſigillatim aliqua diſcutienda ſunt, quæ propius praxim ſpectant.

III. Confeſſarius itaque confeſſiones excepturus primum omnium pœnitentem benedicat, hanc precem pronuntiando: *Dominus ſit in corde tuo, & in labiis tuis, ut ſancte confitearis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.* Si pœnitens ignotus ſit, tempus exquirat a quo confeſſus fuerit. Ex modo quo pœnitens exponit ſua peccata, colliget, quomodo interrogandus, iuvandus, inſtruendusque ſit. Si aliena narret, illum moneat, ut ſua, non aliena pandat crimina. Si minus honeſte flagitia exponit, caſtam loquendi formam illum doceat. Ex temporis diuturnitate maiori, aut minori protractæ confeſſionis, interrogabit, num ſerio ſuam expenderit conſcientiam, num diſponere animam ſuam ſtuduerit ad tantum ſacramentum ſuſcipiendum.

IV. Et quia ab hac diſpoſitione magnopere pendet plena & ſincera peccatorum manifeſtatio; idcirco inprimis Confeſſarius curare debet ut pœnitentis cor, & animum vere emolliat, atque ad gratiam accipiendam præparet. At qua via, inquis, diſponendus peccator eſt? Hanc aperuit Tridentinum Concilium *ſeſſ.* VI. *cap.* V. & VI. Inquit enim *cap.* V. ubi agitur de neceſſitate præparationis ad iuſtificationem in adultis. *Declarat præterea, ipſius iuſtificationis exordium in adul-*

adultis a Deo per Christum Iesum, praeveniente gratia, sumendum esse &c. Deinde *cap.* VI. cuius titulus est, *Modus iustificationis*, hanc praescribit methodum. *Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati divina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse quae divinitus revelata, & promissa sunt. Atque illud in primis, a Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem, quae est in Christo Iesu; & dum peccatores se esse intelligentes a divinae iustitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tamquam omnis iustitiae fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est per eam poenitentiam quam ante baptismum agi oportet. Denique dum proponunt suscipere baptismum, incohare novam vitam, & servare divina mandata. De hac dispositione scriptum est*: Accedentem ad Deum oportet credere *&c.*

V. Quae hic praescribit Concilium pro praeparatione adulti ad baptisma, potiori iure applicari possunt praeparationi ad sacramentum poenitentiae, quae est secundum, & quidem laboriosius baptisma: nam illud est aquae frigidae, istud aquae calidae, & ferventioris, idest amarioris gemitus, & acerbioris contritionis; cum peccata post primum baptisma commissa graviorem malitiam, & quamdam perfidiae speciem contineant, ut sapienter observat Ven. Cardinalis Bellarminus *con.* VIII. *Dom.* IV. *Adv.* his verbis. *At vero cum homines iam priori baptismate absoluti, negligenter, & dissolute vivunt, & Deo ingrati iterum maculas contrahunt; tum Deus restringit nonnihil manum, & Sacerdotibus dicit: Si rursum ad vos pro medicina peccatorum venerint homines isti, quos semel lavistis, non amplius eos lavabitis baptismo aquae frigidae, sed adhibete balneum aquae ferventis, & eorum pellem diligenter excoquite . . . Hoc est poenitentiae sacramentum, auditores, baptismus laboriosus, baptismus lacrymarum, balneum aquae ferventis, quod requirit gemitus, contritionem, lamenta, fructus dignos poenitentiae* &c.

VI. Primum omnium igitur altius insculptam habere animo debet sacer minister, confessiones auditurus, doctrinam supra fusius explicatam; nempe, iustificationem impii maximum esse Dei opus, quod iuxta communem providentiae ordinem paucis momentis communiter non peragitur. Hoc autem excellentissimum opus a fide in Deum initium capit. *Etsi* (inquit Petrus Soto lec. VIII.) *ad poenitentiam, & detestationem peccati possit nonnumquam ratio humana movere; sed quae hinc proficiscitur, non est vera poenitentia: carnis & sanguinis nominari potest, non spiritus . . . . Vera autem poenitentia non incipit nisi a fide: quia inde oritur omnis motus in Deum. Crediderunt viri Ninivitae in Dominum, & praedicaverunt ieiunium.* Hanc fidei cogitationem sequi timor poenarum solet, qui in

pec-

peccatoribus stimulus magnus est ad pœnitentiam. Diu tamen huic timori hærendum non est, tum ob periculum desperationis, tum ob periculum ne faciat animum servilem Christiano indignum, cum clamet Paulus: *Non accepistis spiritum servitutis in timore.* Cito ergo erigi sursum animus debet, & in spem ingredi, cum David dicens: *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi.* Et cum Ioele: *Convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus est, & præstabilis super malitia.* Amori spei succedit amor caritatis, qua Deum tamquam omnis iustitiæ fontem diligere incipit. Peccator enim, considerans immensam illam clementiam, qua Deus, quemadmodum miseretur pater filiorum, remittit peccata, facillime divinæ caritatis scintillulas accensas experitur, optimumque parentem Deum super omnia ob infinitam suam bonitatem amat. Hæc est methodus brevissima, qua iuxta Tridentinum præparare pœnitentes suos, cum opus fuerit, Confessarii ad pœnitentiam debent.

VII. Si hoc assecuti fuerint ministri Dei, ut corda pœnitentium reipsa, præeunte fide, intrinsecus dolore vero emolliant, & amore erga Deum succendant; continuo, quin communiter interrogationibus, & discussionibus opus sit, peccata cum omnibus circumstantiis fere sponte sua prodibunt. Illico ac in corde hominis ardere ignis contritionis incipit, omnia scelerum monstra, non secus ac ursi ab igne materiali, fugam arripiunt. Antidotum istud contritionis expellit prorsus vitiorum venenum plus & minus prout ardentior & acrior dolor est. Primum itaque omnium Dei minister peccatoris ad confessionem accedentis cor & animum aggrediatur, hunc obsideat, hunc undique tundat, percutiatque. Si gravioribus sceleribus oppressum deprehenderit pœnitentem, biduum triduumve proemolliendo corde designabit: docebit illum in actibus fidei, spei, doloris, & amoris se se exercere. Si obtinueritis, o Confessarii, quod revera mens pœnitentium illustretur, & cor emolliatur; pœnitentes seipsis evoment totum vitiorum venenum usque ad ultimam guttam, quin communiter, ut dixi, opus sit interrogationibus. Immo sicuti qui accipiunt theriacam, sive antidotum ad evomendum venenum, replicant antidotum, & vomitum, paventes, ne quidquam veneni latitet in corpore; sic pœnitentes sincere contriti non modo omnia scelera evomunt, sed morosi communiter sunt, & Confessariis infesti ob nimiam discussionem, & scrupulosam cuiusque minimæ circumstantiæ manifestationem, & repetitionem. Ipsi pœnitentes vere contriti sollicitant pulsantque Confessarium, ut interroget, ut discutiat illorum conscientiam. Totum ergo negotium huc recidit, ut Confessarii curent sinceram pœnitentis contritionem. Hoc fundamento iacto, splendidissimum iustificationis ædificium prospere & felicissime assurget.

VIII. Hinc colliges, quam verum sit quod communiter dicitur. Præteritis sæculis

culis viri Dei multorum confessiones audiebant, absolvebant absque tanta discussione, absque tot regulis a Casuistis præscriptis pro pœnitentium examine: & tamen plures illorum Confessariorum nec valde docti, nec valde acuti erant. Verum habet. Quoniam viri illi Dei non folia plantæ veneficæ venabantur, sed ad radicem securim applicabant, ut statim tota planta folia, & veneficos fructus exueret. Cor peccatoris ipsi aggrediebantur: & cum ipsi amore Dei arderent, facile flammas divini ignis in pœnitentibus accendebant. Da mihi Confessarium vere pium prudentemque, & a Deo ad illud ministerium vocatum: & ego tibi omnia prospera spondeo.

IX. Duo inter cetera præ oculis semper habere debet Confessarius. 1. Iustificationem impii esse maximum opus Dei, baptisma laboriosum aquæ ferventis, quæ veterem pellem excoquat, excorietque: & hanc tanti operis dignitatem, & summam difficultatem in primis pœnitentibus manifestare, suadere, inculcare efficaciter debet. 2. Multos esse vocatos, paucos vero electos. Pœnitentium pauci sunt vere contriti. Tu astringeris omnium conversionem anhelare, & pro virili procurare; at reipsa paucos lucraberis. Cave ergo ne thesaurum dominici sanguinis prodigas. Hæc duo tibi altius menti infige.

X. Catervatim currunt homines ad confessionem, non secus ac ad aliquam solemnitatem; & videntes communiter negotium paucis expediri, perfunctorie tantum opus peragunt. Quot sunt qui opus iustificationis, ut sublime, ut difficile, concipiant? Quot sunt qui veros fidei, & spei actus, ut Tridentinum docet, præmittant? Quot sunt qui fidem excitent, qua credant remissionem criminum ex meritis Christi Iesu fieri? qui diligere Deum studeant? qui deliberate, & constanter proponant emendationem? Hæc omnia, reponunt Casuistæ plures, *virtualiter* continentur in dolore servili, in attritione formidolosa. O homines! Sed vos, Confessarii, cavete ab his doctrinis, & Concilii Tridentini doctrinam in disponendis pœnitentibus adhibete. Innumeræ sunt confessiones sacrilegæ ob præfatorum actuum defectum. Non me latet, ut alias dixi, contritionem esse adeo ferventem posse, ut pœnitens dolore absorptus non cogitet de his actibus, implicitosque habeat. Hæc in iustis contingere interdum solent, in peccatoribus vero perraro. Id quod communiter evenit, spectandum est.

XI. Sedulo igitur Confessarii instruant suos pœnitentes, opus iustificationis esse opus infinitæ redemptionis: & quemadmodum ipsi peccantes rursus crucifixerunt Filium Dei; ita ille eosdem iustificans infinitum sanguinis sui pretium donat, & applicat. Peccati malitiam, pœnarum atrocitatem, æternitatis durationem, æternæ gloriæ iacturam, Dei clementiam, misericordiam, & immensam bonitatem ob oculos ponant. Et pro pœnitentium diversitate modo unam, modo alteram ex his considerationibus amplificent, inculcent, exaggerent.

XII. At perpendant Confessarii, quemlibet professorem debere se aptum reddere ad suam artem exercendam. Porro, ut Confessarii exercere valeant apte hoc munus disponendi pœnitentes suos ad grande iustificationis opus, necessum est ut ipsi in divinis meditationibus versati sint, ut cor animumque habeant Dei amore æstuantem. Ut orator moveat auditores, ipse se commotum persuasumque ostendere debet, inquit vel ipse ethnicus Cicero. Verba enim extrinsecus sonantia aerem verberant, & pœnitentium aures tundunt, si Confessarii animus sterilis, frigidus, &, quod absit, vitiis sordeat. Sacerdotes ergo qui hoc munus exercent, diligentius, & ferventius orare, meditari, & sanctas Scripturas scrutari tenentur, ut se ad Dei vices sustinendas in remittendis peccatis præparent: sic enim erunt benigni, mansueti, patientes, ut annuntient verbum Dei. De hac benignitate evangelica, non casuistica, mansuetudine, & patientia Confessariorum dictum iam supra est, & infra sermo recurret. His præiactis, aliqua sigillatim dicam.

XIII. Quæst. I. *Quid observare Confessarius debet in interrogatione pœnitentium?* Resp. Plurima Auctores docent. Ego paucis rem expediam. Principio Confessarius statum pœnitentis, servi, domini, uxorati, patrisfamilias, iudicis, advocati, medici, magnatis, Principis, rustici, adolescentis &c. inquirat. Si advertat, peccata quæ communiter talem statum comitari solent, seu patrari a personis eiusdem status, non manifestari; tum matura prudentia & dexteritate interrogare incipiat, prout congruum existimaverit. Extrema caveat. Humani respectus non claudant os, linguamque non cohibeant in interrogatione magnatum, & Principum. Curiositas numquam impellat ad superfluas interrogationes. Ab importunis quoque, & nimium frequentibus interrogationibus abstinendum diligenter est. Pro multis interrogationibus supplebit affabilitas, hilaritas, temperata modestia, & humili gravitate, qua Confessarius alliciat pœnitentem ad cor plene aperiendum, & qua ostendat pœnitenti se magnopere percupere illius conversionem, & sanctificationem, totumque se consecratum esse eiusdem animæ curæ & sanitati, quam ardenter suspirat. Dum pœnitentes hæc signa deprehendunt in Confessariis, animos sumunt, & cor eorum amplificatur, & ex abundantia cordis os loquitur.

XIV. Quæst. II. *Quid observare debeat Confessarius in interrogatione peccatorum carnalium?* Resp. Omnes docent, magna opus esse cautione in hac putida materia, quæ suo contagio inquinat & interrogantem, & audientem. Cavendum etiam est ne putredo intus lateat, & iaceat. Caveat Confessarius, inquit S. Thomas, ne interrogando instruat nescientem. Verbis modestis utatur. Exquiret a iuvenibus, a puellis &c. an custodierint sensus suos, oculos, aures, linguam: tum aut silere, aut progredi poterit. Si audierit fuisse aspectus liberos, verba minus honesta, colloquia prava; tum transiet ad cogitationes, desideria &c. Si hæc fatean-

teantur, tum dextere eos circumveniet, ut patefaciant, num fuerint tactus, aut peiora.

XV. Dum puellæ confitentur lapsum virginitatis, sunt ne interrogandæ de circumstantia virginitatis, aut de gradu incestus? Negant plures Probabilistæ, quod probabile esse doceant, priorem circumstantiam non mutare speciem; nec gradus incestus differre specie, & raro incestum esse in primo gradu. Ita cum aliis docet P. La-Croix *num.* 1749. Sed hanc doctrinam alibi refutavi ut falsam. Temperatæ sint, & cautissimæ interrogationes de his circumstantiis, de peccatis coniugum &c. at necessariæ omittendæ non sunt, nisi aliquæ rationabiles causæ occurrant. Verum semper redit quod dixi. Cor contritum, & humiliatum omnia evomit. Quando coniuges aliquod indicium præbent mollitiei &c. suadeatur, quam modestus sit oporteat matrimonii usus, quam sancte custodire, & communicare sibi mutuo corpora sua coniugati debeant. Hæ suasiones, & monitiones cor animumque ita delinire, & compungere solent, ut, si quid abominationis est, statim erumpat. Hinc Prophetæ Ezechieli inquit Deus cap. VIII. *Fode parietem*. Quid inde? *Et cum fodissem parietem, apparuit ostium unum*, ait Propheta. Quando durities, seu paries cordis doloris contritione apertus est, tum videbis, subdit Propheta, abominationes pessimas, si fuerint.

XVI. Duo contingere in pœnitente possunt, quæ impediant confessionis integritatem, malitia, & verecundia. Quæ obstacula facile superabit Confessarius, si eiusmodi pœnitentibus immensam Dei misericordiam in remittendis criminibus exaltabit, ostendet, ardentiore amore & desiderio Deum illorum omnium salutem quam illos ipsos percupere. Mortuus enim ipse est, ut illos salvos faceret; illi vero nec gravia sustinuerunt hactenus tormenta, ut animas proprias salvas facerent. Ne multa: regulæ fixæ pro his casibus designari nequeunt. Dexteritate, & quasi dixerim astutia Confessarii opus est. *Diligens inquisitor* (ait Augustinus, sive Auctor de vera & falsa pœnit.) *& subtilis investigator sapienter, & quasi astute interrogat a pœnitente quod forsitan ignorat, vel præ verecundia velit occultare*.

XVII. Interroget Confessarius præsertim circa primum & maximum mandatum amandi Deum, num frequenter adimplere hoc primum præceptum studuerit, cuius transgressionem multi vix sibi vitio vertunt. Si pœnitentes rudes sint, & in rudium classe, non rustici modo & plebeii, sed civiles etiam, & qui cultiores vestium saltem splendore apparent, sola istius primi & maximi mandati explicatione instruentur, ut sua manifestent crimina detractionis, blasphemiarum, periuriorum, contumeliarum, & similium criminum. Si opus fuerit, cum præsertim pœnitentes sint plebeii & ignari, rogabit Confessarius, num exacte calleant Decalogum; & dum præcepta recitabunt, prudenter sobrieque interrogabit, num contra hoc aut illud quidquam deliquerint. Idem præstabit circa cognitionem symboli. Ea mysteria quæ omnes scire tenentur necessitate vel me-

dii, vel præcepti, explicata sunt *Tom. I. in Decalog.* quin eadem repetere debeamus.

XVIII. Quæst. III. *Utrum Confessarius interrogare valeat de socio criminis?* Resp. Supra *diss.* III. *cap.* X. *quæst.* VI. palam feci, teneri pœnitentem manifestare complicem, occultato nomine, & habitatione, quando adire Confessarium nequit qui complicem ignoret. Si pœnitens ad hoc obstringitur, ut integritas confessionis servetur; etiam Confessarius iure tenetur ad interrogandum, posito quod pœnitens aut ignoranter, aut ob aliam caussam complicem occultet. Advertendum tamen, sapientissimum Pontificem BENEDICTUM XIV. feliciter regnantem duo edidisse diplomata ad coercendam Confessariorum curiositatem, occasione abusus qui in regno Lusitaniæ irrepserat. Primum emanavit 7. Iulii 1745. cuius initium est, *Suprema omnium Ecclesiarum* &c. Alterum prodiit 4. nonas Iunii 1746. estque constitutio, in qua confirmantur, & roborantur priores litteræ apostolicæ, cuius initium est, *Ubi primum de perversa* &c. Ambo hæc diplomata integra exhibeo *Tom. I. Apparatus* &c.

XIX. Antequam refero id quod Pontifex summus prohibuit, pauca præmitto. Confessarius neque nomen, neque habitationem pœnitentis, neque alias qualitates non necessarias absque rationabili caussa inquirere licite potest. Quando pœnitentes absque necessitate complicem pandunt ob simplicitatem & ignorantiam, non peccant; sed monendi ut in posterum sileant. Manifestare pœnitens complicem valet non modo ob confessionis integritatem, verum etiam ad consilium petendum, quo valeat, puta, consuetudinem abrumpere, ad propriæ famæ providendum: quia propriæ famæ custodia potior est quam tutela alterius famæ. Nomen complicis quocumque modo revelatum, sive iusto, sive iniusto titulo, sub sigillo confessionis custodire Confessarius astringitur. Graviter Sacerdos peccat qui absque necessitate blandis artificiis, aliave via extorquet complicis nomen a pœnitente. Neque id præstare absque peccato potest prætextu vel titulo complicis corrigendi, admonendi &c. Quibus delibatis, quæ prohibuit Pontifex summus, narranda sunt.

XX. Primum detestatur praxim illorum Confessariorum *qui a pœnitentibus soci huiusmodi, seu complicis nomen exquirunt; atque ad illum sibi revelandum non inducere modo suadendo conantur, sed, quod detestabilius est, denuntiata quoque, nisi revelent, absolutionis sacramentalis negatione, prorsus adigunt, atque compellunt; immo etiam complicis eiusdem nedum nomen, sed habitationis insuper locum sibi exigunt designari.* Quibus verbis proscribitur abusus exquirendi complicem absque iusto titulo. Et quoniam inter caussas iustas Confessarii Lusitani nonnulli complicis correctionem allegabant, hunc determinatum casum Pontifex proscripsit sequentibus verbis. *Quam illi quidem intolerandam imprudentiam, tum procurandæ complicis cor-*

re-

rectionis, aliorumque bonorum colligendorum specioso prætextu colorare, tum emendicatis quibusdam Doctorum opinionibus defendere non dubitarent, cum revera opiniones huiusmodi, vel falsas & erroneas sequendo, vel veras & sanas male applicando, tam suis, quam pœnitentium animabus consciscerent &c.

XXI. Pontifex itaque sapientissimus nullam omnino notam inussit sententiæ defendenti, licere pœnitenti sponte manifestare complicem ad sui, vel complicis utilitatem, immo & facultatem Confessario permittit utendi huiusmodi revelatione sponte facta ad complicis correctionem. Abusum dumtaxat Pontifex summus proscripsit illorum Confessariorum qui blanditiis, aut minis extorquere a pœnitente complicis revelationem prætextu corrigendi complicis, aliorumve bonorum audent. Ceterum possunt, & pro circumstantiarum diversitate debent Confessarii interrogare, ut pœnitentium conscientiis consulant, etiamsi ex interrogatione consequatur complicis manifestatio. Confessarius audiens ancillam in proxima versari occasione, interrogare iure potest, num occasio proxima sit domestica, an extranea, quamvis herus notus ei sit, & domus. Nam si occasio proxima domestica sit, & remedia non occurrant, sicut communiter non occurrunt, quibus evadat remota, præcipere Confessarius debet ut ancilla recedat a tali domo, missis excusationibus inveniendi aliud famulatitium, denigrandæ famæ, scandali, & similium, quæ obtrudere plures Casuistæ solent, ut ex supradictis patet. Audiendum enim Evangelium est: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum*. Nam perquam raro ex separatione, frequentissime autem ex permansione & scandalum, & infamia, & animæ iactura oriuntur. Similiter si filiusfamilias confiteatur, se esse in occasione proxima domestica, poterit Confessarius a pœnitente sponte rogatus patrem adire, & prudenter monere eum non peccati perpetrati, sed periculi, ut ancillam opportune dimittat. Quid, si pœnitens sponte roget Confessarium, ut complicem corrigat? Quamvis casus iste non sit a laudato Pontifice proscriptus, tamen mihi probabilior, & prudentior sententia est, ne Confessarius, etiam sponte a pœnitente rogatus, assumat hoc onus. Sacramentum pœnitentiæ institutum est in bonum & utilitatem pœnitentis. Quare de iis solum quæ salutem pœnitentis spectant, interrogare, consulere, iubere Confessarius debet. Si casu complex confiteatur, pandatque peccatum suum; tum Confessarius suo defungatur munere. Ceterum, usque dum peccata occulta sunt, relinqui occulta debent, nec sacramentum pœnitentiæ via est per quam manifestari debeant. Sigillum sacramentale tam delicatum est, ut ab omni suspicione custodiendum sit. Caveant ergo Confessarii ne ipsi licentiam petant a pœnitentibus corrigendi complicem, aut manifestandi illum superioribus aliis, ut corrigant. Immo nec sponte rogatus a pœnitente tale onus suscipiat Confessarius; sed unice in sanandum incumbat pœnitentem, qui resistere tentationibus, insidiis, & aggressibus potest, & debet.

XXII. De altero diplomate nec verbum dicam. Spectat enim edictum Inquisitoris Generalis Lusitaniæ, quo urgebantur pœnitentes ad denuntiandos tribunali Inquisitionis dictos Confessarios extorquentes a pœnitentibus complicum nomina. Contra quod edictum iure & merito doctiores, & sapientiores Episcopi Lusitani reclamarunt, summumque Pontificem huiusce novitatis certiorem fecerunt: conquestique sunt læsa ab Inquisitore episcopalia iura. Ut hæc dissidia sedaret Pontifex summus, præfatam constitutionem edidit, qua nullum declaravit Inquisitoris edictum. Si plura cupis, lege opusculum Cl. Muratorii, quod inscriptum est, *Lusitanæ Ecclesiæ Religio*.

XXIII. Quando Confessarius scit, pœnitentem aliquod commisisse peccatum, illudque reticeat, immo neget illud se patrasse, neque prudenter præsumere valet alteri esse confessum; absolvere eum non debet; sed omni studio curet ut hominem ad meliorem frugem revocet. Similiter si prævideat ex oblivione sive culpabili, sive inculpabili omisisse aliquod peccatum, debet de illo interrogare. Quid, si Confessarius dubitet, an priores Confessarii recte examinaverint pœnitentes? Probabilistæ communiter docent, præsumendum esse in favorem Confessariorum: quia pro illis stat possessio, quando clare non constat oppositum. Tu, missa hac probabilistica doctrina, collige ex circumstantiis, quid agendum sit. Si probabiliter deprehendas truncatas fuisse confessiones, atque adeo nullas; reficiendas cura. Plura alia de hoc Confessariorum debito examinandi pœnitentes dicenda forent; at dicta sufficiunt Confessario experrecto. Confessariis minus peritis integra volumina non sufficerent. Illud in memoriam revoco, examen istud non debere esse litigiosum, & instar illius quod fit in humano foro. In hoc examine bona fides, sinceritas, candor animi locum habent. Quo sincerior est confessio, eo maior est indulgentia. Integritas confessionis a cordis vera compunctione præsertim pendet, ut fusius supra dictum est. Caveat Confessarius ne ob aliquod insolitum monstrosumque scelus, vel ob multitudinem criminum aliquod exterius admirationis vel commotionis signum præferat; sed omnia audiat ad patientiam, & gravitatem compositus.

§. II.

§. II.

Confessarius tenetur docere, & monere pœnitentes eorum quæ ignorant sive vincibiliter, sive invincibiliter. Laxæ De Lugo, Tamburini, Viva, *& aliorum Moralistarum opiniones refelluntur. Quam sit diversa pulpiti doctrina ab ea quæ a nonnullis pro confessionali docetur.*

I. CONfessorem munus doctoris sustinere docent omnes, atque adeo debere, instruere pœnitentes in iis quæ necessaria sunt ad sacramentum pœnitentiæ. Quare si ignoret mysteria Trinitatis, Incarnationis &c. Confessarii est pœnitentem talem instruere, ut iam dictum est, & concedunt omnes. Quare, ne actum agam, hæc omnia prætereo, & ad graviora accedo.

II. Quæst. I. *An quando pœnitens laborat ignorantia invincibili sive iuris, sive facti, teneatur Confessarius eumdem admonere, & instruere?* Resp. Hanc gravem quæstionem fuso calamo pertracto *Tom. II. Apparatus ad Theol. Christ. diss. 1. cap. IV.* adversus Probabilistas. Eum locum consule, ut plenam controversiæ assequaris notitiam. Hic obiter pauca delibabo.

III. Adfirmant omnes, etiam Probabilistæ, obstrictum Confessarium esse ad monendum, instruendumque pœnitentem laborantem ignorantia graviter culpabili. De inculpabili disputatio est. Probabilistæ hanc præmittunt distinctionem. Si prudenter speretur pœnitentis profectus & utilitas, illuminandus pœnitens est, erigendusque a tali ignorantia. Si secus, non est monendus. Hæc docet P. Dominicus Viva in *Curs. Theol. Part.* VI. *quæst.* VIII. *art.* 5. *num.* 4. „ Si speratur quod pœnitens „ advertens v. g. matrimonium esse invalidum, aut contractum, quem putat iu„ stum, esse iniustum &c. sublaturus sit ea peccata materialia, tenetur Confessa„ rius ignorantiam detegere, propter bonum pœnitentis, ne sic contra legem Dei „ peccet etiam materialiter. Quod si non speretur profectus, sed potius timeatur „ quod peccatum materiale deinceps sit futurum peccatum formale; v. g. si „ sciens matrimonium esse invalidum, *non facile* tunc abstineret a cognoscenda „ illa quam coniugem putabat; in tali casu ignorantia non est amovenda, iuxta „ illud August. in cap. *Si quis* &c. . . . Idemque docet Tamburinus ex Pelliza„ rio, quando quis BONA FIDE EST IN OCCASIONE PROXIMA, *nec spera„ tur emendatio; vel quando quis bona fide non restituit alienum.* Etenim revelatio „ veritatis *noceret pœnitenti*, si deinde cum culpa formali remaneret in *occasione „ proxima, aut retineret alienum.* Nec hoc prodesset ei cui alienum restituendum

„ est: quia supponimus non dari spem quod restituatur, si bona fides illi tolla„ tur. " Legant Aristarchi nostri P. Viva, ut videant, sit ne sincere & integre rescriptus textus.

IV. Oro efflagitoque, ut, salvo erga pium doctumque Auctorem officio, obsequioque, ea promere sincere & libere quæ imbellicitati meæ vera videntur, valeam. Hæc doctrina, ut mihi videtur, non modo falsa & laxa est, sed ex illa horrenda consequi absurda iudico, nempe universum Evangelium everti, & susdeque principia evangelicæ prædicationis evolvi. Quis alienum possidet bona fide: contractum fenebrem iustum existimat: ille bona fide versatur in occasione proxima: isti bona fide procrastinant, differunt debitorum solutiones. Et minister evangelicus pœnitentes istos, ad confessionem accedentes, admonere non tenetur? immo ignorantia non est amovenda, non debet amoveri? Cur? Ne revelatio veritatis noceat pœnitenti. O tempora! o mores! Sic exclamant Iansenistæ, inquiunt nonnulli. Sed Evangelistæ quid docent? *Euntes docete omnes gentes*. Plurimos transgressuros Evangelium prædicatum, & ob eiusmodi transgressiones gravius peccaturos, & severius damnandos, Evangelia Christi perhibenr. Ergo inconsiderate Apostoli, & ministri Dei doctrinam Christi prædicarunt, cum tot ex peccatoribus *materialibus* effecerint formales? Auferendæ apostolicæ missiones, ne tot infideles fiant peccatores formales? Quid plura? Inconsiderate ne Filius Dei in terras descendit, cum innumeri populi heinc evaserint peccatores formales, & eiusdem Filii Dei crucifixores? Audi ipsius Christi oraculum. *Si non venissem, & LOCUTUS non fuissem eis, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo*. Ioan. xv. Quid quod difficilius erat credere mysteria illa divina quæ Christus revelavit, quam credere perseverantiam in occasione proxima, retentionem rei alienæ, contractum fenebrem esse peccata? Quoniam hæc crimina adversantur hostiliter ipsi lumini naturali; præfata autem mysteria sunt supra rationem, captumque humanum. Quid ad hæc Probabilistæ? An non est evidens rescriptæ doctrinæ falsitas, & horror? An non sunt evidentia absurda, & quidem horrendissima?

V. Reponent fortasse, aliud esse annuntiare veritatem e *suggestu*, aliud e *confessionali*. Audio. Sed quodnam est discrimen istud? Quia, dum e suggestu ministri apostolici prædicant, plures sunt auditores, & plurium, aut alicuius profectus speratur. Confessarius uni, & quidem secrete, loquitur. Quando itaque istius emendatio futura non prævidetur, relinquendus est, ut sua bona fide peccet materialiter, polluatur materialiter, furetur materialiter, feneretur materialiter, differat debitorum solutionem, & alienum retineat materialiter.

VI. Antequam eiusmodi paradoxa, sane mihi monstrosa, convellam, lubet illa ipsa rescribere verbis Lugo, immo Tamburini, qui more suo elegantius, & clarius eadem

eadem ex Lugo proponit, & monita Confessariis mirifica porrigit. Principio distinguit ignorantiam quæ est in favorem pœnitentis, ab ignorantia quæ est contra pœnitentem. Si pœnitens putat esse mortale quod non est, dicitur ignorantia contra pœnitentem: & hæc est amovenda. En eiusdem verba *Lib. III. Meth. cap.* IV. *num.* 3. „ Prima regula ex Sanchez *Lib. II. de Matr. disp.* XXXVIII. *num.* 53. Si talis ignorantia est contra pœnitentem; v. g. si ipse crederet esse mortale quod huiusmodi non est; debet ea amoveri a Confessario .... Secunda regula. Si ignorantia inculpabilis quæcumque, sive facti, sive iuris, & sive iuris divini, sive humani, non est contra pœnitentem (idest quando pœnitens non putat esse mortale quod tale est) & nihil pœnitens interrogat de hoc Confessarium, distinguendum est. Si enim Confessarius prævidet pœnitentem, ignorantia ablata, non difficulter relicturum quod reipsa peccatum est, tenetur ex Sanchez *disp. cit. num.* 6. veritatem aperire propter bonum pœnitentis, ne & pœnitens peccet contra legem Dei etiam *materialiter*. At si prævidet non relicturum, potius taceat, ne in maius malum illum coniiciat. Idem esse dicendum, *quando quis est in occasione proxima*, & non speretur emendatio, docet Pellizarius *tract. de Monial. cap.* X. *sec.* 3. *num.* 191. " Pellizarius primum, ex Pellizario Tamburinus, ex Tamburino P. Viva, & sic successive laxitas propagatur. Unam & alteram quæstiunculam proponere ex de Lugo iuvat, prius quam penitus tales opiniones refellam.

VII. Quæst. II. *Quid dicendum de opinione Lugo, qui ait, non esse a Confessario monendum bonæ fidei possessorem alienæ hereditatis?* Resp. Lugo *disp.* XXII. *sect.* 2. *num.* 26. „ Limitant aliqui primo supra dictam doctrinam, ut Confessarius teneatur docere pœnitentem, quando eius ignorantia redundat in detrimentum proximi; v. g. *si bona fide possideat hereditatem*, quam Confessarius novit ad alium pertinere; si exerceat contractum usurarium, quem invincibiliter ignoret esse talem. *Sed Sanchez, & alii MELIUS dicunt, etiam in hoc casu* DEBERE TACERE, quando non sperat profectum; cum eadem sit ratio, & nihil profuturum sit creditori quod Confessarius aperiat veritatem." Et hic pœnitens possessor alienæ hereditatis, qui non prævidetur dispositus ad restitutionem, si suæ ignorantiæ admoneatur, prævidetur dispositus ad sacramentum pœnitentiæ? At de hoc infra.

VIII. Persequitur idem de Lugo *ibi num.* 27. „ Addit Sanchez *num.* 10. hæc omnia procedere, etiamsi Confessarius *speret pœnitentem libenter monitionem suscepturum; sed tamen videt remedium esse difficillimum, ut scandalum, & infamia notabilis sequatur.*" Et quem latet difficillimum esse vomitum alienæ hereditatis diu possessæ? Quid scandali, quid infamiæ obtruditur in restituenda hereditate, in rescindendo contractu feneratitio? Hæc locum habere dumtaxat possunt in separatione matrimonii contracti, de quo infra.

IX.

IX. Idem Lugo *ibi*. „ Hinc sequitur idem dicendum, quando pœnitens sub pec-
„ cato mortali tenetur ad aliquid adeo difficile, ut non credatur tunc æquo ani-
„ mo recepturus, & alia vice melius suscepturus iudicetur: poterit etiam tunc
„ relinqui in sua bona fide, quæ a peccato excusat, & admonitio servari in me-
„ liorem opportunitatem, *ne deterritus abstineat a confessione, & maius detri-*
„ *mentum patiatur*. " Non perpetrat ergo sacrilegium qui confitetur, non paratus relinquere aliquod peccatum mortale? Quid tu pacem interturbas? Potest esse aliquid adeo difficile, quod ardentissimo amore prosequatur pœnitens iste: & si nunc admoneatur, prævidetur ut deterritus abeat absque confessione. At nonne expedit confessionem omittere quam eam sacrilege perficere? Verum de hoc infra.

X. Quæst. III. *Quid si Confessarius interrogetur a pœnitente, ut veritatem pandat?* Resp. Idem Lugo *ibi num.* 29. „ Quid vero, si pœnitens interroget Confessarium
„ vel Doctorem de re illa? Respondetur, tunc debere veritatem aperire.... Addit
„ vero Sanchez cum aliquibus: quando pœnitens non cum dubio, sed ex scrupulo
„ interrogaret, *posse Confessarium tacere*, vel respondere, quod (N. B.) *deponat*
„ *scrupulum*: quia scrupulus non impedit bonam fidem, nec ignorantiam invinci-
„ bilem, quæ illum excusat. Hoc tamen non videtur consequenter dici: quia
„ etiamsi pœnitens ex scrupulo interroget, non potest Confessarius affirmare lici-
„ tum quod est illicitum: ergo nec poterit tacere.... *Posset quidem Confessarius in il-*
„ *lo casu fingere se non audiisse, vel non attendisse, vel oblitum fuisse respondere,*
„ *ut sic remaneat in bona fide, quam prius habebat, non tamen ipsius auctoritate*
„ *confirmata*. " Qui ergo fingit se non audivisse, vel non attendisse, non tacet? Et qui interrogatus tacet, non præsumitur consentire? Sed hæc intempestiva nunc sunt.

XI. Transcribit has omnes opiniones P. Thomas Tamburinus *Lib III. Meth. cap.* IV. *num.* 7. „ Unde etiam infertur *ibid.* idem esse dicendum, quando pœnitens sub
„ peccato mortali tenetur ad aliquid adeo difficile, ut non credatur tunc æquo
„ animo recepturus, & alia vice melius suscepturus esse iudicetur: poterit etiam
„ tunc *prudens Confessarius* relinquere illum in sua bona fide, quæ a peccato ex-
„ cusat; & monitiones in tempus opportunius differre, ne scilicet territus pœnitens
„ a confessione se abstineat, maiusque detrimentum patiatur. HOC NOTETUR
„ PERMAXIME PRO CONFESSARIIS MERCATORUM, ET PRINCI-
„ PUM. "

XII. Hanc propositionem Tamburini alibi retuli; sed quia hic propriam habet sedem, eamdem rescripsi propter monitum profecto mirificum adiectum, cuius non meminit Lugo, nec alius quispiam quem ego legerim.

XIII. Paucis perstringitur doctrina præfatarum opinionum. Ille versatur in occasio-

casione proxima dilectissimæ feminæ, quam impotenti amore deperit. Ignorat invincibiliter se obstrictum ad separationem esse: iste possidet opulentam hereditatem alienam, credens bona fide esse suam: illi contractus usurarios exercent, debitorum & mercedum solutionem in menses & annos differunt, fide bona conservandi proprium statum. Confessarius cognoscit hereditatem esse alienam, contractus esse usurarios, lugere mercenarios, inclamare mercatores contra debitores morosos. Scit illum versari in occasione proxima. Accedunt ad confessionale pœnitentes isti: de his criminibus non se accusant, quia sunt in bona fide. Confessarius prævidet nullam futuram emendationem; idest, illum non discessurum a dilecta amasia, hunc non restiturum hereditatem, illum non soluturum creditores, & mercenarios; & ne *terrefacti abeant absque confessione*, illos relinquit in sua bona fide, & invincibili ignorantia, eosque absolvit, atque ad sumendum sacrosanctum Christi Iesu corpus admittit. Immo etiamsi pœnitens prævideatur libenter suscepturus admonitionem, si tamen difficillimum sit relinquere aliquod de se mortale peccatum, potest in opportunius tempus instructio protrahi.

XIV. Aut ego nihil capio, & nihil sapio, vel demens sum; aut descripta doctrina ab imis suffodit evangelicæ doctrinæ fundamenta prima, evertit pœnitentiæ christianæ disciplinam, & scandalum hæreticis, nedum Catholicis, ingerit. Iam indicavi, nec Filium Dei debuisse in terram descendere, nec Apostolos, nec Martyres, nec Confessores, nec Missionarios ad infideles Christi Evangelium debuisse prædicare. Pressius nunc caussam urgebo. Deus *Ezechiel.* XXXIII. hæc præscribit. *Et tu fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel. Audiens ergo ex ore meo sermonem, annuntiabis eis ex me. Si me dicente ad impium: Impie, morte morieris: non fueris locutus, ut se custodiat impius a via sua: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Si autem annuntiante te ad impium, ut a viis suis convertatur, non fuerit conversus a via sua: ipse in iniquitate sua morietur; porro tu animam tuam liberasti.* Immo animam perdidi, reposuisset Casuista, qui ex impio *materiali* constitui impium *formalem*. Prævidit Deus, impium non auditurum Prophetam; & tamen, si tacuisset, sanguinem & animam impii de manu Prophetæ requisivisset.

XV. Luculentis, & ineluctabilibus rationum momentis ostenditur, quam sit falsa, laxa, &, ut mihi videtur, horroris plena præfata doctrina. Et principio, quis Confessario revelavit, bonam fidem retinentis alienum, perseverantis in occasione proxima, iniuste negotiantis esse invincibilem? Nam vel ipsi pœnitentes definire certo nequeunt, sit ne vincibilis, aut invincibilis propria ignorantia. Ex coniecturis, reponis, colligo esse invincibilem istorum ignorantiam. Bene habet. At coniecturæ istæ sunt ne adeo ineluctabiles, ut os tuum claudere debeant? Unde constat, pœnitentes eiusmodi nullo modo esse suscepturos correctionem? Quodnam lumen

men cæleste affulget, quo tu prævideas istorum cordis duritiem, & mentis cæcitatem, ut nolint intelligere, ut bene agant?

XVI. Verum plenam adhibeo Auctoribus citatis fidem. In eorum ergo hypothesi eos ad incitas, & ultimas angustias sic redigo. Prævides, pęnitentes tuos non restituturos alienum, non discessuros ab occasione proxima, non relicturos contractus iniustos. Cedo: aut ista prævidentia est tantum moraliter certa, aut tantum probabilis? Si tantum probabilis est illorum reluctatio; omittere revelationem veritatis nequis. Si autem moraliter certus es, eiusmodi peccatores non excepturos tuam veritatis, & quidem gravissimæ, revelationem: ergo sunt peccatores cæci; rebelles lumini, & obstinati in viis suis pessimis. Ergo *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt*, cæcus ductus, & cæcus ducens. Patet ne aliqua ad evadendum latebra? Si probabiliter profectum speras; peccas gravissime, dum taces. Si nulla adsit probabilis spes profectus; sacrilegus es, quia absolvis obstinatos, & rebelles lumini, atque Spiritui sancto resistere paratos, te iudice. Clarius argumentationem expono. Iuxta doctrinam omnium Catholicorum, in Concilio Tridentino confirmatam, ut pęnitens dispositus sit ad sacramentum pęnitentiæ, habere propositum efficax, & firmum debet servandi omnia mandata Dei. Næ isti propositum sincerum, firmum, & efficax habent servandi omnia mandata Dei, si ita firmiter dispositi sint, ut neque scire eadem mandata velint? Absolvitis, o Confessarii, pęnitentes, quos certo moraliter scitis, tali affectos esse pravissima dispositione, ut neque addiscere Dei legem velint? O homines, homines, quo malorum prolapsi sumus? Absolvuntur, inquiunt, *ne deterriti abstineant a confessione*. Mascula sane, & perrobusta ratio.

XVII. Cedo: eccur Confessarius revelare veritatem non debet? Ex caritate, inquiunt, erga pęnitentes, quibus veritatis revelatio esset perniciosa, quod veritate cognita non abscederent ab occasione proxima, non restituerent, non omitterent usuras. Heinc clamant, nos caritatem violare, dum aliquorum Casuistarum laxas opiniones deridendas propinamus. Verum ego hanc elicio consequentiam. Ergo pęnitentes titulo caritatis erga semetipsos amare propriam ignorantiam debent, & negligere scientiam legis, ne ex peccatoribus materialibus evadant formales? Si silentium Confessariorum est fructus caritatis erga pęnitentes; potiori iure pęnitentes caritatem erga semetipsos exercent, dum nolunt legem Dei addiscere, ne illam *formaliter* transgrediantur. Ad hanc forte doctrinam animum intendit P. Filippinus, dum suum Tomum conflavit, inscriptum *De privilegiis ignorantiæ*. Sed quid argumentis profligare pergo doctrinam quæ seipsa horrorem ingerit?

XVIII. Postquam hæc scripseram, legi Leandrum *tract. v. disp. x1. quæst.* cxx1x. ubi hæc docet. „ Respondeo, non teneri auferre (*ignorantiam invincibilem*) sed potius „ teneri tacere, quando *probabiliter* existimat suam monitionem non profuturam.

„ Sic

„ Sic Sanchez *loc. cit.* per hæc verba. Si pęnitens possidet *primogenium*, quod Con-
„ fessarius novit iniuste possidere, & credit nihil profuturam monitionem, quia
„ est difficillimum relinquere illud; vel videt pęnitentem teneri restituere, &
„ ignorantia invincibili excusari, monitumque non restituturum; *tenetur tacere*. Sic
„ Sanchez, qui bene addit, hæc omnia procedere, etiamsi Confessarius credat,
„ libenter monitionem suscepturum; sed videt remedium esse difficillimum, ut si
„ scandalum, & infamia notabilis illi sequatur. " Quamquam ergo probabile tantum sit pęnitentem non suscepturum admonitionem, Confessarius non modo potest, sed *tenetur tacere?* Probabilistæ absolvunt cum iurisdictione probabili: & non possunt neque monere pęnitentem cum spe probabili profectus? Nam si probabilis tantum est admonitionis contemptus, necessario consequitur probabilem quoque esse profectum.

XIX. Quæro nunc a cordatis, doctis, piis lectoribus ut iudicium suum proferant super hoc casu. Si Concionator e publico suggestu, seu e cathedra evangelica in amplo templo, populi frequentia repleto, has quas descripsi opiniones deprædicaret, & forti eloquentia persuadere conaretur; an populus christianus extremum non subiret scandalum? An plures zelo divinæ legis succensi & commoti non declamarent contra ipsum Concionatorem? En itaque quam verum sit, doctrinam pulpiti in pluribus toto cælo differre a doctrina morali pro confessionali, ut toties clamat piissimus, & doctissimus servus Iesu Christi P. Michael Elizalde, præsertim *Lib. VI. quæst.* VI. & alibi. Percurrantur omnes libri quadragesimales, agentes de occasione proxima, de recidivis, de differenda pęnitentia, de choreis, de debito amandi frequenter Deum, de pęnitentia corporali, & de aliis pluribus christianæ Theologiæ capitibus: &, nisi doctrina Concionatorum omnium, ex Scripturis, & Patribus hausta, toto cælo discrepans inventa fuerit a plurium Casuistarum morali doctrina, ab aliis Casuistis, non a divinis Scripturis accepta, palinodiam promptam spondeo.

XX. Hic agendum esset de auferenda ignorantia coniugum super aliquo impedimento ecclesiastico. Verum hanc controversiam lato calamo discutio *cit. Tom. II. Appar. diss.* I. *cap.* IV. qui prope dies exibit in lucem. Illuc te remitto, ne actum agam. Si aliquis esset casus in quo silere Confessarius deberet, hic esset unicus. Verum an & in hoc casu licitum sit illius silentium, vide ibi.

§ III.

§. III.

Utrum Confessarii se accommodare opinionibus pœnitentium, relictis propriis, possint, & debeant. Doctrina Probabilistarum refellitur.

I. Confessarius in tribunali pœnitentiæ vices Dei sustinet: iudicis personam gerit, & doctoris. Ut doctor, monere, docere, instruere debet, ut iam dictum est; ut iudex, definire, absolvere, & ligare, prout in Domino iudicaverit, tenetur. Quis umquam in animum sibi induxisset, ut crederet Theologos aliquos in disputationem vocaturos, utrum iudex iste, relicta propria doctrina, sententia, & iudicio, possit se conformare doctrinæ, opinioni, & iudicio rei pœnitentis? Quid? clamant Christiani omnes. Confessarius iudicat hanc doctrinam esse falsam; & reus pœnitens defendit esse veram: & Confessarius, neglecta propria sententia, adhærebit in ferendo iudicio rei pœnitentis opinioni? Confessarius iudicat suam opinionem esse verosimiliorem: hoc agnoscit & pœnitens flagitiosus, opinionem Confessarii esse probabiliorem, & scit se secundum illam operantem probabilius in paradisum ascensurum, & contra illam agentem probabilius in infernum lapsurum; at habet & ipse opinionem minus probabilem contra legem Dei, sed faventem propriæ libertati, propriis contractibus, negotiationi, & oblectamentis. Petit ut Confessarius absolutionem sibi impertiat secundum hanc opinionem minus probabilem. Confessarius potest ne obsecundare pœnitenti isti? Quis hoc dixerit? S. Bonaventura *Confessional. cap. IV.* exclamans, & inclamans ait: *O inauditum philosophandi genus! Iudex sententiam ferre debet ad arbitrium rei, & reus iudicis iudicio obtemperare non tenetur?*

II. Verum, antequam ultra provehor, lubet primum absolute contra Probabilistas causam agere: deinde casus particulares expendam. Probabilistæ absolute & regulariter loquendo docent, Confessarium posse opinionem probabilem pœnitentis sequi, propria relicta. Et ne ipsis imponere videar, illorum doctrinam in medium affero. P. Dominicus Viva in *Curs. quæst. VII. art. 2. num. 6.* „ Resp. „ cum Lugo *Lib. I. resp. mor. dub. 26.* quod si diversitas opinionum se teneat „ ex parte Confessarii, poterit Confessarius, quam maluerit, sequi; v. g. si una „ opinio doceat posse Confessarium absolvere in talibus circumstantiis; altera doceat non posse: una doceat haberi IURISDICTIONEM a Confessario; altera „ non haberi . . . poterit *profecto* Confessarius *regulariter loquendo* sequi opnionem quam MALUERIT: & sic iuxta opinionem negantem poterit absolutionem negare; esto aliquando ex caritate teneatur sequi opinionem favorabilem „ pœ-

„ pœnitenti, puta si pœnitens sit in mortis articulo, nec sit alius Confessarius. "

„ Quod si diversitas opinionum se teneat ex parte pœnitentis; puta, *si una o-*
„ *pinio doceat, pœnitentem teneri ad restitutionem, & removendam talem occasionem,*
„ *ac acceptandam talem pœnitentiam; altera opinio doceat non teneri:* NON POT-
„ EST ABSOLUTIO NEGARI, si pœnitens sequatur opinionem SIBI FAVO-
„ RABILEM, dummodo probabilem; etiamsi Confessarius sit in opinione con-
„ traria. Ratio est, quia quando pœnitens est rite dispositus, & peccata manife-
„ stavit Confessario, etiamsi voluntario, habet ius ad absolutionem. Atqui, quan-
„ do sequitur opinionem probabilem, est rite dispositus. Ergo TENETUR tunc
„ Confessarius absolutionem impertiri."

III. Quam hæc rescripta doctrina directe & hostiliter pugnet cum Scripturis sanctis, non ego, sed Paulus Apostolus ad *Rom.* xv. declarabit. *Quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt . . . Deus autem patientiæ & solatii det vobis IDIPSUM sapere . . . ut unanimes uno ore honorificetis Deum.* Rursus II. Cor. XIII. *De cetero, fratres; gaudete, perfecti estote, exhortamini, IDEM sapite.* Et iterum ad Philip. II. *Implete gaudium meum, ut IDEM sapiatis, eamdem caritatem habentes, unanimes idipsum sentientes.* An implere gaudium tuum, o Paule, veline qui de eadem omnino re pugnantia docent, tu de cælo iudex esto. Sed pergit Apostolus ibi cap. III. *Verumtamen ad quod pervenimus, ut IDEM sapiamus, & in eadem permaneamus regula:* & denuo cap. IV. *Rogo . . . deprecor IDIPSUM sapere in Domino.* Rogat Paulus ut idem sapiamus omnes homines: & ætate nostra eo res devenit, ut idem omnino homo, idem prorsus Theologus & Casuista diversa, contraria, opposita sapiat, doceatque, & quidem ex ipso altissimo sacrosancto tribunali pœnitentiæ, ubi vices Dei, qui est veritas una, implet? Sed, antequam alia Scripturarum testimonia proferam, audiamus alios celebriores Casuistas.

IV. P. Layman *Lib. I. tract.* I. *cap.* V. *§.* 2. *num.* 9. „ Doctor alteri consulenti
„ consilium dare potest, non solum ex propria, sed etiam ex opposita probabi-
„ li aliorum sententia, si forte (N. B.) hæc illi FAVORABILIOR, SEU EX-
„ OPTATIOR SIT. Qua de re *Vasquez, Sanchez . . . Sayrus, Lopez.* Immo ar-
„ bitror nihil a ratione alienum fore, si Doctor consultus significet consulenti
„ opinionem a quibusdam viris doctis tamquam probabilem defendi, quam pro-
„ inde sequi ipsi liceat; *quamvis idem Doctor eiusmodi sententiam speculative*
„ *FALSAM esse CERTO sibi* (N. B.) *persuadeat, ut proinde ipsemet in praxi*
„ *eam sequi non possit.* Cum enim consulens in re dubia ius habeat se confor-
„ mandi opinioni quæ a *quibusdam viris doctis* defenditur, nihil obstante quod
„ alii contradicant, & speculative sententiam improbabilem iudicent, hoc ipsum
„ ius consulenti Doctor indicare non prohibetur. Atque hinc existit quod vir
„ do-

„ doctus diversis secundum (N. B.) oppositas probabiles sententias, *opposita con-„ silia* dare possit, servata tamen *discretione ac prudentia*. " Hoc unum defuisset ut etiam sine discretione & prudentia hæc opposita consilia evulgarentur. Respectus habendus est, ne homines consulentes advertant hanc contradictionem consiliorum super eadem re, & quod illi debeant, isti non debeant restituere; isti debeant, illi non debeant recedere ab occasione æqualiter proxima.

V. Hinc est quod P. Gobat *tract.* VII. *num.* 321. docet, debere Confessarium scire plures sententias, ut possit pro re nata opposita consilia præbere. Possem plurium aliorum Probabilistarum rescribere similes opiniones, quas brevitatis gratia prætereo. Resumo nunc Scripturarum testimonia. Christus Dominus *Matth.* XXIV. contraria opinionum portenta futura prædixit, & contra eadem nos munivit. *Multi enim venient in nomine meo dicentes: Ego sum Christus*, *& multos seducent. Audituri enim estis prælia, & opiniones præliorum. Videte ne turbemini*. Iterum Marc. XIII. *Cum audieritis autem bella, & opiniones bellorum, ne timueritis; oportet hæc fieri; sed nondum finis*. Non possunt hæc ad sola extrema mundi tempora reiici, cum aperte dicatur: *Sed nondum finis*. An quæ narravi opinionum prælia, formidanda non sunt? An unica non est Christi doctrina, quæ utique pro personarum, circumstantiarum, & temporum varietate diversa applicat remedia? De hoc enim nulla est disputatio. Verum quod super eodem omnino puncto restitutionis, iurisdictionis, occasionis, usuræ &c. Confessarius consultor animarum possit, quam mavult, seligere, & modo secundum unam, modo secundum alteram contraria præbere consilia, imbecillitati meæ adeo portentosum apparet, ut veluti stupore quodam correptus, & in admirationem actus, verba mihi, quibus sensa mea exprimere valeam, desint. *Proverb.* XX. hæc habentur. *Pondus, & pondus, mensura, & mensura, utrumque abominabile est apud Deum*: & rursus ibidem: *Abominatio est apud Dominum pondus: & pondus: statera dolosa non est bona*. Opinionum pondera, de quibus nunc sermo est, opposita sunt, alia maiora, alia minora: nam opiniones aliæ magis, aliæ minus probabiles. Porro rursus in Scriptura Deus per Michæam *cap.* VI. detestatur pondera minora. *Mensura minor iræ plena. Numquid iustificabo stateram impiam, & sacelli pondera dolosa, in quibus divites eius repleti sunt iniquitate, & habitantes in ea loquebantur mendacium, & lingua eorum fraudulenta in ore eorum?* Multitudinis frequentiam ad se alliciebant horum ponderum diversitate; & lingua fraudulenta excantabant plebem: ideo divites, inquit Prophet a, & celebres evaserant. Sed illorum fraudulenta consilia iram divinam provocarunt contra eos. Quare & nunc cavendum est ne his contrariis opinionum mensuris, & ponderibus & populus decipiatur, & iræ divinæ furor succendatur.

VI. Paucis spiritum & animam, ut sic loquar, harum opinionum expendamus.

mus. *Si diversitas opinionum*, inquit P. Viva, *se teneat ex parte Confessarii; poterit Confessarius, quam maluerit, sequi*. Quam maluerit? Ita sane. Pro arbitrio ergo poterit Confessarius suos pœnitentes alios absolvere, alios non absolvere, & consequenter alios in gehennam detrudere, alios ad paradisum mittere. Ecquidni? Audi. *Verbi gratia, si una opinio doceat, posse Confessarium absolvere in TALIBUS circumstantiis; altera doceat non posse: una doceat haberi iurisdictionem a Confessario; altera non haberi: poterit profecto Confessarius, regulariter loquendo, sequi opinionem quam maluerit*. Sunt ne truncata? sunt ne ambigua verba isthæc? Etiam in re sacramentaria poterit Confessarius sequi quam maluerit opinionem? Iurisdictio necessaria est ad valorem sacramenti. Consentit ne Ecclesia concedere iurisdictionem secundum unam opinionem casuisticam, & secundum alteram repugnat? Si enim quam maluerit ex contrariis opinionibus de iurisdictione Confessarius eligere valet; profecto pugnantem voluntatem, nempe concedentem, & negantem, præsumere in Ecclesia debet: quod non est leve absurdum.

VII. Quamquam tamen Confessarius eligere quam maluerit opinionem absolute & regulariter loquendo valeat; nihilominus ex caritate in articulo mortis debet eligere favorabilem pœnitenti. Extra necessitatis extremæ casum eligere quam mavult, potest. Quid heinc inferat Tamburinus, mox dicam. Quid, quando varietas opinionum se tenet ex parte pœnitentium? Illa opinio docet, non restituendum, non recedendum ab occasione proxima; altera ait. Quid tum? Pœnitentes experrecti, mercatores, & magnates legunt Tamburinum, Dianam, Escobarium, La-Croix, in quibus in qualibet fere materia catalogum opinionum contrariarum reperiunt. Accedit debitor Petrus opinione sibi favorabili eximente a restitutione. Accedit creditor Paulus contraria opinione sibi favorabili, qua urget premitque debitorem Petrum, ut solvat. Accedit amasia opinione, ex lumine naturali hausta, quæ obligationem se se separandi ab amasio ostendit. Accedit amasius, opinione casuistica contraria imbutus, quæ non obligât ad separationem. Omnes isti absolvuntur a Confessario. Discedunt ab Ecclesia, & in circulis, in plateis, in conversationibus narrant quæ evenerunt illa die. Te ne Confessarius absolvit? Utique. Quid? Mihi negavit absolutionem. Quid pœnitentiæ tibi dedit? Ieiunia quatuor, eleemosynas, & hospitalium visitationem. Acceptasti ne talem pœnitentiam? Ecquomodo non? Ego nolui eam acceptare. Noluisti? Et te absolvit? Certe. An non sumus in delicto, in circumstantiis pares? Scilicet. Quæ ergo tantæ diversitatis caussa, ut tu absolutus in paradisum abeas; ego sine absolutione in orcum descendam? Revela arcanum. Ecce. Tu non legisti Dianam, nec Tamburinum, nec Escobar, nec La-Croix, docentes impertiendam esse absolutionem. Ego legi: repræsentavi opinionem meam Confessario *vere probabilem*, quia eam defendunt plures Doctores gra-

gravissimi, Alcozer, Sporer, Burgaber, Diana, Leander, Lugo, & alii. Confessarius debuit me absolvere : quia sequentibus opinionem vere probabilem nequeunt Confessarii absolutionem denegare. Summas tibi ago gratias. Imposterum, antequam ad confessionale accedam, omnes Casuistas revolvere volo, donec inveniam opinionem vere probabilem mihi favorabilem; & hac munitus vel munita Confessarium adibo. Et si pœnitentiam molestam gravemque imponet, si me ad restitutionem urgebit, ad recedendum ab occasione, intrepide respondebo, & simul obsequenter : Non teneor : nolo. Sed, antequam tanto me committam discrimini, quæso te, ne me decipere velis. Verum ne est quod narras? Verum. En verba, quæ supra dedi. *Si una opinio doceat pœnitentem teneri ad restitutionem, ad removendam* (N. B.) *talem occasionem, acceptandam talem pœnitentiam; altera opinio doceat, non teneri : non potest* (N. B.) *absolutio negari, si pœnitens sequatur opinionem FAVORABILEM, dummodo probabilem, etiamsi Confessarius sit in opinione contraria*. Intellexistin'? Intellexi; & usque ad cineres tibi obsequiosus ero, quod tantum mihi arcanum reserasti : & modo modo pergo ad bibliopolam, plures empturus Casuistas, legendos, antequam confessurus accedam. Tu me prope beasti. Tu ... Siste calamum. Satyram ne scribis? Utinam tenuitati meæ datum esset gravius, vehementius, fortiusque labectare hæc opinionum paradoxa, quæ, ut mihi videtur, scandalum hæreticis, perniciem funestam Catholicis ingerunt. Consideret prudens lector, opiniones istas adeo sensui communi adversari, & a simplicitate evangelica, atque SS. PP. doctrina adeo abhorrere, ut a sæculo fere prænuntiaverit Alexander VII. fore ut, nisi, quoad fieri potest, profligentur, extrema malorum immineant. Opiniones istæ non modo falsæ, & laxæ, sed supra quam dici potest perridiculæ sunt. Nequeunt efficacius refelli quam si sub proprio aspectu deridendæ, & detestandæ exponantur. Numquid vel verbum ego dixi quod ex ipsis opinionibus sponte sua & necessario non fluat? Auctores illas docuere, novo opinandi modo, zeloque succurrendi omnibus præventi; sed, ut nos existimamus, errarunt. Perpende decretum Alexandri VII. perpende quæ ex P. Terillo rescripsi supra in *præfat.* Quo posito, an non sunt efficaciori quo fieri modo potest refellendæ ob periculum ne Casuistarum auctoritas diminuatur, famaque obscuretur? Quis id asserere ausus fuerit? Nonne typis publicis tales opiniones publicarunt? Omnium ergo oppugnationibus sponte eas subiecerunt. Numquid permittenda est æterna Christianorum damnatio, ne auctoritati Casuistarum, voluntarie scribentium talia paradoxa, præiudicium inferatur? Numquid advocatus omittet sub teterrimo aspectu depingere adversarii iniustam caussam ob timorem eumdem infamandi, dummodo nihil dicat extra caussam? Profligandæ, deridendæ, improbandæ sunt eiusmodi opiniones, tum ne alii Casuistæ easdem reproducere audeant; tum ad obstruenda ora hæreticorum,

obla-

oblatrantium contra Ecclesiæ catholicæ puram & immaculatam doctrinam. Quid plura? An occulta pandimus? An libri casuistici non patent omnibus latinam linguam callentibus? Hæc ob temporum calamitatem repetere ad ravim usque cogimur.

VIII. Quid, si in foro, si in tribunali, ubi lites civiles deciduntur, tales obtinerent opiniones? Quid tum esset de humana societate? Quæ scelera, quæ latrocinia, quæ oppressiones, turbæ, homicidia, venalitates non inundarent orbem? An iudex non est Confessarius pro tribunali sedens? Audiamus P. Tamburinum. Ille, ut ostendi *Tom. VII.* disputat, num Probabilismus sit vendibilis: &, admissa rescripta doctrina, iure ac merito adfirmat. Nam Confessarii iudices possunt quam malunt opinionem ex duabus eligere. Ergo, ut eligant favorabilem reo, pretium exigere valent vi præfatæ doctrinæ, quando alia non obstarent. Et reipsa Diana, & alii Probabilistæ docuerunt, iudicem posse accipere munera, ut una potius quam altera opinione utatur. Vide *cit. Tom. VII.* Missis ergo rescriptis opinionibus seipsis horridis, caveamus, quoad fieri potest, opinionum prælia, & idipsum sapiamus omnes, ut sanctæ Scripturæ docent.

IX. Occurrit ne umquam casus aliquis in quo Confessarius conformari possit pœnitentis opinioni? Fuse de hoc disputat celeberrimus Iesuita P. Tyrsus Gonzalez Præpositus Generalis Soc. Iesu *disp.* XV. *cap.* IX. Paucis rem perstringo. Ego numquam contra propriam opinionem, quam post diligens examen veram, aut verosimiliorem iudico, absolutionem impertirem pœnitenti, opinione contraria persuaso. Distinguunt plures Confessarium ordinarium, Parochum nempe seu Curatum, a Confessario delegato, & libero. Sed hæc distinctio in hac controversia vana est. Distinguitur Parochus a delegato, quod ille ex iustitia, secus iste, teneatur audire subditorum confessiones. Ceterum, quando pro tribunali sedent, tenentur æquo modo absolvere, vel non absolvere pœnitentes rite dispositos. Omnes Antiprobabilistæ negant, Confessarium absolvere posse pœnitentem, cuius opinio minus probabilis est, in conspectu contrariæ probabilioris, quam defendit Confessarius. Quid, si pœnitens sit valde doctus, & probus, & Confessarius minus doctus? Pœnitens iste habet opinionem, quam iudicat probabiliorem, & verosimiliorem. Confessarius minus doctus præventus est opinione contraria, quæ pœnitenti minus probabilis est, immo falsa. Hoc in casu, si Confessarius deprehendat pœnitentem doctum non duci pravo affectu, poterit, inquit P. Gonzalez, proprium iudicium deponere, & doctrinam probabiliorem pœnitentis assumere, suamque facere, & illum absolvere. Si & ipse deprehenderem meam opinionem esse minus probabilem, illam deponerem, & contrariam probabiliorem meam facerem. Propterea numquam ego contra proprium iudicium, & sententiam absolverem pœnitentem, me illius, contra propriam, opinioni conformando. Caute tamen, immo cautissime procedendum. Si opiniones Confessarii, & pœnitentis ambiguæ essent, & utrimque urgerent valida rationum momenta; tunc impen-

 sius

sius controversiam investigarem. Sed raro occurrunt, aut si occurrunt, facile resolvuntur. Communiter pœnitentes minus probabiles, & laxas opiniones amplectuntur, & iuxta eas vellent absolvi; quod faciendum nullo modo est.

CAPUT X.

De officio Confessarii tum in concedenda, tum in differenda absolutione sacramentali.

I. Confessarius omnes pœnitentes rite dispositos absolvere tenetur, pœnitentia pro criminum gravitate, & pœnitentium qualitate imposita.

II. Quæst. I. *Dum Confessarius absolutionem impertit, tenetur ne actu scire, & præsentia habere omnia & singula mortalia peccata manifestata a pœnitente?* Resp. Confessarius, dum audit confessionem, attente reflectere debet ad singula peccata mortalia, ad diuturnitatem temporis &c. ut bene dignoscere valeat statum pœnitentis. Præcipue advertere ad illius dominantem passionem debet, & ad vulnera quæ profundius in anima pœnitentis dominantur, ut diximus. Ceterum non est necesse ut dum absolutionem proferre debet, actu perspecta habeat singula peccata mortifera pœnitentis. Si hoc requireretur, quid esset de tot Confessariis qui tanta præditi non sunt memoria? Quid quod neque Confessarii docti, & bona memoria ornati frequenter scirent singula peccata memoriter recitare, quæ peccatores inveterati, consuetudinarii, aliique similes manifestant; cum & propter multitudinem, & propter varias circumstantias superent communem memoriæ captum? Sat ergo est ut Confessarius statum pœnitentis exploratum habeat, eiusque peccata præter propter præsentia habeat humano modo, ut queat & convenientes pœnitentias, & opportuna remedia præscribere. Neque necesse est ut de singulis peccatis disquirat, sint ne mortalia, an venialia: quia plura sunt quæ mala esse scimus, limites vero malitiæ ignoramus, & propterea remittuntur, supposita dispositione pœnitentis, qualia sunt in conspectu Dei. Cavendum semper ne sacramentum impar humanis humeris reddatur, sive ex parte pœnitentis, sive ex parte Confessarii: & præsertim cavendum a nimia subtilitate, & morositate in dispiciendis iis quæ neque ad sacramenti valorem, neque ad pœnitentis conversionem attinent. Sunt homines qui dici possunt *maximi* in minimis, & *minimi* in maximis.

III. Quæst. II. *Quomodo se gerere Confessarius debet in puerorum confessione?* Resp. Multa & varia Casuistæ docent. Omnes fatentur, perdifficilem esse puerorum confessionem, & absolutionem ob defectum rationis, & maturæ deliberationis. Communiter docent, instruendos esse in divina lege. Non sine profectu eos confiteri docebis, audiesque illorum confessiones, quamvis aptos non iudices pro absolutione. Exercendi sunt in actibus fidei, spei, & caritatis. Manifestanda, & meditanda iisdem proponantur puncta novissima, eosdem genitos, redemptos-

ptosque infinito pretio, ut Deum ament, eidem inserviant legis mandata exequendo. Quando dubitatur de eorum dispositione ad absolutionem, vel propter rationis defectum, vel propter dolorem, absolvi posse sub conditione, docent Gobat, La-Croix, pluresque alii. Verum praxis hæc nova est, & improbanda. Absolutionis sub conditione usum in casu tantum extremæ necessitatis supra admisi. Nulla autem extra mortis articulum gravis, aut extrema necessitas est absolvendi eiusmodi pueros: quia si dubitetur de sufficienti rationis usu, differatur absolutio, usquedum illum assequantur, ut indicatum supra est. Illorum examen instituet Sacerdos de iis quæ in illa ætate patrari solent. Regulæ assignari nequeunt. Prudens Sacerdos ex sermonis, vultus, gestus, pudoris, aliorumque id genus signis colliget & rationis usum, & doloris, atque propositi naturam. Si viderit eos devotos in templo, obsequentes parentibus, obedientes mandatis, serio animo accedentes ad confessionem, eamque dolentes perficere, colligere poterit eos aptos esse confessioni. Muniendi sunt contra mendacia, propria illius ætatis. S. Carolus Borromæus *in Instruct. Conf.* laudabilem esse ait consuetudinem, ut pueri quinque aut sex annos nati accedant ad confessionem. Non melius forte laborem, & patientiam impendet Confessarius, quam in hac puerorum instructione assidua, benigna, prudentique. Facilius istos a peccato præservabit, quam a peccato revocabit vitiosos. Hæc assidua instructio & fructus, & præmii fecunda esse solet. Semina virtutum in illa ætate radices agere solent, & fructum in tempore producent. Improbus labor est, & tædium magnum; sed præmium & mercedem cogita.

IV. Quæst. III. *Quid in adolescentum absolutione observare Confessarius debet?* Resp. Si puerorum confessio difficilis, facilis certe non est iuvenum. In hac enim ætate natura foras erumpere incipit; & mutuo adolescentes se se inficere solent, non secus ac peste laborantes. Curandum summopere est ut præserventur a contagio: quia si semel defecerint, habitumque vitiosum contraxerint, difficillime emendabuntur. Præservandi, quoad fieri potest, a sociis: quia bonum in paucis; & communiter adolescentes invicem, ut dixi, se se depravare solent. Cautum & prudens sit illorum examen, ne discant quod ignorant. In id potissimum incumbat Dei minister, ut solida fundamenta christianæ religionis altius animo sibi imprimant. Deum præferendum, diligendumque super omnia facile addiscunt, & facile ipsis suadetur. Sed explicandum, & ipsa praxi ostendendum, quid sit Deum super omnia diligere. Qui enim revera Deum diligunt, eiusdem legem exacte servant. Declarandum iisdem est, neminem fieri posse salvum, nisi vitam suam conformet ad Christi Iesu exemplum. Hoc exemplar semper præ oculis habendum insinuet, ut sint patientes, mortificati, humiles, modesti, & cælum unice anhelantes; quemadmodum viatores, & peregrini patriam, na-

navigantes portum desiderant. Caducitatem, brevitatemque vitæ, mortis certitudinem, & alia plura, quæ lumen cæleste suggeret, explicabit. Si eos viderit ad alios Confessarios declinare, studeat, inquit S. Carolus Borromæus in *Instruct. pastor. part.* 11. *§.* 6. prudenter ad suum ordinarium revocare.

V. Quæst. IV. *Quid advertere Confessarius debeat in absolvendis rusticis, rudibusque?* Resp. Magna opus est caritate, & patientia in rudium confessione. Hoc scimus omnes, inquis. An ne omnes reipsa eam exercent, aut exercere didicerunt? Videndum num sciant mysteria necessaria alibi explicata, quid sit pœnitentiæ sacramentum, quæ dispositiones requirantur. Instructio rudium a sensibilioribus auspicanda, puta ab inferni æternitate, a flammarum incendio: post exponatur æterni regni felicitas, quam ut nobis donaret, Deus misit Filium suum, qui mortem oppetiit, ut nos tanti regni efficeret possessores. In actibus fidei exerceantur, spei, amorisque divini, similitudinibus amoris mundani eos excitando. Quos quippe in mundo amant, non offendunt, propter illorum amorem tolerant incommoda gravia, & plurima patiuntur &c. Iterum peccata carnalia solent esse pollutiones, cogitationes, prava desideria, blasphemiæ, imprecationes, furta, superstitiones. Explorabit prudens Confessarius, quodnam vitium dominetur in suæ nationis rudibus, ut inde capiat suæ directionis regulam.

VI. Sunt istorum plures, inquis, adeo stupidi, & veluti statuæ, ut nihil aut doloris, aut propositi extundi ab illis possit. Peccatis carent, nihil materiæ certæ perhibent; sed neque dolorem, aut propositum indicant. Sunt veluti animales homines. Quid cum istis agendum? Isti undique exagitandi, perterrefaciendi, alliciendi, sine absolutione dimittendi, assignato tempore quo orare, dolere, lacrymari debeant, quod tanta obducti cæcitate sint, ut ignorent propriam Christianismi professionem. Tu didicisti artem colendi agros, educandi animalia, regendi currus, gubernandi familiam: & tuæ christianæ professionis prima elementa ignoras, peccata tua neque manifestare, neque de iisdem dolere didicisti? Et tamen ad hæc omnia cognoscenda lumen Deus tibi, & cuique infundit. An ignoras Christum Dominum mortuum esse, ut te illuminaret, & salvum faceret? Hæc ignoras, quia forte occultissimo aliquo peccato obsideris: peccator enim servus est diaboli &c. An non reformidas Dei vindictam? Hæc tua insensata stoliditas in unico æternæ salutis tuæ negotio supplicium est divini furoris. Cito resipisce, te excita, nisi temeritatis, & cæcitatis tuæ æternas dare pœnas velis. Aliunde si doles te Deum offendisse, si lumen ab eo enixe implorabis, quo dignoscere miserias animæ tuæ valeas, obtinebis. Cedo, hominum infelicissime: si aliqua temporali calamitate premereris, scíresque divitem aliquem paratum ad subsidium ferendum, an ignorares illum adire, supplicare, precari; & si

opem

opem præstaret, an iniuriis, & contumeliis illum afficeres; vel omnibus grati animi argumentis tibi illum devincire non studeres? Hæc, & alia longe uberiora, quæ Deus suggeret, intonare plus & minus prudens Confessarius poterit. Isti plurimi in sua stupida ignorantia perseverant ob negligentiam, vel nimiam facilitatem Confessariorum, qui tales stupidos ad sacramenta admittunt. Quando experientia constat, ex pluribus confessionibus istos nihil profecisse, dimittendi absque absolutione sunt: si enim gratiam recepissent sacramentalem, sterilis sane hæc non fuisset. Semper tamen caritate summa tractandi sunt, & spei christianæ filo devinciendi. Exploranda naturalis sagacitas, vel hebetudo; & iuxta indolis aut stupidæ, aut experrectæ conditionem instructio moderanda est, & iugi precatione divinum auxilium implorandum.

VII. Quæst. V. *Quomodo se gerere Confessarius debet in absolvendis iudicibus, advocatis, & mercatoribus?* Resp. Iudices, si careant necessaria scientia ad iudicandum, non sunt absolvendi. Ecquis iudicare valet, habeat nec ne iudex scientiam necessariam? Ex signis erui id non difficile poterit. Propriæ conscientiæ scrutinium, & iudicium non leve esse argumentum potest. Si ob imperitiam graviter culpabilem falsa iudicia proferunt, ad resarciendam partem læsam tenentur: si lites procrastinent, si ex affectu iudicent, peccant, & ad restitutionem tenentur. Hæc crimina communia sunt advocatis, notariis, aliisque fori ministris. Præterea isti pluribus aliis fraudibus sunt obnoxii, quas si explicare omnes vellem, Tomum conflarem. Mercatores severe excutiendi sunt, antequam absolvantur, circa pondera minus æqua, mendacia, fraudes, quibus vitia mercium tegunt, iniusta pretia, præsertim dum credito vendunt. Si deprehenderis, has professiones aliquibus esse occasiones proximas peccandi, ne absolvas illos, nisi professiones dimittant, quando ex applicatis remediis nihil profecerunt. Sic definivit Concilium Lateranense sub Innocentio II. *can.* XXII. his verbis. *Falsa etiam fit pœnitentia, cum pœnitens ab officio vel curiali, vel negotiali non recedit, quod sine peccato agi nulla ratione prævalet.* Hoc ipsum statuit Concilium Romanum V. sub Gregorio VII. an. 1078. celebratum cap. VII. *Quicumque miles, vel negotiator, vel alicui officio deditus, quod sine peccato exerceri non potest, si culpis gravioribus irretitus ad pœnitentiam venerit, cognoscat se veram pœnitentiam non posse peragere, nisi arma deponat, ulteriusque non ferat, nisi consilio religiosorum Episcoporum pro defendenda iustitia; vel negotium relinquat, vel officium deserat.* Ne vero Casuistæ reponant, antiquorum Patrum dicta ætati nostræ non congruere, audiant S. Carolum Borromæum IV. *Part. Act. in Instruct. Confess.* sic loquentem. *Sunt aliæ peccandi occasiones, quæ suapte natura quidem tales non sunt, sed hominum quorumdam ratione, velut pleræque res per se licitæ; in quibus si pœnitens hæreat, ut antea fecit, merito iisdem rursus criminibus implicandus videatur. Tales plerisque sunt tempo-*

rum iniquitate ac vitio militia, mercatura, magistratus, causidicorum, & procuratorum munia, aliaque eiusmodi; in quibus qui saepe mortaliter peccare consuevit, blasphemiis, furtis, iniquis iudiciis, calumniis, odiis, fraudibus, periuriis, aliisque similibus culpis, exploratum habet, si in eadem professione permaneat, easdem sibi peccandi occasiones eventuras: neque vero credendum plus sibi virium ad peccatum vitandum fore quam prius habuerit, ideoque in eadem peccata prolapsurum. Quamobrem eiusmodi homines aut vitae rationes sibi adeo periculosas deponere debent, aut certe in eisdem non versari, nisi de pii, prudentisque Sacerdotis consilio, qui neminem sic affectum absolvere debet, ut probabile censeat in eadem peccata recasurum, si in eisdem occasionibus perseveret; sed certum temporis spatium sumere ad emendationem explorandam. Atque hic eo magis evigilandum est, excubandumque animo, quod Confessariorum culpa, & incuria factum videmus ut in plerisque artibus, & professionibus innumerae corruptelae, & gravissima delicta passim vigeant, sine quibus res alioquin iustissimae iam a paucis admodum factitari posse videantur.

VIII. Quaest. VI. *Quomodo se gerere debeat Confessarius in absolvendis patribusfamilias, filiisque familias?* Resp. Officia & onera gravissima patrumfamilias educandi filios, eosque a vitiis, periculis, occasionibus, pravis sociis custodiendi, fuse explicui in IV. Decalogi mandatum, quae legere poteris, ut rite istos absolvere valeas. Ex optima filiorum educatione reformatio mundi pendet. Facile plantae tenerae diriguntur, inflectuntur, & conservantur. Adultae, distortae, incurvatae vix absque miraculo ad rectam formam revocantur. Si explicare defectus, & crimina patrumfamilias vellem, nimis prolixus forem. Lege *loc. cit.* in quo invenies & peccata consueta filiorumfamilias, furta, impudicitias, parentum contemptus &c.

IX. Quaest. VII. *Utrum Confessarius absolvere debeat tum viros, tum feminas vanas, nimia vestium pompa ornatas?* Resp. Saeculum nostrum *aureum* plures appellant: quod uno in sensu verum habet; at in sensu ab illis intento non modo falsum, sed manifesta dementia est. Aureum est saeculum nostrum, quod aurum ambulat vias publicas, templa ingreditur, ad altaria accedit. Resplendet in parietibus, in scamnis, in equorum, mulorum, mularumque frenis, in virorum pileis, indumentis, & potissimum in mulierculaarum vestibus. Ut absolvere mulieres, vanas pompas sectantes, Confessarius valeat, legat *Tom. II. in Decal. diss. IX. cap. IX. & X.* ubi fuse rem istam explicui. Nunc pauca rescribam ex S. Carolo Borromaeo, qui *in Inst. Confess.* haec inter plura habet. *Nec etiam absolvat qui in vestium splendore, aut superfluo corporis ornatu mortaliter peccant. Et quia hodie saeculi pompae & vanitates ad summum creverunt, potissimum EX CULPA CONFESSARIORUM* (infamavit ne Confessarios, & Casuistas S. Carolus?) *qui ab hac*

hoc peccato pœnitentes suos inconsideratius (N. B.) *absolvunt*, & *nullum fortassis ea de re scrupulum ipsis movent* ; *aliquos hic casus designare placuit* , *in quibus mortaliter peccat, cui cordi est nimius ille luxus* ; *ut iuxta præscriptas regulas, se gerant in illorum absolutione*. Casus autem paucis perstringam , & sunt sequentes . Peccant mortaliter qui hoc nimio vestium ornatu utuntur , ut alios ad peccatum pelliciant, aut occasione illius violant, vel caussa aliis sunt cur violent præcepta Dei, vel Ecclesiæ; ut si die festo laborarent, vel occasionem aliis darent laborandi, aut Sacro non assistendi . Quot mulierculæ vanissimæ plures horas ipsæ , & ancillæ non expendunt diebus festis in hoc plusquam paganico ornatu ? Quot uxores non sollicitant maritos ad nimios sumptus, quos ut faciant , debita contrahunt, contractus usurarios exercent, eleemosynas negligunt , mercedem non solvunt, creditoribus non satisfaciunt , legata pia non implent, familiæ patrimonium dilapidant, filiorum caussam produnt, filiabus non provident, & innumera flagitia perpetrant ? In his casibus nimius luxus peccatum mortale est . Quare tum mariti sæpe feminiores, ut sic loquar, quam feminæ, tum uxores sunt ob has nimias pompas in statu peccati mortalis. Et quamvis pompæ non excedant proprium statum , si tamen lasciviam inspirent, vel si probabiliter dubitetur , inquit S. Carolus , ex hac pomparum occasione non defuturos qui amorem impudicum concipiant, aut in animo suo ipsi & ipsæ nutriant , a peccato mortali non sunt immunes. Quid , si ornatus ipse obscœnitatem prodat , & nimiam impudentiam ut non paucæ vestitus formæ hodiernæ (vulgo *mode*) reipsa præferunt ? In his casibus peccatum , immo scelera plurima grassantur . Hæc omnia honestari prætextu dignitatis, status, consuetudinisque solent. At Deus non irridetur. Professionem baptismatis recordentur, qua solemni ritu his omnibus renuntiarunt . Consulant ergo Confessarii & suæ, & pœnitentis conscientiæ. Plura lege *loc. cit.*

X. Quæst. VIII. *Quomodo se gerere Confessarius debet in absolvendis viris* , & *feminis quæ hodiernas conversationes frequentant ?* Resp. Hanc ætate nostra invectam corruptelam, seu humani generis pestem *Tom. IV.* in Decalogum , & alibi profligare studui . Nunc inculcare Confessariis sat erit ut istis omnibus absolutionem, nisi desistant, omnino denegent. Quid ? Si absolutio denegatur istis, deserta evadunt continuo templa nostra. At si absolutionem impenderis, tu cum tuis pœnitentibus orcum implebis. Nulla facienda distinctio est ? Innumeræ sunt cavillationes, quibus putida incrustrari corruptela solet ; at omnia sunt carnis , & dæmonis præstigia. Excepta necessitate, vel honesta convenientia civilis commercii , viri a mulierum, & mulieres a virorum conversatione abstinere debent . Sermo enim nunc est, ut omnibus cavillationibus locus præcludatur , de familiari virorum & mulierum conversatione , quæ nunc in praxi obtinet , omnibus inspectis circumstantiis. S. Augustinus in *Psal.* I. acriter insectatur excusationes quas obtrude-

trudere isti solent, exemplo Prophetæ David. *Audiunt male viventes; & quærunt sibi patrocinia peccandi: attendunt, unde defendant quod committere paraverunt, non unde caveant quod non commiserunt: & dicunt sibi: Si David, cur non ego? Inde anima iniquior, quæ, cum propterea fecerit, quia David fecit, ideo peius quam David fecit .... Alii vero audientes salubriter, in casu fortes metiuntur infirmitatem suam, & quod damnat Deus, devitare cupientes, ab aspectu securo* (impuro) *abstinent oculos. Non eosdem figunt in pulchritudine carnis alienæ, nec seipsos faciunt de perversa simplicitate securos. Non dicunt: Bono animo attendi, benigne attendi, de caritate diu aspexi. Proponunt enim sibi casum David, & ad hoc illum magnum vident cecidisse, ut parvi nolint videre, unde possint cadere. Reprimunt enim oculos a petulantia, non se facile adiungant, non miscent se mulieribus alienis, non levant oculos faciles ad aliena mœnia, ad aliena solaria. De longe enim vidit David illam in qua captus est. Mulier longe, libido prope. Alibi erat quod videret, in illo, unde caderet. Attendenda est ergo hæc infirmitas carnis.* Dum Christiani confitentur carnis flagitia, ut eadem excusent, naturæ infirmitatem, concupiscentiæ impotentem propensionem allegant. Fatentur se imbecilles, fragiles, libidinis igne æstuantes; ut vero tamquam honestam, & innoxiam propugnent intimam, familiarem, nocturnam diurnamque conversationem cum suis matronulis, quibus inserviunt, & quas tantum non adorant, se robustos, marmoreos, æneosque iactant. En quam mendaces sint filii hominum. Infirmi sunt, ut peccata excusent. Mendaces, vafri, & robusti, ut caufas, quæ ad peccandum inducunt, servitutis & obsequii nomine colorent, & defendant. Sed alibi istorum paradoxa labefactavi. Interim caveant, & iterum caveant Confessarii, istis & illis absolutionem impertiri, nisi prius hæc putida subtilis luxuriæ vincula penitus abrumpant. Corruptela in dies grassatur, & frequentia sacramentorum simul augetur: multiplicantur morbi, & medicinæ; & morborum pestilentiæ iam medicinarum efficacitatem impediunt. Consensere iura peccatis, & cœpit licitum esse quod publicum est.

XI. Quæst. IX. *Quas regulas servare tenentur Confessarii in absolvendis feminis devotis?* Resp. Iam dictum est supra, Confessarios debere mulieres omnes tractare ceu personas peste, & quidem contagiosissima laborantes, quæ facillime communicatur, venenumque undique versum transfundit. Audi, o Confessari, Augustinum *ser.* ccl. *de temp.* ubi inquit: *Nec tamen quo sanctiores, minus cavendæ: crede mihi: Episcopus sum, in Domino loquor, non mentior: cedros Libani, idest magnos Ecclesiæ Prælatos, sub hac specie corruisse memini, de quorum casu non magis præsumebam quam Ambrosii, & Hieronymi.* Regulas quas S. Hieronymus *epist. ad Nepot.* præscribit, exacte observato. *Nec Davide sanctior, nec Salomone esse potes sapientior. Memento, quod paradisi colonum de possessione sua mulier eiecerit .... Periculum*

ricu-

iculose tibi ministrat, cuius vultum frequenter attendis. Si propter officium clericatus vidua a te visitatur, aut virgo, numquam domum solus introeas, tales habeto socios, quorum contubernio non infameris. Si lector, si acolythus, si psaltes te sequitur, non ornentur veste, sed moribus: nec calamistro crispent comas, sed pudicitiam habitu polliceantur . . . . Caveto omnes suspiciones: & quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante devita. Crebra munuscula, & sudariola, & fasciolas, & vestes ori applicitas, & oblatos, ac degustatos cibos, blandasque, & dulces litterulas sanctus amor non habet. Mel meum, lumen meum, meum desiderium, omnes delicias, & lepores, & risu dignas urbanitates, & ceteras ineptias amatorum in comœdiis erubescimus, in sæculi hominibus detestamur: quanto magis in Monachis, & in Clericis, quorum & Sacerdotium proposito, & propositum ornatur Sacerdotio? Nec hoc dico, quod aut in te, aut in sanctis viris ista formidem; sed quod in omni proposito, in omni gradu, & sexu & boni & mali reperiantur, malorumque condemnatio laus bonorum sit. Cavendum ergo nobis ne omnes, sive huius, sive illius sexus, cœtus, instituti reputemus falli nescios, & in gratia confirmatos, ne errent, ne decipiant sub specie sanctitatis. Meliores regulas quam eas quas hic præscribit Doctor maximus, assignare nequeo.

XII. Quæst. X. *Differenda ne est aliquando absolutio?* Resp. Omnes tum Rigoristæ, tum Laxistæ adfirmant, quando vel utilitas pœnitentium postulat, vel necessitas consulendi sacramento ad id urget. Nulla super hoc controversia. Regula generalis omnibus probatur. Similiter omnes adfirmant, suspendendam esse absolutionem 1. quando deest in Confessario iurisdictio absolvendi a reservatis. 2. quando pœnitens non est sufficienter instructus; cum Innocentius. XI. damnaverit hanc thesim: *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei.* 3. quando prudenter constat deesse dolorem in pœnitente. 4. quando pœnitens est in occasione proxima, & nulla signa perhibeat emendationis. Has regulas generales omnes admittunt. Verum postea in earumdem applicatione multas invexerunt distinctiunculas, quibus in praxi a pluribus Confessariis absolvantur & recidivi, & consuetudinarii, & versantes in occasione proxima. Quare alias practicas quæstiunculas resolvam.

XIII. Quæst. XI. *Confessarius potest ne absolvere consuetudinarios, & recidivos prima vice, etsi nulla præcesserit emendatio?* Resp. P. Claudius La-Croix *Lib.* VI. *part.* 11. *num.* 1819. respondet, quandoque Confessarium posse differre absolutionem: quia quandoque non potest prudenter credi consuetudinario. Postea continuo *num.* 1820. subdit. „ Confessarius potest absolvere consuetudinarium prima „ vice, qua se accusat de peccatis suæ consuetudinis, *licet nulla* adhuc *emendatio* „ præcesserit, dummodo eam serio proponat, *præcipue si ultro, nemine cogente, ad* „ *confessionem venerit*, uti habet communissima contra Huigens, Gabrielem, Op-

„ tra-

„ traedt, & alios Rigoristas. *Ratio est, quia sic confitens est rite dispositus, & „ dat spem emendationis.*“ Nihil ad me de Huigens, de Optraedt, aliisque. Sed contra opiniones disputo æquo aut laxiores, aut rigidiores. Hæc propositio non est limitata particula *quandoque*, sed absoluta est. Et ratio, qua fulcitur, similiter absoluta est, & universalis: nempe: *Si ultro, nemine cogente, ad confessionem venerit, est rite dispositus.* Cedo: quodnam discrimen est inter hanc propositionem P. La-Croix, & thesim 60. damnatam ab Innocentio XI.? *Pænitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat; nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, & proponere emendationem.* Etsi emendationis spes nulla appareat, dicit propositio damnata. Licet nulla adhuc emendatio præcesserit, inquit La-Croix. Quid hic discriminis: an inter *præcesserit*, & *appareat*? Discrimen est, subdis, inter *etsi nulla emendationis spes appareat*, & inter *emendationem* quæ *præcesserit*. La-Croix excludit emendationem præcedentem, non spem emendationis futuræ. Recte, & bene. At in quo collocat La-Croix hanc spem emendationis futuræ? En illius verba: *Dummodo eam serio proponat, PRAECIPUE si ultro, nemine cogente, ad confessionem venerit.* Propositio damnata ait: *Dummodo ore proferat se dolere, & proponere emendationem.* Auctores laxistæ damnatæ thesis, quorum nomina nunc prætereo, non loquuntur de peccatoribus, qui iocandi caussa, sed qui serio proponunt emendationem. Est aliud discrimen, inquies. Quodnam? Thesis proscripta absolute, La-Croix prima vice docet absolvendum consuetudinarium Discrimen istud facillime eludent consuetudinarii doctrina ipsius La-Croix, & aliorum Probabilistarum, asserentium, non teneri consuetudinarium patefacere suam consuetudinem. Ergo post primam vicem tacebit consuetudinem suam, ne cogatur bis, inquiunt Benignistæ, eadem peccata confiteri. Ne multa. Laxitas thesis La-Croix in hoc sita est, quod *præcipue spontanea*, seu *ultronea confessio*, *nemine cogente facta*, sit absolute argumentum declarans pœnitentem *esse rite dispositum*, ut conceptis verbis propugnat idem La-Croix. Hæc enim doctrina, ut mihi videtur, & salvo meliori iudicio, laxa est: & propositio La-Croix, si non est soror, saltem est, ut meæ imbecillitati apparet, thesis damnatæ consobrina. Uno aut altero verbo differt: at si substantiam spectes, parum aut nihil distare videtur. Declaratur spiritus laxitatis. Omnes Christiani, nisi fiant atheistæ, vel scelestissimi, communiter conscientiæ remordentis latratus experiuntur. Catervatim, inquit Ven. Bellarminus, onusti sceleribus currunt ad confessionem, ut hos latratus placent, ut dentes vermis mordentis aliquantulum extundant. Putant enim visibili more decepti, vitam Christianorum sitam esse in hac sacramentorum, & relapsuum vicissitudine, & perpetuo circulo. Sponte ergo communiter omnes, vel inveterati peccatores christiani ad confessionem accedunt: & tamen certum est istos magna

in

in parte indispositos accedere. Ergo non laxitas modo, sed error manifestus videtur, quod *præcipue* ultronea confessio indicet, peccatorem esse *rite dispositum* ad sacramentum pœnitentiæ. Et tamen La Croix hanc suam opinionem vocat *communissimam* contra *Rigoristas*, qui, si vocarent præfatæ opinionis auctores Laxistas, statim querelas multiplicarent. Verum audiamus magnum Pontificem S. Gregorium (sive alium, venerabilem profecto, Auctorem) *Lib. VI. in cap.* xv. *Lib. I. Reg.* præfatam opinionem improbantem. Saul Samuelem rogat, ut obtinendæ peccati sui veniæ a Deo caussam in se suscipiat. Renuit Samuel. *Et illa Prophetæ constantia* (subdit citatus Auctor) *quidam nimis clementes huius temporis Sacerdotes arguuntur, qui conversatione infirmi sunt, temeritate fortes*. Deinde ad pœnitentes spontaneos stilum convertit post pauca ibidem. *Qui etiam SPONTE ad confitendum veniunt, sed pro quibus se accusant, non ipsi lugent, sed pœnitere alios obsecrant. Fide sola salvari æstimant, per pœnitentiam reverti abiecti non curant*. Innumera Patrum testimonia, nisi brevitatis caussa impediret, adducere possem, quæ recensitam La-Croix, & aliorum laxam doctrinam improbant.

XIV. Quæst. XII. *Utrum Confessarius possit absolvere eos qui frequenter relabuntur in flagitia mollitiei, & pollutionis?* Resp. Omnes fatentur, peccati istius emendationem esse difficillimam, propter intimam occasionem. Aliunde adeo universale est crimen istud, ut eo magna damnandorum pars inquinata sit. Quid ergo agendum? Aqua hæret. Omnes docent vitanda esse extrema severitatis, & laxitatis. Notum est hoc atque compertum. At quænam est via recta inter hæc duo extrema? Nemo designat, & vix designari potest. P. Sporer *Part. III. cap.* 11. *sec.* 4. *§.* 3. *num.* 330. docet, absolvendos esse huiusmodi recidivos *toties quoties* serio proponunt in posterum emendationem; dummodo Confessarius prudenter credat, eos *vere proponere*. At in hoc sita difficultas est, quomodo Confessarius credere prudenter queat, istos vere *dolere, & proponere* emendationem, si cum iisdem peccatis redeunt. Respondet continuo. *Quia redire cum iisdem peccatis de se non est signum deesse verum dolorem, & propositum emendationis; certe non magis quam si rediret cum aliis novis diversis peccatis; sed solum est signum fragilitatis humanæ in tali homine*. Hanc inauditam doctrinam, a diversis novis peccatis repetitam, quam post *Sporer* propagavit *La Croix*, supra refelli. Qui frequenter confitetur, & frequenter relabitur in nova diversi generis peccata, obtruditur tamquam principium certum impertiendæ absolutionis? Et heinc argute inferunt recentiores; Ergo recidivi, frequenter relabentes in eadem consueta peccata, absolvendi sunt. Næ ista robusta argumentatio? Hodie Petrus confitetur furtum: sequenti hebdomada confitetur adulteria: post pollutiones: in alia confessione fornicationes: in alia sodomias: in alia blasphemias: in alia periuria: in alia calumnias: universam denique peccatorum provinciam percurrit: numquam relabitur in vetera, semper

per

per nova, sed diversa peccata mortalia adfert. Peccator iste, inquiunt iuniores nostri, absolvendus est. Quidni ergo, si in eadem relabatur flagitia? praesertim quia habitus vitiosi, & consuetudines pravae vehementer inclinant, & impellunt in eadem crimina. Primum, inquiunt, verum est. Ergo & secundum. Somnia videntur ista; & tamen clamant hanc esse *communissimam sententiam*. Sit communissima inter Probabilistas, mihi videtur ab omnibus Scripturis & Patribus improbari, & cum ipso communi sensu pugnare. Addit citatus P. Sporer *num.* 331. ex P. Gobat, & aliis, aliquam imminutionem peccatorum satis esse ut Confessarius possit prudenter impertire absolutionem. Quam regulam absolute ut falsam reiicio.

XV. Quid ergo agendum? Quid? Si dixero eiusmodi absolvendos non esse, Rigorista audiam. Si dixero absolvendos, & meam, & aliorum animas prodo. Varia assignant Auctores remedia. Sacramentorum frequentiam omnes suadent. Saluberrimum & efficax remedium. Si hac confessionis frequentia sanare miseros istos vales, remedium promptum est, & facile. Addenda ieiunia, preces, meditationes mortis, inferni, passionis Christi, invocatio Sanctorum, & praesertim Protectoris, & B. Virginis. Addunt, si vides eiusmodi poenitentes haec omnia exequi, & numerum peccatorum diminuere, tunc absolve eos. Quando, inquit P. Sporer ex P. Gobat, *notatur aliquis profectus, seu aliqua imminutio peccatorum, habenda est patientia. Ipsa enim imminutio peccatorum est signum propositi.* Habenda sane est patientia. Haec enim necessaria est, inquit Apostolus. *Simus ergo: omnino simus erga hos miseros misericordes.* In quo sita est misericordia isthaec? In facili absolutionis concessione. Annuo, si absolutio eos curat. At si non curantur, saltem imminuuntur peccata: & hoc satis est ut absolvere eos prudenter possis. Ita ne vero?

XVI. Si id quod sentio, promere mihi licet, hanc iuniorum doctrinam falsam evincit experientia. Istorum misericordia auget, non curat vulnera. Praefata remedia si infirmum curarent; quis, nisi demens, illorum applicationem improbaret? At si remedia haec minuunt tantum, minime vero morbum expellunt, inepte applicantur. Quid blasphemas? Sacramentorum frequentia inepta?, Sacramentorum frequentia sanctissima: sacramenta efficacissima sunt. De fide est, poenitentiam sacramentalem peccata expellere, animam sanctificare, vires contra peccatum augere; Eucharistiam veluti caelesti pinguedine iustificatum Christianum saginare, roborare, Dei amorem accendere, spiritum impuritatis extinguere. Ergo qui cum his divinissimis sacramentis pollutionis, & mollitiei flagitia negant consocianda, detrahunt sacramentorum efficacitati, dignitati, & sanctitati? Haec peccatorum imminutio in istis communiter artificium est amoris proprii, & diaboli, qui, ut haec misera carnis mancipia in perpetuo sacrilegiorum,

&

& pollutionum circulo detineat, libenter permittit numerum pollutionum diminui, dummodo perpetui sint libidinum servi.

XVII. Quid, si isti polluti, Sacerdotes essent, qui quotidie celebrarent? Istis ne sacramentorum frequentia opportunum remedium? Si absolutionem negas, illi celebrare coguntur: neque absque scandalo, & infamia omittere Missam possunt. Quid ergo agendum? Facile est aliorum curationis methodum improbare. Tu assigna meliorem.

XVIII. Post seriam meditationem, & cum Confessariis consultationes didici, miseros istos aut cito curari, ut clarius mox dicam; aut communiter, praecisa aliqua extraordinaria gratia, vel status mutatione, numquam ferme curari. Lenitas & benignitas, qua iuniores pedetentim curandum morbum istum contendunt, communiter insanabilem efficiunt plagam. Bestia haec adeo fera & immanis est, ut mansuetudine & benignitate crudelior atque truculentior fiat. Quae expertus sum, narro. Methodum iuniorum & ipse executioni demandavi. Remedia indicata praescripsi, & falsa illa atque crudelissima benignitate & misericordia deceptus, absolutionem saepius impertii, quod interdum diminuta viderem peccata, quod spectarem lacrymas, & pectoris tunsiones. At benignitatis atque lenitatis adhibitae me semper poenituit. Quid ergo agendum? Paucis, quae mihi verisimiliora videntur, exponam.

XIX. Absolute sub ipsum initium omnino, & inquam omnino, severus esto. Absolutionem denega. Morbi saevitiam, infernum apertum, imminentem divinae vindictae furorem ea qua vales eloquentia expone, exaggera, inculca huiusmodi peccatori. Eum hoc pacto alloquere. Quid miser ageres medio in mari constitutus, furentibus undis, caelo tonante, & fulminante, tempestate saevius exagitante, & naufragio iam iam imminente: quid, inquam, ageres? An, si evadendi aliqua spes esset, merces non proiiceres, pecunias, vestes ipsas non exueres, ut nudus portum obtineres? In simili & funestiori tempestate versaris. Nisi eo omnium virium conatu quo utereris in declinando illo imminenti, & praesentaneo corporis naufragio, utaris in expellenda lepra ista faetidissima, qua anima, & corpus tuum marcescunt, actum de salute tua est. Desperationis ergo laqueo me iugulas? Immo tu miser desperare de salute tua obstinate vis, quia tanta obrutus peste expellere eam recusas. Certum, & quidem de fide est, te posse, si vis, morbum superare. Dicam ergo cum Christo Domino Ioan. v. *Vis sanus fieri?* Caelum ego & paradisum apertum tibi spondeo. Omnia quae hactenus perpetrasti flagitia dimittere paratus sum, dummodo velis ab iisdem abstinere. At numquam promissionibus tuis fidem adhibebo, nisi emendatio praecedat. *Qui fecit te sine te, non salvabit te sine te.*

XX. Quaest. XIII. *In quo sita sit benignitas cum eiusmodi peccatoribus adhibenda?*

da? Num falsa sit nonnullorum iuniorum benignitas? Resp. En, o Confessari; in quo sita est benignitas, lenitas, & misericordia tua cum eiusmodi aliisque poenitentibus adhibenda. Te illorum salutis cupidissimum ostendito. Summa patientia, & mansuetudine pestis contagionem, damnationis aeternae gravissimum periculum declara. Insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa, tolera, sustine, colloquia, perorationes, supplicationes multiplica, preces funde, & alia pietatis opera pro iisdem, quoad potes, exerce. Ne inculcare cesses, diluvio universali genus humanum periisse praecipue propter peccata carnis. Siquidem *omnis caro corruperat viam suam*. Ideo Deus tactus dolore cordis intrinsecus; *Delebo*, inquit, *hominem, quem creavi, a facie terrae*: Gen. VI. Quamquam carnis flagitia non sint omnium gravissima gravitate theologica; sunt tamen omnium exitiosissima, faetidissima, turpissima, & damnatorum, damnandorumque fertilissima. *Et ideo* (inquit S. Thomas 2. 2. quaest. XV. art. 3.) *ex luxuria oritur caecitas mentis, quae quasi totaliter spiritualium bonorum cognitionem excludit*. Voluptas haec cum sit omnium vehementissima, quae universos corporis sensus commovet, & ad similitudinem terraemotus partes concitat omnes, rationem penitus absorbet. Hoc vitio, inquit S. Augustinus serm. CLXII. *totus homo absorbetur ab ipso & in ipso corpore, ut iam diei non possit ipse animus suus esse, sed simul totus homo dici possit, quod caro sit . . . Quia maiore libidinis ardore, quo superior nullus est, voluptas ipsius corporis tenet servum, efficitque captivum*. Heinc difficillime oritur istorum conversio, iuxta illud Osee V. *Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Deum suum: quia spiritus fornicationum in medio eorum, & Dominum non cognoverunt*. Sed S. Paulum tonantem ad Rom. I. audi. *Propterea tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam... Tradidit illos Deus in passiones ignominiae. Tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant quae non conveniunt. Repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione* &c. Et rursus ad Ephes. IV. *Tenebris obscuratum habentes intellectum.... qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiae in operationem immunditiae omnis*. Non ergo Confessarii docti & pii, denegantes absolutionem, ad desperandum illos impellunt. Sed illi ipsi, quia vires exerere, carnem conflictare, sensus crucifigere recusant, *desperantes semetipsos tradunt impudicitiae, & in operationem immunditiae*. Experientia intelliges, illos qui haec flagitia perpetrant, sive laici sint, sive Religiosi, vitam ducere mollem, gulae, otio, recreationibus indulgere, tepidos in Dei servitio, curiosos, loquaces, & propriae professionis transgressores. Frequentibus istorum relapsibus voluntas debilitatur, obtenebrescit rationis lumen, carnis inclinatio roboratur, Dei auxilia magis magisque subtrahuntur, & daemonis imperium in dies crudelius saevit in peccatorem. Accedunt miseri ad Confessarium, vellentque absolutionum repetitione sanari. *Saepe nonnulli* (inquit S. Gre-

go-

gorius Lib. XI. Moral. cap. v.) *a pravis actibus exire cupiunt; sed quia eorumdem actuum pondere premuntur, in malæ consuetudinis carcere inclusi, a semetipsis exire non possunt.*

XXI. Revolve omnes Patres, & universam XII. sæculorum disciplinam, & nullibi invenies sanctissimos illos Patres, divinæ sapientiæ lumine perfusos, immundos hos peccatores frequenter relabentes frequentia absolutionum, & Eucharistiæ curasse. Quare omnino falsam existimo iuniorum plurimorum methodum, qua docetur, absolvendos hos esse, præsertim quando aliquo modo minuitur flagitiorum numerus. Hæc, ut ego quidem sentio, curandi ratio bestiam libidinis ferociorem reddit. Devotiunculæ, precatiunculæ, & alia remedia, quæ indicavi, minus apta sunt. Lenitas, & benignitas quorumdam iuniorum, suadentium sacramentorum frequentiam, tametsi frequenter relabantur peccatores isti, humana est, a pio utique animo proficiscens, sed ad finem, ut experientia patet, minus opportuna. Scias, frequentissime peccatores istos per unam & alteram hebdomadam, immo per mensem abstinere a pollutionibus, ut absolutionem obtineant: ea obtenta cito relabuntur, nec continuo ad Confessarium redeunt, ut sanentur; sed in confidentiam futuræ confessionis pollutiones, & flagitia multiplicant. Vellent ipsi hæc duo una confœderare, voluptates mollitiei, & frequentiam sacramentorum. Vellent libidinis dulcedinem putidissimam gustare & regustare, simulque sacramentorum frequentia aculeos conscientiæ obtundere. Utinam curari frequentia absolutionum possent. Si tanti tu es, ut hac medicinæ applicatione valeas hos infirmos sanare, tibi herbam porrigo, fasces submitto, atque doctrinæ tuæ utroque pollice subscribo. Verum communis experientia oppositum docet, & rationum momenta luculentissima id evincunt.

XXII. Edissere ergo, quid agendum. Primum suspensio absolutionis: post universalis, fortis, magnanima, robusta, & integra vitæ, morumque mutatio. Resolutio atque deliberatio vehementissima, atque adeo fortissima, quæ vix sermone explicari valet, requiritur. Securis ad radicem applicanda est. Necessaria est corruptæ massæ immutatio. Conatus illos adhibere debent quos exercerent ad evitandum naufragium, & flammarum ardentium fornacem, ut supra dixi. Remedium efficax in hoc vertitur, ut persuasum istis sit, numquam se se emendaturos, nisi difficillimo, & violento labore, gemitu, planctu, cinere, & cilicio. Interroga pœnitentem. An non abstineres a pollutione integro anno, si hoc elapso evaderes ex paupere ditissimus dominus, & Princeps? Si certus fores vel thesauri, vel principatus acquirendi, dubio procul ieiunares a turpi vitio. Similiter, si persuasi isti firmiter essent, se in infernum lapsuros, nisi cito emendarentur, dubio procul abstinerent a vitio. Sed quia miseri decipiuntur, se posse consociare & relapsus, & sacramenta, cum videant reipsa communem hanc pra-

xim, ideo revera non emendantur. Oh quot emendarentur, si viderent communiter Confessarios denegantes absolutionem consuetudinariis, & frequenter relabentibus! At quia oppositam obtinere praxim sciunt, ex ipsa frequentia sacramentorum animos ad peccandum sumunt. Cur priscis sæculis perrara erant adulteria, pollutiones, fornicationes? Quia videbant eiusmodi delinquentes modo quatuor, modo septem, modo decem annorum intervallo cinere aspersos, ciliciis, & disciplinis subactos, gemebundos, ululantes ante Ecclesiæ fores, ieiuniis macidos, sacramentis interdictos. Tanto pœnarum apparatu perterrefacti execrabantur momentaneam voluptatem, quæ tanta in hac vita, & atrociora atque æterna in altera supplicia parit. Plus movere solent hos miseros homines levissimæ præsentis vitæ pœnæ, quas vident & sentiunt, quam infernales, quas non vident, & remotissimas putant. E contrario quia ab infantia nunc vident, peccatores consuetudinarios in quocumque vitiorum genere absolvi, sacramenta frequentare, quin a peccatis suis abstineant, ex facilitate absolutionum animos sumunt ad peccandum.

XXIII. Si vis itaque, o Confessari, lucrari istorum aliquos, esto misericorditer severus in deneganda absolutione: esto eloquens, zelo ardens in suadenda vicina damnatione, nisi emendentur. Sed hæc omnia præsta maiori qua vales patientia, mansuetudine, atque lenitate. Doceas illos, regnum cælorum vim pati, & violentos illud assequi. Altius, quod dixi, illorum animis infige, nempe difficillimam esse morbi curam: & quod nisi ipsi totas vires exerant, nisi concipiant hoc esse summum, unicum, & gravissimum negotium aggrediendum omni possibili conatu; nisi renovare universos mores, novamque instituere vivendi methodum fortiter, & magnanimiter velint; numquam ab hac peste se se liberabunt. Contra si hæc omnia, quæ sane illorum vires non excedunt, agere velint, paradisus patet, misericordia divina veniam spondet, prospera omnia evenient. Si videas istos serio revera agere, sordes exuere, putorem evomere; tunc, evulsis pravis humoribus, validissimas sacramentorum medicinas applica: erga Sanctos, & præcipue B. Virginem puritatis matrem devotionibus munito, & ceteris indicatis remediis plus minusve obarmato. Sed repeto, absolutionem denega, usquedum emendentur. Revolve totam XII. sæculorum antiquitatem, & nullibi invenies, absolutionum facilitate eiusmodi peccatores curatos, sed ieiuniorum, ciliciorum, precum, meditationum severitate emendatos.

XXIV. Duo addo. Primum. Paucos ex iis lucraberis, quia pauci sunt electi. Alterum. Quælibet regula suas habet appendices. Communiter, & ut plurimum doctrinam datam veram puto. In praxi tamen temperanda est pro circumstantiarum diversitate. Numquam ex parte tua ad desperationem aliquem adiges. Quod ut evites, semper blando, sed robusto & efficaci sermone peccatorem allo-

loquere : benignissime, nedum benigne, illum excipe, tracta, dimitte. Numquam esset loquendi finis, si ea omnia quæ huc pertinent, dicere vellem. Sed pauca quæ dixi, sat erunt. Et ut errandi periculum declines, si vides bina, vel trina absolutione te posse infirmum curare, esto in misericordia dives. Emendatio peccatoris securior omnibus regulis est norma vel impertiendi, vel denegandi absolutionem. Et de hoc satis.

XXV. Quæst. XIV. *Utrum suspendere Confessarius debeat absolutionem periuris, & blasphemis consuetudinariis?* Resp. Opinionum paradoxa quæ plures iuniores invexere ad honestanda periuria, & blasphemias, fuse descripsi *Tom. IV. in Decal. diss.* VII. *cap.* VI. ubi regulas tradidi, quomodo se Confessarius gerere debeat cum eiusmodi recidivis. Ne actum agam, vide dicta ibidem.

XXVI. Quæst. XV. *Quomodo se gerere debeat Confessarius cum debitoribus morosis, seu solutionem, & restitutionem procrastinantibus?* Resp. Licet pluries dictum sit, hos non esse absolvendos, nisi prius, cum possint, solvant, & restituant; tamen iterum monendum esse Confessarium duxi, ne excusationibus & prætextibus, quos allegare isti solent, fidem adhibeat. Dilatio solutionis & restitutionis occasio est, & quidem valida & fortiter alliciens. Quo maior erit dilatio, eo erit restitutio difficilior. Severitas in hoc negotio est summa clementia & erga pœnitentis animam, & erga creditores. Benignistæ plures facilitate absolvendi eiusmodi debitores procrastinantes, crudeles sunt tum in pœnitentes, tum in creditores, opifices, mercatores, & mercenarios. Obvia est doctrina S. Augustini *epist.* CLIII. ad Macedonium. *Pessimum hominum genus commemoras, cui pœnitendi medicina omnino non prodest. Si enim res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur; non agitur pœnitentia, sed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum; sed, ut dixi, cum restitui potest.* Communiter qui possunt, non solvunt, quia potentes sunt. Inferiores coguntur ad solutionem, & pauperibus nemo suam fidit pecuniam, aut bona. S. Carolus Borromæus in Synodo I. Mediolanensi. *Caveant Confessores ne ante debitam satisfactionem illos absolvant quibus cum facultas adsit aliena restituendi, vel legata quæ ad pias causas facta sunt, persolvendi, illisque, ut id facerent, superiori confessione præceptum sit, præstare tamen neglexerunt, exceptis iis qui periculose ægrotant; quos tamen moneant, ut quæ debent quamprimum solvant.* Plurima hic essent rescribenda Synodorum decreta, quæ vetant absolvi eiusmodi debitores. Sed hæc satis sint.

XXVII. Quæst. XVI. *Quomodo se gerere debet Confessarius cum iis qui solum peccata venialia confitentur, si dubitet de eorum dolore, & proposito?* Resp. Etiam de hoc supra locuti sumus. Quare paucis rem expediemus. Duo sunt hominum genera qui materiam necessariam communiter non afferunt. Plures rustici,

& iusti homines. Primi sæpe ob ignorantiam crimina sua patefacere nesciunt; atque adeo dolorem verum non concipiunt. Isti caritate, & patienti benignitate instruendi a Confessario sunt. Difficile est quod prudens & experrectus Confessarius non inveniat in istis materiam, de qua concipere dolorem facile nequeant. Omissiones amandi & colendi Deum, ingratitudo ad tanta illius beneficia, abusus tot gratiarum, occulta superbia, iræ, imprecationes, & innumera alia sunt; quæ materia veri doloris, & propositi necessarii ad absolutionem esse queunt. Iusti, qui peccata venialia confitentur, aliquod aut mortale præteritum, aut veniale peculiare, & inter hæc gravius, confiteri debent, ut securius dolorem concipiant. Si revera iusti sunt, non est communiter ambigendum, quin dolorem verum, propositumque necessarium habeant. P. Natalis ab Alexandro *Lib. II. art. 7. reg.* 20. contendit, iustos qui sola venialia confitentur absque necessaria contritione, dummodo ad sacramentum accedant animo se se exercendi in actibus religionis, & obtinendæ sacramentalis absolutionis, non committere sacrilegium. Primum ego hypothesim hanc vix admittere possum: qui enim revera iusti sunt, non accedunt ad sacramentum absque vero dolore. Verum, hypothesi admissa, sententia *P. Natalis* mihi non probatur. Sacramentum enim pœnitentiæ exigit verum dolorem, tamquam materiam necessariam, sine qua sacramentum non fit. Ergo profanatur, dum absolutio, necessaria materia deficiente, impertitur. At, inquit P. Natalis, inter prodesse, & letaliter obesse, medium intercedit, nec prodesse, nec obesse, vel etiam parum prodesse. Hæc regula non videtur huic quæstioni quadrare. Nam aut fit sacramentum, aut secus. Si primum; prodest. Si secundum, obest, & quidem letaliter; cum sacramentum frustretur. Ceterum, ut dixi, in praxi vix talia contingunt, & aliunde nobis hæc occulta sunt. Omnes ergo curent, antequam accedant ad hoc sacramentum, implorare a Deo verum dolorem, & constans propositum. Numquid clementissimus Deus iustis ipsis enixe precantibus donum istud denegabit?

XXVIII. Quæst. XVII. *Quomodo se gerere debeat Confessarius in præscribenda confessione generali?* Resp. De iterandis confessionibus dictum supra est *diss.* III. *cap.* XII. Brevissime nunc dico, Confessarium etiam in hoc, sicuti in aliis, cavere extrema debere. Sinceri pœnitentes plus iusto repetere confessiones generales vellent. Pœnitentes larvati numquam generalem confessionem facere curant: quia peccandi consuetudinem relinquere nollent. Regula certa & præcisa pro eiusmodi confessionibus generalibus designari nequit. Recidivi habitibus pravis vel consuetudine peccandi irretiti, inducendi communiter sunt ad generalem confessionem totius vitæ. Quid, si in medio vitiosæ vitæ generaliter confessi fuerint, & postea relapsi eamdem viam malam arripuerint? Facienda ne tunc ab initio vitæ pravæ generalis confessio? Id ex circumstantiis iudicabit prudens

Con-

Confessarius. Non leve fundamentum suspicandi est nullam fuisse generalem confessionem, post quam non aliquando ex inopinata gravi tentatione, vel occasione, sed frequenter pœnitens relapsus est, & præter propter eamdem pravam peccandi consuetudinem persecutus fuit. Spontanea confessio non est signum sinceræ conversionis, ut docent communiter Probabilistæ plurimi. Quar diligenter advertat Sacerdos ad vitæ tenorem, & ad omnes circumstantias, ut prudenter definire valeat, necessaria nec ne sit confessio generalis. Facta semel generali confessione, si pœnitens conversus sincere fuerit, non repetatur, præsertim si pœnitens dubiis, & scrupulis exagitetur. Quia tunc generalis confessio non minuit, sed auget scrupulos.

CAPUT XI.

Diluuntur nonnulla Benignistarum sophismata, & aliqua axiomata pro evangelico pœnitentium regimine assignantur.

I. FUse disputatum est de impertienda, de suspendenda, de differenda absolutione. Numquid satis? Non sane, si gravitas negotii, si abusus spectentur absolvendi indignos. Iuniores plurimi exaggerant clementiam, benignitatem, misericordiam erga consuetudinarios: vociferantur contra Rigoristas, qui docent non esse istos absolvendos, nisi ex fructibus pœnitentiæ prudenter deprehendantur contriti. Clamant: Cave a Rigoristis, cave a Rigorismo. Buccinant, Rigorismum usquequaque grassari. Quam sint eiusmodi voces falsæ, testis est universus populus christianus, qui videt, & palpat, Laxismum, non Rigorismum inundare, & dominari. Quæ ex eiusmodi partium studio consequantur absurda, & damna, solus Deus, qui omnia iudicaturus est, comprehendit.

§. I.

Diluuntur sophismata contra dilationem absolvendi frequenter recidivos, & consuetudinarios.

II. OPponunt 1. Sacerdotes probi, & docti perquam raro dimittunt peccatores recidivos frequenter relabentes, & consuetudinarios onustos flagitiis absque absolutione. Numquid damnabis istorum praxim? Ergo raro differenda absolutio est. Resp. Hoc sophisma, a communi praxi & multitudine repetitum, fuit semper, inquit Augustinus, magna tentatio. *Numquid omnes non faciunt? Numquid perditurus est Deus tot turbas?* Et S. Bonaventura *de usu clav. part.* 1. *cap.*

cap. IV. inquit : *Si autem cogitas, quia tota die contrarium fieri videmus, respondeo: Tanto peius. Et qui hos canones non servant, gravissime peccant.* S. Thomas de Villanova: *Quid Ecclesiam Dei hodie perdit, nisi Confessariorum blandiens adulatio, deliniens, demulcensque assentatio?* Similia ex Ven. Bellarmino supra rescripsi. Miror P. Claudium La-Croix ausum fuisse horum Sanctorum testimonia deludere vanissimis commentis. Inquit enim Lib. VI. part. II. num. 1741. & seqq. *Loquitur* (S. Thomas) *de illis qui ex respectu humano tacent, & quaerunt placere poenitentibus non arguentes, quando, & quomodo deberent.* Dupio procul de istis loquitur. Neque enim in mentem alicuius venit, S. Thomam, & Bellarminum loqui de Confessariis doctis, probis, zelo Dei flagrantibus, qui omnia ad maiorem Dei gloriam operantur. At quis Confessariorum, quis Casuistarum docuit umquam, absolvendos omnes sponte, & serio confitentes, ut placeant omnibus, & ob humanos respectus? Nemo unus docet, & credit ob tales fines sacramenta administranda esse; sed omnes opinionum benignitate, & novo opinandi modo praeventi, certo credunt, sic agendum esse ad maiorem Dei gloriam, & ad implendum paradisum. Et ideo clamant: *Hodie facilius peccata dimittuntur quam committantur.*

III. Opponunt 2. Si negetur, aut differatur absolutio, poenitentes turbantur: Confessariorum autem est consolari, & tranquillitate donare moestos. Resp. S. Paulus gaudebat se contristasse Corinthios ad poenitentiam. *Quae enim secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur*: II. Cor. VII. Melius est ut turbentur, & disponantur gemitibus, & fletibus ad veram poenitentiam, quam experiantur aeternam conturbationem impoenitentibus imminentem, de quibus *Sap.* V. dicitur: *Turbabuntur timore horribili.* Contra hanc tranquillitatem clamat *Lib. de lapsis* S. Cyprianus: *Irrita, & falsa pax, periculosa dantibus, nihil accipientibus profutura.*

IV. Opponunt 3. Quando poenitentes sponte accedunt ad confessionem, sincero desiderio ambiunt absolutionem, & Dei gratiam recipere. Ergo absolvendi sunt. Resp. Poenitentes magna in parte putant se a criminibus absolutos esse, quoties confitentur; quemadmodum rei in foro exteriori absolvuntur a iudice pro tribunali sedente. Quare verum est istos desiderare absolutionem a Confessario, sicut omnes scelesti cupiunt absolvi a iudice. Sed simul cum absolutione a praeteritis criminibus volunt futura committere. Omnes peccatores etiam obstinati duo pugnantia cupiunt, peccare, & salvari. Vanissimum igitur est poenitentiae indicium, spontanea confessio, & desiderium absolutionis, nisi alia graviora argumenta appareant. De his S. Ambrosius *Lib. II. de poenit. cap.* IX. inquit: *Hi non tam se solvere cupiunt, quam Sacerdotem ligare. Suam enim conscientiam non exuunt, Sacerdotis induunt.*

V.

V. Opponunt 4. Scandala oriuntur ex dilatione, & denegatione absolutionis. Nam adstantes, dum vident pœnitentem aut non absolvi, aut non accedere ad communionem, arguunt esse indignum absolutione. Vitanda autem est infamia & scandalum. Resp. Infamia hæc imaginaria est, & chimærica. Mirum, quod hæc obtrudere audeant. Scandalum patitur christianus populus, quod videat amasios, & amasias perseverantes in reciproco impudico amore, simulque frequentare sacramenta, & vi novi Benignismi absolvi. Scandalum patitur Christianismus, quod videat corruptelas numquam rescindi post tot absolutiones. Verum de hoc alibi dictum est. Innocentius III. *Lib. IV. de myst. Missæ cap.* XIII. inquit: *Peccator debet potius eligere ut abstinendo reddatur suspectus, quam communicando manducet indignus.*

VI. Opponunt 5. Evenire potest ut pœnitentes dimissi absque absolutione interim moriantur, æternumque pereant. Resp. Qui sunt quos metus iste pulsat, quique istius versutæ formidinis prætextu extorquere a Confessario absolutionem vellent? Sunt illi qui non per hebdomadas, & menses, sed per annos & lustra vitam prorsus ethnicam duxerunt, qui in medio flagitiorum, & impuritatum cœno læto animo volutati sunt, quin ullo Dei, mortisque pavore tangerentur. Quem latet, timorem hunc spectrum diaboli esse, quo miseris unam, quæ superest, ad Deum sincere sese convertendi, viam præcludat? Vaferrimus hostis timorem eripit, ut in scelera compellat miseros; post, timorem incutit, ne scelera dignis pœnitentiæ fructibus eluantur; quemadmodum sæpe ad pudenda perpetranda animos adiicit, & deinde pudorem opponit, ne commissa turpia manifestentur. Ceterum, ut excusationis istius, alioquin communis & frequentis, levitatem ostendam, peto: nonne diuturna experientia constat, præcocem illam absolutionem, quam tantopere flagitant, non aliud præstituram, nisi ut pauculis diebus flagitiorum cursum abrumpant, rursus resumpturi per menses, & annos? Quo vero saluberrima absolutionis dilatio pertinet? Ut inveterata vulnera tua congruis remediis ad sanitatem disponat, ut criminum radices altius animo tuo defixæ severioris pœnitentiæ machæra præcidantur. Mortem obire absque absolutione pertimescis, si quousque tu dignis christianæ pœnitentiæ operibus ad illam suscipiendam te præparaveris, protrahatur? Recogita miser, quam sit christiana professione indigna hallucinatio tua. Numquid temerario fortunæ casu accidit mors tua? Numquid Deus suprema sua voluntate, æternisque providentiæ suæ legibus vitam, mortemque tuam non moderatur, non regit? Porro si infinita illius benignitas tibi vitam servavit illo ipso tempore quo istius vitæ beneficio ad peccandum abutebaris; numquid vitæ usuram tibi subtrahet, cum ipsius gratiæ impulsu reliquum vitæ tempus flagitiis tuis deflendis, expiandisque consecraveris? Quid? Clamat Paulus: divina patientia in mediis criminibus, & per impœnitentiam thesaurum iræ coacervantem,

tem, ut ad pœnitentiam te adduceret, pertulit; & cum evangelicæ pœnitentiæ viam ingressus fueris, te funestæ morti deferet? Tu vero, o Confessari, sic hunc pœnitentem alloquere. Laudo, quod timeas ne non absolutus moriaris. Quid inde? Ideo ne ego improvida absolutionis facilitate sacrilegiorum tuorum particeps factus, eidem me damnationis periculo committam? Tu, ne absolutione destitutus moriare, times: & ego reformido ne, me absolvente in terris, a Deo in cælo condemneris: timeo ne fallacem tibi pacem ingeram, quæ altius te vitiorum somno demergat, & memetipsum criminibus irretiam, dum degeneri clementia ea palpo, & foveo, quæ non nisi ærumnis, & laboribus, ut Tridentinum monet, elui possunt. Audi Cyprianum sic *epist.* 11. fantem. *Quis enim non mortuus vivificari properet? Quis non ad salutem suam festinet? Sed præpositorum est præceptum tenere, & vel properantes, vel ignorantes instruere, ne qui ovium pastores esse debent, lanii fiant: ea enim concedere quæ in perniciem vertant, decipere est: nec erigitur sic lapsus, sed per Dei offensam magis pellitur ad ruinam.* Tandem, ut istius fraudulenti timoris fascinium penitus excutiam, nonne Sacerdos omnis pœnitentem, cuius absolutionem distulit, morte repentina impendente oppressum, etiamsi iterare confessionem nequeat, absolvere valet? Deinde concedamus, contingere perraro posse ut inopinata morte absolutionis expers corripiatur. Cedo: pœnitens cui absolutionem differs, aut ficto, aut sincero animo pœnitentiæ operibus dat operam? Si primum, indignus absolutione est, iusteque repellendus. Si autem vero dolore criminum ac vehementi permotus, gemitibus, lacrymis, precibus, eleemosynis expiare scelera conatur, etiamsi ante absolutionem, quam votis omnibus exoptat, morte repentina decedat, numquid diffidendum de eiusdem salute est? Ecclesia semper in Christi pace defunctos habuit qui in pœnitentiæ stadio diem obiere extremum, & pro iisdem sacrificia Deo obtulit, ut Concilium Carthaginense IV. *can.* lxxix. declarat. *Pœnitentes qui attente leges pœnitentiæ exequuntur, si in casu, in itinere, vel in mari mortui fuerint, ubi eis subveniri non possit, memoria eorum in orationibus, & oblationibus commendetur.* Plurimos aliorum Conciliorum canones prætereo. Postremum sanctissimi tot sæculorum Patres; qui puriori sapientiæ divinæ lumine perfusi fuere, vanissimum istius repentinæ mortis metus terriculamentum contemnentes, absolutionis beneficium recidivis inveteratisque peccatoribus, non per aliquot aut hebdomadas, aut menses, sed per annos procrastinabant. Hæc Confessarii, missis plurium recentiorum Casuistarum ineptis opinationibus, serio recogitent, & altius animo illud Augustini effatum sibi defigant: *Si cito rediret homo ad pristinam beatitudinem, ludus illi esset peccando cadere in mortem.*

VII. Opponunt 6. Tribunal pœnitentiæ sedes est misericordiæ. *Quacumque hora ingemuerit peccator, salvus erit.* Et Christus Dominus *non septies, sed septuagies septies.*

septies remittenda esse peccata ait. Ergo absolvendi omnes sunt. Resp. In universa Scriptura non reperitur textus primus, sed solum *Ezech.*XXXIII. dicitur: *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua.* Videndum igitur, num peccatores revera conversi sint ab iniquitate. Quando frequenter diuturno tempore in mortalia scelera relabuntur, se non esse conversos indicant. Ideo probandi sunt, ut prudenter absolvi valeant. Ad aliud testimonium, quod de condonandis iniuriis nobis illatis opponitur, dicimus utique septuagies septies, idest absque numero absolvendos pœnitentes esse, dummodo sint dispositi. Si reputari dispositi deberent eo ipso quod sponte accedunt ad confessionem, & cupiunt absolutionem, absolvi deberent omnes consuetudinarii, versantes in occasione proxima, concubinarii, omnesque vel obstinatissimi; quod neque Benignistæ admittunt. Tribunal pœnitentiæ sedes misericordiæ est pro omnibus illis qui illam volunt. At nisi ipsi sincere deponant peccandi voluntatem, fructus huiusce misericordiæ suscipere nequeunt.

VIII. Opponunt 7. Experientia compertum est, pœnitentium qui absque absolutione dimittuntur, paucos redire. Si absoluti fuissent, fortassis veniam obtinuissent. Ergo minus malum est absolvere quam differre. Resp. Digna tanto argumento consequentia. Experientia compertum est, eiusmodi pœnitentes dimissos absque absolutione, sed sanctis adhortationibus (uti fieri semper debet) excitatos ad veram pœnitentiam non reverti? Ergo manifesta experientia constat istos omnes esse fictos pœnitentes, & irrisores, ut inquit Augustinus, veræ pœnitentiæ. Si enim sincero pœnitendi desiderio flagrarent, ad Confessarium redirent. Sed non revertuntur, aut quia ficti pœnitentes sunt, aut quia continuo inveniunt Benignistas, qui illos absolvunt: & hæc est communior non reditus caussa: & hoc est illud horrendum quod in domo Dei se vidisse, post Ieremiam, luget S. Thomas Villanovanus.

IX. Opponunt 8. Si ad absolutionem, veramque pœnitentiam requireretur notabilis emendatio, & rarus relapsus, pauci forent absolutione digni, & maiori ex parte essent repellendi. Heinc Christiani destituti essent efficacissimo sacramentorum remedio, & desperationi traditi laxarent impotentius peccatis habenas. Heinc est quod docti & prudentes Confessarii communiter omnes absolvunt, paucissimis exceptis, ne sacramentorum frequentia in desuetudinem abeat. Resp. Ut ab ultimis incipiam, Confessarii qui communiter absolvunt recidivos frequenter relabentes, & consuetudinarios, in caussa sunt cur isti non emendentur, ut Patres, & Concilia testantur. Si enim omnes Confessarii secundum Ecclesiæ leges, ut tenentur, agerent, homines vitiosi pœnitentiæ imaginem formarent diversam omnino ab ea quam hodie effinxerunt. Quia Christiani ab infantia videre peccatores assuescunt sacramenta frequentare, & totam vitam ducere in perpetuo confessionum,

num, & relapsuum circulo, sibi persuadent, pœnitentiam christianam sitam esse in hac sacramentorum, & relapsuum frequenti & fere continuata vicissitudine. Peccata horrorem amisere, & vera pœnitentiæ christianæ imago apud ipsos periit. Quod si contra ab infantia videre incepissent exclusos a sacramentis qui mores non reformant, qui publica periuriorum, blasphemiarum, ludorum, comœdiarum, fornicationum scandala non removent, & a frequentia peccandi non abstinent; aut a peccatis abstinerent, aut a sacramentis. Et cum professio christiana consistere absque sacramentis nequeat; ideo a peccatis abstinerent, ut frequentare sacramenta possent. Porro quod plurimi Confessarii, degeneri benignitate decepti, absolvant contra & leges, & spiritum Ecclesiæ eiusmodi frequenter relabentes; ideo ne alii Confessarii fovere tantam corruptelam possunt? In mentem sæpe revocanda & Conciliorum, & PP. axiomata. Concilium Lateranense: *Sane inter cetera unum est quod sanctam maxime perturbat Ecclesiam, falsa videlicet pœnitentia.* Concilium Rothomagense: *Nimia facilitate, & frequentia indulgendi omnia graviora crimina, ecclesiastica disciplina enervatur* &c. Quid, si quæ Clerus Romanus ad Cyprianum scripsit, & Cypriani testimonia huc transcriberem? Sed ea dedi supra.

X. Opponunt 9. Doctrina hæc de dilatione absolutionis Iansenistis triumphandi materiam porrigit, & Rigorismum promovendi: nam & ipsi a sæculo & amplius hanc promoverunt doctrinam contra benignos Casuistas. Resp. Lutherus occasionem dedit corrigendi plures quorumdam Ecclesiasticorum abusus, & scandala, reformandi disciplinam in non paucis punctis collapsam. Ergo propugnanda, & observanda non est disciplinæ reformatio, ne Lutheranis triumphi occasio detur. Quis crederet talia obtrudi paradoxa potuisse? Deserenda ne veritas est, propterea quod & hæretici ipsi talem defendunt veritatem? Paradoxon est adeo portentosum, ut indicari, non confutari mereatur. Et tamen (quis crederet?) Casuistæ nonnulli, ut in *Appar.* ex Episcopis Hispanis animadverto, laxas opiniones fuco benignitatis illitas defendunt, ut longius recedant a Iansenistis. Hæc autem persuasio est, supra quam dici potest, perniciosa. Communiter cuiusque fere ætatis, ut alias ex S. Augustino adverti, hæretici ansam oblatrandi adversus Ecclesiam catholicam ex relaxata morum disciplina arripuere. Secura via obstruendi ora & Iansenistis, & Lutheranis est morum sanctitas, est doctrinæ, non fidei modo, sed etiam morum, integritas & veritas. Quid iuvaret liberare a gehenna fideles ob peccata contra fidem, si in orcum ruerent ob scelera contra mores? Quid clamitant *Rigorismum in dies crescere?* Sileo nunc Auctorum nomina. Ubinam Rigorismus iste vel in Italia, vel in Hispania, vel in Germania? Si praxis spectetur, an non grassatur, an non inundat Laxismus? Si libri legantur; in quo Catholicorum libro Rigorismus damnatus, aut damnandus reperitur ex iis

qui

qui Catholicorum manibus teruntur? Prodatur in medium immanis iste Rigorismus; &, quod ad me attinet, acrius & fortius, pro modulo meo, quam Laxismum, profligabo? Quid ergo imperitis lectoribus imponitur, in dies crescere Rigorismum: quia communiter omnes docti, & a partium studio liberi detestantur Probabilismum, & quæ inde necessario consequuntur absurda? Verum de hoc alibi fusius.

XI. Opponunt 10. Ecclesia scit praxim satis universalem, & valde communem absolvendi fere omnes accedentes ad confessionale; & tamen non reclamat. Quid quod ipsa Ecclesia annuam in Paschate confessionem præcipit? Resp. Hæc sunt robusta argumenta, quibus propugnatur illa quæ appellatur benignitas. Nolo meis, sed P. Elizalde celeberrimi Iesuitæ *Lib. VI. quæst.* xx. §. 2. verbis hoc refellere paradoxon. „ Respondeo (inquit) per instantiam. „ Nam Deus etiam imponit præcepta, quæ præscit esse frangenda; & tamen „ nullitatem sciendo, nemo sacramentum administrare potest. Ecclesia itaque „ non nulliter confiteri, sed confiteri iubet, & Deus bene confiteri. Quod „ si nulla, vel sacrilega fiat confessio; *pœnitenti, vel Confessori, vel utrique* „ *hoc tribuitur, non Ecclesiæ, neque Deo.* " Fateor, me non parum mirari ausum non paucorum iuniorum qui sic fantur, *Hæc est praxis totius Ecclesiæ*, dum de absolvendis recidivis frequenter relabentibus sermonem habent. Quid? Disciplinam quam plures laxioris Ethices Casuistæ propugnant, vocare illos haud pudet praxim totius Ecclesiæ? Non advertunt occasionem, quam Lutheranis, Calvinianis, & Iansenianis detrahendi sanctæ, & immaculatæ Ecclesiæ catholicæ disciplinæ præbent, dum Caramuelis, Dianæ, Escobarii, Tamburini, Zanardi, Sporerii, La-Croisii, Viva, Pasqualigi, aliorumque similium opinationes Romanæ Ecclesiæ disciplinam appellare audent? Ecclesia continenter in suis Conciliis clamat, inclamatque contra & falsam laicorum pœnitentiam, & præcocem Confessariorum absolvendi facilitatem: & isti præproperum absolvendi morem disciplinam Ecclesiæ appellant?

§. II.

Nonnulla axiomata ex probatissimis Auctoribus decerpta.

I.

Viam arctam aperte Scriptura docet. Viam arctam semper oppugnarunt homines mundani. En duas doctrinas, & duas traditiones diversas. Verum quæ divina est, nos iustos efficiet, non quæ humana. Facile igitur eligere, quæ ducit ad vitam, potes.

II.

II.

Tanta est sæculi perversitas, ut fatuus haberetur Christianus qui nonnisi Evangelii idiomate loqueretur, qui persecutiones diceret beatitudinem, paupertatem bonorum maximum, contemptum, rem summe utilem, & in rebus adversis cum amicis suis gauderet.

III.

Magnum discrimen statuendum est inter illud quod Ecclesia sola benignitate tolerat, quod fert cum dolore, & quod non invita permittit.

IV.

Severitas nimia pro lege, benignitas nimia pro libertate: extrema duo opposita, ambo cavenda. Iusta vel severitate, vel benignitate utatur Confessarius, prout expediens saluti pœnitentis iudicaverit. Rigor sæpe est remedium necessarium, sine quo peccatores carnales vix salutem assequuntur. Putida vulnera absque igne & ferro communiter non sanantur. Ut inter hæc extrema rectam viam teneas, divinum lumen est implorandum. Omnes clamant, declinanda esse extrema, & pauci sunt qui declinent.

V.

Cavendum pro hodiernæ Ecclesiæ usu habere relaxationem invectam ab opinandi modo, quem in christianam Theologiam irrepsisse deplorat Alexander VII. Mitigata quidem fuit Ecclesiæ disciplina, sed non destructa. Spiritus pœnitentiæ idem semper fuit, est, eritque.

VI.

Viam quamtumvis rectam, iustamque teneas, difficile evitabis censuram, dum veras pœnitentiæ regulas prædicabis, dum adhærebis soli doctrinæ Ecclesiæ, in Conciliis, & SS. Patribus expressæ, dum intrepide, & modeste abusus illi oppositos, & directores qui ab ea deflectunt, damnabis. Pro auditorum genio, vel nimium laxus eris, vel nimium rigidus. Præiudicia frequenter sola consuluntur, & in iudicando persona attenditur. At si nuda placeret veritas, etiam ex inimici ore susciperetur: nec zelus prudens & moderatus pro pœnitentia, ut sæpe fit, haberetur pro Rigorismo.

VII.

Præceptum Christi est veritatis sive fidei, sive morum, coram hominibus manifestandæ, omni humano respectu proculcato. Si magnum scelus est in conspectu infidelis tyranni furentis, & ad bestias, ad patibula, ad dirissima tormenta damnantis, fidei doctrinam negare; quanto horrendius crimen est coram ipsis catholicis fratribus erubescere evangelicam morum doctrinam, & ob auram popularem, ob politicas rationes silere, obmutescere, canes mutos agere?

VIII.

VIII.

Magna tentatio est consuetudinis prævalentis, & multitudinis auctoritas. Consensere iura peccatis, & cœpit licitum esse quod publicum est. Multitudine laxæ morum regulæ defenduntur. *Væ tibi* (exclamat Augustinus Lib. I. Confess. cap. XVI.) *flumen moris humani ! Quis resistet tibi ? Quamdiu non siccaberis ? Quousque volves Evæ filios in mare magnum & formidolosum, quod vix transeunt qui lignum conscenderint ? . . . Quis autem penulatorum Magistrorum audiat aure sobria ex eodem pulvere hominem clamantem & dicentem : Fingebat hæc Homerus, & humana ad deos transferebat ? Divina mallem ad nos. Sed verius dicitur, quod fingebat hæc quidem ille, sed hominibus flagitiosis divina tribuendo, ne flagitia putarentur, & ut quisquis ea fecisset, non homines perditos, sed cælestes deos videretur imitatus. Et tamen, o flumen tartareum, iactantur in te filii hominum cum mercedibus, ut hæc discant : & magna res agitur, cum hoc agitur publice, in foro, in conspectu legum.*

IX.

Abiiciendum, quantum fieri potest, omnique conatu, factionis nomen, & partium studium. Plures pereunt, quod, inconsulta veritatis caussa, ex genio unam præ altera partem defendendam præferendamque suscipiant. Viti adhærendum est, inquit Paulus. *Ego autem Christi*. Sub hoc duce militiam agimus omnes. Istius Magistri discipuli omnes sumus. Qua, & quo ivit Dominus, ire debent & servi. Christiani a Christianis non distinguuntur novis nominibus.

X.

Quatuor novercæ veræ prudentiæ (inquit Cicero Christianorum, Ludovicus Granatensis *Lib. II. duc. pecc. part. II.*) evitentur, quæ sunt præcipitatio, affectus, pertinacia, vana ineptia. Præcipitatio namque non deliberat : affectus excæcat : pertinacia bonis consiliis portam occludit : vana ineptia quamcumque deliberationem ingreditur, eam sine fructu dissolvit. Extrema fugiamus. Virtus enim, & veritas medium tenent. Numquam igitur omnia simul sunt reprehendenda, numquam omnia simul probanda, numquam omnia negare, numquam omnia credere, numquam omnia non credere debemus. Numquam ob delictum paucorum damnandi multi, numquam ob sanctitatem aliquorum omnes iustificandi sunt.

XI.

Casuistæ qui Scripturarum, & Patrum vestigiis insistunt, legendi sunt. Propterea quod opiniones laxas docent, non idcirco despiciendæ sunt illorum veræ opiniones. Sæpe utiliter legi possunt, si separetur pretiosum a vili. Semper etiam, ubi errarunt, excusanda, & in bonum finem interpretanda est illorum mens. Idcirco præsumendum est illos ipsos improbare proprias laxas opiniones velle,

quæ

quæ prudenter, & gravi fundamento iudicantur Christianorum moribus perniciosæ. Manifesta hallucinatio est, existimare lædi eorum famam, dum ipsorum opiniones a vero deflectentes corriguntur. Extremam cladem vel nolentes Ecclesiæ inferunt qui pro eorumdem opinionibus revera laxis pugnant. Nihil iniquius quam errorem quorumdam privatorum adscribere communitati, quæ eorum sententias damnat. Nihil dementius quam damnare Casuistas omnes, propterea quod nonnulli errarunt.

XII.

Sicuti cuicumque privato vetitum est ferre censuras in libros, aut opiniones in quas Ecclesia suum non pronuntiavit iudicium; ita singulis licet quaslibet opiniones, vel libros qui a veritate sive fidei, sive morum declinare iudicantur, refellere, & Ecclesiæ iudicio deferre, ac subiicere.

XIII.

Dum Evangelium aperte loquitur, nihil opus est Casuistis. Sæpe consuluntur Casuistæ, ut aliqui reperiantur qui aperta Evangelii testimonia contraria carni & sanguini, aliquo interpretamento delibuta inflectant, & accommodent propriis cupiditatibus; quemadmodum litigantes sæpe consulunt advocatos plures, ut aliquem tandem inveniant qui sibi faveat. Audi Augustinum (serm. xlix. de verb. Dom.) *Multi a nobis consilia mala petunt, consilia mentiendi, circumveniendi, putantes, quod placeant talia nobis. Sed in nomine Christi, si Domino placet quod dicimus, nullus talis nos tentavit, & invenit quod volebat in nobis.* Quæ periuria, mendacia, & fraudes vanis restrictionum mentalium commentis hodie a quibusdam non honestantur?

XIV.

Omnes in hac regula conveniunt. Confessarius tum solum absolutionem impertiat, quando prudenter iudicat pœnitentes esse rite dispositos. Nihil verius. At plures Casuistæ docent, tunc Confessarium prudenter iudicare rite dispositos pœnitentes, quoties isti sponte accedant ad confessionem, & ore serio testentur se dolere, & propositum habere non peccandi; quamvis nulla præcesserit emendatio, & frequentes relapsus ostendant fictum illorum dolorem, & mendax propositum. Praxis non differendi istis absolutionem contraria est doctrinæ Ecclesiæ; idcirco improbanda.

XV.

Confessarius non est dominus, sed dispensator sacramenti. Debet ergo illud administrare secundum regulas Ecclesiæ, descriptas in decretis Synodorum, & Episcoporum, in Patribus, in Scripturis. Plures Casuistæ legi possunt; at semper præ oculis habendæ sunt regulæ ecclesiasticæ, contra quas nihil valent Casuistæ. Si peccatores insurgant adversus Confessarium officio suo fidelem, eum-

que

que traducant tamquam Rigoristam, Iansenistam, phanaticum; nec miretur, nec absterreatur. Audi Cyprianum *Lib. de lapsis* sic fantem. *O tuam nimiam furiosæ dementiam! Irasceris ei qui abs te avertere iram Dei nititur: ei minaris qui pro te Domini misericordiam deprecatur; qui vulnus tuum sentit, quod ipse non sentis; qui pro te lacrymas fundit, quas ipse forsitan non fundis. Oneras adhuc crimen, & cumulas.*

XVI.

Tribunal pœnitentiæ thronus est misericordiæ. Neminem illorum quibus impertire absolutionem Confessarius nequit, aspere & superciliose dimittat; sed omni patientia, & benignitate, blando sermone, & rationum momentis persuasum efficere studeat, & conetur, se absolutionem suspendere, & differre, quia sic necessario postulat vera illius infirmitatis cura. Si oppositum ageret, & propriam, & illius animam proderet, sacrilegiumque perpetraret. Nullum non moveat lapidem, quo persuadeat hanc esse servandam methodum. Omnes Confessarii rudes, aut negligentes, & qui non administrant sacramentum pœnitentiæ, nisi ex mera consuetudine, ipsi indigni sunt absolutione. Confessarius qui audit confessionem talium Confessariorum, debet eos examinare, & propriæ, & illorum animæ consulere.

XVII.

Error est opinionem laxam & commodam existimare pœnitenti quammaxime faventem. Ea sola maxime favet quæ ipsum securius, & citius a peccato revocat. Christiano nihil favet quod ipsum a Deo suo abducit. Neque opinio æquo rigidior habenda est tuta. Ea sola tuta quæ vera; & eo tutior, quo verior.

XVIII.

Non facile credimus homini in eadem re in qua datam fidem fefellit. Si bis verba dedit, non credimus tertio absque cautione sufficienti; aut saltem nisi cogat gravis, & singularis caussa. In rebus ad Deum spectantibus non minor adhibeatur prudentia quam quæ adhibetur a filiis sæculi in rebus mundanis. Si non minus amaretur sanguis Christi quam propria utilitas, aut pecunia; profecto non exponeretur profanationi facilitate tam temeraria. Futilis excusatio: si absolutionem non dedero, alius dabit. Dum certo iniusta est, nonne præstat ut alius quam tu sacrilegium committat? Hic peccator tibi sæpius confessus fuit immane facinus: nunc melius dispositum censes? Videtur ne magis compunctus? Brevis dilatio ostendet.

XIX.

Medici opportunam medicinæ applicationem dignoscunt ex sanitatis effectu. Medicina pœnitentiæ suapte natura efficacissima est. Si pluries applicata non sanat, signum moraliter certum est, ægroti indispositionem impedire effectum. Quem-

Quemadmodum Ecclesia sæpe absolvit quos non absolvit Deus, quia eam decipiunt; ita contra interdum vera contritio nonnullos coram Deo absolvit quos Ecclesia pro aliquo tempore ligatos tenet: quia prius decepta prudenter suspectas habet illorum pollicitationes, & nequit occulta cordis penetrare, ut cognoscat interiorem conversionem.

X X.

Iustificatio christiana suapte natura stabilis, constans, & firma est. Qui revera conversi sunt, *per se*, ut sic loquar, & communiter non relabuntur in aliquod peccatum mortale, sed tantum *per accidens*, idest ob aliquam inopinatam tentationem, occasionemve non quæsitam. Contra ficti pœnitentes *per se*, nempe communiter, in peccata, sive eiusdem, sive diversi generis, mortalia relabuntur. *Per accidens* abstinent, vel ut absolutionem eripiant Confessario, vel quia occasiones non sunt adeo frequentes. Augent, aut minuunt scelerum numerum pro circumstantiarum ætatis, & status diversitate. At præter propter semper eadem oberrant corda.

X X I.

Prudentia humana non credit, hominem momento ab uno ad aliud extremum transire: multo minus id credit prudentia christiana, in Scripturis, & Conciliis versata. Quo magis inveteratus est morbus, eo est adhibenda cura diligentior, & severior.

X X I I.

Finem imponat his regulis Ven. Cardinalis Bellarminus *opusc.* ad Episc. Thean. Nepotem suum. *Si quis velit in tuto salutem suam collocare, is omnino debet certam veritatem inquirere, & non respicere quid multi hoc tempore dicant, aut faciant. Et si rei certitudo non possit ad liquidum apparere, debet omnino tutiorem partem sequi, & nulla ratione, nullius imperio, nulla utilitate temporali proposita, ad minus tutam declinare. Agitur enim de summa rei, cum de salute æterna tractatur; & facillimum est conscientiam erroneam aliorum exemplo induere.*

C A P U T XII.

De sigillo confessionis.

I. Sigillum confessionis est gravissima obligatio non manifestandi sive directe, sive indirecte ea quæ sunt in confessione audita.

II. Quæst. I. *Quo iure confessionis secretum custodiendum est?* Resp. Triplici; naturali, divino, & ecclesiastico, ut communiter docent omnes. Sacerdos qui hoc secretum revelaret, peccaret contra legem naturalem, quæ iubet sub secre-

to

to commissa custodiri. Peccaret contra legem divinam praecipientem confessionem. Si enim Sacerdoti liceret pandere quod sacramentaliter audivit, usus confessionis cessaret. Peccaret denique contra legem Ecclesiae, quae in Concilio Lateranensi IV. can. *Omnis utriusque sexus*, haec decernit. *Caveat omnino Sacerdos ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem . . . Qui peccatum in poenitentiali iudicio sibi detectum praesumpserit revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam poenitentiam in arctum Monasterium detrudendum*. Quae poena non incurritur ipso facto, nec ipso iure imponitur, sed postquam reus convictus est, ut docet Navarrus, & alii, quos citat Leander *quaest.* xc. Gravissimum ergo scelus perpetraret contra dicta tria iura qui sigillum sacramentale laederet.

III. Quaest. II. *Ex qua confessione oritur sigilli huiusce obligatio?* Resp. Ex sola, & omni confessione sacramentali, qua poenitens bona fide sua peccata Sacerdoti manifestat ad obtinendam absolutionem; tametsi ob defectum vel dispositionis in poenitente, vel iurisdictionis in Sacerdote absolutio non concedatur. Si quis confiteretur alicui se fingenti Sacerdotem, is obstringeretur custodire sigillum.

IV. Si quis vero fingeret confessionem, & sub confessionis larva aut sollicitaret ad turpia, aut iniuriis afficeret Sacerdotem, vel aliquod crimen Sacerdotis ministerio pertentaret; nullum heinc oriretur sigillum. Similiter quando aliquid communicatur sub sigillo confessionis, etiamsi flexis genibus praemittatur *Confiteor*, non inde oritur sigillum sacramentale, sed tantum naturale; quod magis, & minus obstringit iuxta diversitatem materiae. Si quis confiteretur laico, is teneretur ad sigillum naturale, secus ad sacramentale: quoniam hic error, utpote iuris, nequit subiicere laicum tali obligationi. Contra, si quis confiteretur laico fingenti se Sacerdotem; tum is esset, ut dictum est, obnoxius sigillo sacramentali: quia error est meri facti, & poenitens invincibili ignorantia existimavit esse Sacerdotem.

V. Quaest. III. *Quando quis confitetur absque proposito recipiendi absolutionem, oritur ne sigilli obligatio?* Resp. Adfirmant communiter Auctores, quia ea esset confessio inchoata; dummodo non sit facta per iocum, neque ob malum finem, sed serio. Quare si quis ex malitia, vel verecundia occultaret aliquod peccatum, sciens sacrilegium se committere; Confessarius obstrictus esset secreto sacramentali. Confessio peccatorum serio facta suapte natura ordinata est ad absolutionem; quamvis postea per accidens, vel ob indispositionem poenitentis, vel ob alias caussas absolutio non impertiatur.

VI. Quaest. IV. *Quam gravis sit sigilli custodia, & an liceat aliquo in casu illud revelare?* Resp. Dictum est supra, sigillum istud triplici iure praescribi. Qui il-

illud frangeret, tria peccata committeret. Primum contra iustitiam, alterum contra fidelitatem, tertium contra reverentiam debitam sacramento. Et hoc tertium semper est mortale sacrilegium; quamvis malitia opposita iustitiae, aut fidelitati possit esse levis, si leve sit incommodum poenitentis. Istius sigilli obligatio adeo gravis est, ut in nullo prorsus casu sive privato, sive publico liceat illud aperire; etiamsi periclitaretur universus orbis, & subeunda esset mors.

VII. Quaest. V. *Quaenam sit huius sigilli materia?* Resp. Omnia peccata in confessione manifestata sive mortalia, sive venialia. Disputant iuniores, num Confessarius possit dicere, se audiisse aliquod veniale in genere: & quia qui sacramentum suscipit, saltem aliquod veniale confiteatur oportet; idcirco communiter adfirmant. Sed eiusmodi disputationes superfluae sunt. Illud est certum, nullum veniale in specie manifestatum in confessione revelari posse. Neque ipsam poenitentiam gravem impositam revelare licet. Gravem autem poenitentiam appellat Diana coronulam B. V. secus unum *Miserere*. Summa ergo vigilantia omnia quae ad confessionem pertinent, sunt alio custodienda silentio. Qui de ea loquuntur, vix tam cauti esse possunt, quin in aliquo delinquant. Si Confessarius diceret, Petrum esse confessum venialia, si ex tali loquendi modo suspicio oriretur, alios poenitentes confessos esse mortalia, frangeret sigillum, inquiunt Auctores. Sed haec vix contingere possunt.

VIII. Quaest. VI. *Potest ne Confessarius loqui de auditis in confessione ex licentia poenitentis?* Resp. Certum est, poenitentem posse impertiri facultatem Confessario revelandi ea quae in confessione dixit; cum sigillum sit in favorem poenitentis, qui cedere iuri suo valet. Quare sicut potest poenitens seipso manifestare sua crimina; ita facultatem impertiri Confessario potest. Aliquando poenitens tenetur hanc facultatem concedere, ut ad avertendum malum imminens Reipublicae, aut alteri. Et si recusat, deneganda est ei absolutio; dummodo tamen reipsa certo teneatur ad manifestandum vel per se, vel per alium tale malum. Ut vero Confessarius loqui possit ex licentia poenitentis de auditis in confessione, requiritur ut licentia sit expressa, voluntaria, libera; nec sufficit ullo modo interpretativa, vel praesumpta. Nec sat est ut teneatur concedere, nisi illam reipsa concedat, & quidem spontanee, ac libere. Immo si Confessarius deprehendat, poenitentem, aliquo humano respectu ductum, talem licentiam concedere, acceptare eam non debet: omnia quippe summo studio evitari debent quae odiosam reddere confessionem possunt.

IX. Quaest. VII. *Peccata publica cadunt ne sub confessionis sigillo?* Resp. Quaecumque peccata sive publica, sive privata, in confessione manifestata eodem secreto custodiantur oportet. Quare si Confessarius audivit confessionem hominis damnati ad mortem propter furta, homicidia &c. nequit revelare talia crimi-

na,

na, cum dolore ab eodem in confessione manifestata. Si tamen Confessarius aliunde novit hæc crimina, potest de eisdem loqui, quemadmodum ceteri: illi solum vetitum est uti notitia habita in confessione. Hinc Parochus potest, & debet suum parochianum, quem novit publicum usurarium, vel concubinatium, reiicere a communione; quamquam ad hoc cavendum eidem Parocho confiteatur. Quia tunc utitur notitia publica: & aliunde nullum foret scandalum, cum crimen publicum sit.

X. Ut paucis plura perstringam, omnia peccata sive gravia, sive levia, omnes tentationes, desideria, cogitationes, cupiditates, circumstantiæ, sive mutantes, sive non mutantes speciem, omnia denique quæ pœnitens exponit ad pleniorem suæ conscientiæ manifestationem, sub secreto sacramenti cadunt. Quare si pœnitens morosus, & scrupulosus sit in suo conscientiæ statu exponendo, non potest Sacerdos hoc revelare: quia odiosa heinc redderetur confessio. Distinguendum tamen est. Nam si reipsa publice constaret, talem esse scrupulis exagitatum, aut spurium, blæsum &c. tum defectus isti publici non caderent sub sigillo. Confessarium tamen numquam silentii, sæpe sermonis pœnitebit. Spectandæ etiam circumstantiæ sunt. Peccata complicis sub sigillo cadunt. Similiter obiectum proprii peccati, v. g. si frater confiteatur, se venenum propinasse sorori gravidæ ex iniquo concubitu; quamvis soror non sit complex peccati fratris, non potest tamen revelari peccatum sororis, quæ est obiectum peccati fratris, qui venenum dedit. Cadunt quoque sub sigillo peccata de quibus dubitatur, audita nec ne sint in confessione: quia semper in dubiis præsumendum est pro sigillo.

XI. Quæst. VIII. *Quid respondere debet Sacerdos rogatus, an confessus fuerit meretricem, concubinam &c.?* Resp. Reponere debet, se audiisse illius confessionem, suoque officio functum esse. Si responderet, se illam non absolvisse, sigillum frangeret. Quare linguam cohibeat, & dato generali responso deludat interrogantem. Si meretrix confessa, sed non absoluta, peteret a Confessario schedulam, seu testimonium factæ confessionis, quid agere Sacerdos debet? Negandam esse schedam, seu testimonium, docent Lugo, Bonacina, Viva, & alii. Adfirmant Fagundez, Diana cum aliis, concedendam. Hæc secunda opinio mihi probatur. Adfirmant Lugo, & Viva, Confessarium respondentem se non absolvisse meretricem, cuius audivit confessionem, violare sigillum. Atqui, dum schedam factæ confessionis negat petenti, facto declarat, se illam non absolvisse. Confessio enim facta est, ut supponitur. Ergo ideo negat testimonium, quia absolutio data non fuit. Hæc autem est aperta sigilli violatio. Cedo: cur denegari debet eiusmodi testimonium? Quia meretrix non fuit absoluta? Si hæc ratio consisteret, nullum esset sigillum, nisi quando absolutio impertitur: quod est manifestus error. Neque Confessarius dando schedam cooperatur occultationi peccati: quia scheda confessionis

non est testimonium absolutionis. Hanc opinionem reputo veram , & oppositam Lugo, Viva, Leandri &c. falsam.

XII. Quæst. IX. *Frangit ne sigillum qui de auditis in confessione loquitur , nullam personam notando?* Resp. Quando ex circumstantiis nulla suspicio oriri possit alicuius personæ, nulla est secreti fractio. Semper tamen cautus sit oportet Confessarius in silentio servando de auditis in confessione.

XIII. Quæst. X. *Confessarius qui diceret , in tali oppido , communitate , collegio ; conventu , Religione perpetrari gravia crimina , violaret ne sigillum?* Resp. Proculdubio sigillum violaret Confessarius qui de hoc aut illo oppido , de hac aut illa civitate enormia crimina revelaret iis qui malam de tali civitate concipere opinionem possent. Quod potissimum locum habet de parvo oppido, civitate &c. Si civitas ampla & populosa esset, & iam constaret talia & talia crimina in ea perpetrari, non crederem sigillum violari : quia nulla suspicio , aut scandalum timeri posset. Quod dico, non ut sint minus cauti etiam in hoc Confessarii ; sed ne plus iusto arctetur secretum . Qui de hoc aut illo conventu, vel collegio crimen auditum in confessione revelaret, secretum frangeret : quia infamaret talem cœtum, collegium, communitatem. Quid, si Confessarius diceret, se audiisse peccatum perpetratum a Religioso huius aut illius Ordinis? Cum in qualibet professione aliqui ficti & mali sint, non videtur in tali casu contingere secreti violationem. Nec communiter scandalum oritur; nec Ordo aliquo modo infamatur ex hoc quod sciatur, ex tanta Religiosorum multitudine aliquem esse criminosum . Hoc absolute verum iudico : ceterum spectandæ sunt circumstantiæ. Nam si Religio aliqua singulari existimationis fama resplenderet , & manifestatio criminis etiam in genere , nullius sive personæ , sive conventus , sive collegii mentione facta, infamiæ, aut nocumenti notam Religioni inferret ; tum sigillum violaretur. Ex quibus omnibus semper infertur , silentium in Confessario de auditis in confessione debere esse summum. Utique non est sigilli custodia plus iusto arctanda; at etiam verum est, silentium numquam , absolute loquendo , esse noxium ; & locutionem periculis non vacare. Quare prudenter aget, si neque Religionem in communi nominabit. Ad quid enim hæc manifestatio ? Quis honestus finis ? Ergo silentium servetur: semper enim aderit aliquis defectus, ut minimum incautæ locutionis. Quod si animus adesset detrahendi tali Religioni , aut reipsa talis Religio etiam in communi nominata aliquid detrimenti pateretur ; dubio procul sigillum læderetur. Cautus igitur Confessarius sit, abstineatque semper a nominanda Religione, civitate, communitate &c.

XIV. Quæst. XI. *Potest ne Confessarius loqui cum suo pœnitente de auditis in confessione extra confessionem?* Resp. Negant omnes. Ad hoc enim requiritur expressa licentia ipsius pœnitentis: quam non debet Confessarius petere , si vel prudenter suspi-

suspicetur pœnitentem ægro animo, & ex quodam respectu humano illum talem facultatem concessurum. In tali enim casu confessio redderetur odiosa ipsi pœnitenti. Talis facultas, ut dictum est, debet esse expressa. Est autem expressa, si ipse pœnitens sponte prius loqui incipiat. Intra confessionem vero potest Confessarius loqui cum pœnitente etiam de auditis ab illo in priori confessione, ad monendum, corrigendum, instruendumque ipsum pœnitentem. Licitum etiam est Confessario continuo post datam absolutionem monere, corrigere pœnitentem, si oblitus id facere neglexisset in confessione. Quia licet impertita absolutione peractum sacramentum sit, si essentia spectetur; tamen iudicium sacramentale, & quidem in bonum pœnitentis, adhuc perseverare intelligitur.

XV. Quæst. XII. *Confessarius potest ne loqui cum pœnitente de aliquo defectu præcedentis confessionis, si pœnitens repugnet?* Resp. Confessarius in priori confessione defectum commisit. Oblitus nempe est monere pœnitentem de re aliqua necessaria; aut ab aliquo reservato ipsum absolvit absque iurisdictione. Disputant, num Confessarius, etiam renuente pœnitente, valeat illum alloqui extra confessionem? Adfirmant Suarez, Layman, Nunnus, Turrianus, & alii, quos referunt Salmanticenses *tract.* VI. *cap.* XIV. *punct.* 3. *num.* 44. quia ea locutio intra, non extra confessionem reputanda est. Negant Valentia, Lugo, Bonacina, Sylvius, Reginaldus, Fagundez, & alii, quos referunt, & sequuntur laudati Salmanticenses: quia talis locutio nullo modo est cum præcedenti confessione coniuncta. Et hæc secunda opinio videtur vera. At iis facile dirimitur, & defectus reparatur, si dicatur, Confessarium debere a pœnitente loquendi facultatem petere, eamque, si negotium grave fuerit, omnibus modis procurare. Quod si pœnitens refugiat concedere, ipse semetipsum condemnat, proditque quam sit sincerus & verus pœnitens.

XVI. Quæst. XIII. *An Confessarius uti possit notitia habita in confessione ad exteriorem gubernationem?* Resp. Omnes docent, Confessarium frangere sigillum, si quidquam gerat, unde alii aut arguere, aut suspicari possint pœnitentis crimen. Adfirmant quoque, nihil ex notitia confessionis agere Confessarium posse absque læsione sigilli, quod ruborem, pudorem, vel quamcumque molestiam inferat pœnitenti. Sicut enim non licet Confessario quidquam verbis proferre ex cognitione confessionis in præiudicium pœnitentis; ita multo minus factis, vel signis licite id agere potest. Quapropter nequit pœnitentem dimovere ex præfata notitia ab officio, privare Eucharistia, ordinibus &c.

XVII. Clemens VIII. an. 1594. prohibuit Regularibus omnibus ne hac confessionis notitia utantur ad gubernationem, & regimen Religionis. Quod decretum confirmatum fuit ab Urbano VIII. *const.* 26. ubi hæc habentur. *Tam Superiores pro tempore existentes, quam Confessarii, qui postea ad Superioris gradum fuerint pro-*

moti, caveant diligentissime ne ea notitia quam de aliorum peccatis habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.

XVIII. Heinc infertur 1. non posse Confessarium a sacrificio abstinere, fugere, quando cognovit in confessione ab aliquo criminis socio parari sibi insidias, venenum vino infusum &c. si delicti complices, & participes coniicerent ab aliquo sociorum revelatum in confessione fuisse crimen: quapropter in hunc iram converterent. 2. Nequit Confessarius denegare sacramenta Eucharistiæ, vel matrimonii pœnitenti, coram vel uno teste postulanti, etiamsi absolutionem eidem denegaverit, noveritque ex sola confessione impedimentum dirimens. 3. Non potest sacris interdicere Sacerdotem subditum, aut reiicere canonice electum propter crimina in confessione detecta, neque vitare excommunicatum propter occisionem Clerici in confessione manifestatam.

XIX. Quæst. XIV. *Confessarius scit e sola confessione, eum cui ille confitetur peccata sua, non esse Sacerdotem, debet ne in posterum abstinere a confessione illi facienda?* Resp. Lugo *disp.* XXIII. *num.* 105. merito advertit casum esse metaphysicum. Nam stultus esset qui mihi fateretur, se non esse Sacerdotem; simulque vellet ut ego illi confiterer peccata mea. Quare melius resolvi nequit casus iste, quam si dicatur esse metaphysicus. Ceterum Lugo, Dicastillo apud Salmanticenses *loc. cit. num.* 55. docent, continuandam esse confessionem sub tali ficto Sacerdote, quando ex omissione confessionis fictus Sacerdos aliquod detrimentum subiret. Addunt tamen, tunc sat esse facere confessionem simulatam. At simulatio sacramenti non est licita; idcirco sistendum videtur in prima responsione, casum nempe esse chimæricum. Duo certa sunt. Primum sigillum confessionis numquam aut directe, aut indirecte lædi licite posse. Alterum, sigillum istud non esse iniquitatis vinculum. Quid igitur agendum, quando ex non usu talis scientiæ deberet Confessarius aliquid agere quod esset intrinsece malum? Tunc usum talis scientiæ esse licitum docet P. Claudius La-Croix *Lib. VI. Part. II. num.* 1978. Maritus v. g. invita uxore, suscepit sacerdotium. In articulo mortis uxoris confessionem audiens, intelligit matrimonium suum ab initio fuisse invalidum: si fictitia uxor convalesceret, non posset maritus ei petenti reddere debitum, quamvis ipsa adverteret, eum negare debitum propter scientiam confessionis: quoniam talis redditio debiti esset fornicatio intrinsecus mala. Deus autem, ut sigillum servetur, non potest velle illud quod est intrinsece malum. Ex hac doctrina necessario sequitur, aliquo in casu licitam esse sigilli revelationem: quod non videtur admittendum. Ex altera parte urget ratio P. La Croix. Quid ergo dicendum? Mihi aqua hæret. Nec aliud suppetit responsum, nisi ad divinam providentiam pertinere, ne similem casum permittat. Duo hæc Deus vult. Sigillum in omni casu illæsum. Quod est intrinsecus malum, numquam agendum. Ergo numquam permittet ut

homo

homo cogatur ad alterutrum. Idcirco casum chimæricum reputo. Ita mihi videtur, salvo meliori iudicio. Et casus isti, qui numquam contingunt, proponi non deberent; cum vix humana imbecillitas solvere illos valeat, quin in aliquem scopulum impingat. Hæc responsio terga dat. Quid, si Deus id permitteret? Dicerem, Confessarium maritum debere petere ab uxore facultatem loquendi cum ea, si convalesceret, de hoc gravissimo negotio, ut sic absque violatione sigilli posset illam inducere ad matrimonium rescindendum. Si renueret dare hanc facultatem, ne matrimonium rescinderetur; non esset absolvenda. Quid? In articulo mortis non esset absolvenda? Nequaquam, si esset indisposita, velletque in concubinatu vivere. Quid, si absque absolutione convalesceret, velletque in concubinatu vivere? Iam vides hæc esse arbitraria commenta, quæ vix in Christiani mentem cadere possunt. In hypothesi tamen dico, ad clementissimum Deum recurrendum esse, qui numquam permittet innocentem tentari supra id quod potest; & sic numquam permittet quod Sacerdos iste aut sigillum violet, aut fornicetur.

XX. Episcopus apud se decreverat conferre beneficium Sacerdoti optimæ famæ. Audita eiusdem confessione, cognovit hominem flagitiosissimum. Denegare ne illi beneficium potest? Adfirmant Sambovius *Tom. III. Cas.* 18. Natalis ab Alexandro *Lib. II. reg.* 56. Quia, inquiunt, multis aliis rationibus moveri quis potest ad denegandum suffragium, & beneficium, quam ex peccato cognito in confessione, nempe ex defectu scientiæ, industriæ, ætatis &c. Hanc quoque sententiam docuit S. Thomas *Quodlib.* v. *quæst.* VII. *art.* 13. ubi hæc habet, *Si ergo amotio subditi ab administratione possit inducere ad manifestandum peccatum in confessione auditum, vel ad aliquam probabilem suspicionem habendam de ipso, nullo modo Prælatus deberet ab administratione amovere . . . . Si vero per amotionem ab administratione, peccatum nullatenus manifestaretur, deberet hoc facere cum debita cautela.* Hoc idem docet in *Suppl. quæst.* XI. *art.* 1. 3. & hanc eamdem doctrinam defendunt S. Bonaventura in *IV. dist.* XXI. *quæst.* 1. *art.* 2. Halensis *Part.* IV. *quæst.* LXXIV. *art.* 1. *ad.* 9. Gabriel in *IV. dist.* XXI. *quæst. unic.* Paludanus *in IV. quæst.* XXI. *art.* 3. Et hanc sententiam Suarez *disp.* XXXIII. *sec.* 7. vocat communem. S. Antoninus *III. Part. tit.* VI. *cap.* 22. hæc scribit. *Qui liberam electionem habet, licet per solam confessionem sciat aliquem indignum ad prælaturam, ad quam eligitur, quem alias putabat dignum, non debet eligere ex conscientia sibi dictante: quia eligendo scienter dignum, vel indignum, negotium geritur inter ipsum & Deum. Unde potest etiam ex his quæ scit ut Deus, Iudicare in proposito.*

XXI. Difficultas eo recidit, ut Confessarius prudenter se gerat in hoc negotio. Et quia solidum timendi fundamentum occurrit ne Sacerdos se habeat ita prudenter, quin aliquam violandi secreti pœnitentibus suspicionem ingerat; ideo Clemens VIII. prohibuit ne hac notitia Regulares utantur ad exteriorem gubernationem.

Quod decretum omnes Regulares comprehendit, ut Doctor eximius P. Suarez *disp.* XXIII. *sec.* 7. animadvertit, inquiens: *Cum indistincte loquatur, non est quod a nobis limitetur, sed simpliciter observetur.* Et celeberrimus Præpositus generalis Inclytæ Soc. I. P. Claudius Aquaviva prohibuit ne quisquam eiusdem Soc. publice, aut privatim oppositum doceat. An qui Regulares non sunt, parere Clementino decreto debeant, ad Episcopos attinet determinare. Præ oculis habeant hanc propositionem, ex decreto S. Cong. S. Officii, seu generalis Inquisitionis, auctoritate Innocentii XI. an. 1682. Romæ prohibitam. *Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis, nisi aliud multo gravius ex non usu sequatur, in cuius comparatione prius merito contemnatur. Addita deinde explicatione, sive limitatione, quod sit intelligenda de usu scientiæ confessione acquisitæ cum gravamine pœnitentis, seclusa quacumque revelatione, atque in casu quo multo gravius gravamen eiusdem pœnitentis ex non usu sequeretur: hanc dictam propositionem, quatenus admittit usum dictæ scientiæ cum gravamine pœnitentis etiam cum dicta explicatione, sive limitatione, præsenti decreto prohibent* &c.

XXII. Omnis itaque usus scientiæ habitæ ex confessione nunc vetitus est, tum ob rationem datam, tum quod si pœnitentes scirent, Confessarios uti posse notitia acquisita vi confessionis, avocarentur a confessione: atque adeo confessio odiosa illis redderetur, & permolesta. Nec obest, nullam hic contingere læsionem sigilli; nullumque peccatum sive directe, sive indirecte revelari: quia sigillum confessionis obligat ad ea omnia vitanda quæ & difficiliorem, & odiosam confessionem reddere valent pœnitentibus. Ne multa: Confessarius, quæ scit in confessione, non scit ut homo, sed ut vices Dei gerens. Si Deus, qui offensus est, disponit ut occulta remaneant peccatoris scelera, si ipse tacet, & dissimulat, dissimulet quoque, & toleret Confessarius quæ in Dei tribunali scit. Quoniam, admissa libertate utendi notitia habita in confessione ad exteriorem gubernationem, plura sequerentur absurda, ob imperitorum minus cautum usum. Idcirco Clemens VIII. & Urbanus VIII. prohibuerunt Regularibus usum talis scientiæ ad exteriorem gubernationem. Semper habendum præ oculis est illud axioma: *Ex confessione scitum est quasi nescitum.* Duo Confessarii eiusdem pœnitentis nequeunt invicem, absque licentia pœnitentis, loqui de illius peccatis auditis in confessione.

XXIII. Plures iuniores docent, Confessarium vigilantius posse custodire res suas, quando ex confessione intellexit furta sibi facta, vel facienda. Item posse admonere Superiorem ut invigilet diligentius super gregem vel subditos suos, quando ex confessione cognovit imminere gravia pericula seductionis: item, quando ex confessione scit occidendum Regem, posse in genere monere, ut sibi caveat. Posse Superiorem claudere ostium, per quod ex confessione scit aliquem subditorum

exire

exire ad peccandum; posse fugere paratas sibi ad mortem insidias, abstinere a Sacro, ut declinet sumere paratum venenum. Verum ex iis quæ dixi, constat hæc absolute non licere, si hinc sequatur sigilli læsio; sed Deo committenda esse. Eodem quippe modo se gerere in his, & similibus debet Sacerdos, ac si illa penitus ignoraret, quando ex sola cofessione ea dignoscit, & nulla alia exterior caussa occurrit, vi cuius possit præfata mala declinare. Non est tamen difficile, quod rationes occurrant, vi quarum possit Confessarius vitare eiusmodi mala absque secreti læsione, & quin confessionem odiosam reddat. Duo ergo præstare Confessarius tenetur, & secretum custodire, & confessionem odiosam non reddere. Quando hæc duo consistunt, potest Confessarius uti notitia confessionis tum ad reformandos proprios mores, tum ad servandam propriam vitam.

XXIV. Quæst. XV. *Quomodo se gerere Confessarius debet, quando interrogatur de auditis in confessione?* Resp. Si Confessarius absolute interrogetur, potest absolute respondere se nescire, etiam iuramento adiecto, ut docet S. Thomas in *IV. dist.* XXI. *quæst.* III. *art.* I. *ad* 3. inquiens: *Homo non adducitur in testimonium, nisi ut homo: & ideo absque læsione conscientiæ potest iurare se nescire quod scit tantum ut Deus*. Idem docet S. Antoninus *III. Part. tit.* XVII. *cap.* XXII. Quoniam hoc in casu præsumitur, interrogatorem petere testimonium a Confessario de iis quæ scit ut homo, & extra confessionem. Persuasum enim est Christianis omnibus, non posse Confessarium quidquam pandere eorum quæ in confessione audivit.

XXV. Quid, si iniquus interrogator impudenter peteret ut ea proderet quæ ut Confessarius scit? Probabilistæ communiter defendunt, & tunc respondere posse, se nescire. Et duabus viis a mendacio purgare student tale responsum: Alii, inquit P. La-Croix *num.* 1986. ut Tannerus, & Stoz, dicunt, Confessarium tunc uti *vocibus pure materialiter, tamquam sonis non significativis, volendo per illas nihi significare*: & hac doctrina alii Probabilistæ utuntur, ut evicant, mendacia mercatorum, aliorumque non esse mendacia: quia voces in talibus circumstantiis nihil significant. Alii confugiunt ad circumstantias, quæ indicant, Confessarium nescire, *ut liceat manifestare*. Hæc & similia commenta fuse profligavi *Tom. III. in Decal. diss.* III. Respondere ergo intrepide Sacerdos Christi debet præfato modo interrogatus, petitionem indignam esse atque iniquam. Immo hac sola via sæpe custodiri secretum sacramentale potest. Quid quando Confessarius rogatur, num pœnitens confessus sit peccatum notorium? Si neget, pœnitentem infamat, quod integre confessus non sit. Si adfirmet, revelat sigillum. Reliquum ergo est ut reponat, interrogationem esse ineptam, iniustam, & dedecere hominem christianum. Similiter respondere debet, quando rogatur, num absolverit talem aut talem pœnitentem. Hæc doctrina bona esset, inquit P. Croix *num.* 1982. si omnes illa uterentur; sed cum plerique quandeque negent, ideo suggerit modos iam

recen-

recensitos, & improbatos. Quod plerique eadem doctrina non urantur, idcirco ne deferenda est? præsertim cum vel ipsi probabilistæ eadem aliquando uti cogantur. Si mater exquirit, num filia, quæ immediate ante se confessa est, manifestaverit flagitium quod certo scit eam commisisse: quid respondebit? Si neget *voce materiali, & sonis non significativis*, sacrilegam declarar filiam: si adfirmet, secretum violat. Omnibus igitur inspectis, illa doctrina præferenda est quæ & veritati, & praxi conformior est. Atqui sæpe vel ipsi Probabilistæ renunriare coguntur suis vocibus materialibus, & restrictionibus, atque nostra uti doctrina. Ergo hæc semper adhibenda, quoties ab audacibus hominibus Confessarii interrogantur ut Confessarii de auditis in Confessione. Si vero Confessarii interrogentur ut ceteri homines, quamvis sciant delictum ut Confessarii, respondere absolute valent, ut S. Thomas docet, se nescire.

XXVI. Quæst. XVI. *Quæ in foro externo servanda, dum de læsione sigilli lites occurrunt?* Resp. In dubio semper præsumendum est, Confessarium non fregisse secretum: tum quia nemo præsumitur malus, nisi probetur: tum quia experientia compertum est, Sacerdotes, licet in alia etiam enormia scelera labantur, perquam raro violare sigillum istud, divina providentia impediente, ne tam necessarium sacramentum in odium veniat Christianorum. Confessarius qui aliquod peccatum manifestat pœnitentis sui, vel ut se defendat, vel quia interrogatur, probare deber se vel extra confessionem, vel ex consensu pœnitentis illud manifestasse. Si pœnitens neget se consensisse, & Confessarius adfirmet, pro Confessario stat præsumptio. Si tamen delicti manifestatio esset in grave dedecus, & detrimentum pœnitentis, pro hoc contra Confessarium præsumi deberet: quia communiter nemo consentit in propriam infamiam.

XXVII. Ex his iterum atque iterum collige, quam cautus & circumspectus sit oportet Confessarius in secreto custodiendo, quod lædi vel locutione, vel etiam imprudenti silentio potest. Quæ extrema ut vitentur, numquam de auditis in confessione loquendum est, potissimum coram secularibus, qui sæpe scandalum patiuntur. Cautissimus sit oportet in petenda licentia, & oblatam non accipiat, nisi in bonum, & directionem pœnitentis, nullatenus in correctionem complicis. Sed curet ut pœnitens corrigat, vel alterius quam Confessarii ministerio utatur. Communicaturus infirmum non interroget Confessarium, num absolverit, ne periculo violandi sigilli ipsum exponat, sed an audierit illius confessionem.

XXVIII. Obvii sunt casus a quibus custodire linguam suam Sacerdos debeat. *Primus quem hodie confessus sum, narravit adulterium &c. Hodie mulier, Sacerdos mercator &c. confessus est hoc scelus.* Eiusmodi circumstantiæ possunt in suspicionem adducere pœnitentem; & periculum occurrit ne aliquis ex his signis deprehendat pœnitentem. Quando occasio occurrit loquendi de pluribus pœnitentibus,

caven-

cavendum ne unus laudetur, & de aliis sileatur; quia tum laus unius posset esse aliorum accusatio. Quando tamen laudatur unus absque respectu ad alios, nullum est periculum. Qui manifestat talem pœnitentem declinasse proprium Confessarium, & sibi in abscondito confessum esse; similiter qui dicit talem clanculum confessum esse extraordinario Confessario; nisi rationes exteriores & circumstantiæ adsint sic loquendi, sigillum periculo exponit: sicut qui gestus, motus peculiares, & significantes ageret, frangeret sigillum, quando ex gestibus & nutibus videns posset sinistram concipere suspicionem. Sigillum quoque læderet qui diceret, con[illegible]ionem talis pœnitentis fuisse valde longam, scriptamque plura folia implevisse, quando pœnitens clam confessus est, nolletque ab aliis id resciri: secus si confessio facta in loco publico esset. Ut paucis omnia perstringam, Confessarius cautissimus sit in loquendo de auditis in confessione, ut dictum est alias, & dicendum sæpius est. Declinandum tamen est aliud extremum, ne plus iusto sigillum [illegible]rctetur. Eorum quæ dicta sunt, aliqua ex circumstantiis pendent: quia aliquando est, & aliquando non est violandi sigilli periculum. Idcirco plura pendent ex prudentia Confessarii, qui nisi sit experrectus, & circumspectus, & silendo, & loquendo pro circumstantiarum varietate lædere secretum valet. Silentium tamen est ordinarium, & validius remedium.

XXIX. Quæst. XVII. *Quinam tenentur ad secretum sacramentale?* Resp. Primum Confessarii omnes, non solum legitimi, sed etiam qui a pœnitente fide bona t[illegible]les reputantur. Quare qui fingens se Sacerdotem, audit confessiones, sigillo sacramentali obnoxius est. Interpretes quoque, quorum ope pœnitentes manifestant peccata sua, ad sigillum sacramentale obstringuntur; quoniam licet interpres non se teneat ex parte Confessarii, tamen partem habet in hoc sacramento.

XXX. Sigillo sacramentali tenentur adstantes, quando absque eorum præsentia fieri confessio nequit; ut in communi naufragio, vel peste fieri contingit. Similiter qui audiunt aut casu, aut industria peccatum confitentis sacramentaliter. Consiliarii, quibus ex necessitate manifestatur persona pœnitens, ut instructio capiatur pro confessione. Superiores a quibus facultas petitur pro reservatis, sigillo ligantur. Qui linguæ ignarus petit ab alio, quomodo exprimi in confessione tale peccatum possit, is sigillum servare tenetur; sicut & ille cui quis impotens ad scribendum dictaret peccata sua, postea tali scriptura confessurus. Si pœnitens ob maiorem confusionem publice confiteri peccata sua vellet coram omnibus, nulla esset in audientibus secreti sacramentalis obligatio. Qui legeret schedam continentem peccata scripta pro confessione facienda, secundum multos non esset obstrictus sigillo sacramentali: adfirmant plures alii. Nihil certi statui potest, nisi quod is sigillo naturali ligatus esset, & gravissime peccaret contra

contra iustitiam, si manifestaret aliis peccata scripta. Omnes qui audirent peccata a Confessario vel ebrio, vel dormiente, vel stulto, vel iniquo, manifestante peccata in confessione audita, ad secretum obstringerentur. Poenitentes non tenentur custodire sub secreto confessionis quae audiunt a Confessario.

XXXI. De poenis constitutis contra violatores sigilli dictum est. Sed plures poenae ab arbitrio iudicum pendent. Disputant Auctores, quomodo procedi contra fractores sigilli debeat. Aliqui exigunt poenitentis consensum: quia, nisi poenitens consentiat, propalaretur illo invito peccatum. Alii docent, invito poenitente, institui iudicium posse. Verum hoc pendet ex circumstantiarum varietate, & nulla assignari regula certa potest. Tribunalia habent suas regulas, quas iuxta casuum diversitatem adhibent, & moderantur.

CAPUT XIII.

De sollicitatione.

I. PLura diplomata ediderunt Romani Pontifices Paulus IV. ann. 1561. Pius IV. 1564. Clemens VIII. 1592. Paulus V. 1608. Gregorius XV. 1622. adversus Confessarios sollicitantes, onusque imposuere eosdem denuntiandi ad sacrae Inquisitionis tribunal. Verum sat mihi est huc transcribere constitutionem, quam sapientissimus Pontifex BENEDICTUS XIV. feliciter regnans edidit anno 1741. in qua omnia quae desiderari possunt, habentur summa perspicuitate distinctis §§. exposita.

BENEDICTUS EPISCOPUS &c.

„ Sacramentum poenitentiae, quam secundam post naufragium deperditae gra-
„ tiae tabulam sancti Patres apte nuncuparunt, Nos licet immerentes ad univer-
„ si dominici gregis curam superna dispositione vocati, omne studium, & pasto-
„ ralem sollicitudinem adhibere tenemur, ne quod post amissam baptismi inno-
„ centiam datum est divina benignitate perfugium, per daemonum fraudem, &
„ hominum Dei beneficiis perverse utentium malitiam, naufragis, ac miseris
„ peccatoribus luctuosum evadat exitium; & quod in salutem, & curationem
„ animarum a Deo, qui dives est in misericordia, institutum est, execrabili sce-
„ lestorum quorumdam Sacerdotum improbitate, in earum perniciem, atque in-
„ teritum vertatur.

„ §. 1. Dudum quidem a fel. record. Gregorio Papa XV. Praedecessore nostro
„ per

„ per suas litteras in forma Brevium sub datum Romæ apud Sanctam Mariam
„ Maiorem die xxx. Augusti MDCXXII. Pontificatus sui anno secundo, sapien-
„ ter provisum fuit contra quoscumque Sacerdotes audiendis confessionibus depu-
„ tatos, ad turpia, & inhonesta sollicitantes; & deinceps successivis temporibus,
„ ad earum litterarum interpretationem, ac declarationem, plura subinde a Con-
„ gregatione Venerabilium Fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardina-
„ lium adversus hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum sub die xi. men-
„ sis Februarii anno Domini MDCLXI. prodierunt decreta, & a rec. mem. Ale-
„ xandro PP. VII. pariter Prædecessore nostro in Congregatione generali S. R.
„ univers. Inquisitionis die xxiv. Septemb. MDCLXV. coram eo habita, inter
„ alias ab evangelica veritate, & sanctorum Patrum doctrina alienas & dissonas
„ propositiones, sexta videlicet, & septima, huc revocandæ, damnatæ, & prohi-
„ bitæ fuerunt. Nos itaque mature perpendentes, quanti momenti sit ad æter-
„ nam animarum salutem ea ubique exacte observari, & quanti ad infirmas
„ oves curandas, & decorem sanctæ Ecclesiæ Dei retinendum, intersit ne aliqui
„ Sacerdotes, pœnitentiæ sacramento nefarie abutentes, pœnitentibus pro cura-
„ tione vulnus, pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro medicina venenum
„ porrigant, sed animo secum recolentes, se a Christo Domino præsides, & iu-
„ dices animarum constitutos, ea sanctitate quæ sublimitati, ac dignitati mune-
„ ris convenit, tam venerandum sacramentum administrent: motu proprio, &
„ ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra, præfatas litteras huiusmo-
„ di, ac omnia, & singula decreta prædicta ad illarum interpretationem, & de-
„ clarationem emanata, apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus,
„ & confirmamus, illisque omnibus, & singulis inviolabilis apostolicæ firmita-
„ tis robur adiicimus; atque etiam, quatenus opus sit, denuo committimus, &
„ mandamus omnibus hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, & locorum Ordinariis
„ omnium regnorum, provinciarum, civitatum, dominiorum, & locorum uni-
„ versi Orbis christiani, in suis respective diœcesibus, ut diligenter, omnique hu-
„ mano respectu postposito, inquirant, & procedant contra omnes, & singulos
„ Sacerdotes tam sæculares, quam regulares quomodolibet exemptos, ac Sedi
„ Apostolicæ immediate subiectos, quorumcumque Ordinum, Institutorum, So-
„ cietatum, & Congregationum, & cuiuscumque dignitatis, & præeminentiæ,
„ aut quovis privilegio, & indulto munitos, qui aliquem pœnitentem, quæcum-
„ que persona illa sit, vel in actu sacramentalis confessionis, vel ante, vel im-
„ mediate post confessionem, vel occasione, aut prætextu confessionis, vel et-
„ iam extra occasionem confessionis in confessionali, sive in alio loco ad confes-
„ siones audiendas destinato, aut electo, cum simulatione audiendi ibidem con-
„ fessionem, ad inhonesta, & turpia sollicitare, vel provocare, sive verbis, si-

„ ve

„ ve signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc, aut post „ legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones vel tra- „ ctatus temerario ausu habuerint. Et quos in aliquo ex huiusmodi nefariis ex- „ cessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumstan- „ tiis, severe animadvertant, per condignas pœnas, iuxta memoratam Gregorii „ Prædecessoris nostri constitutionem, quam hic de verbo ad verbum pro inser- „ ta haberi volumus: dantes etiam, si opus sit, & rursus concedentes faculta- „ tem, ne delictum tam enorme, & Ecclesiæ Dei iniuriosum remaneat, ob pro- „ bationum defectum, impunitum, iam alias in præfata constitutione tributam, „ procedendi cum testibus etiam singularibus, dummodo præsumptiones, indicia, „ & alia adminicula concurrant.

„ §. 2. Meminerint præterea omnes, & singuli Sacerdotes, ad confessiones au- „ diendas constituti, teneri se ac obligari, suos pœnitentes, quos noverint fuis- „ se ab aliis, ut supra, sollicitatos, sedulo monere, iuxta occurrentium casuum „ circumstantias, de obligatione denuntiandi Inquisitoribus, sive locorum Ordi- „ nariis prædictis, personam quæ sollicitationem commiserit, etiamsi Sacerdos sit „ qui iurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat, aut sollicitatio „ inter Confessarium & pœnitentem mutua fuerit, sive sollicitationi pœnitens „ consenserit, sive consensum minime præstiterit, vel longum tempus post ipsam „ sollicitationem iam effluxerit, aut sollicitatio a Confessario, non pro se ipso, „ sed pro alia persona peracta fuerit. Caveant insuper diligenter Confessarii, ne „ pœnitentibus quos noverint iam ab alio sollicitatos, sacramentalem absolutio- „ nem impertiant, nisi prius denuntiationem prædictam ad effectum perducen- „ tes, delinquentem indicaverint competenti iudici; vel saltem se, cum primum „ poterunt, delaturos spondeant, ac promittant.

„ §. 3. Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur qui vel odio, vel „ ira, vel alia indigna causa commoti, vel aliorum impiis suasionibus, aut pro- „ missis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati, tremendo Dei „ iudicio posthabito, & Ecclesiæ auctoritate contempta, innoxios Sacerdotes apud „ ecclesiasticos iudices falso sollicitationis insimulant: ut igitur tam nefaria au- „ dacia, & tam detestabile facinus metu magnitudinis pœnæ coerceatur, quæ- „ cumque persona quæ execrabili huiusmodi flagitio se inquinaverit, vel per se „ ipsam innocentes Confessarios impie calumniando, vel scelleste procurando ut „ id ab aliis fiat, a quocumque Sacerdote quovis privilegio, auctoritate, & di- „ gnitate munito, præterquam a Nobis, nostrisque Successoribus, nisi in fine vi- „ tæ, & excepto mortis articulo, spe absolutionis obtinendæ, quam Nobis & „ successoribus prædictis reservamus, perpetuo careat.

„ §. 4. Demum magnopere cupientes a sacerdotalis iudicii, & sacri tribunalis

„ san-

„ sanctitate omnem turpitudinis occasionem, & sacramentorum contemptum, & „ Ecclesiæ iniuriam longe submovere, & tam exitiosa huiusmodi mala prorsus „ eliminare, &, quantum in Domino possumus, animarum periculis occurrere, „ quas sacrilegi quidam, dæmonis potius, quam Dei ministri, loco eas per Sa- „ cramentum Creatori suo ac nostro reconciliandi, maiori peccatorum mole one- „ rantes, in profundum iniquitatis barathrum nefarie submergunt, nonnullorum „ Venerabilium Fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & „ aliquorum in Theologia Magistrorum consilio desuper adhibito, accedentibus „ quoque iteratis plurium Episcoporum supplicationibus, hac nostra in perpe- „ tuum valitura sanctione, quemadmodum a pluribus Episcopis per synodales „ suas constitutiones iam factum esse novimus, omnibus, & singulis Sacerdoti- „ bus, tam sæcularibus, quam regularibus cuiuscumque ordinis, ac dignitatis, „ tametsi alioquin ad confessiones excipiendas approbatis, & quovis privilegio, „ & indulto, etiam speciali expressione, & specialissima nota, & mentione di- „ gno suffultis, auctoritate apostolica, & nostræ potestatis plenitudine interdici- „ mus & prohibemus ne aliquis eorum extra casum extremæ necessitatis, nimi- „ rum in ipsius mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, „ qui Confessarii munus obire possit, confessionem sacramentalem personæ com- „ plicis in peccato turpi, atque inhonesto, contra sextum Decalogi præceptum „ commisso, excipere audeat, sublata propterea illi ipso iure quacumque aucto- „ ritate, & iurisdictione ad qualemcumque personam ab huiusmodi culpa absol- „ vendam; adeo quidem, ut absolutio, si quam impertierit, nulla, atque irrita „ omnino sit, tamquam impertita a Sacerdote qui iurisdictione, ac facultate ad „ valide absolvendum necessaria privatus existit; quam ei per præsentes has no- „ stras adimere intendimus. Et nihilominus, si quis Confessarius secus facere au- „ sus fuerit, maioris quoque excommunicationis pœnam, a qua absolvendi po- „ testatem Nobis solis, nostrisque Successoribus dumtaxat reservamus, ipso facto „ incurrat.

„ §. 5. Declarantes etiam, & decernentes, quod nec etiam in vim cuiuscum- „ que Iubilæi, aut etiam Bullæ quæ appellatur Cruciatæ sanctæ, aut alterius cu- „ iuslibet indulti, confessionem dicti complicis huiusmodi quisquam valeat exci- „ pere, eique sacramentalem absolutionem elargiri; cum ad hunc effectum, & „ in hoc casu, nullus Confessarius, utpote qui in huiusmodi peccati, & pœni- „ tentis genere, iurisdictione, ut præfertur, careat, & absolvendi facultate a „ Nobis privatus existat, habendus sit pro Confessario legitimo, & approbato „ Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, præsertim quæ „ nuncupantur Cruciatæ sanctæ, vel Iubilæi universalis, & plenarii, necnon „ quibusvis Ecclesiarum, & Monasteriorum, & Ordinum quorumlibet, quorum

„ ipsi

„ ipsi Sacerdotes fuerint, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis „ firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indul- „ tis, & litteris apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum qui- „ busvis clausulis, & decretis, etiam motu proprio, aut alias quomodolibet con- „ cessis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis: quibus omnibus, eorum „ tenores præsentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & „ expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

„ §. 6. Volumus demum ac præcipimus ut omnes locorum Ordinarii, tam „ præsentes, quam futuri pro tempore existentes, in approbatione Confessario- „ rum, tam prædictam constitutionem Gregorii Prædecessoris, quam præsentem „ hanc nostram, ab omnibus Sacerdotibus approbandis attente legi, & accurate „ observari curent, moneantque eos in Domino atque hortentur, ut sacrum mi- „ nisterium ipsorum fidei commissum summa animi innocentia, morum purita- „ te, iudicii integritate peragant, exhibeantque semetipsos ut ministros Christi, „ & dispensatores mysteriorum Dei: memores præterea sint, se locum tenere, „ ac vices obire summi atque æterni Sacerdotis, qui sanctus, innocens, impol- „ lutus, per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, ut emun- „ daret conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi. „ Sedulo igitur studeant diligenterque caveant ne quærentibus & pulsantibus „ eorum culpa cælum claudatur; ne deperditæ oves ad ovile dominicum redi- „ re properantes, eorum manibus ferarum dentibus dilaniandæ tradantur; ne „ prodigi filii egentes, & saucii, ad cælestem patrem revertentes, nefaria eo- „ rum improbitate, gravioribus peccatorum vulneribus, dum adhuc in via „ sunt, confodiantur.

„ §. 7. Ut autem præsentes litteræ ad omnium notitiam facilius deveniant, „ & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, seu earum exem- „ pla ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, nec- „ non Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, ac in „ Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi & publicari; sicque publica- „ tas, & affixas, omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, & „ afficere, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent: „ utque ipsarum præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam im- „ pressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in „ ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in iudi- „ cio, quam extra illud, ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, „ si forent exhibitæ, vel ostensæ.

„ §. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostræ voluntatis, „ sanctionis, præcepti, mandati, & derogationis infringere, vel ei ausu temera-

„ rio

„ rio contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem o-
„ mnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit in-
„ cursurum. Datum Romæ apud sanctam Mariam Maiorem anno incarnationis
„ dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Kalendis Iunii, Pon-
„ tificatus nostri anno 1.

§. UNICUS.

Nonnullæ quæstiunculæ resolvuntur.

I. CArdinalis Cozza in dubiis selectis, P. Felix Potestas, aliique innumeras quæstiones hac de re instituunt. Paucas ego, quæ pro Confessariorum instructione satis sint, discutiam. Nam Confessarii qui attente legerint rescriptam BENEDICTI XIV. constitutionem, habent omnia quæ pro resolvendis casibus occurrentibus necessaria sunt. Nihilominus maioris explicationis gratia nonnullas quæstiunculas, ceteroquin communes, & obvias, dispiciam.

II. Quæst. I. *Denuntiari ne debent Confessarii sollicitantes masculos ad turpia?* Resp. Cardinalis Cozza refert Paulum V. 1612. declarasse, eiusmodi sollicitantes denuntiandos esse vi constitutionis Pii IV. & colligitur ex hac constitutione in illis verbis, *aliquem pœnitentem*. Pœnitens autem est tam femina, quam masculus. Comprehenduntur etiam qui sollicitaverint sive pro se, sive pro aliis ad turpia; ut habetur §. 2.

III. Quæst. II. *Denuntiandus ne est Confessarius qui chartam provocantem ad venerem mulieri confitenti legendam tradit?* Resp. Negarunt olim Casuistarum aliqui, qui, ut obligationem denuntiandi efficacius eluderent, docuerunt etiam nullam esse denuntiandi obligationem, si sollicitatus confiteatur sollicitanti: quas duas opiniones proscripsit Alexander VII. in his duabus propositionibus. 6. *Confessarius qui in sacramentali confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione, ac proinde non est denuntiandus*. 7. *Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante: hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi*. Priorem opinionem docuit P. Thomas Hurtado, plurium laxarum opinionum Auctor. Illam probabilem existimavit P. Castropalaus, inquit Leander *tract.* v. *disp.* XIII. *quæst.* XV. Pro eadem refert P. Viva in *Trut. num.* 1. Acacium de Velasco.

IV. Quæst. III. *Sacerdotes qui fingunt se Confessarios, cum non sint, denuntiari ne debent, si sollicitent ad turpia?* Resp. Adfirmativa responsio colligitur ex §. 1. & 2. rescriptæ constitutionis; ubi omnes Sacerdotes absque limitatione compre-

henduntur, sive simplices sint, omnique iurisdictione destituti, sive approbati, si confessionem simulantes, prætextu & occasione confessionis ad turpia sollicitaverint.

V. Quæst. IV. *Denuntiandi ne sunt laici, vel Clerici, fingentes se Sacerdotes, si sollicitent ad turpia?* Resp. Communis responsio est negativa. Nihil quippe sive in hac adducta constitutione, sive in aliis praecedentium Pontificum quidquam statutum est contra laicos, vel Clericos. Leges autem istæ, cum sint mere pœnales, extendi ad eos qui comprehensi non sunt, minime debent. Quare si Confessarius sollicitaret per Clericum, aut laicum sub larva confessionis, hi non essent vi constitutionum de sollicitatione denuntiandi; essent tamen denuntiandi vi aliarum constitutionum tribunali Inquisitionis; ut advertit P. Felix Potestas *Part. III. cap. 11. quæst. 11. num. 490.*

VI. Quæst. V. *Quem sensum præferunt hæc verba: In actu sacramentalis confessionis, vel ante, vel immediate post?* Resp. Duo sunt propositionis membra. Primum comprehendit spatium ab initio usque ad terminum confessionis. Qui hoc tempore sollicitat, in actu confessionis sacramentalis sollicitat. De hoc dissidium nullum. Disputant vero Auctores, quid præcise significet sollicitare aut *immediate* ante, vel *immediate* post. Missis non paucis distinctiunculis, & subtilibus disputationibus, verba hæc accipienda sunt, non physice, sed moraliter iuxta prudentum existimationem. *Immediate ante* significat, si quis mulierem paratam ad confessionem, aut confessionem petentem, quamque post accessuram noverit, provocaret ad turpia, sollicitaret *immediate ante* confessionem; licet aliquod temporis spatium interflueret, antequam confiteretur. *Immediate post* sollicitaret, si, peracta confessione, vel mulieri chartam ad turpia incitantem legendam traderet in Ecclesia, aut verbis obscœnis provocaret. Quid, si ad mulieris domum accederet, ibique, vel in itinere eam sollicitaret? Esset ne denuntiandus? Negant Leander *loc. cit. quæst.* XXVIII. Felix Potestas *loc. cit. cap.* VI. *quæst.* II. *num.* 502. citatque Castropalaum, Dianam, & alios. Sed hæc opinio mihi falsa est, & opposita vera, estque communior. Iuxta quippe prudentum existimationem immediate post sollicitat qui, cum primum potest, & parvo elapso tempore pravum consilium exequitur. Verum hoc mox clarius patebit.

VII. Quæst. VI. *Quid produnt hæc verba: Vel occasione, vel prætextu confessionis?* Resp. Occasio, & prætextus duo sunt distincta atque diversa, ut communiter Auctores docent. Occasione confessionis quis sollicitare dicitur, qui reipsa ex ipsa vera confessione ansam sollicitandi ad turpia arripuit. Prætextus vero confessionis tunc est, quando quis simulat, & fingit confessionem, ut inde provocare ad venerem valeat. Variis modis nefarius Confessor sollicitare pœnitentem valet confessionis occasione. 1. expressa & manifesta impudentia. 2. dum intelligit pœniten-

rentem luxuriæ flagitia confitentem, & ad venerem proclivem, miseram infirmam, dum sanitatem quærit, ad mortem seducere pertentat verbis, signis, gestibus, suspiriis, aliisque indiciis quæ ad libidinem concitent. Hi iuxta omnes denuntiandi sunt. 3. cum ex notitia propensionis ad venerem, & facilis futuri consensus in confessione acquisita, occasionem nanciscitur incitandi ad venerem mulierem cuius excepit confessionem. Advertunt tamen Auctores, non teneri personam sollicitatam ad denuntiandum Confessarium ex hoc capite, nisi gravia, & solida habeat indicia, quod Confessarius sollicitet ex notitia in confessione acquisita. Indicia hæc sunt. Si brevi post confessionem tempore Confessarius illam adeat: si in confessione peccata carnalia, suamque ad luxuriam propensionem pœnitens patefecerit: si nulla inter utrosque prius præcesserat familiaritas, immo mutuo ignoti sibi essent, & occasione confessionis ineretur amicitiæ fœdus. Si desint hæc indicia, iudicandum est non occasione confessionis, sed ex aliis caussis inductum esse ad eam sollicitandam; atque adeo cessat onus denuntiationis. Indicia hæc non tam attendenda sunt ex temporis brevitate, quam ex aliis coniecturis. Nam astuti seductores, ut declinent denuntiationis pœnam, possunt aliquot dies differre pravi consilii executionem, ut seducere mulierem, quam libidinis febri laborantem agnovere in confessione, impune valeant. Quare si mulier in confessione luxuriæ peste se inquinatam manifestavit, post a Confessario incitetur sive verbis, sive nutibus, sive aliis signis ad turpia; fundamentum communiter adest prudenter suspicandi, occasione confessionis inductum Confessarium esse ad sollicitationem. Attendendæ tamen sunt aliæ circumstantiæ. Et quoniam, ut in constitutione dicitur, crimen hoc est, supra quam dici potest, immanissimum: ideo, quando indicia adsunt, licet non adeo evidentia, standum pro denuntiatione est. Neque enim lex ista mere pœnalis est, sed mixta. Spectat quippe gregis conservationem a lupis rapacibus, qui sub pastoris, & quidem actu pascentis oves, larva, mortali veneficio iugulare easdem crudelissime pertentant.

VIII. Prætextu confessionis sollicitat Confessarius qui mulierem invitat ad confessionem, eamque in Ecclesiæ ianua expectat, ibique, nulla confessionis mentione facta, ad venerem incitat. Mulier, præmissa conventione de peccato carnis patrando cum Sacerdote, illum domum vocat, & ut domesticos deludat propter executionis difficultatem, ægrotam se fingit, & prætextu confessionis simul commiscentur. Est ne Confessarius denuntiandus? Negant Diana, & Leander *loc. cit. quæst.* XXIV. Sed vera sententia adfirmat, cum prætextus confessionis manifestus sit. Similiter denuntiandus esset, si absque conventione mulier illum vocaret ad confessionem faciendam, atque sollicitaret, remque simul haberent.

IX. Mulier accedit ad confessionarium, dicens se velle crastina die confiteri; illam tunc sollicitat Confessarius extra confessionale, & quin confessionem simu-

 let.

let. Negant Leander, & Castropalaus hunc esse denuntiandum. Sed probabilior, immo mihi vera, est sententia adfirmans, cum *occasione* confessionis sequenti die faciendae sollicitatio contingat; ut advertit P. Felix Potestas. Similiter esset denuntiandus, ut ego quidem arbitror, Confessarius qui mulieri accedenti ad confessionale dissuaderet confessionem hac prava intentione, ut illam postea incitaret ad turpia; quamvis tunc nullo modo incitaret, sed postea aut in Ecclesia, aut in itinere, aut domi eam ad venerem provocaret.

X. Quaest. VII. *Est ne denuntiandus qui extra occasionem confessionis, nec confessionem simulans, in confessionali sollicitat?* Resp. Negat Leander *quaest.* xxx. cum aliis; sed vera sententia adfirmat, & patet ex pontificiis constitutionibus. Similiter est denuntiandus, dum confessiones audiens nutibus, & signis adstantes mulieres, locum confitendi exspectantes, incitat ad venerem.

XI. Quaest. VIII. *An sit denuntiandus qui in quocumque loco confessionibus audiendis deputato concitat ad turpia?* Resp. Praeter confessionale, quod est ordinarius confessionis locus, duo alia loca pro confessionibus audiendis numerantur ab Auctoribus. In Religiosorum domibus sunt cellulae quaedam, aut capellae, in quibus confessiones excipiuntur. Hic est secundus locus in constitutionibus pontificiis expressus illis verbis: *Aut in loco quocumque, ubi confessiones sacramentales audiantur.* Qui in his locis pueros ad turpia sollicitarent, essent denuntiandi. Tertius locus est ille quem sibi eligit Confessarius in quocumque terrae spatio, sive in Ecclesia, sive domi, sive in platea, sive in agro, in monte, in mari &c. sit constitutus, & est expressus in illis verbis: *Sive ad confessionem audiendam electo.* Igitur qui in primo loco, seu in confessionali sollicitant, sunt denuntiandi, etiamsi nec audiant, nec simulent confessionem. Qui in aliis duobus locis provocant ad turpia, tunc denuntiari debent, quando aut confessiones audiunt, aut audire fingunt.

XII. Quaest. IX. *Denuntiandus ne est, non modo qui ad inhonesta, sed etiam qui ad alia crimina sollicitat?* Resp. Communis est Theologorum sententia, constitutiones pontificias contra sollicitantes ad inhonesta & turpia comprehendere dumtaxat actus venereos, ad quos *sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactibus, sive per scripturam* Sacerdotes incitant sive feminas, sive masculos. Qui vero ad alia crimina, puta furtum, homicidium &c. in confessione sollicitarent, ex aliis decretis, adversus suspectos de haeresi latis, essent Inquisitionis tribunali obnoxii, immo iuxta multos denuntiandi. Qui tamen eos denuntiare omitterent, non incurrent poenas latas in hac constitutione contra non denuntiantes inflictas.

XIII. Quaest. X. *Requiritur ne, actus quibus incitatur ad turpia, esse mortales, ut sollicitatus teneatur ad denuntiandum?* Resp. Plures, quos citat Leander *quaest.* xrr. contendunt, non esse onus denuntiandi Sacerdotem qui verbis, nutibus, aut si-

gnis

gnis leviter lascivis incitaret mulierem ad venerem. Sed vel ipse Leander, laxarum opinionum collector, improbat præfatam opinionem. Quia licet tales actus, signa, nutus, verba possint esse natura sua venialia; ex circumstantia tamen loci, & administrationis sacramenti sunt mortalia, & quidem gravissima. Neque ad onus denuntiandi requiritur quod sequatur effectus intentus a sollicitante, & quod sollicitata persona consentiat; sed sat est quod Sacerdos attentaverit; ut patet ex constitutione: *Sollicitare, vel provocare tentaverint.*

XIV. Quæst. XI. *Sunt ne denuntiandi qui turpes sermones habent in dictis locis cum pœnitentibus?* Resp. Adfirmat communis, & vera sententia: & constat evidenter ex clausula constitutionis: *Aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint.* Quare præter *sollicitare*, & *provocare* comprehenduntur etiam sermones inhonesti sine provocatione. Plurimos casus super horum turpium sermonum varietate Auctores instituunt, & præcipue P. Felix Potestas. Disputant, an, si Confessarius laudet mulieris pulchritudinem: si dicat: Vellem tecum nubere, si essem sæcularis: memor esto mei, quia te ex toto corde diligo: mea filia: corculum meum &c. Sed istos, & plurimos alios similes casus discutere nolo, ne otio abutar. Innumeri enim sunt modi quos humanum ingenium excogitare valet: neque tot possunt recenseri, & resolvi, quin plures & plures concipere homines valeant. Regulæ generales altius animo infigendæ sunt, quibus iuxta circumstantiarum diversitatem possint Confessarii experrecti casus peculiares decidere: præsertim dum non occurrit gravis difficultas, quæ peculiarem discussionem exigat. Prætereo quoque plures ex his putidis casibus, quos calamus scribere refugit.

XV. Quæst. XII. *An sollicitantes pro aliis, vel per alias personas, sint denuntiandi?* Resp. Resolutio adfirmans habetur in ipsis pontificiis constitutionibus: *Aut sollicitatio a Confessario, non pro se ipso, sed pro alia persona peracta fuerit.* Quare si Confessarius adeo nequam esset, ut lenonem ageret sub pastoris veste, &, ut aliis inserviret, occasione, aut prætextu confessionis pœnitentes ad turpia peragenda etiam cum alio irritaret, aut suaderet, multo magis si doceret eiusmodi non esse peccata; denuntiandus proculdubio foret, sicut & quando non seipso immediate, sed per alias personas sollicitaret.

XVI. Quæst. XIII. *An quando verba sunt dubia, vel femina non consentit, aut Confessarius sollicitatus a femina sit denuntiandus?* Resp. Ad 1. adfirmat Diana cum aliis: negat Bordonius, inquit P. Potestas *num.* 576. Communiter dubia in meliorem partem sunt interpretanda. Et præsertim quando Confessarius est notæ probitatis, nisi signa iuxta prudentum existimationem ad venerem determinate incitent, non videtur denuntiandus. Cuilibet etiam cautissimo Confessario excidere e lingua valent aliqua dubia verba, & signa aliqua dubia. Ideo ne continuo denun-

nuntiandus? Cavendum semper, ne dum iniquorum pravitas coercenda curatur, innocentum, & proborum hominum fama maculetur, & prodatur. Ad 2. sive consentiat, sive dissentiat mulier sollicitata, tenetur denuntiare. Immo hæc nullo modo astringitur pandere suum consensum; nec de eo a tribunali interrogari potest. Delictum enim sollicitationis ad tribunal attinet solum ut a Confessario proficiscitur. Ad 3. Confessarius sollicitatus consentiensque dubio procul est denuntiandus, non ratione clausulæ provocantis, & sollicitantis, sed ob alteram clausulam, nempe decimam Bullæ Gregorii confirmatæ in rescripta constitutione, quod actus inhonestos egerit confessionis prætextu. Quid, si Confessarius vocatus a muliere, fingente domi se esse infirmam, pro confessione facienda sollicitatus sit ad turpia, & resistat: at minis, additis a furente muliere, tandem cedat? Alii adfirmant, alii negant esse denuntiandum. Alii respondent mitius esse puniendum: quod verum existimo, nec cogendum ad abiurandum. At non propterea non est denuntiandus.

XVII. Quæst. XIV. *An persona sollicitata non præmissa correctione fraterna, sub mortali teneatur denuntiare Sacerdotem sollicitantem?* Resp. Quamvis in omnibus aliis delictis privatis, quando prudenter speratur emendatio, præmittenda sit fraterna correctio; tamen, quando delicta sunt directe contra bonum publicum, ut sunt præsertim hæreses, neglecta correctione fraterna, denuntianda sunt, ut docet S. Thomas 2. 2. *quæst.* XXXIII. *art.* 7. Accedit quod quamvis in delictis eiusmodi præmitti correctio posset, quando firmiter, inquit Angelicus, speraretur emendatio; nihilominus delicta sollicitationis, non præmissa correctione, denuntianda esse decrevit Congregatio S. Officii coram Alexandro VII. die 8. Iulii anno 1660. per hæc verba: *Etiamsi nulla fraterna correctio, vel alia admonitio præmissa fuerit, omnino teneri* &c. ad denuntiandum. Quod autem persona sollicitata teneatur sub gravi culpa denuntiare Sacerdotem sollicitantem, docent omnes, cum obligatio sit de re gravissima.

XVIII. Quæst. XV. *An non solum persona sollicitata, sed etiam alii teneantur denuntiare sollicitantem?* Resp. Non solum pœnitentes sollicitati, sed etiam qui vel casu viderunt Confessarium sollicitantem, vel audierunt aut immediate ab ipso sollicitante, aut ab ipsa persona sollicitata; nisi tamen hæc, quæ est principalis, implere velit onus suum.

XIX. Quæst. XVI. *Tenetur ne persona sollicitata per se ipsam denuntiare aut Inquisitori, aut Episcopo sollicitantem?* Resp. Absolute pœnitentes sollicitati tenentur per se ipsos denuntiare; cum obligatio sit personalis: & qui per epistolam denuntiant, proprium nomen & cognomen scribere debent. Si mulieres nobiles, aut puellæ non audeant aut tribunal Inquisitionis, aut Episcopum adire, id agere valent per internuntium, nempe per Confessarium. Illud tribunal, sive Inqui-
sitio-

ſitionis, ſive Epiſcopi, eligatur pro denuntiatione facienda, quod executioni & remedio applicando facilius conducit. Ad pœnas quod attinet contra calumniatores, ſive falſos denuntiatores, qui innoxiis Sacerdotibus tantum impingere ſcelus auderent, lege conſtitutionem BENEDICTI XIV. ſupra adductam.

XX. Fuſe de ſacramento pœnitentiæ diſputatum; at pro materiæ vaſtitate, & difficultatum multitudine vix ſatis. Unum tamen ſub huiuſce operis finem obiter moneo, ſeu in memoriam revoco. Niſi Confeſſarii propriam conſcientiæ vineam ſedulo purgaverint; niſi ex eadem vepres, tribulos, urticas, & ſpinas evellerint; niſi proprios inordinatos animi motus moderari, ſuperbiam, ambitionem, inanem gloriam reprimere, mundi oblectamentis renuntiare didicerint; niſi ipſi caſti, temperantes, mortificati, humiles fuerint; niſi interiorem hominem reformaverint: fruſtra ex librorum lectione artem regendi alienas animas addiſcere; fruſtra alienos agros excolere tentabunt. Et hæc de ſacramento pœnitentiæ dicta ſufficiant. Omnia quæ veritatem propugnant, in maiorem Dei & IESU CHRISTI Salvatoris noſtri gloriam cedant. Si quid erratum eſt, oret lector ut Deus pro ſua infinita miſericordia remittere dignetur. Amen.

FINIS TOMI NONI.

INDEX

RERUM, ET VERBORUM

Quæ in hoc Tomo continentur.

A

ve

D

G

L

Ma-

M

N

O

P

Q

R

S

T

V

X

F I N I S.

DECLARANDA.

PAG. XXI. *in præfat. lin.* 28. Quarum nec unam docet, quatenus mihi constat, Morinus, Merbesius, Iuveninus, Gennetus &c. Ad Iuveninum quod attinet, declaro, id intelligendum dumtaxat esse in iis quæ de re morali idem Iuveninus docet, de qua ibi unice disputatur in commentitio Rigorismo refellendo. De aliis vero argumentis quæ Iuveninus tractat, meum ibi non erat investigare, aut ad criticen revocare.

Pag. 660. *num.* IV. *lin.* 28. An Auctores damnatæ thesis docebant, absolvendum esse illum qui de præsenti vellet occasionem? Quis inter Catholicos adeo insanivit, ut docuerit, absolvendum esse eum qui de præsenti velit occasionem? ═══ *Corrige*. Auctores propos. 61. proscriptæ ab Innocentio XI. quæ sequuntur docuere. *Quinimmo directe & ex proposito quærit, aut ei se ingerit*. Casuistarum itaque aliqui ita desipuere, ut propugnaverint, absolvendum esse eum qui in præsentia velit occasionem, aut eidem se ingerat.

	Errata	*corrige sic.*
Pag. VI. lin.	8. in Dedicat. *in longum tempus*	*in ultimum tempus*
XXXIV.	10. *in Præf.* quo omnia	quo fere omnia
5.	28. *Lib. II. diss.* 11. *de contrit. cap.* VIII. *num.* 5. *quæst.* 2.	*Lib. I. diss.* 1. *de pœnitent.* (ita semper legendum loco *de contrit.*) *cap.* VIII. *n.* 5. *quæst.* 2.
16.	3. Vide *loc. cit. num.* 7.	Vide *loc. cit. cap.* IX. *num.* 7.
16.	6. Vide *infra loc. cit. n.* 16. *& seq.*	Vide *infra loc. cit. cap.* X. *num.* 16.
17.	4. Vide *loc. cit. cap.* VIII.	Vide *infra loc. cit. cap.* X.
36.	28. perfricte negat	perfracte negat
82.	33. probabilis amplius	probabilis amplius non sit
84.	10. attritionis initialis	amoris initialis
92.	6. Ex b quius	Ex quibus
211.	26. prontis in laxiora	pronis in laxiora
230.	23. n cives	in cives
250.	23. ensibus suis,	sensibus suis
273.	17. fater	fateri
308.	18. negans debitum interrogandi	negans ius interrogandi
335.	Ante titulum *Diluuntur sophismata casuistica* apponatur CAPUT VIII.	
566.	17. At quinam h	At quinam hi
567.	13. a propinatione veni	a propinatione veneni
ib.	30. Dictinguendum	Distinguendum
571.	4. VIII.	VII.
593.	24. dedigrantur	denigrantur
597.	18. non subsisteres	non subsistere
679.	36. Formalem vero propositum	Formale vero propositum
726.	8. Dupio procul	Dubio procul.

Ad pag. 534. *Tomi VIII.*

lin. 1. *pro* Benedictus XIV. *lege* Benedictus XIII. *& lin.* 2. *pro* anno 1745. *lege* anno 1725. *item lin.* 6. *post verba* Sacrificium celebrare, *adde* sive celebrari facere.